


PHARVS
VETERIS TESTAMENTI,
siue
SACRARVM
QVÆSTIONVM


LIBRI XV.

Authore R. P. NICOLAO ABRAMO, è Societate IESV, in Vniuerſitate Muſsiponti, Sacrarum literarum Interprete.

Quibus acceſſerunt eiuſdem Authoris DE VERITATE ET MENDACIO Libri IV.



PARISIIS,
Apud MATHVRINVM HENAVLT, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Angeli Cuſtodis.

M. DC. XLVIII.

Cum Approbatione & Priuilegio Regis.





DEO OPT. MAX.

REGI SECVLORVM IMMORTALI,

INVISIBILI. [1. Timoth. 1.17.]

SOLI DEO

HONOR ET GLORIA;

IN SECVLA SECVLORVM,

AMEN.

SCIO [a], DEVS MEVS, [a Paralip. 29.]
quòd probes corda, &
ſimplicitatem diligas, &
ideo in ſimplicitate cordis mei læ-
tus obtuli vniuerſa hæc. Omnia
[b] flumina intrant in mare, & mare [b Eccl. 1. 7.]
non redundat: ad locum vnde ex-
eunt, flumina reuertuntur, vt ite-
rum fluant. Dico [c] ego opera mea [c Pſ. 44. 1.]
Regi. Domine, [d] dabis pacem no- [d Iſaie 26. 12.]



bis. omnia enim opera noſtra ope-
e *Ioann.* 16. 23. ratus es nobis. Si[e] male locutus ſum,
f *Pſal.* 138. 16 imperfectum[f] meum viderunt ocu-
g *Sap.* 9. 15. li tui: corpus[g] enim quod corrumpi-
tur, aggrauat animam, & terrena
cogitatio deprimit ſenſum multa
h 16. cogitantem. &[h] difficilè æſtimamus
quæ in terra ſunt: & quæ in proſpe-
ctu ſunt, inuenimus cum labore:
quæ autem in cœlis ſunt, quis inue-
i *Ioan.* 16. 23. k 1. *Cor.* 15. 10. ſtigabit? Si autem bene, non[k] ego,
l *Ioan.* 7. 16. ſed gratia Dei mecum. Doctrina[l]
m *Iacobi* 1. 17. mea non eſt mea. omne[m] datum op-
timum, & omne donum perfectum
deſurſum eſt deſcendens à Patre lu-
minum, apud quem non eſt tranſ-
mutatio nec viciſſitudinis obum-
n *Sap.* 9. 14. bratio. Dediſti[n] mihi ſedium tua-
rum aſſiſtricem Sapientiam, quæ
o *Sap.* 10. 21. aperuit[o] os mutorum, & linguas in-

ſantium fecit diſertas. Domine,[p] [p Dan. 9.8.]
nobis confuſio faciei: tibi autem
Domino Deo noſtro, per[q] quem [q 1.Cor. 1.9.]
vocati ſumus in Societatem filij tui
IESV CHRISTI Domini no-
ſtri, honor[r] & gloria in ſecula ſe- [r 1.Tim. 1.7.]
culorum. Amen.

Ego Seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, Pſ.115.16.
NICOLAVS ABRAM è Societate IESV.

Muſſiponti 10.Cal.Iulij, 1647.

APPROBATIO.

NOs Academiæ ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi infraſcripti: Teſtamur, *Pharum hanc à Reuerendo P. Abramo Soc.* IESV *Religioſo* extructam ad amuſſim veræ fidei Chriſtianæque doctrinæ eſſe; nauigantibuſque, & ad hiſtoriæ ſcaturiginem tendentibus peropportunam, vt quæ certum lumen in tantis fluctibus & tenebris oſtendat, & ad optimos mores abſque naufragij Chriſtiani periculo deducat: additoſque *De Veritate & Mendacio* libros in veritate Catholica, & illos ſine vllo mendacio repertos probamus. Datum Pariſiis decimo quarto menſis Februarij, anni Domini ſupra milleſimum & ſexcenteſimum quadrageſimi ſeptimi.

F. C. DE LA HATE Monaſterij noui Pictauienſis Prior clauſtralis.

DE LAVNOY.

Vincentius Carrafa Societatis IESV Præpoſitus Generalis.

CVm *Quæſtiones Sacras P. Nicolai Abrami noſtræ Soc. Sacerdotis*, tres eiuſdem Societatis Theologi iampridem recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandentur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus Romæ 30. Decembris 1646.

VINCENTIVS CARRAFA.

Facultas Reuerendi P. Prouincialis.

EGo Iacobus Dinetus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Campaniæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. Henrico IV. & Ludouico XIII. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant; Permitto Ioanni Ioſt, & Mathurino Henault Pariſienſibus Typographis, vt Opus inſcriptum, *Pharus veteris Teſtamenti, & Sacrarum Quæſtionum libri*, à R. P. Nicolao Abramo Soc. IESV compoſitum, ad decem annos proximos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Pariſiis 11. Februarij 1647.

IACOBVS DINETVS.

SYNOPSIS
LIBRORVM ET CAPITVM
SACRARVM QVÆSTIONVM.

LIBER PRIMVS
HEXAEMERON,
SIVE
DE OPERE SEX DIERVM.

BASILIVS, *Gregorij Nazianzenus & Nyssenus, Ambrosius, & alij passim, ἑξαήμερον appellant* Opificium sex dierum,*cùm alioquin ἑξήμερον Hexemeron dicendum videatur.*

1. *Quo anni tẽpore creatus fuerit mundus.*
2. *Mundus verno tempore creatus.*
3. *Mundus Autumno conditus.*
4. *De antilogiis apparentibus in Scriptura.*
5. *Exponuntur veterum sententiæ in explicandis verbis,* In principio creauit Deus cœlum & terram.
6. *Quo pacto ante Solem conditum tres primi dies illuxerint.*
7. *Quatuor explicandæ Scripturæ leges.*
8. *In principio* Beresith: *expositio primæ dictionis.*
9. *Quod sit illud principium, in quo creauit Deus cœlum & terram.*
10. *De creatione.*
11. *Cœlum & terram.*
12. *Vtrùm prima Genesis verba de ideis possint explicari.*
13. *Vtrum Moses initio Genesis cœli Empyrei productionem exponat.*
14. *Exponitur verus sensus horum verborum,* In principio creauit Deus cœlum & terram.
15. *Probatur ex ipsa loquendi consuetudine, initio Genesis, significari Deum primo momento temporis omnia condidisse.*
16. *Eadem expositio probatur authoritate Scripturæ.*
17. *Idem probatur Decreto Concilij Generalis.*
18. *Ægyptiorum & Hebræorum authoritate probatur eadem expositio.*
19. *Probatur authoritate Græcorum res omnes vno instanti creatas fuisse.*
20. *Eadem expositio Latinorum Patrum authoritate confirmatur.*
21. *Eadem explicatio probatur ratione.*
22. *Idem probatur incommodis quæ sequuntur ex Aduersariorum sententia.*
23. *Terra autem erat inanis & vacua.*
24. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.*
25. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.*
26. *Dixitque Deus.*
27. *Fiat lux, & facta est lux.*
28. *Et vidit Deus lucem quod esset bona.*
29. *Et diuisit lucem à tenebris.*
30. *Factumq; est vespere & mane dies vnus.*

LIBER II.

De Fluuiis & loco Paradisi.

LIBER III.

Eulogius siue de benedictionibus Noë.

LIBER IV.

De diuisione linguarum.

campum Sennaar venisse dicantur.

4. *Vbi primùm Noëmus post diluuium habitarit.*

5. *Conciliantur Scripturæ.*

6. *Quo tempore facta fuerit linguarum diuisio. Exponuntur variæ recentiorum opiniones.*

7. *Examinatur prima sententia.*

8. *Expenditur secunda sententia.*

9. *Expenditur tertia sententia.*

10. *Sibyllæ & prophanorum de diuisione linguarum testimonia.*

11. *Eorum qui ex sola Scriptura tempus diuisionis inuestigant, opiniones duæ.*

12. *Quid per Phalegi dies Spiritus Sanctus intelligat.*

13. *Quoto post diluuium anno facta fuerit linguarum, terrarúmque diuisio.*

14. *Respondetur Aduersariorum argumento.*

15. *Vbi post Babylonicam confusionem habitarit Noëmus Patriarcha.*

16. *Vtrum Noë sit is qui Ianus à profanis nominatur.*

17. *De effigie Iani.*

18. *De moribus Iani.*

19. *Cur diuinitus inducta fuerit linguarum confusio.*

20. *Quàm grauiter homines turris ædificatione peccauerint.*

21. *Genus pœnæ quàm fuerit conueniens.*

LIBER V.

De prima Regnorum institutione.

1. *Recapitulatio dictorum de Benedictionibus Noe.*

2. *Confirmatur authoritate prophetiam Noemi ad omnem Chami sobolem pertinere.*

3. *Recapitulatio dictorum de linguarum diuisione.*

4. *Propositio & diuisio Quæstionis.*

5. *Scripturæ verba de Nemrod explicantur.*

6. *Appendicula de Orione & Titanibus.*

7. *Vtrùm Nemrodes ante linguarum confusionem Babylone regnauerit.*

8. *An inducta linguarum confusione Nemrodes Babylonis obtinuerit Principatum.*

9. *Quis extruso Nemrode obtinuerit Babylonem.*

10. *Quem in locum migrauerit Nemrodes deiectus Babyloniæ Principatu.*

11. *Vtrùm Ninus Rex Assyriæ Nemrodes fuerit, aut saltem ab eius stirpe propagatus.*

12. *Constitutio Quæstionis.*

13. *Quis fuerit Belus, Cælum, Saturnus, Iupiter, cæterique Dei Gentilium.*

14. *Explicantur verba Scripturæ de Assur primo vrbis Nini conditore.*

15. *Nemrodem neque Beli patrem fuisse, neque Ninum ipsum Assyriacæ Monarchiæ conditorem.*

16. *Respondetur Theophilo, Epiphanio, Chrysostomo.*

17. *Respondetur testimonio Abydeni.*

18. *Probatur authoritate Diodori Siculi Ninum Beli Babylonici filium non fuisse.*

19. *Vtrùm tempus, habitatio, mores, & gesta Nemrodis Belo Nini patri conueniant.*

20. *Appendicula de bello Deorum & Gigantum.*

LIBER VI.

De Regno Assyriorum.

1. *Recapitulatio libri superioris.*

2. *Diluitur obiectio Chronologica.*

3. *De Regno Assyriorum: constitutio Quæstionis.*

4. *Variæ antiquorum de Regno Assyriorum opiniones.*

5. *Examinatur Herodoti & Ctesiæ narratio.*

6. *Status quæstionis.*

7. *Ratio temporis tum è Ctesia, tum ex Herodoto ad sacram Chronologiam reuocatur.*

8. *Appendicula de quibusdam verbis Scripturæ adiectis.*

9. *Explicatur Isaiæ locus.*

LIBER VII.

De Abraham Patriarcha.

LIBER VIII.

De Pharaone.

LIBER IX.

Male inscribitur *De Mansionibus*, lege

DE MORA FILIORVM ISRAEL IN ÆGYPTO.

LIBER X.

Hic etiam liber male inscribitur *De Mansionibus*, lege

CHRONOLOGIA IVDICVM.

LIBER XI.

De Transmigratione Babylonis.

LIBER XII.

Darius Medus.

1 Præfatio.

2. Rationes quibus probatur Darium Medum Danielis esse Nabonidum, siue Labynetum.

3. Rationes superioris sententiæ examinantur.

4. Eadem opinio ad Scripturã expenditur.

5. De Dario Medo digressio ad Scaligerum.

6. Probatur Darium Medum Danielis non esse Nabonidum, siue Labynetum.

7. Recapitulatio.

8. Quantum vetustis authoribus tribuere debeant sacrorum librorum interpretes.

9. Quid sit in quo veteres circa Cyrum conueniant, aut inter se dissentiant.

10. De duplici Cyri primordio quando Cyrus regnare inceperit.

11. Diluuntur argumenta quibus Recentiores Patrum de primo Cyri anno sententiam oppugnant.

12. Confirmatur veterum de primo Cyri anno sententia.

13. Exponitur verosimilior sententia de duplici Cyri primordio, & fine Babylonicæ seruitutis.

14. Quo sensu Iudæi dixerint templum quadraginta sex annis ædificatum.

15. Diiudicatio præcipuæ quæstionis, quis fuerit Darius Medus.

LIBER XIII.

De Iuditha.

1. Hæreticis caussæ nihil fuisse cur librum Iudith è Canone sacrarum Scripturarum expungerent.

2. Constitutio quæstionis.

3. De textu Græco & latino libri Iudith, quid sentiendum.

4. Argumenta quibus probari possit Iuditham ante seruitutem Babylonicã floruisse.

5. Explicantur illa verba Iudith vltimo vers. 28. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque.

6. Vtrum ex Isaia certò colligatur Sobnam & Eliacim fuisse summos Sacerdotes.

7. Recapitulatio.

8. Diluuntur argumenta quibus probari videbatur Iuditham ante seruitutem Babylonicam floruisse.

9. Vtrum Arphaxadus sit ille qui Deioces ab Herodoto nominatur.

10. De Manasse & eius vinculis.

11. Noua propositio.

12. Probatur historiam Iudith non ante exilium Babylonicum contigisse.

13. Iudithæ memorabile facinus sub Persarum Regibus contigisse.

14. De Xerxis initio.

15. Probatur historiam Iudith Xerxis ætati conuenire: & Xerxem cum esse quem Scriptura Nabuchodonosorum appellat.

16. Recapitulatio.

17. Conclusio.

LIBER XIV.

De aduentu Messiæ & 70. Hebdomadibus Danielis.

1. Præfatio.

2. Futilia argumenta quibus Iudæi probare volunt Messiam nondum venisse.

3. Iudæorum contra priorem aduentum Messiæ argumenta diluuntur.

4. Recapitulatio.

5. Transitio ad probationem aduentus Messiæ.

6. Septuaginta Hebdomadæ abbreuiatæ.

7. Quid propheta per hebdomadas intelligat.

8. Abbreuiatæ.

9. Super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam.

10. Vt consummetur præuaricatio.

11. Et adducatur iustitia sempiterna.

12. Et impleatur visio & propheta.

13. Et vngatur Sanctus sanctorum.

14. Veteres Hebræorum punitiones cum postrema comparatæ.

15. Quæ sit illa consummata præuaricatio maximumque peccatum quod à Gabriele prædicitur.

16. Quomodo per Christum deleta iniqui-

LIBER XV.

De principio & fine Lxx. Hebdomadum Danielis.

DE MENDACIO AC VERITATE, LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

LIBER TERTIVS.

LIBER QVARTVS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS, Par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre. A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Senêchaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iusticiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien-amé Iean Iost Marchand Libraire à Paris, nous a fait remonstrer qu'auec grands fraiz & despences, il a recouuré vn liure intitulé, *Pharus veteris Testamenti, & Sacrarum Quæstionum libri, Authore Nicolao Abramo Soc.* IESV, &c. lequel il desireroit faire imprimer, s'il nous plaisoit de luy accorder nos lettres sur ce necessaires, humblement requerant scellées. A CES CAVSES, Nous luy auons permis & permettons par ces presentes de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeissance, ledit liure, en telle marge, tels caracteres, & autant de fois que bon luy semblera durant l'espace de dix ans entiers & acomplis, à compter du iour que ledit liure sera acheué d'imprimer pour la premiere fois. Et faisons tres-expresses defences à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient de l'imprimer, faire imprimer, vendre, ny debiter, durant ledit temps, en aucun lieu de nostre obeissance, sans le consentement de l'exposant, ou de ceux qui auront droict de luy, sous pretexte d'augmentation, correction, changemens, fausses marques, ou autrement, en quelque maniere que ce soit, à peine de six mil liures d'amende, payables sans deport, & nonobstant oppositions ou appellations quelconques par chacun des contreuenans, & applicables à nous vn tiers, vn tiers à l'hostel Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'exposant; de confiscation des Exemplaires & de tous despens, dommages & interests: A condition qu'il sera mis deux Exemplaires en blanc dudit Liure en nostre Biblioteque auant que de l'exposer en vente, à peine de nullité des presentes; Du contenu desquelles, nous vous mandons que vous fassiez iouyr & vser pleinement & paisiblement l'exposant, & tous ceux qui auront droict de luy, sans qu'il leur soit donné aucun trouble, ny empeschement. Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Liure, vn Extraict des presentes, elles soient tenuës deüement signifiées, & que foy y soit adioustée, & aux copies colationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'original. Mandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des presentes tous exploits necessaires, sans demander autre permission: CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le 11. iour de Nouembre, l'an de grace 1645. Et de nostre Regne le troisiesme.

Par le Roy en son Conseil.

PETIT.

Acheué d'imprimer le 20. Aoust, 1647. Et les Exemplaires ont esté fournis.

Le sieur Iean Iost a fait part du present Priuilege au sieur Mathurin Henault, pour en iouyr le temps porté par iceluy.



SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER PRIMVS.

HEXAEMERON,

SIVE

DE OPERE SEX DIERVM.

PHILOCTISTES.

PRÆFATIO.

1. 
HIL. Quàm iucunda cœli tempeties, mi Theodore! quàm suauis iste Fauonius adspirat! *Verum*, inquit ille, *si recenseas temporatim vestiri, prope sis eandem negare*, memor canam, cùm viridem conspicis, mox visurus & flauam. Hactenus horrebant, squalebant, stupebant omnia; putasses indictum ipsi naturæ iustitium. Nunc vicissim, quàm lenis aura blanditur! vt omnia nascenti viriditate pubescunt! Ecce

Tertull. de Pallio, c. 2.

... tibi suaues dædala tellus
Submittit flores, tibi rident æquora campi,
Placatumque nitet diffuso lumine cælum.

Lucret. lib. 1.

Vides vt istæ gemmulæ de vitibus extuberent, lacrymæ guttatim defluant, tenellæ palmitum frondes explicentur.

Non alios primâ crescentis origine mũdi,
Illuxisse dies, aliũmve habuisse tenorem,
Crediderim. Ver illud erat: ver magnus agebat
Annus, & hybernis parcebant flatibus Euri.

2. Georg.

THEODORVS.

1. *Quo anni tempore creatus fuerit mundus.*

2. THEOD. Credis igitur, Philoctista, ad vernam tempestatem referenda mundi nascentis initia?

PHILOCTISTES. Id si dicam, Theodore, possum plurimos non solùm Poëtas profanos; sed etiam Patres & quidem grauissimos sententiæ meæ fundos & authores exhibere, vt Ambrosium, Theodoretum, Damascenum, & alios quorum series apud Pererium, Torniellum, & Salianum sanè longa contexitur.

THEOD. Sed cùm sol modò accedens, tum autem recedens varias anni tempestates efficiat, qui tandem vernum tempus esse potuit, antequam sol ille quarto die conderetur?

Lib. in Hexaem c. 4. quæst in Exodum Lib. 2 de fide Orthod.

PHILOCTISTES. Equidem non video cur lux illa solis vicaria, quæ tres primos dies nondum condito sole distinxit, non potuerit etiam Veris amœnitatem inducere. Ne tamen in ipso, vt aiunt, vestibulo tricari videamur, hoc in medio relinquamus, idque duntaxat vnum quæ-

ramus, an sole primùm creato verna serenitas affulserit?

3. THEOD. Bene mones. Sed cùm iis qui trans Æquatorem habitant, eodem tẽpore sit autumnus quo nobis verna tẽpestas aperitur, cuius hemisphærij putas à Ss. Patribus habitã esse rationem? PHILOCT. Eius, opinor, in quo putarunt ab initio plantatum esse Paradisum. THEOD. Vbi autem putarunt? PHILOCT. Omnes quidem septuaginta Seniorum authoritatem secuti Paradisum in Oriente fuisse consentiunt, sed cùm terræ tam vltra quàm citra circulum Æquinoctialem positæ versus ortum porrigantur, qui Paradisum ante Eugubinum citra zonam torridam collocaret, quatuordecim primis Ecclesiæ seculis repertus est nemo, paucis exceptis quos refellit Athanasius, qui Paradisum Hierosolymis ab initio fuisse voluerunt: cum plerique omnes *maceria quadam igneæ illius Zonæ* (verba sunt Tertulliani, Apologet. cap. 37.) *à notitia orbis communis segregatum, & extra anni solisque vias* esse statuerunt. Atque vt Latinorum Theologorũ antiquissimo comitem adiungamus Theologiæ subtilioris Antistitem. *Ille locus*, inquit S. Thomas, *præcipuè videtur esse inaccessibilis propter vehementiam æstus in locis intermedijs ex propinquitate solis: & hoc significatur per flammeum gladium, qui versatilis dicitur propter proprietatem motus circularis huiusmodi æstum caussantis, & quia motus corporalis creaturæ disponitur ministerio angelorum, vt patet per Augustinum 3. de Trinit. conuenienter etiam simul cum gladio versatili Cherubim adiungitur ad custodiendam viam ligni vitæ*: quasi flammeus ille gladius atque versatilis ad Paradisi custodiam positus fuerit aliud nihil quàm cœli zona

--- Corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni.

Hanc Isidorus in Originibus igneum murum appellat, *Septus*, inquit, *vndique romphæâ flammeâ, id est muro igneo accinctus.*

Locus Paradisi.

Ad Antiochum, q.

1. 2. quæst. 164. artic. 2. ad 5.

cap. 4.

4. THEOD. Cùm igitur duobus potissimùm argumentis Verno tempori mundi conditionem assignent, altero quòd tertio mundi die herbæ germinarint, Vernaque temperie foueri, & educari debuerint, altero quòd mundus ea tempestate fuerit Christi Domini passione reparatus, qui de loco Paradisi nihil definiunt, nullum nobis argumentum ex Verna temperie de mundi conditi tempore subministrant: Qui trans Æquatorem statuunt, vt plerique veterum, dum Veri consignant orbis initia, mense circiter Septembri rerum vniuersitatem extitisse confirmant: Qui consentaneum esse volunt vt Adamus eo ipso tempore peccarit, quo Christus pœnas eius sceleri debitas exoluit, vt peccato pœna respondeat, nihil præter quandam concinnitatem sequuntur, & ne sic quidem mense Martio conditum orbem esse probant, nisi priùs definierint quoto post creationem die Adamus peccauerit. Hũc vno duntaxat die complures, Abulensis duobus, octo Pererius, Cornelius, Torniellus, Salianus, aliique non pauci, Cæsarius quadraginta, quot dies Christus ieiunans exegit, quidam apud Cæsarium & Barcepham eum tot annis in Paradisi deliciis fuisse censuerunt, quot Dominus noster Iesus Christus in ærũnis mundi versatus est. Ex iis autem qui è redemptionis tempore mũdi natalem Vernæ tempestati consignari creduntur, nemo videtur quæstionem hanc vel extremis, vt aiunt, digitis attigisse, eamque fatentur omnes nullo scripturæ testimonio, nulla traditione maiorum, nulla ratione probabilique coniectura posse decidi.

Argumenta PP quibus probatur mũdus Vere conditus, parum firma.

Quamdiu Adam in Paradiso.

5. Quare, mi Philoctista, etsi in alteram quoque partem hos ipsos trahere, & Iosephum Rabbinos plerosque, Lyranũ, Abulensem, Pererium, Petauium, Tormiellũ, Scaligerum, aliosque cõplures laudare poteramus, supersedeamus tamẽ authoribus, & rationum potiùs in vtramque partẽ momenta ponderemus. PHILOCT. Sanè placet. Priùs tamen velim conueniat inter nos cis an vltra circulum æquinoctialem plantatus fuerit à Deo Paradisus. THEOD. Eugubinus, quẽ doctissimi quique iam sequuntur, eum versus Mesopotamiam collocauit. Ego Theophrasto nostro Paradisũ in terra Chanaanitide statuenti libentiùs assentior: & cis Æquatorem arbitror hortum illum plantatum fuisse deliciis omnibus affluentem. PHILOCT. Bene habet, iacta sunt fundamenta disputationis meæ.

Ver nouum, Ver iam canorum, Vere natus orbis est.

II. *Mundus Verno tempore creatus.*

6. QVid enim magis consentaneum fuit, quam vt Veris indulgentia terram primò nascentem exciperet, herbas promicantes, lactentes adhuc & teneras Fauoniorum aura mulceret, terra turgeret fœtibus grauida, sinum aperiret,

herbas & plantas parturiret, arbores, herbæ, virgulta læta viriditate pubeſcerent. Ipſa natura, ſi priùs quàm conderetur, in conſilium adhiberi potuiſſet, quam anni tempeſtatem vernis illis delicijs prætuliſſet? Autumnum fortaſſe fructibus exuberantem? In hoc igitur publico naturæ gaudio, in his Paradiſi delicijs lugebant ceraſi, pruni muſſitabant, gemebant tot Amygdalarum, Perſicarum, Citrorum, Armenicarum Malorum genera, ſtabant non ſine pudore tot arbores iam frondium ambitione decuſſa: ſqualebant violaria, marcebant ſine floribus liliorum caudices, roſaria ſolis ſpinis horrebant. At contrà ſi mundum Vere conditum eſſe faciamus, mundo naſcente gemmabunt vites, prata ridebunt, herbeſcenti viriditate terra veſtietur: arborum aliæ fructus profundent, aliæ promittent, omnis denique natura triumphabit. Num ipſa ſcriptura clamat primam rerum conditionem verno tempore contigiſſe? *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem.* Quando germinare ſolet? num vere? Vere; igitur, vt iterum dicam, *Vere natus orbis eſt.* Vere, vt ait Athanaſius, omnis natura parturit. *Vere tument terræ & genitalia ſemina poſcunt.*

A veris amœnitate.

Et ſanè, quatuor ſunt in ſignifero cardines: æquinoctiales duo, Aries & Libra: tropici duo, Cancer & Capricornus: æquinoctiales tropici antecellunt tum quòd adferant mundo temperiem, tum quòd lucem & tenebras terris ex æquo partiantur, adeóque ferè omnes ſolem in Æquinoctiorum alterutro creatum eſſe conſentiunt. Sed in vtro conditus fuerit à pleriſque dubitatur. Res tamen facilis & expedita videbitur, ſi conſideremus Deum multis nominibus Aquilonares mundi plagas Auſtralibus prætuliſſe. Nam vbi-ubi fuerit Paradiſus, in hoc hemiſphærio ſunt ea flumina quæ de Paradiſi fonte promanant; in hoc hemiſphærio non longè à Palæſtina creatus eſt Adamus, vt communis eſt Patrum ſententia; hîc poſt publicam generis humani cladem homines ex Arca digreſſi cœperunt habitare, hîc peracta ſunt ſalutis humanæ myſteria. In ipſo cœlo plaga Septemtrionalis clarioribus ſideribus refulget: Soli quocunque loco ſpectetur ſemper & vbique dexter erit Septemtrio. Sol in ſignis Septētrionalibus diebus, opinor, octo, ſeptem horis, minutis duodecim diutiùs quàm in Auſtralibus commoratur: Iam ſi magis naturalis eſt ad dextram quàm ad læuam progreſſio, quis dubitet Solem eo primùm loco fuiſſe conſtitutum, vnde per obliquum ſignorum ordinem ſidera luſtraturus ad dextram procederet, at Arieti Taurus, Gemini Cancer ad dextram reſpondent, Libræ Scorpius, Sagittarius, & Capricornus ad ſiniſtram: vnde efficitur Solem potiùs in Ariete fuiſſe, quàm in Libra mundi naſcentis initio collocatum.

Ex eo quòd Aquilonares plagæ Auſtralibus ſunt potiores.

Adeóque primi mortales cùm iam inde ab initio menſem illum quo Sol in Ariete verſatur ad diluuium vſquè primum in menſibus anni cenſuiſſent, eámque conſuetudinem Hebræi poſt diluuium retinuiſſent, donec ex Ægyptiorum commercio mutarunt faſtorum rationem, cùm primùm educerētur ex Ægypto lege lata iuſſi ſunt emendare faſtos, & more maiorum à menſe Nyſan qui partim Martio, partim Aprili noſtro reſpondet, anni labentis caput arceſſere.

A ratione anni ſacri.

III. *Mundus Autumno conditus.*

9. THEOD. Tria ſunt diſputationis tuæ capita, Philoctiſta, quorum vnum ducitur ab incōmodis quæ ex Aduerſariorum ſententia ſequerentur; alterum ab authoritate ſcripturæ, tertium à ſignorum Borealium & huius hemiſphærij dignitate. In primo vt orationis tuæ pigmentis & calamiſtris delectari me non inficior, ita nego me magnopere perſuaderi. Nam quòd metuis ne ſi mundum Autumno conditum faciamus, marceſcant lilia, roſaria floribus viduentur, arborum aliquæ luctu & ſqualore conſeneſcant, videris oblitus ver aſſiduum atque alienis menſibus æſtatem, arbores bis pomis vtiles *biferique roſaria Pæſti*, quæ à Poëta quodam de laudibus Italiæ prædicantur. Videris oblitus miram illam terræ ſanctæ fœcunditatem, flores maturis iam fructibus ſubnaſcentes, ϗ τὴν ὡρῶν ἀγαθὴν ἔριν, *& bonam tempeſtatum anni contentionem*, velut vnaquaque earum certatim ſibi regionem illam vendicante, vt loquitur Ioſephus, & Hegeſippus. Quapropter etiamſi non dicam autumno ineunte, ſed vel hyeme media mundi natalem celebrandum eſſe ſtatuamus, in Paradiſo temperatiſſima terræ regione omnes plantæ publici gaudij participes eſſe potuerunt,

Rationes oppoſitæ diluuntur. Prima.

Vide Theoph. §. 21.

Hybernæ rubuère roſæ, ſpretóque rigore
Lilia permixtis inſultauere pruinis.

Sydonius.

Nihil eſt igitur quod de luctu & pudore plantarum quarundam in illa triumphantis naturæ lætitia gementium magnopere laboremus.

10. Ne locus quidem ille scripturæ, qui apud opinionis tuæ patronos crebris solet vsurpari sermonibus, quicquam argumenti tuæ sententiæ subministrat. *Et protulit terra herbam virentem.* Hinc ais colligi primam rerum molitionem verno tempore contigisse. Quid ita? Ver exoriens *Gemmea conspergit viridanti prata colore.* Hoc tempore maximè germinant herbæ, terrámque quadam hilaritate conuestiunt. Sed ecquid etiam herba virens & posterioris secturæ fœnum, quod rusticani cordum appellant, æstate iam adulta, subnascitur? Reliqua, si placet, audiamus. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum,* cur potiùs ex herbarum viriditate vernum tempus, quàm ex earum semine mediam æstatem, ex arborum fructibus autumnum colligamus? imò cur non potiùs æstatem & autumnum? Si quidem Vere neque semen herbæ produeunt, neque ex arboribus poma dependent: at tam æstate quàm autumno terram herbarum subnascentium vestitu viridissimo passim videmus hilarari.

11. Quod spectat ad Septemtrionalium partium prærogatiuas, etsi quòd nouam veteris sententiæ probationem inueneris, improbare non possum, fateórque ex eo vernæ rerum conditioni nonnihil probabilitatis accedere; non minùs tamen ex eo ipso probabiliter colligi poterat conclusio tuæ positioni contraria, vt quoniam Deus, qui omnia facit *in pondere, numero & mensura*, multis aliis prærogatiuis Septemtriones ornauit, quadam veluti compensatione meridiem siue partes Australes primo nascentis solis radio perfunderet.

Diluitur secunda ratio.

12. Ais mensem Nysan, quo sol in Ariete versatur, à primis mortalibus ante diluuium, & ab Hebræis antequam in Ægyptum descenderent, primum in mensibus anni fuisse numeratum, atque adeo anni caput extitisse. In quo Tirinum secutus es virum sanè doctissimum. Sed hoc ipsum est quod in quæstionem versatur, & maiori probatione indigeret. *Mensis*, inquit, *iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Sed hoc religionum caussa, recentiore legislatoris instituto, cùm ante Mosen anni principium ab mense Thisri, qui partim Septembri, partim Octobri respondet, duceretur. Etenim Exodi 23. v. 16. iubetur tabernaculorum solemnitas celebrari בצאת השנה *beseeth hasschana, in exitu anni quando congregaueris omnes fruges tuas de agro*, & cap. 34. v. 22. *Solemnitatem*, inquit, *hebdomadarum facies tibi in primitijs frugum messis tuæ triticeæ, & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.* vel vt in textu principe legitur expressiùs חג האסיף תקופת השנה *hag haasiph tekuphath hasschana, festum collectionis reuolutionem anni.* Quia videlicet collectis Autumno frugibus:

Tertia.

Exod. 12. v. 2.

----redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia voluitur annus.

Tū enim rursus aratro terra proscinditur: Hyeme appetente semina iaciuntur, & spes anni redeuntis terræ committitur: annui prouentus autumno exeunte seminantur, hyeme concipiuntur, vere pariuntur, & primâ velut infantiâ lactescunt, adolescunt æstate, autumno ineunte maturitatem & perfectionem suam assequuntur. E quibus liqueat & naturalem anni præteriti finem in autumnum cadere, & initium redeuntis. Meritóque, vt auctor est Hieronymus in caput 1. Ezechielis, *Apud Orientales populos, post collectionem frugum, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Ianuarius quartus.*

13. Neque his officit quod Iudæi mensem Nysan qui Lunæ Martij responder, primum in mensibus anni numerabant. Erat enim Nysan initium anni sacrorum duntaxat, festiuitatúmque ratione. Ἐπὶ μὲν τοίγε ὠναῖ, inquit, Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 4 καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξεν. *In emptionibus caeteráque rerum administratione pristinum ordinem seruauit.* Adeóque anni tum sabbatici, tum iubilęi caput ab Octobri moris fuit deducere: & ipse Moses primam sementem anni principium, postremam fructuum collectionem anni finem appellat, Deuteron. 11. v. 12. *Terra enim ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: sed montuosa est, campestris, de cælo expectans pluuias, quam Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.* Atque hunc mensem iam ante diluuium ראש השנה *Rosch hasschana caput anni* fuisse hoc etiam vestigio deprehendere possimus, quod Hebræi mensem proximè sequentem בול *bul* quasi מבול *mabul.* i. diluuium nuncuparunt. Mense autem secundo ruptis fontibus abyssi, apertisque cœli cataractis cœpisse diluuium scripturę diuinæ testatur authoritas. E quibus efficitur probabilius ab

Duplex annus apud Iudæos.

Gen. 7. v. 11. Autumnali æquinoctio ducenda videri naturæ creatæ primordia. Quia tamen ad intelligentiam scripturæ res non adeo magni videtur esse momenti, eam, si placet, in medio relinquamus: vt quoniam, *Vnusquisque abundat in suo sensu*, alter impunè possit ab alterius sententia dissidere. Et quando nunc demum aliquid otij nacti sumus, nósque nec opinantes ad istum locum prouexit oratio, abs te velim primum caput Geneseos enucleatiùs explicari.

IV. *De antilogiis apparentibus in scriptura.*

14. Qvamuis enim *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, neq; vt filius hominis vt mutetur*: quamuis *apud patrem* Num. 23. 19 *luminũ non est transmutatio nec vicissitudi-* Iacobi 1. *nis obumbratio*: quãuis *Dei filius Iesus Chri-* 2. Corinth. 1. *stus non fuit* EST *&* NON: *sed* EST *in illo fuit*: quamuis auctor scripturæ primarius est *Spiritus ille veritatis*: multa tamen reperiuntur tum in aliis diuinæ scripturæ monumentis, tum præsertim primo Geneseos, quæ rem minùs attentè considerantibus nonnullam videri possint antilogiam continere. Antilogiam appello, cùm vel secum pugnat ipsa sententia, vel Antilogia. cùm textus alter alteri repugnat, vel discrepat à translatione, vel ira cum naturali ratione confligit, vt apertam videatur contradictionem inuoluere. Seipsam destruere & conuellere videtur hæc Domini nostri sententia: *Doctrina mea non est mea.* Si enim tua, inquit Augustinus, quomodo non tua? si non tua, quomodo tua? Dico textum textui repugnare, vt cùm apud Ioannem Dominus hora fere sexta iudicio Pilati damnatus est, apud Marcum hora tertia crucifixus. Versio Latina cuipiam videri possit à textu primario dissidere, vt cùm 1. Petri cap. 2. v. 23. legitur in translatione communi, *Tradebat autem iudicanti se iniustè*: cùm in textu Græco conceptis verbis habeatur: Παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, *tradebat autem iudicanti iustè*. Iam cùm Deo pedes, manus, oculi, pœnitentia, dolor cordis intrinsecus, furor, excandescentia, ignorantia, obliuio, somnus, ebrietas, crapula, sexcenta eiusmodi vel affectuum, vel vitiorum portenta tribuuntur, quis videre se non putat apertum scripturæ cum ratione conflictum?

15. Sed quid opus est vndeunde contradictionum exempla ambitiosè corradere, cùm hoc ipso primo Genesis capite magnam eorum segetem habeamus? Atque vt pauca de multis hodierna disputatione delibem, videmus hîc primam rerum molitionem in dies sex distributam atque descriptam: at si Ecclesiasticum audimus. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Deinde *in principio creauit Deus cælum & terram*. Igitur primo illo momento, ex quo tempora fluere cœperunt, cœlum Cap. 18. creatum est. At vt proximè subnectitur, secundo die factum est firmamentum. *Et vocauit Deus firmamentum cælum.* Igitur & ante primum diem, & secundo die factum est cœlum, quod sine dubio contradictionem inuoluit. Tertiò aquas super firmamentum hærere testatur, videlicet in statu violento. Quartò non solùm lux primo die producta sine vlla subiecti mentione, sed etiam dies tres euoluti fuisse narrantur, priusquam luminaria duo, sol videlicet & luna fierent, & in cœlo ponerentur, quibus reclamat ratio naturalis.

V. *Exponuntur Veterum sententiæ in explicandis verbis: In principio creauit Deus cælum & terram.*

16. PHILOCT. Hic mihi reuocas in Lib. 2. ad mentẽ, Theodore, memorabilem Antolycum. Theophili Antiocheni sentẽtiã: sex, inquit, *dierum interpretationẽ nemo mortaliũ potest pro dignitate tractare, omnémque dispensationem exponere*, ὐδ᾽ ἐι μύρια σόματ᾽ ἔχοι ϰ μυρίας γλώσσας, ἀλλ᾽ ὔτ᾽ ἐι μυρίοις ἔτεσι βιώσει τις, *Non si habeat ora decies mille,* Homil. 1. in *totidemque linguas: non si decem annorum* Hexaëmeron *millibus vitam producat, ne sic quidem* ineunte. *tantarum rerum dignitatem verbis exequetur. Quæ tandem*, inquit Basilius, *aures eorum quæ differuntur magnitudine & excellentia dignæ sunt? aut quonam modo præcultus præparatúsque animus ad res tantas, támque graues audiendas debet accedere? Certè liber à carnis perturbationibus, vacuus à tenebris, quas cura rerum ad viuendum necessariarum offundere solet, amans laboris, exquirendi veri auidus, omni ex parte circumspiciens, an Deo dignam notionem comprehendat.* Ne tamen nihil omnino dixisse videamur, has antilogiarum tricas non nostro, sed maiorum sensu paucis expedire conabimur.

17. Philo Iudæorum disertissimus Philonis opi- vnicus Platonis imitator, ea quæ in prin- nio primum cipio, ante diem secundum facta referun- Gen. versicu- tur, aliud esse putat nihil, quàm ipsas lum de ideis rerum ideas existentes in mente diuina, intelligi. quas Platonici κόσμον νοητὸν appellant, nos

mundum intelligibilem & exemplarem dicemus, dum nomen commodius occurrat. Exponens enim ea quæ primis quatuor Genes. versiculis continentur, ὅλως γὰρ, inquit, οὐδὲν αἰσθητὸν ἐν τούτοις, ἀλλὰ πάντ' ἰδέαι καὶ μέτρα, καὶ τύποι, καὶ σφραγῖδες εἰς γένεσιν ἄλλων ἀσώματα σωμάτων. *Omnino nihil in his quod sub sensum cadat, sed omnia ideæ & mensuræ, & formæ, & sigilla corporis expertia ad rerum corporatarum productionem.* Eúmque adeo diem æternitatis quo Deus suas illas ideas & rerum sigilla formauit, non *primum*, sed *vnum* dici putat ad cæterorum dierum discrimen qui præteriti, præsentis futurique successione voluuntur. Subnectit ὁ μὲν οὖν ἀσώματος κόσμος ἤδη πέρας εἶχεν ἐν τῷ θείῳ λόγῳ ἱδρυθείς. *Iam mundus corporis expers terminum habebat in mente siue verbo diuino constitutus. Sensilis autem ad huius exemplar perficiebatur, & primam omnium partium, quæ omnium optima est, cælum rerum artifex faciebat, ὃν ἐτύμως στερέωμα προσηγόρευσεν ἅτε σωματικὸν ὄντα. Idque vera nominis ratione vocauit firmamentum, quippe quod solidum & corporatum existeret.*

18. E quibus facilè fuerit aliquot antilogiarum nodos explicare. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*, & in æternitate sua quæ tota simul est, nec vlla præteriti, præsentis, futuri varietate distinguitur, omnes rerum suo tempore creandarum ideas formauit: Sed nihil prohibet quominùs res quæ sub aspectum cadunt, successione quadam ad idearum illarum exemplar effinxerit. In principio fecit cælum intelligibile: secundo die solidum & corporatum.

19. Augustinus non vno loco cœlum in principio creatum, naturas spiritales intelligit: terram, naturas materiæ concretas: E quibus plana est ratio cur Moses primam cœli molitionem à firmamenti conditione distinxerit.

Non pauci, præsertim recentiores Mosem sibi ipsi conciliari posse non putant, nisi duplex cœlum inuexerint: alterum Empyreum in principio cum terra creatum: alterum sidereum siue firmamentum ex aqua secundo die factum, & glaciali soliditate suspensum. Quamuis *Empyreum*, inquit S. Thomas, *non inuenitur positum nisi per authoritatem Strabi, & Bedæ, & iterum per authoritatem Basilij.*

1. p. q 66. art. 3. in c.

Cœlum Empyreum.

Addunt alij Theodoretum quæst. in Genes. & Theodorum Tharsensem in Catena. Sed quid prohibet ipsius Bedæ, quæ alij Iunilio Africano tribuunt, verba producere? *Ipsum*, inquit, *est cælum superius, quod ab omni huius mundi volubili spatio secretum diuinæ gloriâ præsentiæ manet semper quietum. Nam de nostro cælo, in quo posita sunt luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus scriptura quomodo vel quando sit factum, declarat.* Laudat Hieronymum illa Luciferi verba explicantem: *In cælum ascendam*, &c. *Quia legimus*, inquit, *cælum cæli Domino: cùm esset in cælo, id est, firmamento, in cælum, vbi solium Domini cupiebat adscendere, non humilitate, sed superbia.* 3. Reg. cap. 8. v. 27. *Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt.* Cœlum cœli dictum videtur corpus illud nostris, vt Beda loquitur, inaccessibile conspectibus, quod ambitu suo corpora naturalia continet & coërcet, quia perinde se habet ad cœlum hoc adspectabile in quo sidera versantur, ac cœlum adspectabile se habet ad terram, vt quanto cœlum stellarum terram superat interuallo, tanto Empyreum cœlum stellarum antecellat.

Comment. in Genes.

Isa. 14.

Firmamentum ex aquis conditum.

Firmamentum autem non è nihilo productum, sed ex aquis, quæ primo die totam Empyrei terræque intercapedinem occupabant, esse solidatum, communis Patrum videtur esse sententia. Sententiæ princeps est ipse Petrus Apostolus apud Clementem à Beda laudatus. *Aquæ*, inquit, *quæ erant intra mundum, in medio primi illius cæli terræque spatio, quasi gelu concretæ & crystalli soliditate distenduntur, & huiusmodi firmamento velut intercluduntur medio cæli & terræ spatio; idque firmamentum cælum Conditor appellauit antiquioris illius vocabulo nuncupatum.* Hæc Petrus. Idem familiam ducit apud eruditissimum Salianum: cui Nouatianum annectit libro de Trinitate, quem *magnum* Tertulliani *nomen obumbrat*, item Cyrillum Hierosolymitanum catech. 9. Theodoretum, aliósque non paucos, quibus proferendis hoc loco supersedendum putamus, ne, quod aiunt, actum agere videamur.

22. Quo sensu cœlum Empyreum adstruxerit Basilius, non facilè potest explicari. *Hoc*, inquit, *cogitamus*, (parco Græcis, contentus Ioachimi Perionij versione) *Si quid huius mundi, qui & sensibus percipitur, & interiturus est, molitionem antecessit, id certè lucis fuisse particeps. Neque enim Angelorum dignitates, aut cælestes omnes exercitus, aut omnino, si quæ sunt, quibus nomen non est impositum, naturæ rationis compotes, & spiritus qui mini-*

Lumen mundo antiquius, ex opinione S. Basilij.

strant, in te nebris vitam degebant, sed in luce & lætitia spiritali sibi decoram & aptam originem sunt adepti. Quibus verbis innuit lumen nescio quod terræ terúmque sensui subiectarum, adeóque cœli illius, quod in principio cum terra creatum est, prima conditione antiquius.

23. Quod ego S. Doctoris pronuntiatum cum Eugubini doctrina coniungendum putarem, nisi subderet Basilius priuationem illius lucis fuisse tenebras super faciem abyssi diffusas, quod facilè non admiserit Eugubinus, & ex istius consortio nonnullam labeculam tanto Patri vererer adspergere. Eugubinum enim de cœlo Empyreo disputantem ita passim repudiant, vt pene tanquam hæreticus, certè vt temerarius respuatur.

Eugubini de cœlo Empyreo sententia

THEOD. Atqui, mi Philoctista, nosti dictum cuiusdam sapientis:

Quicunque statuit parte inaudita altera,
Aequum licet statuerit, iniustus fuit.

Quare priusquam quicquam de Augustino Steuchio statuamus, eum suis verbis in Cosmopœia de cœlo Empyreo loquentem audiamus. *Hoc ergo*, inquit, *non potest esse creatum. Nam quod creatum fuit, fuit locus & tempus, hoc est ipse mundus. Deinde cùm illud sit regnum Dei, non videtur fas regnum Dei non semper fuisse. Est enim cœlum Empyreum claritas diuina, quam semper fuisse cum Deo necesse est, ad quam claritatem admisit Angelos, incredibili humanitate sua, & homines pios. Regnum Dei est regnum omnium sæculorum, ait Psalmus. Semper sol ille lucem æternam suam habuit comitem, nec potest aliud esse cœlum Empyreum, id est igneum, nisi claritas illa manans à Deo circumquaque, extra mundum, extra rerum creatarum, corruptibiliúmque regnum*, &c. Totámque disputationem in hæc verba concludit. *Cœlum Empyreum videtur esse cœlum increatum: nec videtur esse apud Mosem. Dico vt mihi videtur. Si fallor, errorem non defendo.* Hæc ille.

24. Qua in oratione quid est, quæso, in quo se falsi vel temeritatis alliganit? An quòd negat creatum esse cœlum Empyreum? At cœlum Empyreum neque disertis diuinæ scripturæ testimoniis, neque certa maiorum traditione, neque necessariis rationibus è scriptura deductis ostēdi constans est S. Thomæ cæterorumque Theologorum sententia. An quòd claritatem diuinam semper cum Deo fuisse statuit? At non solùm Deus *lucem inhabitat inaccessibilem*. 1. Timoth. 6. 16. sed etiā *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*, & *Verbum Patris æterni Deum de Deo, lumen de lumine* confitemur, vt proinde non possit diuina claritas à Deo separari. An quod eam claritatem à Deo manare dicit? At non abhorret ab vsu Theologorum vt bonitatem, sapientiam, potentiam, & cætera quæ vocantur attributa, dicant ab essentia diuina manare. An quòd eam ait extra mundum circumquáque diffundi? At vtrùm Deus sit extra cœlum in spatiis illis, quæ imaginaria passim appellant, in vtramque partem à Theologis disputatur. An quòd lucem illam increatam cœlum Empyreum appellat? At vbi de re ipsa liquet, non video qui conueniat de verbo tragœdias excitare, & humanitatis erat modestiæ potiùs adscribere, quòd cùm cœlum Empyreum apud Mosem legi negaret, nomen tamen Empyrei retineret.

Defenditur Eugubinus.

25. Quamuis illud in eo non satis arridet, quòd ait quod creatum fuit, fuisse locum & tempus, & potissimùm quod lib. de incorporeis & inuisibilibus, *Hæc lux*, ait, *an corporea sit an incorporea quædā, non facilè dixerim.* Sed si minùs disertè locutus est, benignò potiùs admonendus fuit, quàm inuidiosè carpendus; cùm præsertim ipse protestetur se, si fallitur, nequaquam errorem defendere. Denique qui Eugubinum reprehendit quòd diuinam claritatem cœlum dixerit, Theologiæ principem reprehendat necesse est qui cœlum vocauit sanctissimam Trinitatem. *Quandoque*, inquit, *ipsa sancta Trinitas dicitur cœlum, propter eius spiritualem sublimitatem & lucem, de quo cœlo exponitur diabolum dixisse, adscendam in cœlum: hoc est ad æqualitatem Dei.* Sed hactenus de cœlo Empyreo, nunc ex te aueo scire,

1. Parte. q. 68. art. 4. 6.

VI. *Quo pacto ante Solem conditum, tres primi dies illuxerint.*

26. PHILOCTISTVS. Variæ sunt authorum de primogenia illa luce dissidentésque sententiæ. *Nunc quidem*, inquit Basilius, homil. 2. in Hexaëmeron, *post ortum generato sole, dies est aëris, qui a sole cùm supra terrā lucet, illuminatur: & nox vmbra terræ, quæ occultante se sole efficitur. Tum vero non solis circuitu & motione, sed illius lucis quæ principio genita est, diffusione & contractione dies noctésque erant vicissitudines.* Et homilia 6. ineunte, eandem numero putat esse lucem, quæ & initio sine vlla materiæ concretione producta sit, & nunc à sole

Paulo ante Enum.

Basilij de primogenia luce sententia.

dependeat. Quod quia mirabile videtur & paradoxum, pretium-operæ fuerit eius ipsissima verba proferre, τότε μὲν γάρ, inquit, αὐτὴ τοῦ φωτὸς ἡ φύσις· νῦν δὲ τὸ ἡλιακὸν τοῦτο σῶμα ὄχημα εἶναι τῷ πρωτογόνῳ ἐκείνῳ φωτὶ παρεσκεύασται. *Tum enim ipsius lucis natura exorta est, nunc hoc solis corpus, quasi currus quidam primigeniæ illi luci est comparatum*, ὡς γάρ, &c. *ut enim aliud ignis est, aliud lucerna: quòd ille illuminandi vim habet. hæc autem facta est ut indigentibus lumen ostendat:* οὕτω καὶ τῷ καθαρωτάτῳ ἐκείνῳ, καὶ εἰλικρινεῖ, καὶ ἀΰλῳ φωτὶ ὄχημα νῦν οἱ φωστῆρες παρεσκευάσθησαν. *ita & purissimæ illi, & sinceræ, & inmateriatæ luci luminaris quasi vehiculum extructa sunt.*

Orat. in nouam Dominicam, ante medium.

27. Huic Gregorius Nazianzenus suffragator accedit. *Conueniebat*, inquit, *magno lumini opificium suum à lumine auspicari, quo tenebras soluit ac depulit, vastámque illam rerum congeriem & confusionem omnia occupantem*, καὶ τοῦ τ' σκ. ὀργανικὸν ἀπ' ἀρχῆς ἀναδεῖξαι, οὐδ' ἡλιακόν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, ἀλλ' ἀσώματον καὶ ἀνήλιον· ἔπειτα δὲ καὶ ἡλίῳ δοθὲν καταφωτίζειν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. *Nec verò id organicum à principio, nec meâ quidem sententiâ, solare protulit, verùm incorporeum & solis expers: sed postea ad orbem terrarum illustrandum soli traditum est. Nam cùm in cæteris rebus hanc creandi rationem tenuisset, ut materiam priùs conderet, ac deinde eam forma conuestiret, ordine videlicet ac figura, magnitudinéque unicuique rei impositis: hic ut maioris cuiusdam miraculi specimen ederet*, τὸ εἶδος τῆς ὕλης προϋπεστήσατο, *formam materia priorem protulit.* εἶδος γὰρ ἡλίου τὸ φῶς, *forma enim solis lux est.* μετὰ δὲ τοῦτο τὴν ὕλην ὑπάγει τὸν ὀφθαλμὸν τῆς ἡμέρας δημιουργήσας ἥλιον. *ac postea materiam induxit, solem hunc nimirum diei oculum fabricatus.*

Cap. de diuinis nom.

28. In hanc sententiam vir cumprimis eruditus etiam Dionysium pertrahere conatur: cùm enim lux, inquit, forma sit, informis esse non potest, non magis quam probitas improba, felicitas infelix, impia pietas. Dionysius porro lucem illam quæ primam dietum triadem effecit, vocat informem Quid igitur aliud intelligere potuit, quàm lucem quamdam purissimam ἄυλον, ἀσώματον, ἀνήλιον, *materiæ, corporis & solis expertem?*

1 p. q. 67. art. 4. ad 2.

29. Sed ne diuersas authorum opiniones vndecunque libemus, magnam nobis earum segetem Doctor Angelicus subministrat. *Quidam*, inquit, *dicunt lucem illam fuisse quandam nubem, quæ postmodum facto sole in materiam præiacentem redijt. Sed istud non est conueniens, quia scriptura in principio Genesis commemorat institutionem naturæ quæ postmodum perseuerat. Unde non debet dici quod aliquid tunc factum fuerit, quod postmodum esse desierit. Et ideo alij dicunt quod illa nubes lucida adhuc remanet, & est coniuncta soli ut ab eo discerni non possit. Sed secundum hoc illa nubes superflua remaneret, nihil autem est vanum in operibus Dei. Et ideo alij dicunt quòd ex nube formatum est corpus solis. Sed hoc etiam dici non potest, si ponatur corpus solis non esse de natura quatuor elementorum, sed esse incorruptibile per naturam, quia secundum hoc materia eius non potest esse sub alia forma. Et ideo est dicendum quòd, ut Dionysius dicit cap. 4. de diuin. nom. illa lux fuit lux solis, sed adhuc informis, quantùm ad hoc quòd iam erat substantia solis, & habebat virtutem illuminatiuam in communi, sed postmodum data est ei specialis & determinata virtus ad particulares effectus.*

Variæ opiniones de luce primigeniâ.

De opere sex dierum lib. 2. cap. 8. & 9.

30. Hæc Theologiæ disputatricis antistes, cuius postrema verba Soares alterum Theologiæ lumen exponens. Solem ait initio cum cœlo terráque productum, sensúmque hunc esse: *fiat lux*, id est, Sol mundum illuminet. Quasi sol qui in altero hemisphetio hactenus immotus steterat, tum primùm Dei iussu moueri cœperit, & motu suo qui tribus primis diebus vniformis fuit sine vllis spiris & declinationibus lucem, adeóque primam, secundam & tertiam diem inuexerit. solem autem ait quarto die dici factum & positum in firmamento, non quod eo tempore producta sit ipsa solis substantia, sed quod indita fuerit [illegible], quæ non tamquam ut priùs ab ortu ad occasum primi mobilis impetu raperetur, sed etiam motu proprio per obliquitatem zodiaci à Cancro ad Capricornum procederet. Hæ ferè sunt authorum de tribus primis diebus, & luce primaria sententiæ, quas operæpretium fuerit enucleare diligentius, & æquo tum scripturæ, tum rationis examine pōderare.

VII. *Quatuor explicandæ scripturæ leges.*

Prima lex.

31. THEODORVS. Vis igitur, ὦ φιλότης, vt priusquam adeo perplexos antilogiarum nodos extricare conemur, paucas interpretandæ scripturæ leges, rei, qua de nunc agitur, apprime necessarias communi suffragio sanciamus?

sanciamus? PHIL. Sanè placet. THEOD. Age igitur, vt antiquum illud procemium vsurpem, SIREMPS LEX ESTO. NE QVIS IN SVO SENSV NIMIVM ABVNDATO, vt videlicet omnem asserendi temeritatem & insuscepta sententia pertinaciam fugiamus, vt nostrum sensum è scriptura, non scripturam è nostro sensu moderemur, *& in rebus obscuris, atque à nostris oculis remotissimis* (verba sunt Augustini lib. 1. de Genesi ad litt. cap. 18.) *si qua inde etiam scripta diuina legerimus, quæ possint salua fide, qua imbuimur, alijs atque alijs parere sententijs, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proiiciamus, vt si forte diligentiùs discussa veritas eam rectè labefactauerit, corruamus, non pro sententia diuinarum scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus scripturarum esse, quæ nostra est, cùm potiùs eam quæ scripturarum est, nostram esse velle debeamus.*

Secunda lex. 32. Altera est: CVM RES GESTA NARRATVR, MAIESTATEM SCRIPTVRAE PVRITATEMQVE COMITER CONSERVANTO, vt eloquia Domini sancta sanctè, casta castè, religiosa religiosè tractentur, & quoties in scripturis instituitur rerum gestarum narratio, verbis eo sensu, qui primus obuius esse solet, acceptis mordicùs hæreamus, ea prout sonant interpretemur, religionique ducamus, vel tantillùm ab eorum natiua germanaque significatione discedere, nisi vel alia scripturæ pronuntiata disertis concepta verbis, vel traditio maiorum & vnanimis Ecclesiæ consensus, vel saltem ratio naturalis euincat aliter esse capienda. Neque propterea mysticos, morales, allegoricos, anagogicos, & si qui sunt eiusmodi sensus, repudiandos putamus, sed illud vnum contendimus sacris narrationibus subesse proptiis explicatam verbis historiæ veritatem, nec ita sectandos allegoriarum tropos vt germana verborum significatio destruatur.

Tertia. 33. Tertia exponendæ scripturæ lex est, VT FRVSTRA FIERI PER PLVRA, QVOD POTEST FIERI PER PAVCIORA statuamus, ne quid in diuinis actionibus superuacaneum fingamus, aut otiosum, ne citra grauem necessitatem & expressam scripturæ sententiam à Deo factum putemus, quod postea quasi mutato consilio destruxerit, nec vllo pacto dubitemus quin iuxta Ecclesiastem *omnia opera quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum*, aut ad soluendos quæstionum nodos, confugiamus ad noua miracula. Quotus enim quisque est tam hebes, & obtusus, vt de hoc postremo loquar, qui ad explicandam quamlibet scripturæ cōtradictionem, non possit sexcenta miracula, prodigia, portenta fabricari? Obiicitur Euangelistarum discordia circa horam dominicæ passionis. Dicam Dominum horâ quidem ferè sextâ, vt narrat Ioannes, à Pilato fuisse damnatum, sed solem tam iniqui iudicij horrore perculsum retrocessisse, &, vt de Thyesteis epulis fabulantur, sua relegisse vestigia, & iam horæ tertiæ punctum attigisse, quo tempore Christus, vt est apud Marcum, horâ tertiâ cruci suffixus est.

Cap. 3. vers. 14.

Obiicitur Mosen à seipso dissidere Qui enim Geneseos 35. Beniaminum prope Betlehem in Chanaanitide natum fuisse narrauerat, statim enumeratis Iacobi liberis, & inter cæteros ipso Beniamino. *Hi sunt*, inquit, *filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ.* Dicam diuina virtute factum, vt eodem temporis vestigio Rachel duobus in locis statueretur, & Beniaminus eodem tempore simul in Chanaanitide, simul in Mesopotamia nasceretur. Sexcenta huiusmodi prodigia comminiscar. Sed vos interim

Spectatum admissi risum teneatis amici.

34. Nefas igitur citra necessitatem tum in cæteris scripturæ partibus, tum præsertim, vt sapienter aduertit Augustinus, in prima rerum molitione miracula noua producere. *Nunc enim*, inquit, *quemadmodum Deus instituerit naturas rerum secundum scripturas eius nos conuenit quærere, non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari.* His itaque legibus fixis, nisi forte refigendas arbitraris, ad conciliandas apparentes initio Geneseos antilogias aliquando veniamus. PHILOCT. Ego verò refigendas non puto, mi Theodore, quippe quas è Patribus, & præsertim Augustino, vel potiùs ex ipsa natura depromtas animaduerto. Lib. 2. de Genes. ad litt. c. 1.

35. Ne tibi tamen, præclare legislator, pulcher & beatus videare, si vt nihil volo legibus derogatum tuis, ita nihil penitus adiecero, VELIMVS, IVBEAMVS. (Satis enim magnum alter alteri theatrum sumus, satis ampla comitia) VT in expositione scripturæ NIMIA SVBTILITAS, tanquam scopulus teneris, vt aiunt, velisque FVGIATVR, ne fabulis potiùs, vt ait Seneca, quàm venabulis pugnare videamur. Etenim qui nimiâ subtilitate suas ad tenue disputationes eliment, nihil plerumque sibi reliqui faciunt præter exigua quædam ramenta quæ ipsam fugiant aciem oculorum. Accesserat ad Alexandrum nescio quis artis videlicet Quarta lex.

præclaræ speciem editurus. Grana milij tam certo destinatóque ictu iaciebat, vt ea per foramen acus transmitteret. Eû magno milij numero donauit Alexáder, ne tá subtilis ars desuetudine milij penuria deperiret. Quid aliud referunt ij qui in explicáda scriptura cuminû diuidunt, vt Græci loquuntur, & vt in Socraté facetè iocatur Aristophanes, saltum pulicis eiusdé bestiolę pedibus metiuntur? apertè loquar cùm Gregorio Nazianzeno, qui Sextos & Pyrrhones in Ecclesiam inuehunt, qui subtilia quæque sectantur, & Platonicas Ideas Pythagorica numerorum mysteria, Aristotelis entelechias contortulas Chrysippi conclusiones, vanas Cabalistarum obseruationes vnde-unde conquirunt, &

In nubibus Epitaph. Athanasii.

Floriferis vt apes in saltibus omnia limant.

Necesse est frequenter à proposito Mosis aberrent, idemque proinde putandum est ψήφοις τε παίζειν τὴν ὄψιν κλεπτούσαις τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως, ἢ κατορχεῖσθαι τῶν θεατῶν παντοίοις, καὶ ἀνδρογύνοις λυγίσμασι. *calculis ludere inuersionis celeritate adspectum fallentibus, aut omnigenis & lasciuis corporis flexibus spectatores ludificari*, atque in exponenda scriptura subtiliùs argutari. Non quòd eos accusem qui sobriè tanquam spoliis Ægypti, sic profanorum testimoniis vtuntur, sed eos minimè ferendos puto, qui Mosem tantum non Platonis & Pythagoræ discipulum faciunt, & scripturæ maiestatem veterum Philosophorum placitis metiuntur, eámque pene reluctantem ad eorum pronuntiata detorquent. Simplex veritatis oratio, & cum simplicibus sermocinatio eius.

VIII. *In principio* בראשית *expositio primæ dictionis.*

36. QVOT apices, tot oracula. Πρῶτον ἀρχὴν καὶ ποίησιν ὠνόμασεν, inquit, Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum, εἶθ' οὕτως τὸν θεὸν συνεπέφηνεν· οὐ γὰρ ἀργῶς χρὴ, καὶ ἐπὶ κενῷ τὸν θεὸν ὀνομάζειν. *Prius principium & creationem nominauit; Deum deinde subiunxit: non enim otiosè & in vanum oportet Deum nominare.*

Obseruant hoc loco nonnulli duabus primis diuinarum scripturarum vocibus sanctissimæ Triadis mysterium aliquo modo contineri בראשית ברא *beresith bara*. Nam si tres illas literas א ר ב seorsum acceperis, easque singularum feceris principes dictionum, inuenies בן אב רוח *ben, ab, ruahh* Filium, Patrem, Spiritum his literis adumbrari. Sed hæc omitto, ne in ipso portu, quod aiunt, in eum ipsum, quem vitare statuimus, subtilitatis & obseruationis nimium curiosæ scopulû adhærescat oratio.

37. Alij fortasse concinniùs obseruant verbum ברא *bara, creauit*, efferri numero vnitatis, nomen אלהים *elohim dy* numero multitudinis, vt si dicas, *creauit diuinæ personæ*, ad insinuandum diuinæ Trinitatis mysterium, & vnicam triû personarum actionem. Quanquam hoc etiam subtiliùs, quàm solidiùs dictum videri possit: frequenter enim apud Hebræos sine vllo mysterio numerus vnitatis, numero multitudinis attexitur.

Hebræorû obseruationes circa primam scripturæ versionem.

38. Imò videre possimus quàm sit operæpretium nostras disputationes ab huiusmodi Rabbinorum argutiis abstinere; age sanè virum ingenio & eruditione maximum, sed nimiùm his Cabbalisticis ineptiis addictum tantisper audiamus. Is est Picus ille Mirandulanus, cuius hæc verba sunt è capite 6. libri 7. Heptapli, folio 60. & 61.

39. Rem, inquit, dico mirabilem, inauditam & incredibilem, sed mox credetis, si attenderitis, & res ipsa verum me dicere demonstrabit. Dictio illa apud Hebræos hoc modo scribitur בראשית *beresith*. Ex hac igitur si tertiam literam primæ coniungamus, fit dictio אב id est *ab*. Si geminatæ primæ secundam addamus, fit בבר id est *bebar*: si præter primam omnes legamus, fit ראשית, id est *resith*: si quartam primæ & vltimæ connectamus, fit שבת id est *sabbath*: si tres primas quo iacent ordine statuamus, fit ברא, id est *bara*: si primâ omissâ tres sequentes, fit ראש, id est *rosch*: si omissis primâ & secundâ duas sequentes, fit אש id est *esch*: si tribus primis omissis, quartam vltimę copulemus, fit שת id est *seth*: rursus si secundam primæ, fit רב, id est *rab*: si post tertiam quintá, tum quartá statuamus, fit איש, id est *isch*: si primas duas vltimis duabus coagmétemus, fit ברית, id est *berith*: si vltimam primæ, fit vltima dictio & duodecima, quæ est תב, id est *thob*, (siue טב *tob*) verso quod frequentissimum est apud Hebræos *thau* in *teth* elementum.

40. Videamus autem quid primò hæc Latinè significent, tum quæ per ea non ignaris Philosophiæ de tota natura mysteria reuelentur. *Ab* patrem significat: *bebar*, in filio, & per filium (vtrumque enim significat ב *beth* præpositio) *resith* principiû; *sabbath* quietem: *bara* creauit; *rosch* caput; *esch* ignem, *seth* fundamétum. *Rab* magni, *isch* hominis, *berith* fœdere, *tob* bono. Et totam si ordine consequenti orationem texamus, erit eiusmodi. *Pater in filio & per filiû principium & finem, siue quietem creauit caput, ignem & fundamentum magni hominis*

fœdere bono. Hæc tota Oratio ex prima illius dictionis reſolutione & compoſitione diſſultat, cuius quàm altus, quàm plenus omni doctrina ſit ſenſus, haud palam eſſe omnibus poteſt.

41. Sed vt aliqua ſtatim non tamen omnia omnibus aperta dicamus quæ per has voces ſignificantur; Notum omnibus Chriſtianis quid ſit *patrem in filio & per filium creaſſe.* Quid ſit item Filium *principium eſſe & finem* omnium. Eſt enim α & ω (vt ſcribit Ioannes) & ipſe ſe principium appellauit, & nos demonſtrauimus finem omnium rerum eſſe vt principio ſuo reſtituantur. Cætera paulò obſcuriora, quid illa ſcilicet ſibi velint *caput ignis & fundamentum magni hominis*, quid illud ſit *fœdus* & qua ratione *bonum* dicatur. Neque enim in promptu omnibus videre hic explicatam mundorum quatuor (de quibus poſtremò diſputauimus) omnem rationem, cognationem item & felicitatem.

Dei Filius α & ω

42. Primùm igitur illud aduertendum vocari à Moſe mundum hominem magnum. Nam ſi homo eſt paruus mundus, vtique mundus eſt magnus homo; hinc ſumpta occaſione tres mundos, intellectualem, cœleſtem & corruptibilem per tres hominis partes aptiſſimè figurat, ſimul indicans hac figura non ſolùm contineri in homine mundos omnes, ſed & quæ hominis pars cui mūdo reſpōdeat breuiter declarās.

Mundus homo magnus.

Cogitemus igitur in homine tres partes, ſupremam caput, tum quæ à collo ad vmbilicum protenditur, tertiam quæ ab vmbilico extenditur ad pedes; ſunt enim & hæ in hominis figura varietate quadam diſcluſæ & ſeparatæ: ſed mirum quàm pulchræ, quàm examuſſim per exactiſſimam rationem tribus mundi partibus proportione reſpondeant.

43. Eſt in capite cerebrum fons cognitionis, eſt in pectore cor fons motûs, vitæ & caloris: ſunt in parte poſtrema genitalia membra principium generationis. Itidem autem & in mundo ſuprema pars quæ eſt mundus Angelicus ſiue intellectualis, eſt fons cognitionis, quia facta illa natura ad intelligendum eſt: pars media quæ eſt Cælum principium vitæ, motûs & caloris, in qua ſol vti cor in pectore dominatur. Eſt infra Lunam quod omnibus notum generationis principium & corruptionis. Videtis quàm aptè mundi partes & hominis inuicem congruant. Deſignauit autem primam Moſes nomine proprio capitis: ſecundam autem ignem appellauit, & quia hoc nomine à multis cælū cenſetur; & quia in nobis hæc portio principium eſt caloris.

Mundi ad hominem Analogia.

Tertiam vocauit fundamentum, quia per eam, vt notum omnibus, totum hominis corpus fundatur & ſuſtinetur.

44. Adiecit autem quòd hæc creauit fœdere bono, quia inter eas fœdus pacis & amicitiæ ex naturarum cognatione, & mutuo conſenſu per ſapientiæ Dei legem ſancitum eſt: quod fœdus ideo eſt bonum, quia ad Deum, qui eſt ipſum bonum, ita dirigitur & ordinatur, vt quemadmodum inter ſe totus mundus vnus, ita & cum ſuo authore poſtremò ſit vnum. Imitemur & nos ſanctiſſimum fœdus mundi, vt & mutua Charitate inuicem ſimus vnum, & ſimul omnes per veram Dei dilectionem cum illo vnum feliciter euadamus.

Hæc Mirandulanus pro ingenij ſui mitando acumine feliciter, à quibus tamen abſtinendum reor, ne vt gladius attritu frequenter aciem amittit, ita paulatim nimiis iſtis argutiis hebetemur.

IX. *Quod ſit illud Principium in quo Deus Creauit Cælum & Terram.*

45. AVguſtinus lib. 1. de Geneſi ad Litteram, tres expoſitiones adfert, vel in principio temporis, vel quia primò omnium facta ſunt, vel in principio, quod eſt Verbum Dei. Eſt enim Dei Filius principium, & finis, α & ω. *Sicut enim*, inquit Aquinas, *principium effectiuum appropriatur Patri propter potentiam: ita principium exemplare appropriatur Filio propter ſapientiam: vt ſicut dicitur* omnia in ſapientia feciſti: *ita intelligatur Dominum omnia feciſſe in principio .i. in filio: ſecundùm illud Apoſtoli ad Coloſſ. 1.* in ipſo *ſcilicet Filio*, condita ſunt vniuerſa. Theophilus interpretatur ἐν ἀρχῇ *in principio*, διὰ τῆς ἀρχῆς *per principium*; ſiue potiùs *per principatum & dominatum.* Verbum enim diuinum, inquit, λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει καὶ κυριεύει πάντων τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων: *dicitur principatus quia omnium quæ ab ipſo facta ſunt, imperat atque dominatur.*

1 p. q. 46. Art. 3. in c.

Dei Filius Principiū.

lib. 2. ad Autol.

46. Baſilius homil. 1. in Hexaëmeron quatuor adfert alias Principij Notiones. Primò λέγεται ἀρχὴ ἡ πρώτη κίνησις. *Dicitur principium prima motio. 2. principium poni dicit pro cuiuſque rei fundamento. 3. principium artefacti vocat ipſam artem. 4. finem ſiue intentionem artificis.* Quas omnes acceptiones præſenti loco accommodat. Nam & mundus eo die creatus eſt, è quo primo, tanquam è capite & fonte cæteri dies fluere cœperunt. Et cælum ac terra iacta ſunt quaſi cætera rerum naturalium machinæ fundamenta, & verbo ſapien-

tiáque diuina, tanquam arte quadam conditus mundus, & ad sempiternas illas ideas effictus est. Neque frustra aut temere conditus, sed ad Dei gloriam & electorum salutem omnia referuntur. Quid hîc agimus, Theodore, in hac interpretationum varietate quam potissimùm amplectimur? THEOD. Equidem omnes veneror, vt debeo, mi Philoctista. Eas tamen duas cæteris, quæ & sunt omnium simplicissimæ, & eo sensu qui primus obuius est, capiuntur, illæ autem quæ in verbo diuino mundum conditum affirmant, magis anagogicæ sunt quàm litterales, vt vocant, nos verò litterali potissimùm incumbimus. *In principio*, inquit videlicet initio temporis, & eo momento ex quo succedentium volumina temporum explicari cœperunt, vel ante omnia, priusquam cœlum ornaretur stellis, terra staret, vnda fluitaret, aër diffunderetur, herbæ germinarent, cæterarum rerum ornatus & decor existeret.

Id est, è nihilo produxit *Creauit Deus cœlum & terram.* Sed heus tu, Philoctista? certóne constare putas hanc è nihilo rerum naturam extitisse? PHILOCT. Quid enim aliud clamat iste scripturæ locus, qui nunc in manibus versatur, quàm Deum cœlum & terram è nihilo condidisse? quid est aliud creare quàm substantiam, id est rem aliquam per se cohærentem è nihilo producere. Certè emanationem totius entis à caussa vniuersali quæ est Deus, creationem propriè nuncupari testatur Theologorum princeps. *Sicut enim*, inquit, *generatio hominis est ex non ente, quod est non homo: ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente quod est nihil.* THEOD. Quid si veteres, à quibus loquendi formam accepimus, productionem è nihilo nescierunt? tam altis enim radicibus in eorum animis insederat illud commune pronuntiatum:

-----gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.

Vt neque Græci neque Latini nomen habuerint, quo creationem à quauis productione distinguerent.

Creatio quid?

1. p. q. 45. art. 1. c.

48. Nisi forte si cùm Romulum vrbis creatorem, aut fortes creari fortibus audimus, eos putamus vrbem aut liberos de nihilo condidisse. Quid? quòd etiam nostræ litteræ productionem è præiacente materia, creationem appellant? Sapientiæ 11. 18. *Omnipotens manus tua quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa.* PHILOCT. Quid si dicamus Hebraïco verbo ברא materiam omnem penitus excludit THEOD. Imo constat Adamum è terra, Euam ex Adami costa fuisse generatos. Tamen hoc ipso cap. v. 27. ter hoc verbũ in hominum productione Moses inculcat. *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.* Quocirca fateri necesse est verbum ברא esse τῶν μέσων, & tam ad effectionem ex aliquo, quàm ad totius naturæ productionem è nihilo pertinere. Neque LXX. seniores videntur in hac parte discrimen vllum habuisse, sed ἐν ἀρχῇ, inquiunt ἐποίησεν, *in principio fecit Deus cœlum & terram:* & hoc ipso loco Latini Patres, quotquot quatuor primis Ecclesiæ seculis floruerunt, *faciendi* potiùs quàm *creandi* verbum vsurpant. Vnde & Augustinus contra Aduersarium legis & Prophetarum, *facere est quod omnino non erat: creare verò est ex eo quod iam erat, educendo aliquid constituere.*

Creationis nomen.

49. PHILOCT. Quid igitur, Theodore, authoritatem Concilij Lateranensis adspernandam putas definientis Deum *Omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem?* THEOD. Ego verò non puto, mi Philoctista, sed cùm de re constet, quærendum hoc loco duntaxat arbitror, vtrùm ex hoc scripturæ testimonio Sancti Patres in spiritu sancto legitimè congregati mundum è nihilo conditum esse collegerint. PHILOCT. Ita fortasse ratiocinabantur, *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Ergo ante omnia. Si ante omnia, nihil igitur materiæ præcessit, ac proinde mundus è nihilo productus est. Sed, vt hoc scripturæ testimonium ad id, quo de agitur, vel parui vel etiam nullius momenti esse faciamus: *omnia*, inquit Ioannes, *per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, & disertiùs illa Macabæorum mater 2. Macab. cap. 7. v. 28. *Peto te, nate, vt adspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* E quibus necesse est rerum omnium, etiam materiæ primæ naturam ab vno fonte diuinitatis accersere.

Sub Innocentio tertio.

Quomodo Patres ex hoc loco productionem è nihilo collegerint.

50. Et sanè cùm, vt etiam agnouerunt Philosophi, Deus sit actus simplicissimus, sincerissimus, purissimus, totus sua essentia, suum esse, sua natura, sua diuinitas, totus ὁ ὢν *Qui est*, vel vt ait Plato in Timæo τὸ ὂν ipsum ens, ipsáque adeò ratio essendi, totus vt Dionysio placet, οὐσία essentia,

οὐσίαν dico? etiam οὐσιότης, cui haud scio an vlla vox Latina respondeat. Sed, si placet, essentialem nominemus, cùm, inquam, Deus totus sit essentialitas, totus ὑπερουσία superessentia, totus ὑπερουσιότης (si verborum potiùs elegantiam, quàm translationis fidem aucuparer, non auderem dicere superessentialitatem, tamen hoc sonat ὑπερουσιότης) cùm, inquam, Deus actus sit defecatissimus, nullámque, vt vocant, potentialitatem inuoluat, sed eminentiâ naturæ suæ rerum omnium οὐσίαν comprehendat, necesse est omnia quæcunque sunt, quomodocunque sunt, summa, ima, medioxima ab illo limpidissimo totius essentiæ fonte profluxerint: *Sicut ferrum fit ignitum ab igne*, inquit commodè sanctus Thomas, &c. *necesse est omnia quæ diuersificantur secundum diuersam participationem essendi, vt sint perfectiùs, vel minus perfectè, causari ab vno primo ente quod perfectissimè est, vnde & Plato dixit quòd necesse est ante omnem multitudinem ponere vnitatem, & Aristoteles dicit in 2. Metaph. quòd id quod est maximè ens, & maximè verum, est caussa omnis entis & omnis veri: sicut id quod maximè calidum est, est caussa omnis caliditatis.* Hæc ille, è quibus & articulo sequenti concludit *etiam materiam primam creatam ab vniuersali caussa entium.*

Creatio probatur ratione. Prima ratio.

1 p. q. 44. art. 1. 6.

In. 6.

51. Iam cùm productio mundi de nihilo nullam in se contradictionem inuoluat, omnis autem potentia, iuxta commune Philosophiæ Pronuntiatum, suam ab actu speciem sortiatur, nec effectûs, ad quem refertur, modum excedat; Dei porro sit infinita potentia, qua maior & perfectior ne cogitari quidem possit, intelligi non potest omnipotentia diuina, nisi ad eam actionem qua maior & perfectior cogitari non potest, comparetur.

Secunda ratio.

Quæ porro est actio quæ sic omnem hominis cogitationem exhaurit, vt nec cogitari possit vlla perfectior? Vna productio de nihilo. Quantumuis enim diuinæ virtutis effectum infinitum essentia, magnitudine immensum, multitudine innumerabilem cogitatione finxeris, restabit adhuc perfectior operatio, donec ad productionem è nihilo deueneris, ad quam vbi perueneris, nihil iam cogitationi tuæ poterit accedere.

52. THEOD. Quid igitur? omnipotentiam diuinam non posse putas explicari, nisi fieri possit, vt infinitum actu existat, & actus potentiæ adæquatè respondeat? PHILOCT. Equidem non puto, mi Theodore. Imò infinitum quoad essentiam creari non posse mihi planè compertum est. Quantumcunque enim creaturam mente conceperis, semper ei deerit illa perfectio, quòd à se non existet, sed ab alio pendebit, ac proinde non erit omnibus modis infinita. An autem numero vel magnitudine infinitum existere possit, non est præsentis otij disquirere. Illud dico, si actu infinitum contradictionem inuoluit, non è termino siue effectu, sed è modo productionis è nihilo potentia diuina cognoscitur. Sin autem effectus iste nulla contradictione implicatur, non ideo sufficit ad plenam diuinæ potentiæ notionem, nisi adieceris effectum hunc actu infinitum è nihilo esse productum: qua productione nihil vltra cogitari potest perfectius. Vt enim nihil fingi potest centro mundi depressius, ad quod cùm imaginatio tua descenderit, necesse est in eo conquiescat, quamuis supra cœlos altiùs & altiùs in infinitum possit adscendere, ita in omnipotentiæ diuinæ notione, quamuis effectus perfectiores & perfectiores in infinitum imaginari possis, perfectiorem tamen productionis modum digniorémque diuina potentia cogitare non poteris, quàm si rem è nihilo factam intelligas.

Infinitum an creari possit.

52. Accedit quod clamat innata ratio melius esse ens necessarium, quàm contingens & ex efficientis libera voluntate dependens. Materia porro si creata non est, est ens necessarium, formæ verò rerum à libera Dei voluntate dependent. Igitur materia prima, qua nihil cogitari potest deterius & imperfectius, erit omnibus formis, non modò quæ sunt, sed etiam quæ cogitatione delineari possunt, perfectior. Sed ne feram diutiùs, vt est in adagio, per eandem lineam reciprocemus, placet hunc locum optimis Basilij verbis, vel potiùs Latina Ioachimi Perionij translatione concludere. *Si nullo*, inquit, *ortu generata sit, primum ei idem qui Deo honos æternitatis tribuetur, iisque naturis quæ primas tenent, parem dignitatem consequentur.* Imo maiorem, cum ab vno Deo discesserit, nulli enim alteri naturæ competit æternitas. Neque verò postrema hæc in Græco reperias, sed illud duntaxat ὁμότιμος τῷ θεῷ αὐτῶν πρεσβείων ἀξιωμένη, *eodem cum Deo antiquitatis honore digna censebitur.* Sed pergit Basilius. *Quo quid fieri potest magis impium, quàm eam quæ qualitate careat, speciei sit expers, quæ summam deformitatem, & turpitudinem, quæ describi delinearique non possit (eorum enim verbis vtor) eodem loco habere velle, quo sapientem, potentem præclarum artificem, vniuersitatisque pro-*

Tertia ratio.

Homil 2. hexaem post initium.

creatorem? Deinde si tanta est, vt omnem Dei scientiam exhauriat, quodammodo potentiæ diuinæ, quæ inuestigari non potest, eius naturam, quasi apponunt, si modò fieri possit, vt vniuersam Dei sapientiam ex ea metiamur: Sin minor est materia diuinâ actione, hoc etiam modo in maius & absurdius conuicium eorum incurret oratio: nam isto modo materiæ penuriâ, Deum omni sua actione priuabunt. Deus igitur, Beata Trinitas Pater, Filius, & Spiritus sanctus (communes enim sunt tribus personis omnes actiones quæ ad res creatas emanant) in principio temporis, cùm nihil adhuc esset præter ipsum Deum, è nihilo produxit.

XI. *Cælum & Terram.*

53. PHilo, vt è dictis liquet, ideam & exemplar, spiritales substantias Augustinus, plerique cælum Empyreum, beatorum sedem, nostris sensibus inaccessam intelligunt. Quorum vt authoritatem veneror, ita sententiam, priusquam expensa fuerint omnium momenta rationum, facilè non amplector. Mosis enim mens alia fuit, aliud institutum, quàm vt iam inde ab ipso narrationis initio res adeo tenues, remotas à sensibus, paradoxásque proponeret. *Nihil igitur*, inquit commodè Chrysostomus, *de virtutibus inuisibilibus loquitur. Neque dicit, In principio fecit Deus Angelos aut Archangelos, &c.* ἐπειδὴ γὰρ Ἰουδαίοις διελέγετο τοῖς περὶ τὰ παρόντα ἐπτοημένοις, καὶ οὐδὲν νοητὸν φαντασθῆναι δυναμένοις, ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν τέως αὐτοὺς ἐνάγει πρὸς τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν. *Quoniam enim Iudæis loquebatur, qui rebus præsentibus addicti, ex iisque suspensi nihil intelligibile concipere poterant, tantisper eos à sensilibus ad omnium opificem deducit.* Sed, vt singularum expositionum principes nominatim appellem, paucis videndum,

In Genes. hom. 3.

XII. *Vtrùm prima Genesis verba de Ideis possint explicari.*

Ideæ diuinæ.

54. ETSI negari non potest Ideas quasdam formas & exemplaria rerum omnium ab æterno in mente diuina existere, id est immutabiles rerum mutabilium rationes & veluti sigilla siue characteres qui suo tempore rebus creatis imprimuntur, vel potiùs è quibus res exprimuntur (neque enim architectus domum extruet, nisi priùs domum intelligibilem materiæque omnis expertem animo conceperit, vt ad eius exemplar, quod mente circumferebat, domus corporata, solida & eminens extruatur, neque Deus hanc rerum adspectabilium molem creare potuit, quin vt peritus artifex mundum quemdam exemplarem, & intelligibilem ab æterno conciperet.) Videtur tamen Moses initio Geneseos alia potiùs omnia quàm ideas & rerum exemplaria cogitasse.

55. Cùm enim tanta sit huiusmodi formarum obscuritas vt plerique veterum Philosophorum, earum naturam explicare non potuerint, quantumuis ingenio, otio, studio, litteris abundantes, & ille ipse naturæ genius Aristoteles Platonis Doctrinam vel non perceperit, vel se percepisse dissimularit, Ideásque nescio quas separatas ac per se cohærentes à Platone dixerit inuectas, immortales, à materia secretas, eorum omnium quæ extant, caussas fontesque primarios; sapientiæ Mosis non fuit Hebræis non solùm rudibus & imperitis, sed etiam nimiùm quantùm ad idololatriam propensis huiusmodi formas æternas & immutabiles initio suæ narrationis obtrudere.

56. Quid? quòd *in principio creauit Deus Cælum & Terram*, Ideas autem cæli & terræ non creauit? Et si enim Ideæ plures sunt, quatenus ad res quarum exemplaria sunt, vt ad terminum referuntur, reuera tamen sunt quædam mentis diuinæ notiones, atque adeo vna, pura, simplex Dei essentia, quæ nec creari potest, nec interire. Nihil est igitur cur Philonem diutiùs moremur, & puram natiuámque Mosis narrationem à mundo sensibili ad intelligibilem transferamus.

57. Cogor etiam inuitus ab Augustino discedere, tum quòd ipse à genuina verborum significatione discesserit, tùm quòd anagogem potiùs quàm litteram sectari videatur: tum quòd nomine cæli res omnes spiritales, nomine terræ res omnes corporatas intelligens, rerum vniuersitatem velit eodem temporis vestigio extitisse, tùm denique quòd cælum ipsum sit quædam substantia corporalis, ex quo efficitur, quod oppidò violentum est, cælum non ipsius cæli, sed terræ vocabulo comprehendi. Restat vt paucis videamus,

---

XIII. *Vtrùm Moses initio Genesis Cæli Empyrei productionem exponat.*

CÆlum Empyreum, quod cælum ipsum stellarum, totamque adeo cor-

porum naturam, *vaſto circumiectu amplectitur,* non vna V. Bedæ Strabique inuexit authoritas, vt S. Thomas putauit, ſed etiam Theodoreti, Hieronymi, Theodori Tharſenſis, vt prudenter aduertiſti, mi Philoctiſta. Quibus Petrus ipſe apud Clementem à Beda laudatus accedere potuiſſet, & Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum. *Prima,* inquit, *hiſtoriæ narratione & generationis mundi loquitur ſcriptura ſacra,* οὐ περὶ τούτου τοῦ στερεώματος (quid enim prohibet eum ſuis verbis loquentem producere?) ἀλλὰ καὶ περὶ ἑτέρου οὐρανοῦ τοῦ ἀοράτου ἡμῖν ὄντος, μεθ' ὃν οὗτος ὁ ἀόρατὸς ἡμῖν οὐρανὸς κέκληται στερέωμα. *Sed de altero cælo noſtris oculis inacceſſo, poſt quod cælum hoc adſpectabile firmamenti nomen accepit.* Sed hæc omitto, ne magna ſcriptorum nomina potiùs aucupari videamur, quàm momenta rationum expendere.

Cælũ Empyreum.

59. Pleriq; eorum ante Doctorem Aquinatem eo potiſſimùm ducti ſunt argumento, quòd niſi cælum Empyreum inueherent, Moſem explicare ſe poſſe diffiderent, *quia firmamentum, per quod cælum ſidereum intelligunt, non in principio, ſed ſecunda die dicitur factum.* (Hîc obiter aduerte labem eſſe deterſam quæ in emendatiſſimas ſancti Doctoris editiones irrepſerat, cùm priùs ineptè & contra ſcriptoris mentem legeretur, *per quod Cælum Empyreum intelligunt.*) Verùm hanc adſtruendi Cæli Empyrei rationem non magni momenti eſſe teſtatur. *Nam,* inquit, *quæſtio de firmamento, quod legitur factum in ſecunda die, aliter ſoluitur ab Auguſtino, & aliter ab aliis Sanctis,* & paucis interiectis. *Poteſt autem,* inquit, *conuenientior ratio ſumi ex ipſa conditione gloriæ. Expectatur enim in futura remuneratione duplex gloria, ſcilicet ſpiritualis & corporalis, non ſolum in corporibus humanis glorificandis, ſed etiam in toto mundo innouando. Inchoata eſt autem ſpiritualis glòria ab ipſo mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum æqualitas ſanctis promittitur: vnde conueniens fuit vt etiam à principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit abſque ſeruitute corruptionis & mutabilitatis, & totaliter lucidum: ſicut tota creatura corporalis expectatur poſt reſurrectionem futura.*

1. part. q. 66. art. 3. c.

Quibus rationibus probetur.

60. PHILOCT. Licet interfari? THEOD. Tibine videor, mi Philoctiſta, tanquam Tribunus-plebis legibus ſacratis contra vim & interfationem armatus ad populum habere concionem, vt interpellare capitale ſit? PHILOCT. Leue videretur hoc argumentum, niſi ab auctoris grauitate pondus accederet. Ex eius enim ratiocinio contrarium potiùs efficitur. THEOD. Quid non? PHILOCT. Quemadmodum nulla ſpiritalis ſubſtantia creata eſt in gloria ſpiritali, ita dicet aliquis non decuiſſe vt corporalis vlla natura ſtatim ab initio ſuæ productionis corporalem gloriam obtineret: Deinde quemadmodum Deus lumen ſpiritalis gloriæ non priùs creauit, quàm illud Angelis poſt meritum infunderet; ita neque conſentaneum fuit priùs creari glotiam corporalem, quàm illam Deus corporibus humanis ex merito, & propter hominem cæteris etiam creaturis impertiret: Tertiò non decuit priùs inchoari gloriam corporalem, quàm gloriam ſpiritalem: neque enim ſpiritus corporis cauſſâ, ſed corpus propter ſpiritum, gloriâ cumulatur: Quare ſi inchoata eſt ſpiritualis gloria in beatitudine Angelorum, illa cæli productio quæ Angelorum beatitudinem anteceſſit, non fuit inchoatio gloriæ corporalis: Angelos enim in principio temporis ſimul cum cælo & terra creatos eſſe Concilij Lateranenſis confirmat authoritas; at, ſi ſanctum Doctorem audimus, *vltimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, Angeli non ſtatim in principio ſuæ creationis habuerunt: quia hæc beatitudo non eſt aliquid naturæ, ſed naturæ finis, & ideo non ſtatim eam à principio debuerunt habere.*

Non ſunt admodum ſima.

61. Denique ille ipſe ſcripturæ locus ad quem B. Doctor alludit, aduerſariorum potiùs videri poſſit velificari ſententiæ. *Expectatio,* inquit Paulus, *creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc; non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes & ipſi intra nos gemimus adoptionem Filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri.* Omnis, inquit, creatura, nullam excipit, non Solem, non Lunam, non Cælum Empyreum. Nullam igitur excipere debemus, niſi vel alius ſcripturæ locus, vel euidens ratio naturalis exceptionem hanc à nobis extorqueat. Quis autem ſcripturæ locus, quæ ratio naturalis extorquet, vt Cælum Empyreum nulli vanitati ſubiectum, nulli mutationi obnoxium, nulli ſeruituti corruptionis addictum in principio cum terra creatum eſſe fateamur?

Rom 8. 19.

THEOD. Vidit Soares imbecillitatem huius argumenti, veteremque ſententiam

Lib. 1 de opere ſex dierum cap. 4. num. 4.

subiecto nouæ probationis adminiculo fulcire conatus est. Quoniam, inquit, Christi Domini, sanctissimæ matris, aliorúmque fortasse Sanctorum, quos Euãgelista Christo patiente testatur à mortuis excitatos, corpora iam in cælum assumpta sunt, necesse est cælum aliquod quietum & tranquillum admittere, alioquin, quod maximè dedecet, & indignum est illo tranquillissimo statu, cælum sub eorum pedibus insanissima illa & omnem mentis humanæ captum superante rapiditate volueretur. Nullum autem cælum quietum est cùm ab Empyreo discesseris. Est igitur cælum Empyreum mirabili quadam luce perfusum, nullique mutationi obnoxium, quod cæteros orbes cælestes ambitu suo continet & coërcet. PHILOCT. Hic est videlicet Atlas, hic tibicen, hæc destina, qua tota cæli Empyrei moles *iamiam lapsura, cadentique assimilis* sustinetur. Non decet sub Christi pedibus cælum assidua volutatione torqueri. Quid ita? periculum est, credo, ne Christi corpus primi mobilis impetu rapiatur, ne intercludantur spirituum meatus, ne motus celeritate caligent oculi, ne cerebrum turpis spiritus vertigine torqueatur. Vbi igitur illæ dotes corporibus beatis infusæ? Vbi quam impassibilitatem vocant, ne quid ex eo motu patiatur incommodi. *Video, ait, & nimis vncis naribus indulges.* Non enim dicimus hanc cælo indecoram.

Lib. 1 de opere sex dierum c. 4 num. 4.

Vtrùm ex mobilitate cæli siderei colligatur aliud esse immobile.

63. Quid si cælum hoc sidereum, quod oculis intuemur, nullo motu circumagi velimus defendere? Neque propterea necesse fuerit ad Copernici Galilæique fabulas receptũ habere, qui omnes Astrorũ ortus & occasus, accessus & recessus, lunæ deliquia, solis eclipses, reuolutiones omnes siderum, dierum noctiúmque vicissitudines diuersis terræ motibus & inclinationibus explicare conantur, & cælum stare, terram moueri contendunt, quamuis quadam sensuum fallacia, vt cùm nauigantibus hærere nauis, terræque vrbésque recedere videntur, terra stare, cælum circumagi videatur: non inquam, necesse fuerit ad stabiliendam beatis sedem:

Aurea quos solio stellantis regia cæli Accepit

huius opinionis ambagibus & labyrinthis implicari.

Opinio Copernici & Galilæi

Probabile est moueri sidera cælo immoto.

64. *Ab ipsis quippe*, inquit Augustinus lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 10. *qui hoc curiosissimè & otiosissimè quæsierũt, inuentum est etiam cælo non moto, si sola sidera verterentur, fieri potuisse omnia quæ in ipsis siderum conuersionibus animaduersa atque comprehensa sunt.* Fieri autem potuisse? imò & necessarium esse vt immoto cælo sidera moueantur, certissimis Cometarum obseruationibus, quotum plurimos supra Lunam & Mercurium generari constat; recentiores Astrologi compererũt. Nisi forte si quoties in cælo sidereo Cometa nouus orietur, ad explicandum eius cursum, noui excẽtrici, cõcentrici noui, noui orbes procudendi sunt alij aliis impediti, οἳ καὶ συμ-μέσθαι φασὶν ἕτερον τὸν ἕτερον κατὰ τὴν εἰκόνα τῶν κάδων τῶν εἰς ἀλλήλους ἐμβεβηκότων, id est Perionio interprete, *quos alterum cum altero instar vasorum quorum alia aliis inuoluta & implicata sunt, cohærere confirmant* ij qui cælum solidum & velut ære duratum, stellas autem in cælo, velut nodos in ligno volunt existere, nec motu proprio, sed orbium suorum rotatione deferri.

B. Bas. hom. l. 3. in hexaem. post initium.

65. Alij, vt Hurtadus de Mendosa in librum de cælo q. 2. à §. 9. proprios Planetarum motus explicari posse diffidunt, nisi posità cælorum soliditate canales quosdam per quos Planetæ moueantur, in cælo confinxerint. Quam si rationem inire vellemus, & singulis stellis tum fixis, tum errantibus suos canales excauare, argumentum à cæli vertigine petitum facillimos haberet explicatus. Quis enim dicere non posset cælum quidem esse velut ærea soliditate compactum, hærere tamen immotum, singulásque stellas per suos canales immoto cælo circumuehi? Sed profectò tanti non erat illam soliditatem tueri, vt eius caussâ impingeretur in scopulos & cautes, è quibus vix enauigare posset oratio.

66. THEOD. Vide quantum facinus inceptes, ô Theodista, non enim tibi solùm cum Soare (quali & quanto viro!) sed etiam cum Aristotele & Aquinate certamen est, qui sidera non suo, sed orbium cælestium, quibus affixa sunt, motu deferri voluerunt. PHILOCT. Imò, mi Theodore, non solùm Aristotelis bonâ veniâ, sed etiam bonâ gratiâ in rebus cælestibus à nostro conspectu remotissimis aliter atque aliter philosophari licebit. Cùm enim dixisset increpandos non esse qui noui quidpiam inuenerint, sed examinandas eorum esse rationes, adiecit τοῖς μὲν οὖν ἀκριβεστέραις ἀνάγκαις, ὅταν τις ἐπιτύχῃ, τότε χάριν ἔχειν δεῖ τοῖς εὑροῦσι, νῦν δὲ τὸ φαινόμενον ῥητέον. *Si quis exactiores magisque necessarias probationes nactus fuerit, tunc eis gratiam habere oportebit*, qui inuenerint: *nunc autem quod videtur, dicendum est.* Gratiam autem? imò & venerationem. Αἰδοῦς ἀξίαν εἶναι νομίζοντες τὴν προθυμίαν μᾶλλον

2. de cælo c. 5. textu 34.

Cap. 12. t. 60.

μᾶλλον ἢ θράσους εἴ τις διὰ τὸ φιλοσοφίας δίψην καὶ μικρᾶς εὐπορίας ἀγαπᾷ περὶ ὧν τὰς μεγίστας ἔχομεν ἀπορίας. *Hunc omnium potius veneratione dignum, quàm temeritatis arguendum putantes, qui ob Philosophiæ sitim exiguas etiam* inquirendi veri *facultates in hisce rebus amplectitur, de quibus nos maximas dubitationes habemus.* Neque verò Doctor Angelicus nefas esse putat aliam explicandæ scripturæ, quàm ex principiis Aristotelicis inire rationem. Vt liquet è parte 1. q. 68. art. 1. in c. Sed vt ad eos redeamus qui excentricos, concentricos, canales inducunt, vt compactam cæli soliditatem tueantur,

67. Quacunque ratione fieri dicamus, solem immoto cælo circumagi non obscu-
Ps 19. ro scripturæ testimonio comprobatur. *In sole*, inquit, *tabernaculum suum posuit*, vel vt habetur in Hebraico לשמש שם אהל בהם *laschemesch som ohel bahem. Sole posuit tabernaculum in eis*; videlicet in cælis. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius.* Quibus vt etiam Bellarminus exponit, significatur solem immensum cæli spatium, incredibili pernicitate, sine vlla fatigatione vel labore decurrere, & egressum ab Oriente per Occidentem toto cæli ambitu decurso ad Orientem reuerti. E quibus efficitur Orientalem cæli plagam esse quasi positum fixúmque Soli tabernaculum, Solem ex eo tabernaculo, tanquam sponsum è thalamo suo procedere. Quod dici commodè non potest, nisi Sole cælo stante moueatur: neque commodè Sol moueri, nisi cælum liquidum esse statuatur.

Elicitur è scriptura Solem in moto cælo moueri.

Iob. 37. v. 18. 68. Theod. Quid igitur scripturæ faciemus? *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos*, inquit Eliu Buzites, *qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Audin' cælos non solùm solidissimos dici, sed etiam cum ære comparari? Philoct. Facilè respondere poteramus solidissimos dici non propter materiæ compactæ condensatæque soliditatem, vt terram solidam, aurum solidum, marmor solidum vocamus, sed propter naturæ perennitatem, vt cùm poësim suam *monumentum ære perennius* Lyricus appellat, & cum ære fuso comparari, quòd instar speculi ex ære læuigato tersóque resplendeant. Nam si fontes Hebraicos adeamus, legemus cælos esse כראי מוצק *kire mozaq. quasi adspectum fusionis i. sicut speculum fusile* כאספקלריא סגינא *keespeclarea semna.* vt Chaldæa Paraphrasis exponit. Sed egregiè præuiderat Spiritus Sanctus ne quid ad adstruendam cæli soliditatem in eo scripturæ testimonio momenti poneretur. Paucis enim versiculis adiecit. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit: Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Iste videlicet, Eliu, vt Gregorius Magnus, Emmanuel Sa, Tirinus, aliique complures intelligunt, & res ipsa declarat. c. 38. v. 1. 2.

69. Sed quoniam ad scripturam prouocas, Isaiam audiamus. *Cæli sicut fumus liquescent*, aut vt vertunt LXX. seniores, οὐρανὸς ὡς καπνὸς, ἐστερεώθη, *cælum sicut fumus firmamentum est*, pro quibus legit Basilius, οὐρανὸν, ὡς καπνὸν, στερεώσας. *Qui cælum sicut fumum firmauit*, & his verbis eleganter interpretatur. τοῦτ' ἔστι λεπτὴν φύσιν, καὶ οὐ στερεὰν, οὐδὲ παχεῖαν, εἰς τὴν τοῦ οὐρανοῦ σύστασιν οὐσιώσας, *hoc est, qui tenuem subtilemque naturam, non solidam neque crassam ad cæli constitutionem molitus est.* Et sanè cùm aquam terra, aërem aqua, ignem aëre liquidiorem, defæcatiorem, magisque spiritalem, vt sic loquar, esse videamus, quasi cuique naturæ tantum liquiditatis accedat, quantùm à terra mundique centro discesserit, non video quid necesse sit corpus ab vniuersi medio remotissimum, solidum, densúmque fabricari, nisi si forte metuimus ne rerum natura diffluat, nisi tanquam ouum testa solidiore claudatur.

cap 51. v. 6.

Homil. 1. Hexaëm infra mediā.

Cælum liquidum.

70. Quòd si nullum est in cælo corpus liquidum, restat vt dicamus Beatorum corpora concretâ solidâque cæli naturâ, tanquam muscas succino contineri, aut certè super extremam cæli superficiem in spatiis, quæ imaginaria vocant, & inani consistere, si nulla est in cælo natura liquida & spirabilis, quam homines à mortuis excitati recipiant, & à pulmonibus per fauces ad palatum remittant, quomodo loquentur inter se? quomodo sanctum illud alleluia cantabunt, & non animis solùm sed etiam linguis in Dei laudes erumpent? an quot beati, totidem erunt Harpocrates, totidem Angeronæ? Sexcenta proferri poterant argumenta; sed iam satis, opinor, liquet eam probationem quæ à motu cæli deducitur, nihil habere momenti.

71. Theod. Atqui, mi Philoctista, maximè diuinam illam maiestatem ea decet amplitudo quæ cælo Empyreo passim adscribitur, vt quemadmodum Astronomi de terra cum cælo sidereo collata produnt, ita cæli siderei vastitas cum Empyreo comparata puncti instar esse videatur. Philoct. Si dignam Deo sedem quæris, mi

Nullus locus dignus Deo. Theodore, si cælum quod immensitati diuinę respondeat, cùm cęlum alterum quod eam ad Empyreum rationem habeat, quam Empyreum ad sidereum habere dicitur, mente finxeris, finge alios orbes centum, altero alterum secundum eandem amplitudinis analogiam continente, deinde alios mille eadem excessus ratione sibi rursus implicatos, deinde centies centena millia, quantumcunque voles plures & plures in infinitum fingendo progredere, in quocunque caligante iam & fatigata cogitatione consistes, nihil inuenies quod immensitatem diuinam exhauriat: nihil quod magis ad eam accedat, quàm cælum istud adspectabile, quod initio menti obieceras: quia iuxta commune pronuntiatum, finiti ad infinitum nulla proportio, ac proinde semper exclamare cum Salomone, poteris, *Cælum & cæli cælorum capere te non possunt:* aut cum Isaia. *Quis mensus est pugillo aquas,* vel potiùs res omnes creatas, *& cælos palmo ponderauit, quis appendit tribus digitis molem terræ,* imò naturam, vniuersam, *& librauit in pondere montes, & colles in statera? Ecce gentes* siue hominum siue angelorum qui fingi possunt, *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; Ecce insulæ quasi puluis exiguus.* Quare nihil est mihi crede, quòd cælum Empyreum quasi dignum illa Dei maiestate domicilium animo delineandum putes.

3. Reg. c. 8. v. 27. cap. 40. v. 12.

Vers. 15.

72. Theod. Hoc saltem Deum opt. Max. *cuius natura bonitas, cuius opus misericordia*, decet imprimis, vt quemadmodum iam inde ab initio locum quendam nullis mortalium, dum in hac vita versantur, vsibus deseruientem, solis reproborum suppliciis deputauit, ita locum pararet hominibus in vita degentibus penitus inaccessum, nullóque alio fine constitutum quàm vt in eo suis electis diuitias suæ bonitatis ostenderet. Ne austerior in exigendis pœnis, quàm largior in retribuendis præmiis fuisse dicatur. Cælum autem hoc adspectabile, tum per lumen, tum per influxus diuersis mortalium vsibus inseruit, & oculis corporis vsurpatur: quare fatendum est aliud esse cælum solis Beatorum præmiis destinatum hoc autem est quod Empyreum nuncupamus.

73. Philoct. Imò, Theodore, ad Dei bonitatem & sapientiam vel maximè pertinebat, vt quoniam homo positus erat in æternæ vitæ mortisque confinio, mediã vtriusque sedem obtineret, & terram, cuius in intima infimáque parte reprobi suorum criminum pœnas expendunt, pedibus calcaret, cælum autem cuius in extima supremáque parte electi virtutum suarum præmiis gaudent, oculis spectaret, & illius fructibus, huius influentiis & lumine frueretur. Hic enim magis & à flagitio deterretur, & ad virtutem incenditur. Atque, vt infernorum cruciatuum locus à nostris oculis ita seiunctus est, vt tamen à terræ, quam sub pedibus terimus, globo non seiungatur, ita cælestium deliciarum sedes nostris quidem est oculis inaccessa, eius tamen cæli pars est cuius lucem intuemur.

Quòd si, vt aiunt est aliquod cælum Empyreum ab hoc stellifero distinctũ, iam ante mortuorũ resurrectionem admirabili luce perfusũ, eáq; immortali, & penitus immutabili vt cõueniat statui Beatorũ, qui inexhausto diuinæ lucis fonte potiuntur, qui fit vt à nobis videri non possit? Nosti quot respõsiones ad hoc argumẽtũ Conimbricẽses in lib. 2. de cælo cap. 5. q. 1. art. 2. congesserint. Respondet Richardus in 2. dist. 2. quæst. 2. 3. caussam esse quia eiusmodi lux nostri adspectus vim excedit, nec nisi cum oculis gloriosis proportionem habet: vel quia orbis crystallinus eius traiectionem impedit: vel quia ad nos pertingere nequit ob nimiam distantiam: vel quia licet posset pertingere, subtrahitur ei generalis concursus à Deo, ne defluere ad nos possit. Respondet S. Thomas 1. p. quæst. 66. art. 3. ad 4. Empyreum habere lucem non condensatam & ita compactam vt radios emittat, sicut corpus solis, sed magis subtilem: vel habere claritatem gloriæ quæ non est conformis cum claritate naturali Conimbricenses ipsi, quibus adstipulatur Hurtado de Mendosa disput 2. de cælo c. 5. num. 41. cælum Empyreum interiùs esse lucidissimum & splendorem iaculari: ex parte verò exteriori, & inferiori, qua terras despicit, non fulgere, nec lumen ad nos transmittere, quòd ex ea non fit pellucidum, sed densitate quadam, tanquam velo siue cortina contectum, ne à mortalibus videatur. Sed vides quàm multa diuinent. Quibus vel ideò respondendum non puto, quia mihi nihil est optatius, quàm vt possim solutionem huius argumenti non improbabilem inuenire.

Quare cælum Empyreum, si quod est, non videtur.

75. Theod. Quid quòd, vt dicitur Apocal. 21. v. 23. Cælestis illa ciuitas *non eget sole, neque luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus,* & cap. 22. v. 5. *Nox vltrà non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in secula seculorum?* Ecquid non apertè cælum sidereum à Beatorum sede distinguitur cùm ista lumi-

ne solis non egeat, illud constet solis lumine perfundi, omnésque stellas à sole tanquam à lympidissimo fonte suum haurire
1.Cor. 12. v. 2. splendorem. Quid? quòd Paulus se *ad tertium cælum* raptum esse testatur. Quid? quòd scriptura cælum cælorum toties inculcat. Quid? quòd Apostolus mentio-
Heb 8. v 2. nem facit *tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.*

76. PHILOCT. Facile quidem erat offusas obiectionum nebulas dissipare Dicerem ciuitatem illam, quæ solis lumine non egebit, non esse vel cælum istud sidereum, vel Empyreum in principio creatum, sed cælum nouum de quo ipso capitis initio ista præmiserat. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam; primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non est. Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem, &c.* Dicerem, quemadmodum physici liquidum aëris elementum, siue cælum aëreum in tres regiones describunt, ita tres esse cęli siderei regiones, quarum prima septem stellis errantibus, altera reliquis quas ἀπλανεῖς siue fixas appellant, tertia Beatis sit attributa. Dicerem cælum sidereum cælum cæli, vel quia nomen apud Hebræos vnitatis numero non profertur, cælos cælorum nominari, quia cælum aëreum ambit & amplectitur. Dicerem denique *tabernaculum quod fixit Dominus*, nullo argumento probari magis ad cælum Empyreum, quàm ad sidereum pertinere.

77. Hæc, inquam, facilè dicere potuissem, sed malo dare manus, herbámque, quod aiunt porrigere: quàm diutiùs cum viris eruditis, vel potiùs cum tota Theologorum schola contendere. Etsi enim, vt dicitur Ecclesiastici 19. *Qui cre-*
Vers 4. *dit citò, leuis corde est, & minorabitur.* Etsi prudenter monet Rabi Moses filius Meimon epistola quadam tria duntaxat homini esse credenda. Primum id cuius certam habet & euidentem probationem humana sua ratione & scientia comprehensam, alterũ, id quod deptehendit vno, verè quinq; sensibus, tertium & postremum id quod accepit à ptophetis & à iustis, vt dicere possit: שזה האמנתי בו מפני הקבלה *scheze heemanthi mippene hakkabaah, quia hæc credidi propter traditionem, & hoc credidi propter* החרגשה *habagaschah, sensuum perceptionem*, id est, quòd illud sensu perceperim: *& hoc credidi propter* הרצה *haddaah scientiam*, siue probationem euidentem: monétque summam esse perniciem & ingens malum, quòd plerique quicquid in libris repererint, maximè si fuerint antiqui (קדמונים) *kadmonim* verum esse statim arbitrantur: mihi tamen oppidò placet illa Platonis sententia, Dei filiis & sapientibus, etiamsi minùs necessarias dictorum rationes adferant, esse credendum.

78. Neque enim aut sum tam disertus vt possim, aut tam temerarius vt coner opinionem communi Theologorum consensu receptam oratione conuellere. Etsi me Petri authoritas magnopere non mouet, quod è Clementis recognitionibus libro suspectæ fidei proferatur, & veterum qui ante Bedam Strabúmque floruerunt, verba facilè possunt aliter explicari, vt explicuisse visus est Sanctus Thomas aiens *cælum Empyreum non inueniri positum: nisi per authoritatem Strabi & Bedæ: & iterum per authoritatem Basilij*, de quo suo loco pauca dicenda sunt. Quia tamen quæ hactenus à nobis disputata sunt, non tam ostendunt cælum Empyreum è rerum natura tollendum, quàm necessarias non esse rationes quibus astruitur, fierique potest vt aliquid Deus in prima rerum molitione condiderit, cuius caussas non videmus, in re nobis incerta eò feramur, quò Theologorum incumbit authoritas, dicamúsque Deum in principio cum terra & aqua etiam cælum Empyreum condidisse. Cùm tamen nullo, vt aiunt, sensu percipi possit, nec vlla physica ratione deprehendi. Moses qui Iudæos sensibus immersos, solisque rebus corporeis inhiantes *inuisibilia Dei à* Rom. 1. 20.
creatura mundi per ea quæ facta sunt, intelligenda deducere cupiebat, non debuit ab inuisibili cælo suam historiam auspicari.

79. Quod ad Basilium attinet, cùm lucem illam cælo sidereo superiorem increatam esse defendat, inficias ierit nemo, aliud cælum intelligendum, ab eo quod cum terra creatum esse narratur. Quod iam è dictis liquerę potest, quia tamen mirum videtur, pretium operæ fuerit eum iterum suis verbis loquentem producere ἦν τις πρεσβυτέρα τοῦ κόσμου γε- Homil. 1. Hexaem, ante medium.
νέσεως κατάστασις ταῖς ὑπερκοσμίοις δυνάμεσι πρέπουσα, ἡ ὑπερχρόνιος, ἡ αἰωνία, ἡ ἀΐδιος. *Erat quædam huius mundi ornatu antiquior forma & status supermundanis potestatibus conueniens, supertemporalis, æternus, sempiternus. Opificia autem in ipso, omnium conditor & opifex perfecit*, φῶς νοητὸν *lucem spiritualem, &c.* ταῦτα τοῦ ἀοράτου κόσμου συμπληροῖ τὴν οὐσίαν, *hæc inuisibilia mundi essentiam complent, &c.* Sed res ipsa loquitur lucem hanc spiritalem, hanc inuisibilis mundi essentiam sempiternam, non esse cælum illud quod Moses in principio conditum esse testatur.

80. Theod. Equidem mi Philoctista, non video cur superiorem disputationem tuam tam sollicitè retexere debueris, adeóque refugias inuidiam, perinde atque si recentiorum Theologorum primus illam opinionem inuexeris, cùm Caietanus in caput 12. secundæ ad Corinth. cælum Empyreum apertè neget. Affirmat enim primum mobile, quod proximè est supra cælum stellatum, esse supremum, & illud esse cælestem patriam, in qua Deus & Beati habitare dicuntur. *Empyreum siquidem*, inquit, *cælum à posterioribus traditum nullibi inuenitur in scriptura.* Phil. Scio, Theodore, scio: sed tanti mihi non fuit vnius Doctoris auctoritatem cæterorum omnium placitis anteferre. Quamuis Soares ipse, *cùm in hoc cælo non sit motus, nec etiam sint astra, nec lumen ejus ad oculos nostros perueniat, & influentia ejus vel nulla sit, vel non possit experimento cognosci*, nullam ejus demonstrandi viam nobis superesse disertè fateatur.

Lib. 1. de op sex dier. cap 4. n. 4.

XIV. *Exponitur verus sensus horum verborum: In principio creauit Deus cælum & terram.*

81. Theod. Video adhuc constare omnia: Autumno potiùs quàm vernæ tempestati consignanda mundi primordia: è multis principij notionibus duas illas huic loco potissimùm conuenire, vt in temporis initio & eo momento quod omne tempus antecessit, vel ante omnia, id est ante rerū creatarum distinctionē, speciem & ornatum cælum & terram dicamus esse producta: hanc productionem non è præiacente materia, sed è nihilo extitisse: eam fuisse non vni personæ propriam, sed sanctissimæ Trinitati communem. Nomine cæli non intelligi cælum intelligibile cæli sensibilis ideam & exemplar, non spiritales substantias: nullam esse rationem quæ cælum Empyreum à sidereo distinctum adstruere videatur, & vt cælum Empyreum in principio conditum esse fingamus, eius tamen hoc loco mentionem non fieri, prout à reliquo cælo distinguitur: Restat vt exponas quid cæli terræque nomine Moses intelligat.

82. Philoct. Non ego te, mi Theodore, *per ambages & longa exordia ducam.* Significat Moses Deum optimum, maximum, *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis*, primóque illo momento, *vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam*, solem, lunam, sidera, quatuor elementa, gemmas, lapides, brutas animantes, mixta, simplicia, omnia denique quæcunque cælo & terra, & eorum intercapedine continentur præter humanam animam, omnes, inquam, spiritales corporalésq; substantias σωματικὰς ψυχικάς, cæli terræq; vocabulo cōtineri, quorū alia Deus actu juxtàque propriam cuiusque essentiam, alia caussaliter, vt loquitur Augustinus & secundum virtutem seminalem è nihilo molitus est. Actu producta sunt cælum, sidera, elementa, quoad substantiam, & ex species animantium, & plantarum, quarum indiuidua naturaliter non nisi à sui similibus procreantur, caussaliter & secundùm vim seminalem, quæ secutis temporibus vel à sui similibus generari debuerunt, vt Bucephalus ab equis initio conditis per longam genitorum seriem propagatus, vel quæ è materiæ corruptione, vt mures & vermiculi, vel quæ è diuersorum generum permixtione, & naturæ adulterio nascuntur vt mulus, vt licisca. Cur autem humanam animam exceperim, liquebit ex ijs quæ mox dicentur, cùm ad opus sextæ diei delapsa fuerit oratio. Hunc autem esse scripturæ sensum, & tres omnes cœlo terrâque comprehensas in illo momento ex quo dies volui cæperunt, fuisse productas probat loquendi consuetudo, Hebræorum & Sanctorum Patrum authoritas, concepta scripturæ verba, Decretum Concilij Generalis, ipsa denique ratio persuadet.

Nomine cæli & terræ intelliguntur omnes creaturæ.

XV. *Probatur ex ipsa loquendi consuetudine initio Genesis significari Deum primo momento temporis omnia condidisse.*

83. Loquendi consuetudo. Quis enim his verbis Prophetæ, *nunquid non cælum & terram ego impleo, dicit Dominus*, quis, inquam, non intelligit aquam, aërem, omnia denique duobus illis contenta comprehendi? Quis hac sententia diuinam immensitatem per omnia corpora diffusam, omnia permeantem probari non agnoscit? Quæ profectò non probaretur, nisi illa locutio omnia locorum spatia contineret. Quid in Symbolo Apostolorum, cùm Deum cæli & terræ Creatorem agnoscimus, ecquid aëris, aquæ, animantium, plantarum, metallorum, gemmarum, omnium denique conditorem non agnoscimus?

Ierem. 23. v. 24.

XVI. *Eadem expositio probatur authoritate scripturæ.*

84. QVID? quòd diserta & concepta scripturæ pronunciata hanc à nobis expositionem extorquent? *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ. *creauit omnia communiter.* Quid porro *simul?* quid *communiter?* nihil aliud profectò, quàm omnia eodem die, vel potiùs instanti fuisse producta, nisi contra legem à nobis perlatam velimus à germano verborum sensu, & natiua significatione discedere. Qui locus tantum ponderis habere visus est Augustino, vt alia potiùs omnia dicere, & sex illos dies à Mose rerum creationi assignatos violenter interpretari maluerit, quàm negare simul, & eodem instanti temporis omnia fuisse procreata: dixeritque sex illos dies non esse naturales qui solis circuitu peraguntur, sed diuersas de rebus creatis cognitiones Angelorum, in quibus & vespere, & mane, & diem ingeniosè quidem, sed tamen, si dicere fas est, contortulè deprehendit. *Cùm simul vniuersam creaturam sicut simul facta est, & in primis atque immutabilibus rationibus per quas condita est, contemplaretur propter diem: & in eius natura cognosceret propter vesperam: & creatorem ex ipsa inferiore cognitione propter manè laudaret.* Et alio loco, cùm Angelorum cognitionem diem appellasset: *sit tamen*, inquit, *& vespera dies huius & mane aliquatenus, quoniam scientia creaturæ in comparatione Creatoris quodammodo vesperascit, itémque lucescit & mane fit, cùm & ipsa refertur ad laudem dilectionémque Creatoris: nec in noctem vergitur, vbi non creator creaturæ dilectione relinquitur.* Et rursum paucis interjectis. *Cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, vt ita dicam, quàm cùm in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est: ideo vespera congruentiùs quàm nox dici potest, quæ tamen, vt dixi, cùm ad laudandum & amandum refertur creatorem, recurrit in mane.* Ita videlicet explicare Mosem voluit sanctissimus Doctor, & in sensum à communi sensu penitus alienum, tanquam ad durissimam cautem impactus est, ne ab Ecclesiastici res omnes vno momento conditas asserentis disertis concepta verbis authoritate discederet.

Eccl. 8.

Lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 34. ineunte.

De ciuit. lib. 4 c. 7

Opinio D. Augustini

85. Sed vt Moses ipse suæ sit mentis interpres, postquam rerum omnium creationem singillatim expressit, & in sua membra distribuit, vt ostendat non singillatim facta quæ singillatim recensentur, ita dictorum summam per recapitulationem collegit: *Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt in die quo fecit Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, priusquam oriretur in terra, omnémque herbam regionis priusquam germinaret*, audis eodem die quo cælum & terra creata sunt. factum esse virgultum Audis factum esse virgultum priusquam pullularet: factam herbam priusquam germinaret, & è terra promicaret: quando autem herbæ & virgulta germinarunt? die tertio. Igitur ante tertium diem herbæ & virgulta iam extiterunt. Quod qua ratione factum putemus, nisi Deus eodem momento quo cælum & terram, etiam herbas & virgulta produxerit.

Cap. 2. v. 4

86. Scio non defuturas viris eruditis distinctiunculas contortulásque rationes, quibus conentur, non dicam fucum facere tã perspicuæ veritati (absit hoc à viris doctis & piis) sed certè vim authoritatis huius infringere. Sed his Hebræos Græcos, Latinos oppono, qui ex his verbis effici volunt herbas, adeóque res omnes primo tẽporis instanti cum cælo & terra simul esse productas. Et Philo libro 1. allegoriarum paulo post initium, & Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum paulo ante finem, quorum verba commodiùs alio loco referemus, & Augustinus lib. 5. de Genesi ad litteram, cap. 4 ineunte. *Nónne quærendum est*, inquit, *vbi ea fecerit, antequam essent super terram, & antequam exorta sunt? Quis enim non procliuiùs crederet tunc ea Deum fecisse cùm exorta sunt, nisi admoneretur diuino eloquio illa Deum fecisse, antequam exorirentur: vt si vbi facta sunt, inuenire non possit, credat tamen ante facta quàm exorta, quisquis huic scripturæ piè credit: impiè quippe non credit.*

Plantæ creatæ antequã germinarent.

87 Et verò qui scriptoris mentẽ & verba diligenter inspexerit, is intelliget Deũ reuera fecisse herbas quoad substantiam in primo creationis instanti, priusquam tertio die suis iã qualitatibus instructæ è terra germinarent. Quod è sequẽtibus etiam liquidiùs potest intelligi. *Non enim*, inquit, *pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram, sed fons adscendebat è terra, irrigãs omnem superficiẽ terræ*, quibus verbis probat priùs extitisse in rerũ natura quã è terra tertio die promicarent, quia necesse fuit, vt Deus herbas sine caussæ naturalis cõcursu produceret. Remouet igitur caussas duas quę poterant naturalem herbarum productionẽ adiuuare, eáq; subdit quæ eidẽ officit. Duæ caussæ remouentur, pluuia videlicet, & agricolarũ industria, adfertur caussa officiens naturali herbarũ

Gen 25.



Quis fons ille qui tegebat su per ficiem.

productioni, vt colligi potest è particula aduersatiua, sed quæ non vsurparetur, si fons ille perinde atque pluuia & agricultura naturalem herbarū germinationē adiuuaret. Vnde dici potest fontem illum qui impedierat ne herbæ primo creationis instanti productæ primo & secundo die promicarent & in auras erumperent, fuisse abyssum aquæ, quæ priusquam in locum suum congregaretur, totam terræ superficiem obtegebat.

88 Hoc est igitur Mosis enthymema. Non pluerat Deus super terram, cùm exortæ sunt plantæ & virgulta, tertio videlicet die, vt iam narrauerat, *& homo non erat qui operaretur terram*, sed primo & secundo die, aquæ abyssus instar fontis inexhausti, terræ superficiem irrigabat: ergo Deus fecit omne virgultum agri, priusquam oriretur in terra, omnémque herbam regionis priusquā germinaret. Quod argumentum nullius videretur esse momenti, nisi quæcunque facta narrantur post illud principium quo creauit Deus cælum & terram, naturaliter facta esse supponeret. Nam si Dei potentiam, quatenus naturam excedit, consideres, cur non potuit etiam sine pluuia, sine agricolarum industria, fonte etiam & abysso terræ superficiem obruente, virgultum & herba pubescere?

89. In textu principe, vbi nos fontem legimus, habetur אד vel איד quod Thargum Chaldaïcum עננא *nubem*, Septuaginta *πηγὴν*, & eos secutus Hieronymus *fontem*; Aquilas Ἐπιβλυγμὸν *ebullitionem*, Hebræi plerique *vaporem*, reddiderunt. Diffident tamen inter se. Nam alij nebulam, siue vaporem plantis noxium interpretantur, vnde & nomen איד ad calamitatem transfertur. Alij vaporem fœcundum & opportunas plantis pluuias generātem. Vnde & hunc locum Rabinus Sahadias apud Pagninum exponit negatiuè, vt negatio quæ præcessit. *Non enim, &c.* hoc etiam loco suppleatur, hoc sensu, Arbores & herbæ nondum naturali via pullularent, quia neque Deus pluerat, neque erat homo qui terram coleret, neque vapor exhalatus à mari fuerat qui in nubes & pluuiam concresceret. Commoda quidem interpretatio, neque versioni Latinæ, nostræque explanationi contraria. Sed petulanter Mercerus nostrum interpretem ait incommodè fontem reddidisse deceptum à LXX. interpretibus, quibus, opinor, magis credendum est quàm Merceris sexcentis.

90. THEOD. Atqui, mi Philoctista, Philo cuius authoritatem opponis, hunc ipsum scripturæ locum aliò traducit, quàm vt inde probet rerum omnium creationem vno momento temporis extitisse. Ἆρ᾽ οὐκ, inquit in Cosmopœia paulò post finem, ἐμφανῶς τὰς ἀσωμάτους καὶ νοητὰς ἰδέας παρείσησιν, ἃς τῶν αἰσθητῶν ἀποτελεσμάτων σφραγῖδας εἶναι συμβέβηκε· πρὶν γὰρ χλοῆσαι τὴν γῆν, αὐτὸ τοῦτο ἐν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, χλόη, φησίν, ἦν· καὶ πρὶν ἀνατεῖλαι χόρτον ἐν ἀγρῷ, χόρτος ἦν οὐχ ὁρατός. *An non manifestè corporis expertes & intelligibiles ideas inducit, quæ sensibilium effectuum sunt sigilla: priusquam, inquit, herbam terra produceret, hoc ipsum in rerum natura iam erat herba, & priusquam fœnum in agris oriretur, fœnum erat, quod oculis percipi non poterat.* PHILOCT. Equidem non ierim inficias, Theodote, Philonem ex hoc etiam testimonio suarum idearum probationem corradere, sed & alibi suam de rebus omnibus primo temporis instanti productis sententiam liquidiùs exponit, & ex hoc loco saltem habemus, è Philonis sensu, priùs herbas in rerum natura extitisse, quā eas terra produceret. THEOD. Perge porro. PHILOCT. Moses Ægyptius libro 2. Ductoris, omnia simul esse creata probat ex illo loco Isaiæ 48. v. 13. *Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cælos. Ego vocabo eos & stabunt simul.* Heb.: קרא אני אליהם יעמדו יחדו *Ego vocans illos, stabunt simul.* Cuius equidem testimonij quantum sit momentum, non facilè dixerim, tantum sit quantum quisque existimat.

XVII. *Idem probatur decreto Concilij Generalis.*

91. ACCEDIT Concilij Lateranensis authoritas sub Innocentio III. celebrati, quæ & habetur in Decretalibus de summa Trinitate cap. Firmiter. Deus, inquit, *omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu ac corpore constitutam*, quæ verbatim è libro Soliloquiorum qui nomine Augustini teritur, cap. 32. deprompta sunt.

Hurtado di Mendosa in lib. de cælo Disp. 3. §. 3. num. 10.

THEOD. Nosti quid ad ista respondeant: Videlicet particulam *simul* non sumi Mathematicè, sed pro breui mora Vulgo enim maxima opera, licet inter illa pars aliqua temporis interiiciatur, simul dicuntur fieri, vt cùm è portu soluitur magna

claſſis, licet aliquot naues priùs, deinde aliæ ſoluantur, tota tamen claſſis dicitur ſimul ſoluta, & ſimul portum appellere. Quid igitur obſtat quin dicamus omnia ſimul eſſe creata, quæ ſex dierum ſpatio producta ſunt?

Hom. l. 1. Hexa. circa med. 92. PHILOCT. Reſpondere poteram cum Baſilio Magno, res non ſolùm dici ſimul conditas, ſed etiam ſimul ab initio temporis, conditas διὰ τὸ ἀκαριαῖον καὶ ἄχρονον τῆς δημιουργίας, *quòd creatio rerum momento perfecta eſt, citráque omnem temporis abſoluta morulam*, ἐπειδὴ ἀμερές τι καὶ ἀδιάστατον ἡ ἀρχή. *Quandoquidem impartile quiddam eſt principium, nec vlla internalli dimenſione à ſe toto diſpeſcitur. Quemadmodum enim principium viæ via nondum eſt, domus quoque principium neutiquam cenſetur; domus itidem & principium temporis adeo tempus non eſt, vt ne eius quidem ſit minima portio. Quòd ſi vnus aliquis contentione pertinaci adſtruet temporis principium eſſe tempus, is nouerit principiũ oportere iuxta hanc poſitionem diduci in multifidas temporis partes, nempe in principium, media atque finem, atqui res prorſus ridicula videtur vel mente concipere principium principij. Quiſquis enim principium bipertitò ſecat, is duo principia pro vno efficiet, veriùs per multa, imò infinita, quando id quod ſemel diſſecuerù, in alia rurſum ſegmina intercidi poſſit.* Hæc Baſilius, adſtipulante Ambroſio lib. 1. in Hexaem. cap. 4. exeunte, vnde & è verbis Moſis efficit *mundum hunc ſola Dei voluntate, ac citra omnem temporis morulam ſubſtitiſſe.* Quanto id magis è Concilij verbis, vbi non ſolùm dicitur initium temporis, ſed etiam particula *ſimul* annectitur, colligere potuiſſet.

93. Sed ne momenta potiùs authoritatum, quàm ipſius Concilij verborum quærere videamur: Concilium creaturas omnes, id eſt ſuppoſita creata ſubſtantiáſque completas in tria genera partitur, in purè ſpiritalem ſiue Angelicam, in merè corporalem, quam mundanam appellat, vt cælum, ſolem, elementa, plantas, brutas animantes. & in humanam vtrique communes è ſpiritu & corpore conſtitutam Spiritalem & corporalem *ſimul* ab initio temporis conditam eſſe teſtatur: ac *deinde* humanam. Quibus duabus particulis *ſimul* & *deinde* ſignificatur inter primam duorum primorum generum molitionem, & humanæ naturæ conditionem aliqua ſucceſſio.

94. Quod ſi dictio *ſimul* ad aliquod temporis ſpatium extenditur, eáque *ſimul* condita dicuntur, quæ dierum ſex interuallo creata ſunt, longè magis ſimul producta dicentur, inter quorum procreationem minus temporis intercedit, piſces autem & volucres die mundi quinto; quadrupedes etiam ſexto cum homine primã lucem hauſerunt, intérque quintum & ſextum diem minus eſt temporis interuallum, quàm inter ſextum diem & primum illud momentum, quo etiam ante primum diem Angeli ſimul cum cælo & terra ortum habuerunt: magis igitur homo & cæteræ animantes ſimul conditæ dicerentur, quàm beſtiæ ſimul & Angeli, ſi particula *ſimul* aliquam tẽporis ſucceſſionem inuolueret; non dicuntur autem: ergo dictio *ſimul* nullam ſucceſſionem inuoluit: ac proinde dicendum eſt de Concilij Lateranenſis decreto Angelorum & ſubſtantiarum purè materialium creationem vnico & indiuiſibili momento temporis extitiſſe.

95. Iam cùm omnium Conciliorum Decreta vel è verbo Dei ſcripto vel ex antiqua inde vſque ab Apoſtolis maiorum traditione profluxerint, Angelos quidem eſſe Dei creaturas ab Apoſtolo diſcere potuerunt. *In ipſo*, inquit, *condita ſunt* Coloſſ. 1. v. 16. *vniuerſa in cælis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant.* Angelorum autem cum cælo & terra creationem tantùm abeſt vt traditione maiorum acceperint, vt multi potiùs illuſtris authoritatis Patres eam mundo antiquiorem eſſe prodiderint. Omitto Græcos, vt Gregorium Nazianzenum orat. de Natiuitate, item orat. 2. in ſanctum Paſcha, vt Baſilium in Hexaem. homil. Hilarius lib. 12. de Trinit. *Quid enim*, inquit, *magnum eſt, vt ante terram Deus Dominum Chriſtum generaret, cùm Angelorum origo terræ creatione reperiatur antiquior?* Ambroſius lib. 1. Hexaem. cap. 5. *Angeli, Dominationes & Poteſtates, etſi aliquando cœperunt, erant, tamen iam quando hic mundus eſt factus.*

96. Vnde igitur Patres Concilij Lateranenſis Angelos ſimul cum cælo & terra conditos habuerunt? E ſcriptura citra controuerſiam, vt inde liqueat nos in explicando Eccleſiaſtici pronuntiato. *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*, Patrum Lateranenſium inſtitiſſe veſtigiis.

THEOD. Hactenus ex ipſa loquendi conſuetudine, ſcriptura, Concilio liquere videtur Deum in momento rerum omnium ſubſtantiam de nihilo condidiſſe,

restat vt hoc ipsum authoritate Patrum & ratione confirmes.

XVIII. *Ægyptiorum & Hebræorum authoritate probatur eadem expositio.*

97. PHILOCT. Quod ad Patres attinet, longum esset ire per singulos, & bene magnam Augustinorum, Basiliorum, Gregoriorum seriem euoluere. Duo sint instar omnium Gregorij, Romanus & Nyssenus. THEOD. Imò, Philoctista, etsi superuacaneum videri poterat, rem adeo scripturæ Conciliique testimonio probatam, Patrum, rationumque momentis stabilire, & soli, quod aiunt, lucernam admouere, quia tamen tum scriptura, tum Concilium aliter atque aliter explicari potest, & vnusquisque abundat in suo sensu, ex te aueo scire quid circa res omnes vno momento creatas ex Hebræorum, Græcorúmque Patrum varia lectione excerpseris.

PHILOCT. Tuo quidem arbitratu, sed ea conditione vt tu vicissim nobis exponas quæ fuerit Latinorum Patrum de prima mundi molitione sententia, & me etiam liberaliorem, quàm promitto, deprehendes. THEODORVS. Age sanè.

98. PHILOCT. Græcos requiris & Hebræos, mi Theodore. Primus erit Ægyptius, Mercurius videlicet ille Trismegistus initio Pimandri Marcilio Ficino interprete. διακεχώρισται δ' ἀπ' ἀλλήλων ἥ τε γῆ καὶ τὸ ὕδωρ, καθὼς ἠθέλησεν ὁ νοῦς· καὶ ἐξήνεγκεν ἀπ' αὐτῆς ἃ εἶχε ζῶα τετράποδα, ἑρπετὰ, θηρία, ἄγρια, καὶ ἥμερα. *Distincta quoque sunt inter se aqua & terra, cum in modum qui menti placuerat; terra postmodum animantia, quæ intus habuerat, peperit.* Audis terram animantia priùs intus habuisse, quàm (quod sexto demum mundi die factum esse testatur Moses) in lucem ederentur? Ecquid apprimè Mosi suffragatur aienti herbas à Deo factas priusquam in lucem exirent? Sed ad Hebræos veniamus.

99. Rabi Moses Ægyptius lib. 2. Doctoris, cap. 31. hoc ipsum Genes. initium explanans, *Sapientes*, inquit Augustino Iustiniano interprete, *dixerunt multis locis quòd eius expositio est, cum cælis & cum terra, hoc est quòd creator creauit cum cælis, quicquid est in cælo, & cum terra quicquid est in terra.* Quid liquidiùs dici potuit. *Subiectit: & assimilauerunt creationem agricolæ seminanti diuersa genera seminum simul in terra. Pars autem oritur post vnum diem, alia verò post duos dies: sed omnia semina proiecta sunt in vna hora, &c. Subdit, manifestè verò dixerunt Sapientes de ratione lucis de qua facta est mentio in lege, quòd fuit creata in prima die, quod ipsa sunt luminaria, quæ fuerunt creata in primo die, sed non ostendit ea Deus vsque ad quartam diem.*

100. PHILOCT. Et ipse Hebræus, quamuis omnes pene Græcos eloquentia superarit, lib. 1. allegoriarum ineunte, εὔηθες πάνυ, inquit, τὸ οἴεσθαι ἓξ ἡμέραις, ἢ καθ' ὅλου χρόνῳ κόσμον γεγονέναι. *Rusticanæ planè simplicitatis est arbitrari rerum creationem sex diebus aut omnino tēpore esse perfectam*: & quibusdam interiectis de numero septenario: ἵνα δὲ, inquit, μὴ καθ' ὡρισμένας χρόνων περιόδους ἐπιλάβοις τὸ θεῖόν τι ποιεῖν, &c. ἀπήρτισται τοίνυν τὸ ἐν ἓξ ἡμέραις γενέσθαι τὸ πᾶν. *Ne verò definitis temporum circuitibus Deum facere quicquam existimes, &c. aufertur illud quod putare quis posset sex diebus conditum Vniuersum.* Idque ex eo probat quòd 2. Genes. dicitur Deus fecisse herbam, priusquam germinaret.

101. Equidem haud scio quibus adiungere debeam Linum Poëtam Troianis temporibus antiquiorem, qui proximè ad Mosis ætatem accessit. Is κοσμογονίαν suam, i. mundi generationem sic exorsus est.

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.

Tempus erat quo cuncta simul sunt condita quondam.

ὅθεν λαβὼν Αναξαγόρας πάντ' ἔφη, χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ· νοῦν δ' ἐλθόντα αὐτὰ διακοσμῆσαι. *Quem secutus Anaxagoras & ipse simul facta omnia asseruit, eáque mente accedente composita.* Vt aduertit Diogenes Laërtius in præfatione historiæ Philosophorum.

XIX. *Probatur auctoritate Græcorum Patrum res omnes vno instanti creatas fuisse.*

102. DIonysius Areopagita, dum eam lucem quæ primo die creata est, solem ipsum esse dicit, qui quamuis informis nulláque certa figura comprehensus primam dierum triadem inuexerit, quid aliud significare voluit quàm ea quæ sex diebus perfecta fuisse numeris absoluta narrantur, iam inde ab initio temporis quoad substantiam extitisse? Neque enim disertiùs Moses firmamenti, plantarum, animantium, quàm Solis & Lunæ productionem distinctis diebus assignat.

Sed

Cap. 4. de diuin. nominibus.

Sed quid prohibet ipsum Dionysium loquentem producere? Αὐτὸ γάρ ἐστι τὸ φῶς, inquit, ἐκ τοῦ τὸ πρωτότυπον φῶς, ὅπερ ὁ θεῖος ἔφη Μωσῆς, ἀυτὴν ὁρίσας τὰς πρώτας τῶν καθ᾽ ἡμᾶς ἡμερῶν τριάδα. *Ipsum enim est lumen, etiam si tunc informe erat, siue infiguratum, quod diuinus Moses, & ipsam primā quæ nobis illuxit, ait definisse dierum trinitatem.* Vbi Maximus. Σημειωσαι, inquit, ὅτι ὁ ἥλιος ἐκ τὰς τρεῖς ἡμέρας τὰς πρὸ τῆς αὐτοῦ ποιήσεως ἐφώτισεν ἀσχημάτιστος ὤν, καὶ ὅτι τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον. *Nota quod Sol etiam tres dies, qui ipsius productionem antecesserunt, illuminauit, informis adhuc, nullaque certa figura comprehensus, & quod lux primo creata transfigurata est in Solem.*

103. Nec aliud videtur Apollinarius apud Eugubinum in cosmopœia censuisse. Τοῦ πρωτογόνου φωτός, inquit, ὅσον ἦν καθαρώτατον ἐνέθηκε τῷ ἡλίῳ, τὸ δὲ λοιπὸν σελήνῃ καὶ τοῖς ἄστροις ἐμέρισεν. *Ex primigenia luce quicquid erat purissimum, soli indidit, reliquum vero lunæ & astris distribuit.* Quid enim aliud dicere voluit quàm è lucida substantia temporis initio condita, solare corpus esse conglobatum?

Quid Theodoretus quæst. 14. in Genes. Καὶ τὸ φῶς τοίνυν ἐδημιούργησεν, ὡς ἠθέλησεν, διειλεν δ᾽ αὐτὸ τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους, καὶ τοὺς μικροὺς κατεσκεύασεν. *Et lucem fabricatus est suo arbitratu, illam autem diuidens luminaria magna & parua molitus est.*

104. Idem Eugubinus laudat Δίδυμον, quem Lipomanus in catena Didymum appellat. *Sicut, ait, aqua à principio sparsa, vsquequaque in certas sedes coacta, Deus creauit mare tertia die & flumina & fontes,* οὕτω καὶ τὸ φῶς τὸ ἐν ἀρχῇ κτισθὲν πρότερον διακεχυμένον, ἀθρόως ὕστερον τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ συναγαγὼν ὁ θεός, ἐποίησεν ἐξ αὐτοῦ τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς λοιποὺς ἀστέρας. *Ita & lucem in principio creatam, cùm prius sparsa esset, postea Deus quarto die in vnum congregans, ex ea fecit Solem, & Lunam reliquasque stellas.* Ac proinde quemadmodum mare quoad substantiam in principio cum cœlo & terra creatum è diuersis partibus in locum vnum confluxit, ita & de sole reliquisque sideribus dicendum est.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, sub finem, ἵνα τοίνυν γενητὸν εἶναι τὸν κόσμον διδαχθῶμεν, μὴ ἐν χρόνῳ δὲ ποιεῖν τὸν θεὸν ὑπολάβωμεν, ἐπήγαγεν ἡ προφητεία, αὕτη ἡ βίβλος, &c. *Vt igitur mundum creatum esse doceamur, Deum autem in tempore facere non arbitremur, adiecit prophetia. Istæ sunt generationes cœli & terræ,* & cætera quæ secundo Genes. versu 4. & 5. reperies.

Athanasius oratione tertia contra Arianos æquali penè inter medium ac finem interuallo, adeo sibi persuadet creaturas omnes eodem momento substitisse, vt ex eo quo Dei verbum ante res alias substiterit, id è numero creaturarum exceperit, καὶ γὰρ καὶ λέγων πρὸ πάντων γεννᾷ με, ἄλλον εἶναι ἑαυτὸν σημαίνει τῶν πάντων, δεικνὺς ἐν τοῖς πρὸ τούτων τὴν ἀλήθειαν, ὅτι πρὸ τῶν κτισμάτων οὐδὲν ἕτερον ὑφ᾽ ἑτέρου προγέγονεν, ἀλλ᾽ ἀθρόως ἅμα πάντα τὰ γενητὰ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ προστάγματι ὑπέστη. *Etenim dicens ante omnia genuit me, aliū se esse & diuersum à reliquis ostendit, cùm superiùs ipsa veritas demonstrauerit nullam è rebus creatis alteram alteri præextitisse, sed confertim simul omnia vno & eodem mandato substitisse.*

105. Basilius Homilia 1. in Hexaēm. hæc verba explicans, *creauit cœlum & terram*, καὶ τὴν μέσην τοῖς ἄκροις συνεκδοχικῶς παρεσιώπησε. *Et ea per synecdochen significant quæ medium horum sedem sortita sunt.* Quod ne ex solis elementis inter cœlum & terram constitutis dictum existimes, de omnibus tum simplicibus tum mixtis intellexit eiusdem Basilij frater Gregorius Nyssenus, qui & agricolas imitari se dicit. Vt enim illi.

Qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas.

Tractatu in Hexaem. incunte.

Angustum in ipso nodo sinum faciunt, illicque *aliena de arbore germen immittunt,* quod deinde in eandem quasi naturam coalescat. Ita se cogitationem suam quasi germen aut surculum exiguum magnæ arbori, nempe præceptoris sui Basilij sapientiæ inserere testatur, vt eius ramus effici possit. Ἐν τούτῳ δὲ μοι πρὸ τῶν ἄλλων ἐγχειρήματος, inquit, διαμαρτύρεσθαι, τὸ μηδὲν ἡμᾶς ἀντιδογματίζειν τῷ ἁγίῳ Βασιλείῳ περὶ τὴν κατὰ τὴν κοσμογονίαν αὐτῷ φιλοσοφηθεῖσιν. *Hoc, inquit antequam aggrediar, protestor nihil me sancto Basilio, circa ea quæ de mundi creatione philosophatus est, docere contrarium.*

Sed ipsum si placet Gregorium è fratris sui Basilij sensu de momentanea rerum omnium conditione loquentem audiamus, ἐν τῇ πρώτῃ, inquit, τοῦ θελήματος ὁρμῇ ἡ ἑκάστου τῶν ὄντων οὐσία συνέδραμεν, οὐρανός, αἰθήρ, πῦρ, ἀήρ, θάλασσα, γῆ, ζῶον, φυτά. *Primo diuinæ voluntatis impetu omnia quoad substantiam extiterunt, cælum, æther, aër, ignis, mare, terra, animal, plantæ,* & alia complura de quibus alibi commodius aliqua libabimus.

106. Omitto Chrysostomum, qui Mosen his verbis, *cælum & terram* rerum vniuersitatem summatim comprehendisse testatur, vt qui diceret: ædificaui domum, deinde singillatim ædificij membra descri-

Homil. in Genes.

beret, ieci fundamenta, erexi parietes, re-ctum extuli fastigio, cubicula, triclinia, cellaria, hypocausta distinxi, cui Cyrillus in Iulianum lib. 2. suffragatur. *Intellige quod complexim quidem & quasi in parua tabula omnia comprehendens totius naturæ natiuitatem enarret. Deinde procedit pulchrè ad dicendum quomodo ornatus ac dispositus sit mundus, & quomodo singulæ creaturæ suam pulchritudinem sortitæ sunt.* Omitto Procopium Gazæum, quem ne aduersarij quidem negant in ea fuisse sententia, hunc, inquam, & alios Græcos omitto, vt aliquando Larinos audiamus.

XX. *Eadem expositio Latinorum Patrum authoritate confirmatur.*

107. THEOD. horum familiam ducet Hilarius lib. 12. de Trinitate, qui cùm negasset existimandas in Deo *minutarum rerum particulatas cogitationes,* hæc verba subrexuit. *Tametsi habeat dispositionem sui secundum Moysen Firmamenti solidatio, aridæ nudatio, aquæ congregatio, astrorum constitutio, aquarum terræque in eyciendis ex se animantibus generatio, non tamen cæli, terræ, cæterorúmque elementorum creatio leui saltem momento operationis discernitur: quia eorum præparatio æquabili penes Deum æternitatis infinitate constiterat.* In quam sententiam vox *elementorum* vel ab imperita manu subrepsit, vel significat singularum rerum substanriam qualitaribus omnibus destitutam. Eius enim ratio, si quid probat, non minùs probat stellas, herbas & animantia, quàm ignem, aërem & aquam eodem momenro cum cœlo & terra fuisse productos, cùm liquidò constet non minùs earum præpatationem, quàm corporum simplicium, *æquabili penes Deum æternitatis infinitate constitisse.*

108. *Eyciendis*, inquit, *animantibus*, quam vocē ex anriqua, quam Iralicam vocabant, editione, tum alij veteres, tum Augustinus identidem vsurpat. Septuaginta ἐξάγειν dixerunt, quasi quod priùs latebat in apertum emittere. Et sanè si producendi proferendique vim ac primæuam significarionem vsúmque scripturæ diligenter attendimus, proferre ac producere non est facere quod non erat, sed quod iam erat, clausúmque seruabatur, foras educere. Genes. 38. 24. *Producite eam vt comburatur.* Iosuë 10. 22. *Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque reges qui in ea latitant.* Iudicum 6. 30. *Produc filium tuum huc vt moriatur.* Genes. 14. 18. *Melchisedec Rex Salem proferens panem & vinum.* Gen. 24. v. 22. *Protulit vir inaures aureas.* v. 53. *Prolatísque vasis argenteis*, & alibi frequenter & vbi nos habemus v. 12. *Et protulit terra herbā viuentē*, & iterū v. 24. *Producat terra animā viuentē.* Hebræi legunt תוצא הארץ faciat exire terra, quasi herbas & animantes, quas hactenus intra se clausas habuerat, foras eiecerit.

109. Ambrosius lib. 1. in Hexaëm. cap. 3. *Et pulchrè addidit de celeritate conditionis,* FECIT, *ne mora in faciendo fuisse æstimaretur, vt vel sic intelligerent homines quàm incomprehensibilis operator esset, qui tantum opus breui exiguóque momento suæ operationis absolueret, vt voluntatis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum.* Item, *momento suæ voluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, vt ea quæ non erant, esse faceret tam velociter, vt neque voluntas operationi præcederet,* (quo sensu id dicat, non videtur in præsentia disputandum) *neque operatio voluntati.* Quod ne de cœlo, terra, cæterísque dumtaxat elementis dixisse videatur, id etiam probat ex Aquilæ translatione, qui illud בראשית, quod LXX. Seniores ἐν ἀρχῇ nos *in principio* transtulimus, interpretatus est ἐν κεφαλαίῳ in capitulo, in summa, summatim. *Quo significatur*, inquit, *in breui & in exiguo momento summa operationis impleta. Sunt ergo & qui principium non pro tempore accipiant, sed ante tempus,* ἐν κεφαλαίῳ, *vel caput vt dicamus Latinè quasi summam operis; quia rerum visibilium summa cælum & terra est, quæ non solùm ad mundi huius spectare videntur ornatum, sed etiam ad indicium rerum inuisibilium, & argumentum eorum quæ non videntur. &c. Auctorem enim Angelorum, & Dominationum, & Potestatum facilè intelligimus eum, qui momento imperij sui hanc tātam pulchritudinem mundi ex nihilo fecit esse quæ non erat, & non de extantibus aut rebus aut causis donauit habere substantiam.* Hæc ille, qui cùm vbique Basilij magni vestigiis insistat, illustrari potest iis Gregorij Nysseni verbis, quæ superiùs abs te prolata sunt. Cap. 4. excuate.

110. Non facilè dixerim vtrùm vspiam Hieronymus suum de prima rerum molitione sensum expresserit, cùm tamen libro de tradit. Hebraicis illud in κεφαλαίῳ recipiat, quo non solùm Ambrosius, sed etiam Basilius, Nyssenus, aliíque suam explicationem confirmant, videtur eorum suffragari sententiæ.

Augustinum aliud censuisse,

Nec pueri credūt, nisi qui nōdū ære lauātur.

Sed eum, si placet, paucis loquentem audiamus, lib. 4. de Genesi ad litteram, cap.

34. *Imò verò & priùs atque posteriùs per sex dies quæ commemorata sunt, facta sunt, & simul omnia facta sunt, quia & hæc scriptura, quæ per memoratos dies narrat opera Dei, & illa quæ simul eum dicit fecisse omnia, verax est, & vtraque vna est; quia vno spiritu veritatis inspirante conscripta est.* Cuius, quod ad momentaneam rerum productionem attinet, respuenda non videtur authoritas, licèt à cæteris diuersus abeat in explicanda sex dierum ratione.

111. Quid Gregorius Romanus? *Cùm*, inquit, *factum cœlum terráque describitur, simul spiritalis atque corporalis, simul quicquid de cælo oritur, simul quicquid de terra producitur, indicatur.* Addit. *Sol quippe & sidera quarto die in cœlo facta perhibentur: sed quod quarto die processit in specie, primo die in cœli substantia extitit per conditionem. Item in primo creata terra dicitur, & tertio arbusta condita, & cuncta terræ virentia scribuntur. Sed hoc quod die tertio in specie apparuit, primo die in ipsa quod ortum est terræ substantia, conditum fuit.*

Lib 31. Moral. in Iob. c. 9.

Arnoldus Carnotensis, Bonæuallis Abbas, quem æuo Bernardi floruisse, eique familiarem in paucis fuisse accepimus, tractatu de operibus sex dierum: *Illa quidem*, inquit, *mundi visibilis essentia, licèt simul facta sit, simul tamen dici non potuit: & non nisi per verba humana, quæ temporalibus interuallis formantur, rerum vniuersitas exprimi non potuit, & quod apud Deum, in quo tempus non est vel spatium, simplex erat & vnum, à Moyse per partes visum, & intellectû, & dictum, & per loca, & species, & officia distributum. Nimirum idem Moyses, qui primum, & secundum, & tertium diem, & reliquos tam subtili distinguit libramine: vnam esse diem quâ cœlum, & terra, & omne virgultum, & herba creata sunt, vt & in cæteris idem intelligas, statim post enumeratas dierum distinctiones, subiungit: Istæ sunt generationes cœli & terræ, in die quo fecit Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri, & omnem herbam regionis. Vide quàm manifestè creationem omnium vna die factam Moyses dicit, qui tamen sex dierum opera mirabili subtilitate distinxit.*

Extat parte 2. tomi 12. Bibliothecæ Pat. Colon. pag. 455.

112. Omitto cæteros, qui creationem rerum primo diei passim assignant, & dispositionem ornatúmque duntaxat aiunt ad reliquos dies pertinere. Vnus sit instar omnium Petrus Comestor, initio Historiæ Scholasticæ. *Hanc*, inquit, *creationem mundi prælibatam sub operibus sex dierum explicat scriptura insinuans tria, creationem, dispositionem & ornatum: in primo die creationem, & quandam dispositionem, in secundo & tertio dispositionem, in reliquis tribus ornatum.* Quam Abulensis fatetur communiorem esse sententiam. Quis autem facilè non aduertit dispositionem, distinctionem, ornatum eorum esse quæ iam priùs quoad substantiam extiterunt?

113. Atenim Theologi subtiliores, qui omnia diligentiùs examinant, aliam explicandæ scripturæ viam instituerunt. Vis igitur eum loquentem audire? Video quid annuas, eum igitur loquentem audiamus. *Dicendum*, inquit, *quod per opus creationis principia mundi distincta sunt, quantum ad esse primum, quod est per formas substantiales, sed oportuit aduenire opus distinctionis, vt distinguerentur etiã, quantùm ad agere & pati, secundùm diuersas virtutes rebus collatas.* PHILOCT. Hic ego te teneo, Theodore. Vides Aquinatem loqui duntaxat de mundi Principiis, cœlo videlicet, & quatuor elementis, quæ primo die, vel potius primo momento condita fuisse quiuis facilè tibi concesserit. Neque sanè diebus sequentibus facta narrantur, vt saluâ scripturæ maiestate dicere liceat ea simul vnoque temporis instanti substitisse. Hoc autem in quęstionem venit, vt è sancti Doctoris sententiâ demonstres aliquid eorum ab initio temporis, quoad substantiam extitisse; verbi causa, Solem, plantas, animantes, quorum productionem in dies sequentes dispensat Mosaïca narratio.

S Thomas in senten. dist. 13. quæst. 1. art. 1. ad 2.

114. THEOD. Quicquámne tibi videtur productione luminariũ Solis & Lunæ narratum disertiùs? PHILOCT. Mihi sanè nihil videtur. Nam cùm in herbis & animantibus *proferendi* vel etiam *producendi* verbum vsurpet, hoc loco, *fecitque Deus*, inquit, *duo luminaria magna, &c. & factum est vespere & mane dies quartus.* THEOD. Igitur si sanctus ille Doctor Solis substantiam putauit ab initio temporis extitisse, neque id cum Mosaïca narratione pugnare, idem etiam de plantis & brutis animantibus censuisse credendus est, ne secum ipse pugnare videatur. PHILOCT. Planè nihil habeo quod opponam. THEOD. Eum igitur, si placet, de Sole loquentem paucis audiamus. *Substantia*, inquit, *corporis solaris à principio creationis in sua forma substantiali fuit, vnde ipsum corpus lucidum substantia Solis fuit, sed dicitur ex ea Sol quarto die factus per additionem nouæ virtutis, sicut dicitur ex homine non musico fieri homo musicus;* & iterum: *Substantia Solis habuit primò lumen imperfectum, quod postmodum quarto die consummatum est.*

In 2. sentẽt. dist 13. q. 1. art. 4. ad 4.

Ad 5.

115. PHILOCT. Quid si quispiam respondeat hos commentarios iuueni exci-

disse, factúmque doctiorem in alia fuisse sententia. THEOD. Eum ad Summam Theologiæ prouocabo: cùm enim 1. parte quæst. 66. cœlum & incorruptibile per naturam, & ex alterius generis materia conflatum esse statuisset, quæst. 70. art. 1. ad 1. ista subiecit. *Secundum eos, qui ponunt corpora cœlestia esse alterius naturæ ab elementis, & incorruptibilia per naturam, oportet dicere quod substantia luminarium à principio fuit creata, sed priùs erat informis, & nunc* (quarto videlicet die) *formatur, non quidem forma substantiali, sed per collationem determinata virtutis.* Hæc Theologorum Antesignanus. *Magnum*

Agmen agens secum, magnique ipse agminis instar.

Vt Franciscum Soarem non secundum, sed alterum limatioris Theologiæ luminare in opere sex dierum de productione luminarium differentem, inhærentémque Doctoris sui vestigiis, vt Melchiorem Canum de Locis, vt Caietanum in Genesin, aliósque complures producere superuacaneum esse videatur.

116 Non debeo tamen vnum è recentioribus Iacobum Naclantum Clugiensem Episcopum præterire, qui in explicatione sex dierum colligit è textu primario lucem eandem, quæ primo die facta dicitur, quarto die in luminaria esse conglobatam, יהי מארת, *fiet vel erit*, aut etiam *fiat, & sit luminaria.* Verbum enim est numeri singularis, & nomini, quod est numeri pluralis, annectitur, vt sit sensus, lux ista, quæ primo die producta est fiet luminaria, & in Solem, Lunam, cæterásque stellas diuidetur. Quare tibi de momentanea rerum omnium productione iam penitùs assentior, Philoctista, méque temeritatis accusans orationem retexo, vt qui superiùs non satis consideratè communem Hebræorum, Græcorum, Latinorúmque Patrum sententiam in Augustino dixerim mihi displicere.

XXI. *Eadem explicatio probatur ratione.*

117. PHIL. Imò, Theodore, liberaliter agamus, plus etiam quàm veritas patitur, veritatis ipsius fiducia largiamur, faciamus hîc locum non habere loquendi consuetudinem, nulla scripturæ testimonia proferri, mutum esse Cōcilium, silere Patres: certè ratio clamat his verbis: *In principio creauit Deus cælum & terram*, omnium, omnium, inquam, rerum creationem esse contentam. Cùm enim cæterarū productionem tam accuratè, tam enucleatè describeret Moses, non debuit aquæ quā viuimus, aëtis quem spiramus, ignis quo fouemur, creationem silentio præterire. Præteriit autem, nisi cœli & terræ commemoratione tacitam rerum omnium creatarum mentionem inuoluit. Quid aurum? argentum, marmora gemmæ, vniones? de quibus Poëta quidam verbis Apostoli alia occasione laudatus:

χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται θνητοῖσι βροτοῖσι. Aratus.

Et alius non minùs eleganter, *clausum possidet arca Iouem.* Eorúmne productionem Moses silentio debuit inuoluere? Debuit, inquies, quia populus erat rudis duræque ceruicis, solísque rebus terrenis inhiabat. Imò, quia rudis erat populus, & è rebus caducis suspensas habebat vitæ suæ rationes, earúmque possessione felicitatē suam metiendam putabat, earum in mundi conditione meminisse debuit Moses, ne si increatæ viderentur, facilè diuinos honores obtinerent.

118. Vel quod aiunt, Angelorum etiam creationem hoc loco reticeri, ne populus ad idola propensus, ad cœlestium mentium cultum per superstitionis abrupta laberetur. Imò quia mentem ad idola populus adiecerat, & frequentem istorum spirituum mentionem facturus erat Moses, eorum creationem aliquo saltem modo debuit indicare, vt Hebræos à superstitioso cœlestis militiæ cultu reuocaret: etsi cùm apud rudes & solis rebus sensui subiectis inhiantes verba faceret, necesse non fuit conceptis verbis eorum productionem exponere. Vbi autem indicat, nisi si dicamus nomine cœli etiam Angelos συνεκδοχικῶς inuoluit?

119. Et sanè quoniam, vt ait sapiens, *cum magna reuerentia disponit nos*, atque Sap. 12. 18.
adeo creaturas omnes etiam sensus & rationis expertes, *& attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, neque reuerentiæ quam suis creaturis exhibere decreuerat, neque suauitatis qua omnia disponere statuerat, putauit esse, omnia per seipsum, sine creaturarum cooperatione moliri, nullásque partes rebus creatis in acquirenda perfectione locóque naturali concedere. Ac proinde quemadmodum illa dispositionis diuinæ reuerentia & suauitas exigebat, vt Angelus & homo cum habituali iustitia, quæ quasi forma substantialis est gratiæ, creatus, sua deinceps cooperatione ad morum perfectionem, supernaturalémque beatitudinem niteretur, ita postulabat vt primò rerum omnium materiam è Sap. 8. 1.

nihilo crearet, deinde sine præuiis dispositionibus, siue loco naturali, confusè & aceruatim è materiæ potentia, cæli, solis, stellarum, elementorum, mixtorum formas substantiales educeret, quæ deinceps in adipiscenda naturæ perfectione cooperarentur Deo, & infinita vi, per naturalem emanationem ipsæ sibi naturæ suæ debitas qualitates acquirerent, tum primarias, calorem, frigus, humiditatem, siccitatem; tum secundarias, raritatem, densitatem, colorem, speciem, figuram, leuitatem & grauitatem; quibus instructæ iam euoluerent se & explicarent ex illo primæuæ confusionis aceruo, & ad locum naturæ suæ debitum singulæ peruenirent.

Quod si semel admittimus, facillimum erit explicare quomodo res omnes vno temporis momento conditas Sapiens affirmet, & Moses earum creationem sex dierum successione dispenset. vno enim temporis vestigio quoad substantiam creatæ sunt. debitas autem naturæ suæ qualitates sex dierum spatio sibi compararunt.

120. Iam si, vt inter nos conuenit, nullum sine graui causa miraculum in primam rerum molitionem debemus inducere, si nihil à sola causa prima factum concedere debemus, quod per causas secundas cum generali primæ concursu naturaliter fieri potuerit, cùm ipsâ experientiâ constet ita naturâ comparatum esse, vt formæ substantiales perfectionem qualitatum sibi debitam naturali emanatione producant: profectò causæ nihil est cur ad explicandam sex dierũ rationem ipsarum substantiarũ creationẽ in multas tẽporis particulas diducere debeamus: cùm admissâ momentaneâ substantiarum omnium creatione, Mosaica sex dierum distributio bellissimos habeat explicatus: (verbi causa) faciamus aquæ substantiam nudam & simplicem, qualitatibus omnibus destitutam in nubibus diuina virtute generari. Neque, si rem ad viuum resecare volumus, propriè creata dicetur in statu violento, quia non habet qualitates naturæ suæ contrarias, neque violenter in aëre sustinebitur quia nondum grauitatem habet, cuius inclinationibus & momentis ad mundi medium delabitur. Paulatim tamen humorem & frigus ex se naturaliter eliciet, ex vtroque densitas, è densitate grauitas orietur; grauitas autem iam naturali propensione quibusdam quasi momentis ad inferiora descendet.

121. Ita cùm audimus eum, qui viuit in æternum, simul omnia creasse, res omnes quoad puram nudámque substantiam eodem temporis momento conditas esse faciamus, difficile non erit etiam secundum causas naturales explicare, quo sensu Propheta rerum productionem, sex dierum intervallo digesserit. Tunc enim dicemus factum dici cœlum, facta luminaria, prolatas herbas, productas animantes, non cùm primùm creata est eorum substantia, sed cùm perfectionem accidentalem, vt vocant, speciem, ornatum, locum denique naturæ suæ debitum est consecuta, vt è sequentibus liquidius euadet.

XXII. *Idem probatur ex incommodis quæ sequuntur ex aduersariorum sententiâ.*

122. THEOD. Hactenus doctissimorum virorum authoritate compulsus mihi persuaseram Deum ita primò rerum vniuersitatem esse molitum, vt ante omnia cœlum Empyreum & terram è nihilo produxerit, totúmque illud spatium, quod inter Empyreum & terram explicatur, ne vacuum in natura fieret, aquis implêrit. Arbitrabatur primo die lucem esse creatam, nudam & simplicem qualitatem, nulli materiæ concretam, quæ ante solem conditum, dies à noctibus sui tum diffusione, tum contractione distingueret: factúmque, adiectâ nouâ relatione, vt lux illa primaria, quæ sine Solis concursu producta fuerat, postmodum à sole penderet, vel quarta die corrumperetur, & nouæ luci à sole productæ decederet: Firmamentum autem ex aquis glaciali soliditate concretum. Sed quàm multa sunt in hac sententia, quæ meritò possint oculatioribus displicere?

Totam Empyrei cœli terræque volunt intercapedinem aquis oppletam ab initio fuisse. Quo hæc argumento, quo scripturę testimonio proferuntur? Sanè nullo. Quod enim aiunt aquam eo loci fuisse, vbi secundo die Firmamentum expansum est, non sanè video cur id spatium aquâ potiùs, quàm alio quouis corpore necesse fuerit occupari.

123. Quod Firmamentum ex aquis concretum esse volunt, quia diuidit aquas ab aquis. Primò valdè dubium est, quid per aquas illas super-cælestes diuinus Scriptor intelligat, deinde vt interim veras aquas super Firmamentum, stellarúmque tum errantium, tum fixarum orbes esse faciamus, non video qui minùs aquas ab aquis discriminare poterit, si primo temporis momento, quoad substantiam cum cæteris è nihilo creatum, quàm si ex aquis secundo

die coagmentatum esse statuatur. Aut si quia firmamentum secundo die factum esse dicitur, necesse est ex aliqua materia præiacente concreuent, reddant, si possunt, rationem cur ex aqua potiùs quàm ex igne vel aëre, coaluisse defendant.

124. Quid igitur necesse est in primam rerum molitionem superuacaneas istas productiones inducere? quid necesse fuit per plura fieri, quod etiam commodiùs fieri potuit per pauciora? Quid illum mundi artificem induxit vt magnam aquæ vim in in principio crearet? cuius maximam partem, quasi mutata sententia, secundo die corrumperet, & ex eius materia formam substantialem firmamenti educeret? Si lucem actione supernaturali sine solis alterıúsve corporis lucidi concursu producere statuerat, cur non statim ab initio produxit, ne tenebræ luce priores fuisse dicerentur? Si aliquantisper expectandum putauit, vt creatura cæcis illis tenebris inuoluta suam egestatem agnosceret: si actione naturæ vires excedente, dies & noctes lucis tum diffusione, tum contractione distinxit, cur animantium productionem anteuertit? Præclarè Augustinus lib. 1. de Genesi ad litt. c. 16. *Emissionem*, inquit, *contractionemque lucis illius si velimus diem noctémque intelligere, nec caussam videmus cur ita fieret. Non enim iam erant animalia quibus hæc vicissitudo salubriter exhiberetur, & quibus postmodum exortis per circuitum solis cernimus exhiberi: nec vllum occurrit exemplum, quo istam emissionem contradictionémque lucis, vt dies noctísque vicissitudines fierent, probare possimus.*

125. Cur igitur lucem supernaturali actione produxit? Credo quia non poterat in tenebris operari, debuit sibi facem accendere, & aliquod miraculi specimen exhibere. Quid ita? fortasse vt suam omnipotentiam ipse tentaret, & solus periclitaretur vtrùm posset aliquid supra communem naturæ cursum producere, aut vt creaturis suam absolutam potentiam indicaret. Quibus autem? hominibus? nulli erant. Dæmonibus? iam tenebris erant addicti. Angelis? iam in ipso luminis fonte veritatis æternæ radios hauriebant, iam videbant Deum sicuti est, non per speculū in ænigmate, iam in Verbo videbant creaturas, nec opus habebant externis miraculis, vt diuinam potentiam agnoscerent.

At enim, inquiunt, non debemus morosiùs causas diuinæ voluntatis inquirere. Quis enim eius consiliarius fuit? Ipse dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Voluntati eius quis resistit? Nunquid dicit figmentum ei qui se fecit, quid me fecisti sic? Equidem si de diuina voluntate constaret, captiuarem intellectum in obsequium fidei, nec vlteriùs inquirendum putarem, sed cùm nullo scripturæ testimonio liqueat Deum hæc supra naturam fecisse, hoc ipsum est quod humanis ratiocinijs inquiritur.

126. Quòd si lucem nulli materiæ concretam, à nullo corpore lucido manantem Deus immediatè produxit, quæro quid illā factum fuerit cùm quarto tandem die sol effectus est? eandem numero conseruatam esse volumus, an succedente noua solis luce destructam? si conseruatam dicimus, quot miracula miraculis aduoluuntur? priùs à Sole non pendebat, nunc noua relatione dependet. Quod huius relationis fundamentum? Quomodo lumen inhæsit materiæ, quod antea per se cohærebat? qui nexus? quæ fibula? Sed siue nubi lucidæ primis illis tribus diebus inhæserit, siue quocunque modo cohæserit, semper recurret eadem difficultas, eodem reuoluetur oratio. Si lucem illam Sole producto corruptam esse defendimus. *Vide*, inquit Rupertus lib. 1. de Trinitate & operibus eius, cap. 10. *Vtrùm condignum sit tantæ maiestati, vt cæterorum dierum opera, verbi gratia, Solem, Lunam, & stellas, quæ quarto die facta sunt, & aquarum diuisionem, quæ secundo die facta est, statuerit in seculum & in sæculum sæculi, præceptumque poneret illis quod non præteribit, opus autem primæ lucis tale faceret quod mutato consilio post exiguum triduum, funditus extingueret.* Maneat igitur illud Solem quoad substantiam primo temporis momento esse productum (qui primo quoque tempore lucem ex se naturaliter effuderit, quāuis in Sphæram perfectam non potuerit conglobari, & ex illa vasta congerie rerum euolui) & simul confertim aceruatimque creatas esse rerum omnium substantias qualitatibus omnibus destitutas. Atque hoc, opinor, illud ipsum est, quod ait Propheta.

XXIII. *Terra autem erat inanis & vacua.*

והארץ היתה תהו ובהו. quod Paraphrasis Chaldaica צדיא deserta וריקניא & vacua; sapiētes autem Hebræorum, teste Rabi Dauid: *Terra autem erat* nuda *materia & forma.* LXX Seniores. ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. *Terra autem erat inuisibilis & incomposita.* Theodotion κένωμα καὶ οὐδέν. *Vacuum & nihil.* Aquilas οὐδὲν καὶ οὐθέν.

Vehaarets haiethah thohou vabohou. tsadia verekácia.

Nihil & nihilum; at Symmachus ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον. *iners & indigesta*. Alij *solitudo & inanitas*. Alij aliter transtulerunt. Erat videlicet abyssus illa rerum omnium, propter immensam & impenetrabilem profunditatem sic dicta, interprete Augustino, illa cunctorum elementorum mixtorúmque confusio, illa substantiarum omnium congeries, illud chaos quod & ab Augustino reliquisque Patribus recipitur, & ab ingenioso Poëta luculenter & ingeniosè describitur.

Ante mare & terras, & quod regit omnia cælū,
Vnus erat tantùm naturæ vultus in orbe.
Quem dixere Chaos, rudis indigestáq; moles
Nec quicquā nisi pōdus iners, cōgestaq; eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Quaque erat & tellus, illic & pontus & aer.
Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aer, nulli sua forma manebat, &c.

128. Et sanè, vt auctor est Sanchoniaton Cherytius apud Eusebium lib. 1. πρόπαρασκ. Taautus, quem alij Mercurium Trismegistum fuisse putant, alij etiam Mose multis sæculis antiquiorem esse defendunt, Taautus, inquam, τὴν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη, καὶ πνευματώδη, ἢ πνοὴν ἀέρος ζοφώδους, καὶ χάος θολερὸν ἐρεβῶδες. *Vniuersorum principium ponit aerem caliginosum & ventosum, siue flatum aeris caliginosi, & chaos turbidum ac tenebrosum.* Neque vocem Hebraicā בהו tacuit, sed ait γεγενῆσθαι ἐκ τοῦ κολπία ἀνέμου, καὶ γυναικὸς αὐτοῦ Βάαυ (τοῦτο δὲ νύκτα ἑρμηνεύει) αἰῶνα καὶ πρωτόγονον. *Natos è vento*, colpia siue sinualis sic dicto quòd è miris finibus erumpat. *& vxore eius Baau (quod noctem interpretatur) Æuum & Primogenitum.* Quid si per ventum, flatum, aërem, eum Domini Spiritum intelligat, qui iuxta Mosen ferebatur super aquas, eásque confouebat, eis fœcunditatem impertiens? Neque obstat illa caligo: sic enim Deus lucem habitat inaccessibilem. Vt nihilo seciùs tenebras posuerit latibulum suum, vnde & Ægyptij à Taauto siue Thot eruditi summum Deorum Αμοῦ *Absconditum* nominabant, vt auctor est Plutarchus, opusculo de Iside & Osiride.

129. Quid si Orpheus & nomen agnouit, & rem ipsam suorum mysteriorum integumentis velandam putauit? Ceres quærebat Proserpinam; eam hospitio quædam mulier excepit, Baubo nomine:

--πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξε δὲ πάντα
Σώματος, οὐδὲ πρέποντα τύπον.
--*collegit vestes, omnémque figuram*
Corporis ostendit turpem.

Arrisit Dea, frugésque largita est, vt pluribus narrant Clemens Alexandrinus oratione adhortatoria ad Gentes, & Arnobius lib. 5. aduersus gentes. Quid est aliud Baubo quàm Chaos & בהו Hebræorum? quid aliud eius pudenda quàm inanitas & deformitas? quid aliud risus Cereris quàm fruges & herbæ tertio die promicantes? Sed hæc fortasse leuia sunt, & Theologicis disputationibus indigna: Iam à te, Philoctista, reliquorum Mosis verborum interpretationem expecto.

XXIV. *Et tenebræ erant super faciem Abyssi.*

130. PHILOCT. Quemadmodum enim, vt Gregorij Nysseni Parabolam vsurpem, semina flammæ in venis silicis abstrusa iam insunt quidem, nondum tamen apparent, donec attritu & collisione scintillam excusseris, ita cœli, solísque & stellarum materia, siue ignem aut potiùs florem ex omnibus elementis delibatum dicere velimus cum Platone, siue cum Aristotele quintam essentiam, delitescebat & continebatur illa molis indigestæ confusione, necdum chaos eluctata super abyssi faciem effulserat, hinc factum vt caligo rebus creatis incubaret.

XXV. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

131. SIue Angelum quempiam cum Caietano, siue potiùs ζωτικήν τινα δύναμιν καὶ ἐνέργειαν *viuificam quandam vim & operationem* cum Chrysostomo, siue Spiritum ipsum Sanctum, quem in Trinitate veneramur, interpretere cum Athanasio, Basilio, Ambrosio; siue cum Theodoreto aërem, qui spiritus ob naturam spirabilem, Spiritus Dei propter magnitudinem nuncupetur, vt montes Dei, cedros Dei, ad exaggerandam magnitudinem scriptura passim appellat, quæ expositio magis videtur esse litteralis. Hic, inquam, Spiritus ferebatur super aquas, motitabat se, paulatim se efferebat, palpitabat, contremiscebat, & auium pullis incubantium more aquas molliter confouebat כיונה מרחפת על בניה ואינה נוגעת *Sicut columba incubans pullis, nec eos lædens*, inquiunt auctores Thalmudici libro qui Chagiga inscribitur cap. 2. Imò & Hieronymus lib. de tradit. Heb. Basilius & Ambrosius in Hexaem. Augustinus lib. 1. de Genesi ad litt. cap. 18. ne expositionem

hanc sanè perelegantem Iudæis debere videamur.

132. Commodiùs etiam illi, vt Basilius Homil. 2. infra medium, interpretantur: *συνέθαλπε καὶ ἐζωογόνει τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν, κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιεῖσα τοῖς ὑποθαλπομένοις. Confouebat & viuificabat aquarum naturam instar auis quæ ouis incubat, & viuificam quandam virtutem iis immittit, quæ sub ipsa calefiunt* Et sanè Hugo Cardinalis in 1. Genes. agens de Chao, siue elementorum commixtione, eam cum musto comparat: *Vbi fæx vino permixta est, donec paulatim resideat: sic elementa paulatim loca sua sortita sunt.* Hoc autem ouo columbæ fieri non nemo Satyricus aduertit.

Horat. lib. 2. Sat. 4.

Surrentina vafer qui miscet fæce phalerna
Vina, columbino limum benè colligit ouo:
Quatenus ima petit voluēs aliena vitellus.

Sed hæc animi gratia dicta fuerint, ad grauiora veniamus.

XXVI. *Dixitque Deus.*

Basil. Hexa. Hom. 3.

133. LOquitur Deus non *τῇ ὑπηρεσίᾳ τῶν φωνητικῶν ὀργάνων παραδοὺς τὰ νοηθέντα, vocalium organorum ministerio tradens cogitata*, non vocem per arteriam ad linguæ radices pertinentem emittens, quæ vox cùm inarticulatè profusa peruenit ad fauces, linguæ volubilitate, palati repercussione, allisione dentium, labiorum tum diductione, tum contractione, fingatur in varios sonorum articulos. Non

Ibidem.

sic, inquam, loquitur Deus: hoc enim absurdum fuerit de Deo cogitare. Sed *τὸ ὅσιον βούλημα, καὶ ἡ πρώτη ὁρμὴ τοῦ νοεροῦ κινήματος, τοῦτο λόγος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ. Sancta voluntas, & primus spiritalis motionis impetus, hoc est sermo diuinus*; cùm videlicet rerum ideas & exemplaria, internámque cognitionem, qua verbum intra se ab æterno produxit, operatione, vt loquuntur ad extra, ipsa rerum creatione, distinctione, & ornatu quodam veluti sermone, suo tempore manifestat.

XXVII. *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux.*

In Hexaëm.

134. HActenus confusa illa rerum cōgeries tenebris fuerat inuoluta, *οὔπω γάρ*, inquit Gregorius Nyssenus, *ἐξεφάνη τοῦ πυρὸς ἡ αὐγὴ ὑποκεκρυμμένη τοῖς μορίοις τῆς ὕλης· nondum enim splendor ignis qui sub materia latitabat, effulserat*, & allata silicis imagine, cuius suprà fecimus mentionem, *ἀρτι γάρ*, inquit, *ἀθρόως ἐν τῇ μιᾷ ῥοπῇ τοῦ θείου θελήματος ἀδιακρίτως τοῦ παντὸς ὑποστάντος, καὶ τῶν στοιχείων πάντων ἐν ἀλλήλοις πεφυρμένων, τὸ πανταχοῦ κατεσπαρμένον πῦρ ἐπεσκοτεῖτο τῷ πλεονάζοντι τῆς ὕλης ἐπιπροσθούμενον: nam cum vno diuinæ voluntatis motu nuper indistincta rerum vniuersitas simul extitisset, omniáque elementa inter se concreta permixtáque essent, ignis qui vbique disseminatus erat, obscurus iacebat materiæ abundantia præpeditus atque suppressus: ἐπεὶ δὲ ὀξεῖά τις ἐστὶν ἡ δύναμις αὐτοῦ, καὶ εὐκίνητος, ὁμοῦ τῷ δοθῆναι τῇ φύσει τῶν ὄντων πρὸς τὴν τοῦ κόσμου γένεσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ τὸ ἐνδόσιμον πάσης τῆς βαρυτέρας φύσεως προεξέθορε, καὶ εὐθὺς τῷ φωτὶ πάντα περιηυγάζετο: verùm quoniam vis eius velox atque agilis est, simul atque rerum naturæ ad mundi constitutionem à Deo motus principium, atque incitatio adhibita est, ante illa omnia quæ grauiora sunt, exiliens, lumine cuncta statim illustrauit*

135. Cui adstipulatur Hugo Victorinus in Genes. cap. 6. vt cæteros omittam. *Prima die, inquit, distinxit Deus ignem à cæteris elementis, & hoc est quod ipse dicit, fiat lux, id est, distinguatur ignis à cæteris elementis: fieri enim hoc loco, distingui intelligitur, &c.* Sed ne citra necessitatem cælum & solem, cæteràsque stellas ex igne conflare videamur, quod necesse non est hoc loco decidere, cautè pedetentímque dicamus lucem ita factam fuisse, vt non solùm ignis elementaris, sed multò magis cæli, solis, stellarúmque substantia, quæcunque tandem illa sit, quæ lucem quasi perfectionem naturæ suæ debitam exigebat, eam naturali emanatione produxerit.

136. THEOD. At enim (mi Philoctista) si sol quoad substantiam primo temporis momento creatus fuisset, & lux ex eo naturali emanatione fluxisset, nunquam tenebræ fuissent super faciem abyssi, lux enim in instanti producitur. PHLOCT. Fateor equidem (Theodore) lucem, si per se spectetur, temporis momento produci: tamen temporis successionem requirit, si à motu locali dependeat. Redeat in mentem illa Nysseni parabola. Silices ignem in venis abstrusū naturaliter habent, *διὰ τῆς πρὸς ἀλλήλας συμπλήσεως τὸ πῦρ ἀποτίκτουσας, ignem ex mutua collisione parientes*, non tamen temporis puncto, aut ignis excuditur, aut lux emicat; sed sequitur successionem ipsius motionis, ita quamuis in illa vasta rerum omnium congerie, *τὸ πῦρ τῶν ἑτεροφυῶν στοιχείων ἐκτοξευθεὶν, καθάπερ τι βέλος, ignis ab aliis elementis, tanquàm sagittas ex*

ta ex arcu celeriter emissus, &

Ignea conuexi vis, & sine pondere cæli
Emicuit, summáque locũ sibi legit in arce.

Hæc tamen puncto temporis haudquaquã fieri potuerunt, neque lux ante produci, quàm illa lucida substantia se ex illo aceruo primæuæ confusionis euolueret. Adde quod, vt ait Aristoteles, 2. de Anima, medio, φῶς δέ ἐστιν ἡ ἐνέργεια τοῦ διαφανοῦς, ᾗ διαφανές, *lux est actus perspicui, vt perspicuum est.* Non igitur Sol aut ignis priùs lucem potuit emittere, quàm esset corpus aliquod perspicuum atque pellucidum. Perspicuitas autem, cùm & sit secundaria qualitas, & habeat contrarium, momento temporis producta non est, quæ tamen lucis productionem antecessit.

XXVIII. *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.*

137. EAm nimirum amauit, & approbauit, quasi iam in suo genere perfectam, probéque ad suum exemplar effictam. *Cùm ergo,* (inquit Augustinus, lib. 2. de Genes. ad litteram cap. 6. exeunte) *audimus; & dixit Deus, fiat, intelligimus quòd in verbo Dei erat, vt fieret. Cùm verò audimus, & sic est factum, intelligimus factã creaturam, non excessisse præscriptos in Verbo Dei terminos generis sui. Cùm verò audimus, & vidit Deus, quia bonum est: intelligimus in benignitate spiritus eius, non quasi cognitum, posteaquam factum est, placuisse, sed potiùs in ea bonitate placuisse, vt maneret factum, vbi placebat vt fieret.* Non igitur fecit aquas Deus, quas paulò pòst destrueret & cælum ex iis, quasi mutatâ sententiâ solidaret: non accendit lucem, quam vel Soli paulò post alligaret, vel substitutâ luce Solis extingueret. *Didici* enim, inquit Ecclesiastes, cap. 3. v. 14. *quòd omnia opera quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum:* & v. 15. *Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat, quod abiit.*

XXIX. *Et diuisit Deus lucẽ à tenebris.*

138. CVm enim substantia Solis, atque stellarum obiectam confusionis molem eluctata, tanquam sagitta ex arcu emissa celeriter exiliret, & Solis, φῶς ἀσχημάτιστον, *lux informis* passim dispersa & dissipata fluitaret, séque in omnem partem radiorum instar è corpore globoso prodeuntiũ iacularetur, & circumquaq; diffunderet: effecit Deus, vt (quoniam teste Apostolo) *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate:* & plerique Philosophi specificam inter eas distinctionem agnoscunt) singulæ particulæ ad congenerem sibi substantiam quadam inclinatione naturæ conuenirent, séque in sui quæque generis corpus conglobarent. Quo factum est, vt alterum hemisphærium, vbi solare corpus coalescebat, illustraret dies, alterum, vnde se Solis particulæ contraxerant, nox & tenebræ occuparent.

1. Corinth 15. 41.

XXX. *Factúmque est vespere & mane dies vnus.*

139. VEspere, quo tenebræ fuerunt super faciem abyssi mane, quo Solis substantia ex illa confusióne rerum euoluta, super abyssi faciem effulsit & paulatim in orbem coaluit. Sed iam tuæ sunt partes, opus secundæ diei paucis exponere.

XXXI. *Dixitque Deus, fiat Firmamentum in medio aquarum. &c.*

140. THEOD. Ardua quæstio, & magnis, tum veterum, tum recentiorum altercationibus ventilata, quid per Firmamentum, quid per aquas, quæ super Firmamentum sunt, Moses intelligat. *Quoquo modo autem,* inquit Augustinus, lib. 2. de Genesi ad litterã c. 5. exeunte, *& qualéslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus: maior est quippe scripturæ huius authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.*

141 Putat Origenes, & post eum Gregorij duo, Romanus & Nyssenus, aquarum supercælestium nomine, τὸ τῶν νοητῶν δυνάμεων πλήρωμα, *intelligentiarum, siue potestatum spiritualium plenitudinem denotari.* Sed profectò si sensum litteralem inquirunt, citra necessitatem à genuina propriáque verborum significatione discedunt; si solis allegoriis attendunt, nos litteralem sensum inquirimus. 1. Homil. in Genes. 2. Homil. 10 in Ezechielem. 3 lib de opere sex dierũ.

142. Alij præter orbes stellarum errantium, atque fixarũ superiores cælos, agnoscunt duos, quorum alterum Empyreũ quasi igneũ à lumine; alterum, quia pellucidũ est ac diaphanum, & quasi glaciali soliditate concretum, volunt Crystallinũ vocari, & hoc cælum aquas supercęlestes esse, defendunt. Verùm hi & cęlum nouũ sine necessitate fabricantur: & si hoc cælum quia pellucidum est, Moses aquas appellat, non video, cur non eodem nomine cæteros etiam cælos indigitare possimus. Hos enim pellucidos esse vel ex eo constat, quòd per planetarum orbes lumen à fixarum orbe trãsmittitur, & in ipso stellarum fixarum cælo aliæ aliis insidere cernũtur: & cùm, vt iterũ cum Greg. Nyss. loquar, id Prophetę fuerit institutũ τοῖς αἰσθήσει δεδουλωμένοις χειραγωγῆσαι, &c. *Vt homines sensibus addictos & mãcipatos,* per hæc quæ vidẽtur, ad inuisibilis Dei cognitionem quasi *manu deduceret,* Aquæ super cælos.

cùm neque cælum Empyreum, neque crystallinum, si quod est, oculis vsurpari possint, aut humano ratiocinio deprehendi, nullam huc debuit eorum mentionem obtrudere.

Lib. 2. de Genes. ad litt. c. 4. Alij, quos refert, nec tamen refellit Augustinus, quoniam omne corpus in infinitum secari potest, vapores ex aquis attractos adeo putant posse tenuari, vt non solùm euolent ad mediam aëris regionem, sed etiam supra cælestes siderum orbes efferantur: Sed hoc multis confutat Theologorum Princeps, 1. parte, quæst. 68. art. 2. in C. *tum propter soliditatem cæli*, quam nos rationem haudquaquam admittimus, *tum propter regionem ignis mediam, quæ huiusmodi vapores consumeret: tum quia locus quo feruntur leuia & rara, est infrà concauum orbis Lunæ: tum etiam quia sensibiliter apparet, vapores non eleuari ad cacumina quorumdam montium. Quod etiam dicunt de rarefactione corporis in infinitum, propter hoc quod est corpus in infinitum diuisibile, vanum est: non enim corpus naturale in infinitum diuiditur, aut rarefit, sed vsque ad certum terminum.* Hæc ille.

143. Basilius Magnus Homil. 3. in Hexaëm. supra cælum veras aquas ad temperandum Solis & siderum ardorem, iam inde ab initio à Deo sepositas esse confirmat. Sed quoniam nobis hanc legem præscripsimus, ne qua sine graui necessitate fingeremus miracula, neque sine grandi miraculo (vt etiam S. Thomas aduertit, eadem quæst. ad 1.) aquæ contra naturæ propensionem tot iam sæculis in extrema & conuexa cœli superficie pendere potuerunt, alia nobis explicatio quærenda est.

144. Dicamus igitur, non solùm illam stellarum fixarum sphæram, sed etiam planetarum orbes, & omne illud elementum, quod super terram & aquas extenditur, Firmamentum & cælum in sacra ptura nuncupari. [Firmamentum.] hinc cælum sudum, serenum, tranquillum, volucres cæli, & alia sexcenta. Quid, quod Moses Solem & Lunam in Firmamento positos esse confirmat? non vtique in octaua sphæra. Quid? quod hoc ipso capite infimam hanc aëris regionem cæli Firmamentum appellat? *Producent*, inquit, *aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub Firmamento cæli.* Quibus verbis aërem denotari planè demonstrant LXX. Seniores, κατὰ τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ, *secundum firmamentum cæli.* Quòd si Hebraïcos fontes adeamus, omnino liquebit infimam hanc aëris plagam intelligi על פני רקיע השמים, *super faciem expansionis cæli:* [Al pene rekia ha schamaim.] quod adeo certum habuit Onchelos Paraphrastes Chaldaïcus, cuius summa est apud Hebræos authoritas, vt etiam ipsum aëris nomen huic loco inserendum à Græcis acceperit, על-אפי אויר רקיע שמיא, *super faciem aeris expansionis cæli.* [Al aphe aer rekia schemaia.]

145. Atenim cùm aëris natura adeo liquida sit & mollis, vnde dicamus eum στερέωματος, & firmamenti nomen obtinere? De Hebræo quidem nulla est difficultas: Vocabulum enim רקיע non à firmitate, sed [Rechia.] ab expansione & extensione deducitur. neque enim aliud est Firmamentum, quàm siue cæli, siue aëris inter duos terminos expansio, quæ non possit facilè permeari, vt & exponit Augustinus, & constat è verbis Abrahami, Lucæ 16. ad diuitem illum epulonem. *Inter nos & vos magnum chaos firmatum est.* Cur igitur firmamentum & στερέωμα? non ab illa soliditate, quam Græci ἀντιτυπίαν appellant, nos *vim repercussiuam* dicere possemus, sed quòd pendentes in sublimi nubes admirabili firmitate sustentat.

146. Præclarè Basilius, Homil. 3. ante medium. *Externi*, inquit, στερεὸν, *firmum & solidum dicunt corpus*, τὸ οἷον ναστὸν, καὶ πλῆρες, *quod quasi compactum, & plenum est, quod ad discrimen mathematici corporis ita nominatur. Est autem mathematicum corpus, id, cuius omnis natura solis dimensionibus continetur, latitudine dico, longitudine, & altitudine: solidum verò & firmũ, quod præter dimensiones*, καὶ τὴν ἀντιτυπίαν ἔχει, *etiam vim resistendi obtinet: Scriptura verò familiare est*, τὸ κραταιὸν, καὶ ἐπὶ ἀέρος πολλάκις καταπυκνωθέντος τῇ φωνῇ ταύτῃ κεχρῆσθαι: *quod robustum est, neque cedit, firmamentum vocare: adeo vt de aëre condensato hanc vocem frequenter vsurpet; veluti cùm ait*, ὁ στερεῶν βροντὴν, *qui firmat tonitru. Soliditatẽ enim & resultum spiritûs intra nubium cauitates comprehensi, eo quòd inde se violenter erumpant, strepitus tonitrua facientes, firmamentum tonitrui scriptura nuncupauit: & nos etiã hoc loco arbitramur:* ἐπί τινος στερρᾶς φύσεως στέγειν τοῦ ὕδατος τὸ ὀλισθηρὸν, καὶ εὐδιάλυτον ἐξαρκούσης τὴν φωνὴν ταύτην τετάχθαι: *de solida quadã natura, quæ lubricã & labilẽ aquæ naturã facilè sustineat, hanc vocem vsurpari.*

147. Quis enim non miretur nubes adeo graues, adeo solidas, coactas, & compactas, ita pendulas in aëre natura, tam molli tam tenera sustineri: vt nõ nisi guttatim & quasi cribro percolatæ distillent, quæ si vna ruina procũberent in terras, opprimerent & consternerent vniuersa? Quæ sunt illæ destinę, qui tibicines, quæ crepidines, quibus aquæ, quasi lacus pensiles in aëre sustinentur? Ille nimirum, ille Deus, qui, vt ait [Cap. 5. v. 22.] Ieremias, posuit arenam terminum mari,

præceptum sempiternum, quod non præteribit, & commouebuntur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud: Ille, inquam, *qui circumdedit mare terminis suis, & posuit vectem & ostia, & dixit vsque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* Ille nubes subiecto aëris firmamento suspēdit. Quidni igitur cælum diuidens aquas ab aquis, hunc ipsum aërem esse dicamus, qui inter vapores humidos, vnde superiùs nubila conglobantur, & maria subterfusa dispanditur? *Hanc ego diligentiam, considerationémque laude dignissimam iudico*, inquit non pessimus talium rerum æstimator Augustinus: *Quod enim dicitur, neque contra fidem est, & in promptu posito documento probari potest.*

Iob 38. v. 10. 11.

Lib 2. de Genes. ad litt. c. 3.

148. PHILOCT. Atenim, si nihil aliud aquarum super-cælestium nomine, quàm vapores intelligi voluit Propheta: quid attinuit alieno, vt videtur, loco, in hanc elementorum seriem, vaporum & nubiū mentionem inijcere. THEOD. Scribebat Iudęis rudibus & imperitis, qui sensibus penitus immersi, aliud existere credebant nihil, nisi quod aut manibus palpaterēt, aut oculis spectarent, aut alio sensu corporis vsurparent, ac proinde spatium terras inter & stellas interceptum vacuum esse censebant, vt etiā nunc plerique censent idiotæ. Hoc igitur argumento obiter, & quasi per transennam elementum aëris esse demonstrat; quòd aquæ ab aquis diuisæ, in vapores tenuatę, & rursus in nubes densatæ pendeant inter cælum & terram: pendere porrò non possint, nisi subiecto aëris Firmamento, velut quodam adminiculo fulciantur. Sed iam reliqua prosequamur.

XXXII. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida, &c.*

149. PHILOCT. Vidimus hactenus cæli stellarúmque substantiam, & elementa duo, ignem & aërem, ex illo cumulo primæuæ confusionis exempta; restabant alia duo, terra & aqua, quæ partim à cæteris in medium contrusa, partim sua pte grauitate depressa, quasi fæx quædam naturæ, cum suis metallis, gemmis, lapidibus, plantis, animantibus nondum naturæ suæ perfectionem assecutis, in imo subsederant quidem, nondum tamen à se inuicem secreta fuerant, & separata. Atque vt parabolam Gregorij Nysseni rursus vsurpem: quemadmodum si quis in vno & eodem vase, aquam, oleum, argentum-viuum confundat, & commisceat: vbi mixtio resederit, primo quoque tempore hydrargyrum, guttis sui generis è tota mixtione confluentibus, ad ima subsidet propter insitam grauitatem, deinde supernatabit oleum ob leuitatem, & aqua mediam inter vtrumque sortita naturam, medium occupabit: Ita in hac primæua confusione, primo statim creationis die pars materiæ defæcatior, ignis videlicet & substantia cælestis ob inditam leuitatem, & naturæ, vt sic loquar, actiuitatem, super abyssi faciem effulsit; altero die aër igne quidem grauior, sed cæteris elementis agilior, ab aqua terráque seiunctus explicuit se, & inter cælum, & infima elementa diffudit. Tertio tandem die aqua quidem à terra seiuncta est, & guttæ quæ superioribus diebus è tota confusione confluxerant, in vnum coïerunt: terra suis in se nutibus conglobata, & ex omni parte paribus examinata momentis, in vniuersi medio conquieuit.

150. Sed quia propter innatam duritiem in perfectam & geometricam Sphæram coalescere non poterat, fieri non potuit, quin aliud esset eminens, aliud lacunosum, aliud extuberaret in montes, aliud subsideret in valles & voragines, aliud se in camporum planitiem explicaret. Atque ita factum, vt, quoniam natura vacuum abhorret, in lacunas illas aqua succederet, & congregaretur vnū in locum, vnum, inquam: siquidem omnia maria, Mediterraneum, Balticum, Pontus-Euxinus, Sinus Arabicus, Persicus, Gangeticus ab Oceano suam originem accersunt, & mare Caspium ab eodem Oceano, per Pontum fortasse Euxinum, subterraneis meatibus oriri: si nihil aliud, certè huius loci euincit authoritas.

151. Iam congregatis aquis in terræ ciuitates, necesse fuit, vt arida terræ superficies appareret, hominum habitationi destinata, & detectâ terræ superficie, omne virgultum agri, quod fecerat Deus, antequàm oriretur in terra, & omnis herba regionis ab eodem creata, priusquam germinaret, protuberare & promicare cœperunt: εἱρμός τις, inquit Nyssenus, ἀναγκαῖος κατά τινα τάξιν ἐπηκολούθησεν, ὥστε τὸ πῦρ προλαβεῖν μὲν, καὶ προεκφανῆναι τῶν ἄλλων τῶν ἐν τῷ παντὶ θεωρουμένων, καὶ οὕτω μετ' ἐκεῖνο τὸ ἀναγκαίως τῷ προλαβόντι ἑπόμενον, καὶ ἐπὶ τούτῳ τρίτον, ὡς ἡ τεχνικὴ συνηνάγκαζε φύσις. *Necessaria quædam series ordine quodam consecuta est,*

vt ignis primum locum occuparit, & ante cætera omnia, quæ in hac vniuersitate spectantur, effulserit. Deinde post illum quod necessitate quadam naturali præcurrentem ignem sequebatur, deinde tertium, vt artifex natura cogebat.

XXXIII. *Soluuntur aliquot obiectiones.*

152. THEOD. Nonnulli sunt, mi Philoctista, ad quæ volo vti mihi respondeas, ac primùm illud, cur herbæ citiùs quàm pisces & serpentes, & volucres: istæ citiùs quàm quadrupedes exierint in lucem: cùm enim naturaliter fieri dicas, debeo Physicam dictorum adferre rationem.

PHILOCT. Facilis & expedita ratio est. Simplicior est natura plantarum: at ad animalium perfectionem illa carnis, ossium, musculorum, tendonum, vertebrarum, commissurarum, venarum, arteriarum diuersitas plus temporis exigebat. Piscium autem & auium productio, quibus & minor est organorum varietas, & materia sequacior, obsequentiórque naturæ artifici, cæterorum animalium productionem antecessit.

153. THEOD. Plantas & potissimum arbores videmus multis mensibus egere, vt ad debitam naturæ proceritatem perueniant: qui factum putemus, vt iam adultæ fuerint tertio die & protuberarint in fructus? PHILOCT. Arbores postquam è terra pullularunt, nutricari debent, augeri, nouásque materiæ partes paulatim acquirere, quod fieri non potest exiguo temporis interuallo; at plantæ primo creationis momento productæ, omnem materiam iam inde ab initio habuerunt, quam in statu perfectionis habere debuerunt, ideóque tantum temporis à prima creatione ad earum eruptionem intercessit, quantum necessarium fuit, vt radicum, ramorum, trunci, corticis, foliorum figuram, cæterásque qualitates naturæ suæ debitas per naturalem emanationem acquirerent, quod nemo dubitet exiguo temporis interuallo fieri potuisse.

154. THEOD. Illud videri possit obscurius, quî tandem naturali via fieri potuerit, vt plantæ ex omni rerum massa collectæ vno die citiùs quàm Sol & Luna, cæteræq; stellæ ad locum naturæ suæ conuenientem deuenerint, cùm præsertim tanta sit stellarum velocitas, cùm tam incredibili celeritate vel potiùs tam insana & supra omnem cogitationis humanæ captum torqueantur, vt quatuor & viginti horarum spatio totum Sphæræ suæ girum obeant, & earum nonnullæ, si Mathematicis credimus, verbi caussa quæ sunt circa cingulum Orionis, eo temporis interuallo quo semel recitaretur salutatio angelica, plus itineris conficiant, quàm si propinquiore & interiore giro terram libantes eius ambitum septies circuirent. Quonam igitur pacto plantarum illa pullulantium eruptio Solis & stellarum productionem antecessit?

155. PHILOCT. Neque hîc difficilis est & intricata responsio. Plantæ sunt animatæ, anima est actus corporis organici, ac proinde organa siue partes heterogeneas aptas ex sese & colligatas, quoad substantiam exigebat. Solaris autem corporis, & stellarum particulæ, cùm homogeneæ sint, nullúmque inter se ordinem importent, non fuerunt primo creationis puncto, nexu mutuo colligatæ. Solis autem illa substantia (quod de alijs quoque stellis intelligi volo) simul & semel ciebatur diuersis motibus & pene contrarijs, qui celeritati eius obstarent. Nam & eius particulæ tota primæuæ confusionis abysso dispersæ eluctabantur, séque ab aliis naturis abrumpebant, & vndecunque collectæ in vnum globum ingentem confluebant, & ad Sphæram suam motu recto tendebant, & motu circulari diem noctémque referebãt.

156. THEOD. Quid? quòd, vt dicitur Deuteronomij 32. v. 4. *Dei perfecta sunt opera*: non autem perfecta fuerunt, si perfectionem qualitatum materiæ deformitas vel puncto temporis antecessit?

PHILOCT. Respondet Doctor Aquinas *non fuisse hoc ex impotentia Dei, sed ex eius sapientia, vt ordo seruaretur in rerum conditione, dum ex imperfecto ad perfectum adducerentur.* Neque verò loquitur Moses de operibus creationis, prout in principio constiterunt, sed de consiliis eius & prouidentia, præsertim de perductione Israëlis ad terram Promissam, quæ rectè perfecta nondum erat, cùm ista loqueretur. Sed vt hunc Cantici Mosis versiculum tam rerum creationi quàm gubernationi quadrare faciamus, *Dei perfecta sunt opera*, id est Deus *attingit ad fine ad finem fortiter*, sed hoc non officit quo minùs *disponat omnia suauiter*, & in prima rerum molitione creaturas suas paulatim ex statu imperfecto ad perfectionem naturæ perduxerit, & quidem via naturali, prout ipsius prouidentiæ suauitas exigebat.

1. parte. q. 66. art. 1. ad 1. in contrariũ.

XXXIV. *Cur homo non simul conditus est cum cæteris rebus creatis.*

157. THEOD. Nihil video superesse, nisi vt caussam exponas, cur cũ omnia simul creata diceres, vnam animam humanam exceeperis. PHILO. Id apertè definir, vt iam vidimus, Concilij Lateranensis authoritas: Deum videlicet simul in principio temporis vtramque crearuram spiritalem & mundanam de nihilo condidisse: ac deinde humanam è corpore & Spiritu constitutam. Sed hoc, opinor, quæris, vnde Patres hominem post cætera conditum esse collegerint. Dicerem aliam animæ caussam fuisse, aliam rerum cæterarum. Quod ad cætera pertinet, Deus creata conseruat vel singularum specierum indiuidua per generationem propagat. Non creat nouam materiam, non formam, non angelum Consentaneum itaque fuit, vt simul & semel illo creationis munere defunctus se deinceps à creandis corporibus & angelis abstineret; at hanc ipse sibi legem præscripsir, vt quoties embryonem corporis humani suis partibus & organis absolutum videret, animam & infundendo crearet, & creando infunderet. Nihil itaque caussæ fuit cur integritatem perfectionémque corporis humani animæ creatione occuparet.

158. Sed hæc humana ratiocinia satis esse non possunt vt Ecclesia quicquam fide credendum definiat. Præter momenta rationum: scripturæ testimonia requiruntur, Sic ni fallor, è scriptura colligebat. Adam & Eua eodem die creati sũt; sed Eua creata est die sexto. Ergo & Adamus. Quod cùm de corpore dici non possit (non enim illud è nihilo productum, sed Adami corpus è limo terræ, primo die creatæ, corpus Euæ ex Adami costa formatum est) de anima necessariò debet intelligi. Vtrumque autem eodem die creatum liquet è capite 5. ineunte. *Hic est liber generationis Adam. In die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, masculum & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.* Quemadmodum è cap. 2. v. 4. res cæteras esse collegerat: *Istæ sunt generationes cœli & terræ quando creata sunt: in die quo fecit Dominus Deus calum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priúsquam germinaret.* Euam porro non ante sextum diem creari potuisse, vel inde liquidò probatur, quòd animalia priùs ad Adamum adducta sunt, vt nomina singulis secundum cuiusque naturam imponeret, quæ ante quàm sexto die suis qualiraribus vestirentur, nec adduci, nec ab Adamo nosci potue runr.

159. Quod ad humanum corpus spectat, si elementa manent actu in mixto, si sunt in animantium corporibus formæ, quas vocant partiales carnis, ossium, venarum, sanguinis & cæterorum huiusmodi, si forma quædam est corporeitatis humanæ ab anima distinctæ, quæ partiales illas formas contineat, & quasi communi nexu deuinciat, vt plerique philosophantur, caussæ nihil esse video quo minùs primo creationis momento tum formis partialibus, tum illâ formâ corporeitatis instructum, quod deinde figuram, speciem, cæteras naturæ suæ debitas qualitates emanatione naturali produceret, cum cæteris omnibus conditum esse fateamur.

160. Quamuis non displicet illa meditatio non inelegans Eugubini, quam video viris eruditissimis placuisse. Putat Dei filium priùs sibi figuram humanam finxisse, eam ipsam videlicet, quam assumpta carne, plenitudine temporũ euoluta erat, habiturus, vt animam humanam ad suæ diuinitatis imaginem, humanum corpus ad illius quod olim assumpturus erat, similitudinem effingeret. *Accessit ergo*, inquit, *filius ac Verbum Dei, ad creationem humanam in forma, imagine, habituque humano, gerens speciosissimam diuinissimámque formam, & iucundissimam, omnium humanarum formarum pulchritudinem superantem:* & paucis interiectis. *Videbat eum se creantem, manúsque sibi admolientem fingentémque manibus, manus suas & corpus. Talẽ speciosissimam inenarrabilis venustatis formam, vt Petrus in monte, sic Moses in rubo intuens expauit lumine circumfusus, textisque vultum: talem postea vidit in monte Sina: talem vidit Abraham, cùm loqueretur cum eo: ideo & gausus est.* Etirerum. *Cùm fingeretur homo, manus illas diuinas adspexit, ambrosiósque vultus illos, pulcherrima brachia corpus suum fingentia, singulósque artus ducentia.* Quæ si vera sunt, formauit Deus caput humanum, *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, prius quam cætera corporis membra figularet. Ne, quod obiicit Salianus, ponamus Adamum fuisse antequam esset, quomodo enim videbat, nisi per corpus? factum ergo iam erat vt videret: nec tamen fiebat, si iam factum erat.

In Cosmop. folio 46.

XXXV. *Recapitulatio.*

161. THEOD. Hactenus ita textum exposuimus vt neque discesserimus à propria significatione verborum, neque vllum induxerimus miraculum, præter ea duo quæ planè necessaria fuerunt, vt Deus & materiam è nihilo crearet, & ex eius potentia sine præuiis dispositionibus formas substantiales educeret. Omnium rerum substantiam, cùm ab hominis anima discesseris, primò momento temporis simul esse productam probauimus auctoritate scripturæ, Concilij Lateranensis, Hebræorum, Græcorum, Latinorum, ratione, & incommodis quæ ex aduersariorum sententia consequuntur. Sex diebus creationem rerum sequentibus ipsæ rerum substantiæ qualitates perfectionésque naturæ suæ debitas, setiùs, ociùs, secundum cuiusque naturam emanatione naturali produxerunt: quibus instructæ ad naturalem locum inclinatione naturæ contenderent.

162. Primo igitur die ignis emicuit, & facta est lux, & aër ferebatur quidem super aquas, sed ferebatur duntaxat, nec ante secundum diem chaos eluctari potuit, & ad statum naturalem peruenire. Secundo die ignis & aër, qui ex Chao se pridie proiecerant, perfectè fuerunt extensi, & factum est tam aëris quàm ætheris & cæli firmamentum. Tertio die aquæ sunt in vnum locum congregatæ, & ab arida separatæ, & plantæ quæ primo momento creatæ fuerant cum elementis, sed latuerant hactenus, è terra pullularunt. Quarto die stellæ factæ sunt, quia minori tempore partes homogeneæ singularum stellarum toto confusionis aceruo dispersæ non poterant conuenire inter se, & cum aliis in vnum stellæ corpus conglobari. Quinto die pisces & volucres prodierunt, tardiùs quàm plantæ, quia cùm maiore partium varietate constent, plus temporis requirebant, vt forma substantialis singularum, quæ ex materia nuda primùm educta fuerat, conuenientia sibi membra per qualitates & dispositiones naturaliter ex ipsa manantes effingeret, atque formaret. Sexto demum die bestias terra produxit, setiùs quàm aqua pisces, & aues, quia terra minùs est sequax & obsequens artifici naturæ materia, quàm aqua vel aër, quæ duo in piscibus & volucribus tenere videntur principatum. Restabat homo diuina quasi manu fingendus è limo, quia eius anima non præextiterat in rerum materialium, confusione, ac proinde necesse fuit vt eum exterius agens effingeret: nisi si dicere volumus, fuisse quandam formam corporis humani, formásque singulis partibus attributas, quæ se ipsas ad figuram, debitamque naturæ suæ perfectionem naturali emanatione perducerent.

XXXVI. *Conciliantur antilogiæ initio propositæ.*

163. ITaque, *qui viuit in æternum, creauit omnia simul*, sed qui omnia vno momento creauerat, ea sex dierum interuallo digessit, suis qualitatibus ornauit, & ad naturæ perfectionem adduxit. *In principio creauit Deus cœlum*: sed illud ipsum cœlum sidereum quod principio creauerat, à reliquorum corporum concretione seiunctum secundo die huic rerum vniuersitati circumdedit: vel aërem inter aquas inferiores, & superiores aquarum vapores expandit. Dies tres ante solis in cœlo positionem illuxerant: sed eos sol idem, quamuis adhuc informis, nulláque certa figura comprehensus inuexerat.



SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER SECVNDVS.

THEOPHRASTVS, SIVE DE FLVVIIS ET LOCO PARADISI.

INTERLOCVTORES.

THEOPHRASTVS, PHILOMATES, &c.

PRÆFATIO.

PHILO. Atqui, mi
1 Theophraste, non decet quæ vel ex antiquorum monumentis acceperis, vel ipse cōmentando reperceris, ea tamdiu sodalibus tuis inuidere. THEO. Quorsum ista, mi Philomates? PH. Ἐκ δέ σε πῦρ, οἴμαι, ῥᾷον ἄν τις ἐκτρίψειεν, facilùs, inquit ille, quis ex te scintillam tundendo excuderit, quàm interrogando liberalius dictum, & vel minimam scripturæ enarrationem exsculpserit. Ac, vide quantum inter tē ac nescio quem togatum sapientem, intersit. Is omnia cupiebat in Lucilium suum transfundere; tu è tuis fontibus nihil pateris ad amicos tuos effluere. Ille, *Si cum hac exceptione*, inquit, *mihi detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec aliis enuntiem, reiiciam.* Tu, si cum hac exceptione tibi detur, vt eam aliis impertias, nec quasi Rabbinorum cabbalam, orgia Liberi, Cereris mysteria, teneas inclusā, & vel Orci galea, vel annulo Gygis obtectam, reiecturus eam videris. *Nullius*, inquit ille, *boni sine socio iucunda possessio est.* Te (bonâ veniâ me audies) nihil quod sit amicis commune, delectat, tantúmque sapientiæ tuæ decessurum putas, quantum ad tuos familiares accesserit Tamen, vt scias, alia ratio est erogandæ pecuniæ, alia communicandę scientię Nam pecuniam qui retinet, non erogat; qui erogat, non retinet: scientiam & qui communicat, retinet; & qui habet, non solum sine inuidia, sed etiam sine detrimento communicat.

Senec ep ..

Vt homo cùm erranti comiter monstrat viam, Ennius.
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,

Vt nihilominus ipsi luceat, cùm illi accenderit. Quanquam hic etiam imago deficit: non enim tantum nihilo tibi lucebit minùs, sed etiam eò magis tibi lumen accrescet, quanro mihi copiosius interpretationis tuæ lumen infuderis. Etenim qui sibi soli studet & Musis.

Homer. *Χείλεα μέν τ' ἐδίην', ὑπερῴην δ' οὐκ ἐδίηνε.*
Labra rigat, sed non perfundit rore palatum.

Neque vlla compendiosior ad scientiam via, quàm si quæ ptiuato studio didiceris, alios docere instituas. Sic enim frequenti tractatione, velut attritu magis magisque splendescent, & altiùs imbibentur, quæ priuatis illis commentationibus animi superficiem duntaxat infecerant.

2. T H. Ingenuè loquar. Philomates. Si qua est in me facultas, si qua diuinarum rerum notitia, quam exiguam, vel potiùs pene nullam esse fateor, eam neque tibi, neque cuiquam inuideo. Sed eruditior mihi videris quàm vt ausim tecum de diuinis literis disputare. Nimius es in Rabinorum ineptijs, nimius in figmentis ac fabulis poëtarum, qui si ad aliud literarum genus animum appulisses, aut has ipsas Rabbinorum ac Poëtarum argutias moderatiùs adhibetes, poteras ad ipsa veritatis adyta penettate. Hæc enim quæ tantopere te delectant, obscuris adeo lucem non afferunt, vt etiam perspicuis caliginem obducāt. Vel hæc oratio tua, qua mihi vt aliquid de scripturis exponerem, persuadere conatus es, quantas habet rerum ac verborum offucias? cùm vno verbo commodissimè dicere potuisses te pro mutua inter nos beneuolentia rogare; vt hunc vel illum scripturæ nodum exoluerem, parum te disertum fore putasti, nisi centonem quemdam ex Homero, Ennio, Seneca, Xenophonte consuerés; Cabbala, Orgia, mystetia, Ceres; Liber, Orcus, Gyges, sollicitandæ fuerunt omnium artificum officinæ, cudendum fuit, sculpendum, alia sexcenta, quæ, vt dixi, non tanrùm obscura non illustrant, sed etiam claris ac dilucidis ter. ebras offundūt. P H. Non poterit sic abite, quin abs te aliquid vel precibus exorem, vel pipulo & conuicijs extotqueam. T H E O. Quid igitur meteas, vt dum sancta & diuina tractamus, tu interim ab Hebræorum delicijs, & anilibus fabulis abstineas orationem tuam? P H I L. Id equidem me facturum esse sanctè recipio, mi Theophraste; nec aliud Silentij pretium exposco quàm vt tu ad quæsita respondeas. T H. Age sanè.

III. *Vtrum ad Gentiles Poëtas ac Philosophos aliqua Paradisi fama peruenerit.*

3 PH. Vnum est quod ex te scire magnopere desiderem, quid censeas de loco Paradisi. T H. Video quid moliare. Philomates. Per aliam viam eò redis, vnde te deduxeram. Cogis me ad Poëtas, Philosophos cæterósque scriptores antiquos orationem deflectere. P H I L. Quid igitur? An ad gentiles siue Poëtas siue Philosophos, aut Paradisi, aut omnino Iudaicarum rerum fama dimanauit? TH. Iosephus in Appionem, Aristobulus apud Eusebiū, Eusebius ipse de præparatione Euangelica, l. 11. 12. 13. Iustinus exhortatione ad Græcos, & alibi, Tertull. Apologetico cap. 21. Firmicus de mysteriis profanatum religionum, & alij passim multis ostendunt veteres tum Philosophos, tum Poëtas è sacris diuinarum scriptutarum oraculis multa sumpsisse.

4. Et ne longiùs abeamus, quis illo *Διὸς κῆπος, Iouis hortus* in Platonis conuiuio? putas aliud quàm ipsum Paradisum intelligi? PH. Ita saltem Eusebius exponit. TH. Quid illa in eodem conuiuio fabella, quam narrat Aristophanes, de Androgyno, & facta in virum & fœminam sectione? hinc mutuus amor hominibus innatus, *καὶ τῆς ἀρχαίας φύσεως συναγωγεύς, καὶ ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν, & priscæ naturæ conciliator, & annitens vnum è duobus efficere.* Ecquid non ad Euæ productionem, & ad illa verba: *masculum & fœminam creauit eos. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*; tibi videtur alludere? PHIL. Omnino. TH. Vnde porro illa eiusdem Platonis in Politico descriptio primorum hominum quos ipse *γηγενεῖς, è terra procreatos* appellat? *fructus verò*, inquit, *illis & poma & fruges al unde arbores & fertile solum sponte sua absque agricultura opera suggerebant, γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι, nudi verò & sine stragulis, &c.* PH. Quis eum dubitat primorum parentum vitam in Paradiso voluisse describere? TH. Vis & aliud ex eodem attexam? PHIL. Mihi verò nihil poterit esse iucundius. TH. *Cùm*, inquit, *eam facultatem haberent qua possent non solùm inter se ἀλλὰ καὶ θηρίοις διὰ λόγων συγγίνεσθαι. Sed etiam cum bestijs miscere sermonem*, ecquid non vides hic serpentis & Euæ sermonem viuis coloribus expressum?

Genesis 1. v. 27.
Gen. 2. v. 24.

ſum? P H. Nullus abs te diſſentio. T H. Quid apud Hometum hortus Alcinoi? quid fons ille qui ἀνὰ κῆπον ἅπαντα σκίδναται, *toto diffunditur horto*? P H. Quid attinet plura ſubnectere? iam mihi planè eſt perſuaſum quod nemini intrudi poſſe arbitrabar. Quare, ſi placet, iſta relinquamus, & quæſtionem de loco Paradiſi, & veterem & variis tum antiquorum tum recentiorum altercationibus iactatam oratione ventilemus. Quid enim mihi poteſt eſſe iucundius, quam vt audiam de tanta re, quid ſentias?

III. *Conciliantur* LXX. *Interpretes cum translatione communi.*

5. T H. Eò difficilior eſt iſta quæſtio, quod in interpretatione, LXX. ſeniores, vt videtur, à Latina tranſlatione diſſentiunt. P H. Vis igitur vt recitentur verba textus primarij? T H. Age ſanè P H. *Et plantauit Dominus Deus* גן בעדן מקדם *gan-beeden mikkedem*. T H. Quid hic aiunt LXX. Interpreres? P H. *Plantauit Deus* παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατ' ἀνατολάς. *Paradiſum in Edem verſus Orientem*. T H. Quid noſter? Gen. 2. 8.
P H. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis ab initio*. Verùm, mi Theophraſte, hæc frontibus aduerſis inter ſe pugnantia quis conciliet? Quis verſiones duas adeo diſſidentes vna interpretatione deuinciat? T H. Facilis eſt & expedita ratio. P H. Facilis autem? T H. imò facillima; verbis diſcrepant reipſa conſentiunt. Edem nomen eſt voluptatis ac deliciarum; vnde & Græcum ἡδονῆς nomen deductum eſt. Et Latinus cap. 4. v. 16. Vocem Edem reliquit intactam, & LXX. viri Παράδεισον τῆς τρυφῆς, *Paradiſum voluptatis*. cap 2. v 15. tranſtulerunt. Idem nimirum eſt, Plantauit Deus Paradiſum in Edem, atque plantauit in deliciis, vel potiùs in loco diuitiis omnibus, ac voluptatibus affluente.

6. P H. Quid illud quòd Latinus *à principio*, Græci *verſus Orientem*? T H. Si rem volumus ſuffragiorum numero decidere, penes Latinum erit victoria: fauebunt Symmachus, Theodotion, Aquila, quos Hieronymus laudat in traditionibus Hebraicis Primus ἐκ πρώτης, *à prima*, videlicet mundi conſtitutione: alter ἐν πρώτοις, in primis: tertius ἀπ' ἀρχῆς, *à principio*, die nimirum mundi tertio, cùm iuſſit Deus vt arbores è terra pullularent. Niſi forte audiendum putas Hieronymum, non tam ex ſua quàm ex Hebræorum traditionibus, aſſerentem ex hoc loco Paradiſi plantationem prima cœli ac terræ conditione an- 4. Eſdr. ca. 3. v. 16.
tiquiorem manifeſtiſſimè comprobari. P H I L. Ego verò audiendum non puto, licet hoc ipſum in quibuſdam apocryphis inuenerit.

7. T H. Sed quorſum iſta? quid opus eſt ambire Tribus Interpretum, ſuffragiorúmque pũcta colligere? cùm etiam in hac parte, LXX. viri cum Latino planè conſentiant. & ſiue κατ' ἀνατολάς, ſiue *à principio* dixeris, in eundem ſenſum reuoluatur oratio? P H. Eundem? T H. Quidni? Poſſunt enim tum principium, tum ἀνατολή, non ſolùm ad tempus, ſed etiam ad locum, certámque mundi plagam, vnde ſol motus diurni ſumit initium, pertinere. P H I L. Iam igitur habemus, Paradiſum in Oriente fuiſſe conſtitutum. T H. Habemus ſanè, Nam, vt conceptis verbis teſtantur LXX. ſeniores, *plantauit Deus Paradiſum in Eden, verſus Orientem*. Sed heus tu Philomates! Verendum eſt ne quòd iam apprehendiſſe ac tenere videbamur, repente nobis è manibus euaſerit. P H. Quid ita? T H. Poteſt Gallia vel cum Hiſpania, vel cum Germania comparari. Nónne? P H. Fateor. T H. Si cum Hiſpania comparetur, ad ſolem vergit Orientem. P H. Veriſſimè. T H. Quid ſi cum Germania? P H I L. Ad ſolis occaſum. T H. Quid ſi cum Græcia, Syria, Perſide, Bactris, Indis Orientalibus, ipſis denique Sinis eadem Gallia conferatur? P H. Multo magis vergere dicetur ad Solem occaſum T H. Quid ſi Hiſpaniæ ſitum deſcribere velimus, habita regni Peruani vel Mexicani ratione? P H. Hiſpaniam dicemus eſſe gentibus illis Orientem. T H. Cùm ſol ab America recedit, ad quas terrarum plagas eum dicemus accedere? P H. Ad Sinas, opinor, qui noſtri comparatione dicebantur ad Ortum conſtituti T H. Cùm igitur nulla ſit terrarum plaga, quæ ſimpliciter & abſolutè vel Oriens vel Occidens dicatur, & diurnus ſolis curſus nullum finem habeat, nullum principium, ac proinde tam Oriens quàm Occidens pro diuerſitate terrarum varietur, nihil à nobis hactenus inuentum eſt, niſi deprehenderimus certam mundi plagam, cuius habita ratione Paradiſus dicatur ad Orientem conſtitutus.

Sed ecce commodùm ad hanc Bibliothecam, dum inter nos fabulamur, acceſſimus: Eccum magni auctores qui certum Paradiſi locum definiant? Vis igitur vt referamus ad Senatum, Patréſque conſcriptos paucis conſulamus?

IV De loco Paradisi variæ Doctorum sententiæ.

Lib de plantatione Noe. 8. AGe igitur Philo. quid censes? PHIL. Paradisum non in terra, non in cœlo, sed in sola sapientis mente positum esse pronuntio, *atque id si accipiatur de vitibus, & olearum, malorum punicarum, similiumque arboribus,* πολλὴ καὶ δυσθεράπευτος εὐήθεια, *magna est & incurabilis stultitia.* TH. Bona verba. Tu verò, Origenes, de loco Paradisi quid censes? ORIG. Non in terra, sed in tertio cœlo situm esse Paradisum: ibi animas peccasse, priusquam corporibus iungerentur: eiectas è Paradiso siue de cœlo detrusas, ac vestibus pelliceis indutas, id est corporum vinculis alligatas vt tanquam in carcere & neruo peccatorum suorum pœnas exoluerent. (Apud Epiphan. hæres. Orig.) PHILOMATES. Quid ais, vile silicernium? adeóne deliras vt etiam toto cœlo exorbites? Non vides te cum Philone tuo solis allegoriis intentum historicam subuertere veritatem, cœlum terrámque miscere, è cœlo Tigrim & Euphratem elicere, Æthiopas & Assyrios cœlo transcribere? THEOD. Bona iterum verba, Philomates. Libro de Engastrimytho. Nam tametsi meritò reprehensus est ab Eustathio Antiocheno quòd historiam de Paradiso μύθους & fabulas appellarit, scripturam passim ad sensus allegoricos euersa literæ veritate detorserit, totúmque, vt ait, mundum ἀμέτρου φλυαρίας, *nugis immensis* impleuit (quas etiam ob caussas tandem ab Ecclesia proscriptus est) magis tamen flere libet ac lamentari, cùm hominem florentem ingenio, doctrina limatum, fidei confessione sublimem tam grauiter errasse & in suis cogitationibus euanuisse videamus.

9. Vos verò Rabane & Strabe de situ Paradisi quid censetis. STRABVS. Eum dicimus in edito loco positum ad ipsum Lunæ circulum assurgere. PHI. Næ vos paulo quidem Origene modestiores! iisdem tamen vos interrogationum laqueis implicatis. Quid verò Alensis? quid Abulensis? ABVL. Eum ponimus supra mediam aëris regionem. THEOPHR. Quid? in aëre vacuo pendentem, an in aliquo montis editioris fastigio situm esse decernitis? Si in aëre, iam quidem habemus Aristophanis Νεφελοκοκκυγίαν, sed tamen, ὦ θαυμάσιοι, dicite quæso quibus illa momentis sustentata, quibus libramentis examinata suspenditur? Si in montis fastigio, Homericum habemus.

Olympi.
Culmen, vbi sedes est inconcussa Deorum, 7. Odyss.
Vt perhibent, quò non imbres, non fluminis auræ
Perueniunt sparsaque niues, sed luce nitenti
Candida semotis aperitur nubibus æthra.


Te, mi Philomates, si forè Latina tibi stomachum mouent, ipsam Odysseam adire, fluentémque nauseam verbis Homericis coërcere nemo prohibebit. Reuertor ad Episcopum Abulensem. Si Paradisum statuis in aliquo montis vertice, qui fit vt mons tam altus, tam exaggeratus se mortalium oculis subducat? PHIL. Quid si Damascenus cap. 22. libri 2. de fide Orthodoxa Paradisum πάσης τῆς γῆς ὑψηλότερον, *omni terra editiorem* appellat? Quid si Basilius Magnus oratione de Paradiso ἐν περιόπτῳ κείμενον ἀνεπισκότητον δι' ὕψος, &c. *in eminenti, & conspicuo loco positum ob altitudinem nulla obscuritate obductum, omnium siderum exortu refulgentem, illustratum vndecunque iucundissima horarum temperie vestitum, aëre purissimo circumfulgentem* appellat? Quid si, vt alios omittam, Marius Victor in Genesi, *Editiore loco* defendit fuisse Paradisum. Sed his omissis, Mosem Bar-Cepha Syrum, prout ab Andrea Masio Latinè loqui edoctus est, audiamus.

10. MOSES. *Asserimus eam terram in qua est Paradisus, altiorem multo sublimiorémque* de Paradiso cap 9. *existere hac quam nos incolimus. Id enim ita se habere indicio sunt quatuor illa grandia flumina, quæ orta in Paradisi terra per hanc nostram ab illa diuersam feruntur.* PH. Quid apud eundem Philoxenus Mabugensis Cap 8. Episcopus? PHILO. *Sic consitus à Deo Paradisus est, vt medium occupet locum: quidquid enim superius est, aut cælum est, aut cælo consentaneum. Rursum quicquid inferius vel terra est, vel ad terram pertinet: quippe qualis erat conditio compositióque hominis, talem oportebat esse & locum in quo erat ille ponendus, &c. Eiusmodi erat Paradisi ratio in medio scilicet collocati,* &c. Quid Isidorus Hispalensis. ISID. *Septus vndique romphæa* Lib. 1. Orig. cap 3. *flammea id est muro igneo accinctus, ità vt eius cum cælo pene iungatur incendium.* TH. Magna est apud me tantorum Ecclesiæ Doctorum authoritas. Sed Paradisi locum non definiunt, tantùm cæteris terris editiorem esse defendunt: nos autem propriam Paradisi sedem inquirimus. Sed iterum Mosem illum Syrum loquentem audiamus.

11. Ait nonnullos esse tum Philosophos tum Ecclesiæ Doctores qui censeant *elementa ipsa alterum in altero esse, atque ab al-*

circundari, terra enim ab aqua, aquam ab aere, aerem ab igne contineri. Atque his positis ita pronuntiat MOSES cap. 13. BAR-CEPHA. *Ephraim dicit Paradisum vniuersam ambire terram, atque vltra Oceanum ita positum esse, vt totum terrarum orbem ab omni circumdet regione, non aliter atque luna orbis lunam cingit.* Halo videlicet intelligit, siue aream illam lucidam, quæ cùm sudum est, plerúmque circa lunam in morem coronæ diffunditur. EPHREM. *Quia procul extra conspectum dissitus est Paradisus, neque tam acuta est oculis nostris acies, vt illum assequi possimus, si de ipso periculum facere velis, facile contuleris cum circulo lunam ambiente, atque ita intellectu comprehenderis: nam ita ille & mare, & terram intra se complectitur.*

Nullos enim Antichthonas agnouit, qui aduersa nobis vrgerent vestigia, planam terræ superficiem ratus in circulos tres esse distinctam, quorum minores maioribus clauderentur: vt omnium minimus sit terra hæc quam incolimus: medium Oceanus obtineat, maximum & extimum occupet Paradisus, vt in hac figura quam tibi delineo, potes oculis intueri.



1. Orig. cap. 1. 12. Quid porro Flauius Iosephus? IOSEPHUS. ὁ μὲν δὴ κῆπος ὑφ' ἑνὸς ποταμοῦ πάσαν ἐν κύκλῳ τὴν γῆν περιῤῥέοντος. *Hic hortus vno flumine totam circumfluente terram irrigatur.* Nimirum vel idem credidit quod Ephræmus, vel totam terram esse Paradisum, flumen Oceanum, qui Paradisum humectet, è quo Tigris & Euphrates, Ganges & Nilus oriantur. PHILOM. Quasi vero aut Adam eiectus è toto mundo fuerit, aut ille fluuius egrediatur è mundo, & inde videlicet mundo egressus in quatuor illa fluuiorum capita diuidatur: aut deniq; illa tum terræ tùm Oceani descriptio possit cum huius ætatis nauigationibus & experientia conuenire. TH. Longior sum, si singulorum velim rogare sententiam.

13. Paradisum alii constituent in America, alij in Insula Seilano, alii in Taprobana, alii in Insulis Fortunatis. Inuentus non nemo qui sola nominis affinitate ductus putauerit Heden Hedinum esse Belgarum ciuitatem. Itaque non vos motamur, Patres conscripti, & vos magnis quidem honoribus prosequendos esse statuimus, 3. de rep. tamen vt Plato Poetas è sua ciuitate, sic vos ab hac disputatione tenia redimitos, floribus aspersos, delibutos vnguentis μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες honorificè dimittimus. In Cosmopeia.

V. *Augustini Eugubini de loco paradisi sententia.*

14. EVGVB. *Audire, atque togam iube componere.*

PHIL. Audite, audite, *Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.* EVGVB. *Nos autem nihil alioqui de nobis superbum, nihil ventosum sentientes, sed Deo cuncta referentes primi fuimus qui neque ab Hebrais, neque Græcis, neque Latinis repertam rem deprehendimus.*

Ostendimúsque vbi regio Paradisiaca sit Eden. PHILOM.

Quid dignum tanto dabit hic promissor hiatu?

vel fallor, vel cùm fauces magno rictu diduxerit, *raris turbatus vocibus hiscet, & inceptus clamor hiantem* frustrabitur. EVG. *Nos autem hunc locum Deo adiuuante, si non fallimur, reperimus.* PH. vbi tandem? EVG. *Inuenientes eum esse prope Charan. Charan autem est nundinarum Arabiæ iuxta Euphratem.* PHIL. O miram hominis sagacitatem! sed quibus tandè hanc veritatem Hebræis, Græcis, Latinis hactenus ignotam subodoratus es vestigiis? EVGVB. Ezech. c. 27. v. 23. *Haran & Chene, & Eden negotiatores tui.* Isaiæ 37. v. 12. *Haran, & Reseph, & filios Eden.* PHIL. Quid tum? EVG. *Ecce Eden regio Paradisi inter gentes Orientales annumeratur, & quidem prope Haran.* TH. In Prophetis quidem Eden agnosco, sed cùm, vt optimè notat Caietanus in Genesim, eadem appellatio duabus possit regionibus conuenire, quî scimus hunc esse Paradisum? EVGVB. Rationibus certissimis colligetur. Mesopotamia & Armenia vergunt ad Orientem, & Orientales in Scriptura nominantur: amœnissimæ sunt vberrimæ, non remotissimæ à Iudæa. Denique Tigri & Euphrate, fluuiis toto terrarum orbe notissimis è Paradiso manantibus alluuntur. TH. En cur tam multos Genebr. Pererios, Torniellos, aliósque sexcentos viros, ita me Deus adiuuet, doctissimos in suam sententiam pertraxerit.

15. PHIL. Sed si propter Tigris & Euphratis vicinitatem constituimus in Mesopotamia Paradisum, quid Geone & Phisone, Nilo videlicet & Gange faciemus? TH Nihil ex Eugubino poteris expiscari. Author est Genebrard. lib. 1. Chronologiæ diluuio omnibus sursum deorsum turbatis, ita mu-

tatam esse terræ faciem vt fluuiorum illorum oculi siue fontes in alias regiones, easque remotissimas, translati fuerint, magno incolentium bono: omnes enim terram, quam alluunt, oblimant.

Plerique negant Nilum & Gangem his nominibus denotari. Itaque alii Phison & & Geon aiunt ipsos esse Tigrim & Euphratem, cùm post confluxum rursus à se discesserint. Alii fuisse quidem fluuios ingentes Tigri & Euphrati vicinos, sed lapsu temporis exaruisse. Alii riuos esse & veluti ramos è Tigri & Euphrate deductos, sed adeo tenues vt nullum horum extet apud historicos Geographósque vestigium. PH. Non satis percipio quid per illum confluxum aut ramos intelligas.

17. TH. Placet igitur rē liquidiùs explicare. Putant nonnulli Paradisū eo loci fuisse quò confluunt Euphrates ac Tigris, & cū ab illo confluxu facto rursus aquarū diuortio, in duo flumina diuiduntur, habere se dicūt quatuor fluuios è Paradisi fonte manantes. Tigris enim & Euphrates dicuntur antequā confluxerint, ipsa autem duorum fluuiorum coniunctio est ipsissimus fluuius irrigans Paradisum. Qui cum rursus in duo capita diuidatur, postquam in duo diuortia se distraxerit, alterum hotū Geon, alterum Phison volunt nominari. Alii credunt Geon & Phison esse quosdam alueos ex Euphrate ac Tigri deductos, quorū tamen apud Geographos nulla sit métio, vel quod nomen mutauerint, vel quod exaruerint, aut aliquo casu defecerint. PHIL. Quā hæc inania sunt? quàm futilia? quàm? TH. St, St, caue progrediaris vlteriùs. PH. Quis enim hoc ferat?

VI. *Explanatur scriptura de fluuio Paradisum irrigante.*

18. TH. Video te, mi Philomathes, vel indignari frequentiùs, vel in risum & cachinnos effundi. Equidem, vt semel dicam, Democritum te, quàm Heraclitum videre malim.

Tamen ridere vsquequaque te nollem.
Nam risu inepto res ineptior nulla est.

Quòd autem in doctissimos viros excandescis, quibus gratia potiùs habenda fuit, quòd vel ipsi aliquid inuenerint, vel occasionem vlteriùs quærendi subministrarint, eósque futilitatis accusas, id verò tolerari non potest. Neque verò quicquam scientiarum studio magis officit, quàm vel ioco parum liberali serias cogitationes excludere, vel indignatione obnubilare rationem. Quare si vis ad scientiam peruenire, vt profectò vis, seriò sedatéque rem agamus.

19. Qui viam ad mare nescit, inquit, ille, fluuios sequatur. Quæritur vbi plantatus à Deo fuerit Paradisus? Viam ignoramus, fluuios quatuor habemus qui suā à fluuio Paradisi originem accersant. Videamus ecquid ex eorum consideratione possimus indagare veritatem. Narrat Cæsarius Gregorii Theologi frater Dialogo tertio, interrogat. 147. quosdam Ægyptios ad inuestigandā Paradisi sedem, per fluuium Geon, quem Prophani Nilū appellant, diu multúmque aduerso flumine nauigasse; postquam autem tempore longissimo nauigauerant, deuenisse in loca quædam solis ardoribus exusta, vbi totum flumen ita ferueret, vt ne extremis quidem digitis eius aquas attingere possent, coactos retrocedere, consumptóque viatico, mutata retrorsum nauigatione, nullo tā difficilis viæ pretio in patriam rediisse. Meritò fortasse, quia Tigri & Euphrate, de quibus è Scriptura constat, prætermissis, Nilum, de quo penitus non liquet, an is è Paradisi fluuio nascatur, scrutari maluerunt. Quare, vt à certis ad incerta, à notis ad incognita veniamus, operæpretium fuerit à Tigri & Euphrate disputationis nostræ caput accersere. Priùs tamen de ipso fluuio Paradisi, qui cæterorum quatuor fons est & caput, pauca libanda sunt, & scripturæ verba non carpenda leniter, sed suis examinanda momentis. PH. Quæ tandem? THEO. Genesis c. 2. v. 10. Tu ipse recita. PH.

20. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* THEO. Quis ille sit fluuius nondum pronuntio, tantùm dico his è verbis non intelligi fluuium hūc exire extra Eden, & præterlabi locum voluptatis, antequam irriget Paradisum; constat enim hortum diuina manu consitum fuisse in ipso loco voluptatis. Sensus igitur hic esse videtur, & fluuius scatebat de loco voluptatis, qui hortum siue Paradisum eo ipso voluptatis loco versus Orientem diuina manu consitum irrigaret: quem postquam irrigauit, aquas suas diuidit in quatuor fluuiorum capita, siue postquam è Paradiso egressus est, rigationis officio perfunctus terram subiens aquas suas in venas quatuor statim dispertiat, & in totidem fluuiorum capita occultis meatibus deriuet, siue potiùs eas in scaturigines primùm diuidat duorum fluuiorum, qui rursus singuli singulos fluuios ex se perducant. PH. Res mihi paulò videtur obscurior.

21. TH. Exemplo clarius elucescet, fa-

ciamus illum, quisquis est, fluuium postquam Paradisum præterlapsus est, terram subire, & in duas venas diuisum occultis quibusdam meatibus in scatebras duas erumpere, è quarum altera Euphrates, ex altera Tigris oriatur; faciamus rursum è Tigri Phison, Geon ex Euphrate generari. Ille Paradisi fluuius num etiam in quatuor fluuiorum capita quodammodo diuiderur? PH. Assentior. THEO. Quidni igitur cum Augustino dicamus, *ea flumina quorum fontes noti esse dicantur, alicubi isse sub terras, & post tractus prolixarum regionum, locis aliis erupisse, vbi tanquam in suis fontibus nata esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, vbi non diu sub terris currunt.*

Lib. 8 de Genesi ad literã c. 7.

PH. Equidem non video cur in re tam probabili tanti doctoris authoritatem respuere debeamus. Sed iam ad singula veniamus.

VII. *De quatuor Fluuiis è Paradisi fluuio manantibus, ac primum de Tigri & Euphrate.*

22. *Nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum illius terræ optimum est, ibi inuenitur bdellium & lapis onychinus, & nomen fluuy secundi Geon: ipse est qui circuit omnem terram Aethiopiæ. Nomen verò fluminis tertii Tigris: ipse vadit contra Assyrios, fluuius autem quartus ipse est Euphrates.* THE. Vis vt de singulis pauca dicamus, &, vt dicere occeperã, ab Euphrate sumamus exordium? PHIL. Volo sanè. Sed an vlli persuadere poteris eum vel cum cæteris fontem habere communem, vel aquarũ suarum partem ad aliorũ fluuiorum origines occultis meatibus perducere? TH. Quid si ostendero Euphratis aquas in mare non illabi, sed hauriri terra? an inficiari poteris Euphratem in aliorum fluminum scatebras erumpere? an credibilius putabis eum perpetuò sub terra demersum, æternisque tenebris esse damnatum? PHIL. Ego verò si huiusce rei testes idoneos produxeris, non refragabor Euphratem rursus in alterius fluuii fontem emergere. THEO. Ecce commodùm Marius Victor. Eius si placet, sententiam sciscitemur. Age, Victor, de Tigri & Euphrate quid censes?

23. VICTOR.

In Genes.

Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tigris
It comes Euphrati, iũcta quos mole ruentes
Tellus victa cauõ sorbet patefacta barathro,
Donec in Armeniæ saltus ac Medica Tempe,
Quos non sustinuit, nec iam capit, euomat amnes.

TH. Ecce tertium fluuium è Paradisi fonte manantem Tigrim appellat, eúmque initio dicit ab Euphrate non esse disiunctum, sed cum eo terram subire, donec vterque per occultos meatus in Armeniam Mediámque sublapsus rursum appareat. Sed reliqua, si placet, audiamus. VICTOR.

Sed Tigris nigro tanquã indignatus Auerno,
Prosilit æthereas motu maiore sub auras,
Et rursum spelæa subit, mersúsque cauernis
Intus agit fremitus, & fortior obice factus
Multiplicatur aquis, atróque citatior antro
Exit, & Assyrios celeri secat agmine campos;
Iustior Euphrates, dici qui gurgite largus
Irrigat arentes subiecta Persidis agros
Mollibus elicitus riuis, atq; omnibus aquè
Seruit, & humanos totum se præbet in vsus,
Donec siccus aquis nomen quoque prodigus ipsum
Cõsumat terris, pelagi quod debuit vndis.

TH. Audin' Euphratem priusquam aquas in mare deuoluat, arescere? PH. Quid si difficultatis explicandæ caussâ Marius ista confinxit? TH. Maior igitur erit apud te gentilium scriptorum authoritas? PH. Maior sanè hac quidem in caussâ, licet in cæteris Christianos Gentilibus præponam. TH. Quid ita? PHILOM. Quia suspecti possunt esse Christiani, quasi quiddam enodandæ scripturæ gratia de fluuiis Paradisi cõfinxerint: Gentiles autẽ cùm de tuenda scripturę veritate non sint solliciti, caussę nihil habẽt, cur de Tigris & Euphratis natura mentiantur. TH. Igitur Pomponium Melã consulamus. Age Põponi, de Euphrate quid cẽses?

24. POMPONIVS MELA. *Non perdurat in pelagus, verùm ingens modò & nauigabilis, inde tenuis riuus, despectus, & nusquam manifesto exitu effluit, vt alÿ amnes, sed deficit.* lib. 3 de situ orbis.

PHIL. Atenim, mi Theophraste, magna nõ est apud me Geographi, qui abs te laudatur, authoritas, quem constat in rebus, quas præ oculis habere potuit, cæspitasse: vt eùm ait Eridanum in mare Hadriaticum tanto impetu prosilire, *vt discussis fluctibus diu qualem emisit vndam, agat, suúmq; etiam in mari alueũ seruet, donec eum ex aduerso littore Istri eodem impetu profluens Ister amnis excipiat.* lib. 2 cap 4 Ἄτως, vt illud Thucydideum vsurpem, ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοῖμα μᾶλλον τρέπονται, *vsque adeo multi labori parcunt in inquisitione veritatis, & magis ad obuia quæque se cõuertunt.* Quis enim ignorat Istrum

longè ab Hadriatico mari in pontum Euxinum decurrere.

25. TH. An authorem huius rei, qua de nunc agitur, Polybio grauiorem accuratiorémque desideras? Audi de Euphrate quid
lib. 9. hist. loquatur. POLYB. *Videtur ille quidem in mare Erythræum se exonerare, verùm aliter res habet,* ταῖς γὰρ διώρυξι ταῖς ἐπὶ τὴν χώραν ἀγομέναις προεκδαπανᾶται πρὶν ἐκβολὴν εἰς θάλασσαν πεποιῆσθαι, *Priùs enim quàm in mare se euoluat, in fossas per agros ductas absumitur, cùm ab eius alueo in agros auertuntur eius aquæ, & ad irrigationes multifariam diuiduntur.* PHIL. Id profectò fieri non potest, nisi terra sorbeatur, quòd obscurè Plinius insinuat lib. 5. c. 26. aiens eum
lib. 1 de vita Apollonii. ca 14 *distrahi in paludes.* THEO. Quid autem Philostratus? PHILOSTRATVS. Sunt verò qui dicant ἐς ἕλος ἀφανίζεσθαι τὸ πολὺ τοῦ Εὐφράτου, καὶ τελευτᾶν τοῦτον ἐν τῇ γῇ *magnam Euphratis partem in paludem abscondi* (aduerte magnam partem, non ait totum Euphratem) *& hunc fluuium in terra desinere.*

26. PHILOM. Quonam igitur aquas perducit? PILOSTRATVS. *Addunt nonnulli aliquid autem audacius dicentes* αὐτὸν ἐν τῇ γῇ ῥέοντα εἰς Αἴγυπτον τ' ἀναφαίνεσθαι, καὶ Νείλῳ συγκεράννυσθαι. *Euphratem sub terra fluentem in Aegypto rursus apparere, Nilóque misceri.* PAVSANIAS. *Memini me à De-*
Corinthiacis. *liis audire aliam aquam, quam ipsi inopum appellant, à Nilo se habere.* Καὶ δὴ καὶ αὐτὴν ἔχει τὸν Νείλου λόγος Εὐφράτην ὄντα ἐς ἕλος ἀφανίζεσθαι, καὶ αὖθις ἀνίοντα ὑπὲρ Αἰθιοπίας Νεῖλον γίγνεσθαι, *imò & ipsum Nilum fama est esse Euphratem qui cùm sit Euphrates, in paludem absconditur, & rursus super Aethiopiam emergens in Nilum conuertitur.* THEO. An tibi videtur Ammianus in alia fuisse sententia? PH. Quid ait Ammianus?
lib. 23. AMMIANVS. *Nauigatio ad vsque vrbem Teredona, vbi post iacturas multiplices pelago miscetur Euphrates.* THEO. Quæ sunt istæ aquarum iacturæ multiplices? PH. Opinor aquarum dispendia? THEO. Vnde porro hæc aquarũ dispendia? PHIL. Nimirũ magna pars Euphratis in terram abditur.

27. THEOPHR. Quàm magis ista considero, tam mihi magis videtur Lucanus 3. Pharsal. idem de Nilo & Euphrate censuisse.

Quâque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diuersis fontibus edit
Persis, & incertum tellus si misceat amnes,
Quod potiùs sit nomen aquis, sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ nec iungitur vndæ.

PHIL. Equidem hîc agnosco Tigrim & Euphratem ex eodem fonte manare, Euphratem Nilo misceri non video, sed duntaxat id quod refert Cice 2 de nat Deorũ. *Aegyptum, inquit, Nilus irrigat, & cùm totam æstatem, obrutam oppletámq; tenuerit, tum recedit, mollitósque & oblimatos agros ad serendum relinquit: Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quasi nouos agros inuehit.* Euphrates igitur

---Pharia vice fungitur vndæ.

quia vt Nilus Ægyptum, ita Mesopotamiam Euphrates oblimat.

28. TH. Sed vide sis ne potiùs Nili vice fungi dicatur, quia Euphrates non in mare, sed in ipsum Nilum occultis quibusdã viis emittitur. PHIL Quo id indicio constabit? TH. verbis quæ proximè poëta subnectit.

Ac Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultósque tegit cursus, rursúsque renatũ
Fõte nouo flumen pelagi non abnuit vndis.

PHIL. Quid tum? TH. Hinc videlicet agnoscimus Euphratem in mare non euolui, ac proinde in alias terrarum plagas influere, cùm enim diuersitas inter vtrúmque fluuium hæc adferatur, quòd Tigris se pelago non abnegat, necesse est vt se abneget Euphrates. PHIL. Iam igitur habemus ex probabili sententia Nilum & Euphratem, quamuis immensis prope terrarum spatiis à se distracti sunt, ab vno fonte proficisci.

VIII. *De Tigri.*

29. TH. Quid Tigrim ab alio fonte primario quàm Euphratem deriuari existimas? PHILOM. Equidem hac de re dubitare non possum, cũ verbis conceptis id ipsa scriptura fateatur, & notum illud Boetii

Tigris & Euphrates vno se fonte resoluunt,
Et mox abiunctis dissociantur aquis.

Sed ex te scire velim vtrùm ad Gentiles lib. 5. de consol. Philosophica.
quoque scriptores huius quoque rei fama peruenerit? THEO. Quid illud quod paulo ante ex Lucano prolatum est magnum Euphratem cum rapido Tigri

---quos non diuersis fontibus edit

Persis, caput attollere? quod quia falsum esse constat, si de apparentibus fontibus agatur, reclamantibus aliis scriptoribus, eatenus iis adhibenda fides, quatenus oriuntur ex vno fluuio Paradisi, & per occultos meatus in duo capita diuiduntur.

30 PHIL. An autem aquæ Tigris rursum in alias fluuiorum scaturigines ebullant? THEO. Meministi quæ iam superiùs, tum è Lucano tum è Mario Victore prolata sunt. PHIL. Quæ? THEO? Tigrim hiatu terræ sorberi PH. Memini.

TH. Neque id semel, sed vt scribit Solinus, cap. 40. post Plinium, lib. 6. cap. 27. & alios Cosmographos: *Tauro resistente in profundum specum mergitur, quem subterlabens in altero eius latere apud Zoroandam emicat, vluas, & purgamenta plurima secum trahēs: deinde identidē absconditur, rursumq; redditur.* PHIL. Non video quorsum ista pertineat oratio. TH. O Corydon, Corydon! Non vides hinc probabile fieri, totum Tigrim non emergere, sed aliquid aquæ per occultas venas diffundere, quod aliis locis in scaturigines erumpat? Cuius rei vel id indicio est, quòd ille fluuiorum Rex hac tempestate propemodum exaruit, vt recentiores Geographi prodiderunt.

31. PHIL. Ita planè videtur: Sed vnum restat, quod velim abs te sciscitari. TH. Quid illud? PH. In cuius fluuij scatebram aquas Tigridis per subterraneos illos alueos deriuari existimes? THEOD.

Ἀργαλέον δ' ἐμὲ ταῦτα Θεὸν ὣς πάντ' ἀγορεύειν.

Omnia difficile est mihi dicere, Numinis instar.

Veruntamen cùm è scriptura liquidò constet, Geon, & Phison cum Tigri, & Euphrate fontem habere communem, vel eorum alteruter è Tigri manabit, vel certè Paradisi fluuius voluptatis locum prætérlapsus, & sub terram abditus, aquas suas ita dispensat, vt eas in capita quatuor immediatè dispertiat.

IX. *De concursu Tigris, & Euphratis.*

32. IAmantequàm de Phisone & Geone pauca dico: illud aduersus viros eruditos excipiendum videtur, non est certissimum quod illi tanquam principium ἀναπόδεικτον, supponunt, Tigrim & Euphratem concurrere, vt in eo confluxu statuant Paradisum. PHILOCT. Imo certissimum, si Strabonem, ac Solinum audiamus. STRABO. *Fluunt ambo fluuij Mesopotamiam cingentes, καὶ συνάπτοντες ἀλλήλοις ἐγγὺς κατὰ τὴν Βαβυλωνίαν, inuicémque coeuntes prope Babyloniam, ac deinde in mare Persicum exeuntes Euphrates & Tigris.* SOLINVS de Tigri, *Euphratem defert in sinum Persicum.* TH Vide quæso, mi Philomates, ne te Strabonis interpres in fraudem induxerit. PH. Quo pacto? THEOPH. An illa verba, quæ tu Græcè protulisti, sic benè reddi existimas: *inuicem coëuntes propè Babyloniam, an potiùs, propè inuicem coëuntes circa Babyloniam?* PHILOM. Mihi sanè, posterior hæc interpretatio videtur ad mentem Strabonis expressior. Sed quid interim Solino faciemus? THEO. Facilis est, & expedita ratio. Olim Euphrates in Tigrim influebat; negare non possumus: Id vt fateamur, Plinij extorquet authoritas. PLINIVS. *Scinditur Euphrates à Zeugmate, octoginta-tribus milliaribus passuum, circa vicum Massicen: & parte læua in Mesopotamiam vadit per ipsam Seleuciam, circa eam præfluenti infusus Tigri: dexteriore autem alueo Babylonem, quondam Chaldææ caput petit, mediámque permeans: item, quam Otrim vocant, distrahitur in paludes.*

Lib. 11. (margin, beside "Strabo")

Lib. 5. c. 26 (margin, beside "Plinius")

33. PH. Hinc videlicet nata est illa inter authores grauissimos sententiarum diuersitas, cùm Herodotus, Diodorus Siculus, & alij in Mare Rubrum, siue Arabicum Sinum: Strabo, Dionysius, Ammianus, aliíque passim in Sinum Persicum aiunt Euphratem decurrere. Scinditur enim bifariàm Euphrates, & eius altera pars, siue proprio alueo, siue per Tigrim in mare Persicum euoluitur, altera videtur quidem in mare Erythræum se exonerare: verùm aliter se res habet, authore Polybio, cuius rei reddit Plinius rationem: quia videlicet ea pars Euphratis, quæ petitura erat mare Arabicum, priusquam eò perueniat, intercepta *distrahitur in paludes.* Vnde, vt coniectura est, Euphrates in occultos cuniculos demersus, subterlabitur Sinum Erythræum, & magnam Africæ partem, donec emensus ingentia spatia terrarum, ad extremam Æthiopiam, Nilique fontem peruenerit.

34 TH. Imò, Philaletes, nulla videtur inter authores hac quidem in parte dissensio: etsi enim frequēter Erythræi, siue Rubri Maris appellatio propria quadā notione ad Sinum Arabicum restringitur, non ab aquarum colore, qui à cæteris maribus non abhorret: sed ab Erythra Rege (quem aliqui Esau, qui אדום ἐρυθρὸς, *rufus* dictus est, fuisse putant) Erythræum appellari Curtius, Philostratus, & alij prodiderunt: Tamen totum illum Oceani tractum, qui ab Æthiopia per Arabiæ & Persidis oras ad Indiam vsque porrigitur Erythreum, siue Rubrum Mare plerique veteres indigitant. Paulus certè Merula, dissertatione de Maribus cap 6. monet hoc Mare, quà Persidem, & Arabiam perfundit, Azanium Plinio nominari, lib 6. cap. 24. Æthiopicum Dionysio, quà Æthiopiam Orientalem, Indicum Plinio, Melæ, Orosio, quà Indiam alluit; quas omnes Oceani partes communis Erythræi, siue Rubri Maris appellatio com-

Curtius l. 8. Philost. (margin)

prehendit. Quod nisi putasset Philostratus, nunquam dixisset Gangem εἰς Ἐρυθρὰν θάλασσαν, in mare Rubrum euolui.

35. PHILOCT. Sed iam, si placet, redeamus ad Strabonem, & ex eo Euphratem in Tigrim influere comprobemus. TH. Tuo arbitratu. STRABO. *Tigris ex eodem monte delatus Seleuciam, συτάπλεῖ ἐγγὺς τῷ εὐφράτῃ πλησίον, ipsi se Euphrati iungit, & cum eo Mesopotamiā facit, deinde & ipse in eundem exit sinum.* PH. Audin' Theophraste, Euphratem in Tigrim influere? TH. Rursus in eumdem lapidē impingens? quousq; te ab interprete ludificari patiere? Non vides hîc quoq; voculam illam πλησίον esse prætermissam, & aliud esse *se iungit*, aliud, *propemodum se iungit*, adeo vt regio inter vtrumque amnem intercepta Mesopotamia nuncupetur?

Lib. 3 de vita Apollony.

36. Quanquam, vt dixi, negari non potest Euphratis partem olim in Tigrim infusam fuisse. PH. Cur igitur non probas in eo confluxu fuisse Paradisum? TH. Quia videlicet ab ipso rerū initio non confluebant, donec tandem opera hominum Euphrates in Tigrim fossâ perductus est. PHI. Quo id teste confirmas? TH. Iisdem ipsis authoribus. Nā & Strabo lib. 15. & Polybius l. 15. quasdam διώρυγας fossas Euphratis agnoscūt, & Plinius *Seleuciam* in confluente Euphratis fossâ perducti atque Tigris, conditam fuisse testatur. Quid? quòd capite proximè sequenti, *inter duorum*, inquit, *amnium ostia. xxv. millia passuum fuere, aut, vt alij tradunt septem millia, vtroque nauigabili. Sed longo tempore Euphratem praeclusere Orcheni & accolæ agros rigantes: nec nisi per Tigrim defertur in mare*, vbi: ne secum ipse pugnare videatur, legendum est, *nec nisi per Tigrim defertur in mare*, vel, *nec nisi per Tigrim deferebatur in mare.* Sed ne diutiùs hîc moremur, vide Arrianum lib. 7. de rebus gestis Alexandri, vbi inter cętera commemorat Euphratem in alueum pristinum ab eo fuisse reuocatum. PHIL. Sed quorsum ista, mi Theophraste? TH. Profectò vt intelligas hunc amnis vtriusque confluxum non fuisse fluuium Paradisi, vt pletique recentiores interpretantur, nisi si dicere volumus ante plantatum à Deo Paradisum ab agricolis agros rigare volentibus Euphratem carptum canalibus, riguis distractū, & ad Tigrim fossâ perductum fuisse.

Lib. 6 ca. 26

37. Sed vis, mi Philomates, vt plus quàm veritas patitur, veritatis indagandæ studio largiamur, & vltrò concedamus à prima rerum molitione, Euphratem cum Tigri fuisse permixtū? vbi tamen quatuor illa fluuiotū capita reperiemus? PHILOM. Non meministi quæ superiùs dixeris?

THEO. Quæ? PHIL. Aiebas nonnullos in ea fuisse sententia vt putarent hunc confluentem esse fluuium Paradisi. Tigrim & Euphratem vocari priusquàm confluxerint, cū rursus in duo diuortia discesserint; alterum Gehon, alterum Phison, siue Pasitigrim nominari. THEO. Aiebam enimvero. Sed iis nequaquam assentior quòd cum ipsa Scriptura pugnare videantur. *Fluuius*, inquit, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde* ([illegible] *misscham* ἐκεῖθεν, postquàm videlicet horti rigandi perfunctus est officio) *diuiditur in quatuor capita.* At secundum istos, fluuius egrediens de loco voluptatis, & irrigans Paradisum, non *inde diuiditur in quatuor capita*, & fluuiorum origines, sed diuisus fuerat in duos alueos, antequàm Paradisum irrigaret, & inde in duos duntaxat diffinditur.

38. Quid? quòd cùm Paradisus in loco voluptatis siue in Edem plantatus fuerit, explicari non potest, quomodo duorum illorum amnium concursus egredi & scaturire dicatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum: sic enim ille fluuius non egreditur, non scatet, non ebullat de loco voluptatis, sed aliunde potiùs in locum voluptatis infunditur.

39. Quid? quòd Moses in eadem sententia *capitis* nomen mira allucinatione confunderet? PH. Qua tandem ratione? THEO. Capita Tigris & Euphratis vocaret extremam alueorum partem, & fauces quibus ambo in confluentem se infundunt, rursus capita Geonis & Phisonis diceret primam alueorum partem qua se effundūt, & manant ex illo confluente.

40. PHILOM. Nihil ab his dissentio, mi Theophraste. Sed quid si cum aliis dicamus Phison & Geon esse eruptiones quasdam, & vt vulgo appellant, brachia seu ramos Euphratis ac Tigris, vel fluuios ex eo loco profluentes, vbi Tigris & Euphrates iunctis aquis simul coeunt, qui diuerso alueo terras à Mose descriptas interfluant? TH. Nihilo probabilior est ista sententia. PH. Quid ita? TH. Vt ex ipso textu satis apparet, non minus fuerunt celebres Phison & Geon quàm Euphrates & Tigris: at isti rami vel nulli sunt omnino, vel adeo tenues & obscuri vt nullum eorum extet, vel in Historicis vel in Geographis vestigium, vt non ex iis expedita difficultas, sed ad expediendam difficultatem ficti fuisse videantur. An habes quod opponas? PH. Equidem nihil.

Sed

41. Sed vide, quæso, ne cum ista fluenta siccaueris, tibi ipsi aqua hæreat, si quisquam quid de Geone ac Phisone scias, abs te sciscitetur. Th e o. Quid aliud respondeam quàm hærendum esse in antiquorum sententia, quam etiam illi ipsi qui respuunt. Iosephi, Epiphanij, Athanasij, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Theodoreti. Marij Victoris, Theodoreti. Damasceni, Bedæ, Ruperti, Isidori, Cæsarij & aliorum esse confitentur? Ph. Est igitur Nilus Geon, Ganges Phison ex animi tui sententia? Th e o. Quid, inquam, aliud opiner quam quod omnes Ecclesiæ Doctores sibi quasi de manu in manum tradiderũt, quódque ipsi iam inde ab initio tam certa traditione à maioribus acceperant vt nemo vnus ante Eugubinum superioribus quatuordecim seculis id vnquam in dubium reuocarit. Ph. Hîc mihi temperare non possum quin Hesiodicum illud vsurpem.

φήμη δ' ὔτοι πάμπαν ἀπόλλυται ἥν τινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζουσι, Θεός νύ τοί ἐστι καὶ αὐτοί. — Hesiodus Operib.
Quam multi populi celebrant, non tota peribit
Fama notis dispersa, Deus, Deus illa profectò est.

Sed seclusa Patrum authoritate, potes id probare de singulis?

X. Probatur Geon esse Nilum.

42. Theo. Meministi me dicere etiam ex Ethnicorum Philostrati, Pausaniæ, Lucani & aliorum sensu, Nilum ex Euphrate suas aquas accersere. Phil. Memini, sed quorsum ista? Th. Vnde, quæso, tam altè Gentilium animis insederat Nilum cum Euphrate fontes habere communes? Ph. Cùm id nulla experientia naturalique ratione compertum habere potuerint, fatendum est eos à traditione maiorum, habuisse. Th. Vnde porro hæc traditio manauerat? an alia eius origo fingi potest, quàm quòd iam inde ab rerum initio mortales persuasum habuerunt duos hosce fluuios ab vno fluuio Paradisi caput accersere? Ph. Profectò aliud comminisci non possum. Th. Atqui, vt iam diximus, eorum tanto maior esse debet authoritas, quòd non ad explicandum Paradisi locum, aut ad exponendam Scripturam ista finxerunt; sed ad reliquas rationes transeamus.

43. Nilus Æthiopiam præterfluit: hoc ipsum de Geone proditum est sacræ Scripturæ monumentis. Ph. Hîc te expectabam, Theophraste, Moses Israëlitis scribebat: ergo fluuium, si modò is Nilus erat, debuit non ab Æthiopia, sed potiùs ab Ægypto describere. Th. Imò, mi Philomathes quia Nilus erat, necesse non fuit vt Moses Ægypti mentionem faceret, quia Iudæi, vel eo tacente, audito fluminis sibi cogniti nomine, sciuerunt eum ipsum esse qui Ægyptum intersecat; an autem idem ille Æthiopiam alluat, perindè scire non potuerunt? Phi. Iam mihi venit in mentem quod è memoria pene effluxerat. Nilus etiam non Guion Æthiopum siue Abyssinorum lingua nuncupatur, teste Francisco Aluares historiæ Æthiopicæ cap. 122. apud Cornelium. Sed an alia tibi suppetunt argumenta quibus possis fidem orationi tuæ corradere?

44. Th. Ieremiæ c. 2. v. 13. Hieronymus, vbi transtulit. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam* ex Hebraïco שיחור *schihor*, fatetur in communi editione haberi *Geon*, redditque interpretationis suæ rationem, quia id & Hebraïcum significat, *nullique dubium quin Nilus aquas turbidas habeat*, & LXX. viri transtulerunt, vt etiãnum legitur in editione Sixtina. *Et nunc quid tibi & viæ Ægypti?* τοῦ πιεῖν ὕδωρ Γηών. i. *vt bibas aquam Geon?* Sihor autem esse Nilum probari potest è c. 13 lib. 1. Paralip. vbi Sihor Ægypti nominatur, quasi niger & turbidus, siue quia profluit ab Æthiopia, siue quia turbidas aquas habet.

Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arena.

Phil. Hinc est videlicet quòd Nilus Melo ab Ennio, quasi Μέλας Niger, vt Festus testatur, ab Ausonio *Melonis albæ filiæ*, paginæ è papyro Nilotica factæ nuncupantur, & vt auctor est Pausanias in Arcadicis, ποιεῖσθαι πλὴν τοῦ Αἰγυπτίου Νείλου ποταμοῖς τοῖς ἄλλοις λευκοῦ λίθου τὰ ἀγάλματα· τῷ Νείλῳ δὲ, ἅτε δι' Αἰθιοπίας κατιόντι ἐς θάλασσαν, μέλανος λίθου τὰ ἀγάλματα ἐργάζεσθαι νομίζουσι. *Excepto Nilo Ægyptio cæteris fluuijs fiunt è candido marmore simulacra: Nilo autem, vt qui per Æthiopiam delapsus in mare defertur, statuas è nigro marmore facere solent.*

45. Th. Quid si inde Sihor quasi turbidus, niger, aut etiam obscurus dicitur, quòd obscura sit eius origo? certè, vt scribunt Plinius ac Diodorus Siculus, eum Meroenses Astapum appellant. i. eorum lingua fluuium è tenebris profluentem. Ph. Imò non solùm Sihor ab Hebræis, sed etiam Nilus à Græcis & Latinis, ob aquam turbidam limique deuectionem appellatur, si Nonnum audimus 3. Dionys.

Νεῖλον ἐφημίξαντο φερώνυμον, οὕνεκα γαίη
Εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος πεφορημένος ὑγρὸς ἀκοίτης
Χεύματι πηλώεντι νέην περιβάλλεται ἰλύν.
Indigitãt Nilũ de nomine. Quippe quotannis
Humectat terram fluctu oblimante maritus,
Inducitque nouum stagnanti flumine limum.

Nilus igitur quasi νέαν ἰλὺν nouũ limum in-

uehens. E quibus cōstare mihi video, quod priùs incredibile mihi videbatur, Sihor Ægypti esse Nilū, quod LXX. Γηὼν reddiderunt.

Probatur Phison esse Gangem.

46. Atque vtinam de Phisone tam facilis esset & extricata responsio. THEOPH. Quid igitur Phisonem alium à Gange fluuium existimas? PH. Id si negauero, quo me teste conuinces? TH. Phison esse Gangem probabit 1. conspirans Ecclesiæ Doctorum authoritas. 2. Gangis magnitudo propter quam Phison videtur ante cæteros Paradisi fluuios nominari. 3. restagnatio, quæ indicat eum eiusdem esse naturæ cum cæteris fluuijs Paradisi. 4. Nomen Phisō quod Gangis tum magnitudini, tum inundationi respondet. 5. Gangis ipsius appellatio. 6. Aliæ notæ, vt aurum optimum, bdellium, lapis onychinus.

Quæ si non prosunt singula, multa iuuant.

47. PH. Quoniam in Patrum authoritatem tua potissimùm disputatio recumbit, author tibi sum vt in eorum verba iures, ac religioni ducas ab eorum placitis vel latum, quod aiunt, vnguem discedere. Age igitur Epiphanij vestigijs insiste: dic Phison eum esse qui ab Indis & Æthiopibus Ganges appellatur: quem Indum Græci nominant. Dic eundem Gangem ad Austrum labi, & intra Gades in magnum Oceanum euolui. Nam si Epiphanium audiendum putas, hic fluuius πίπτει εἰς τὸν νότον, καὶ ἔσω ἔσωθεν Γαδείρων εἰς τὸν μέγαν Ὠκεανόν. Si Cæsarium, idem ille Ganges non solùm ad Austrum & Solis occasum conuersus ad Gades, in Occanum effunditur, sed etiam à Græcis Indus & Ister, à Gothis, Dunautis, Danubis ab Illyrijs nominatur. TH. Equidem, mi Philomares, vt antiquos Ecclesiæ Patres vnice veneror, eorumque conspirantem authoritatem priuatis meis rationibus antepono; ita si inter se dissentiunt, nullius priuatim me fateor addictum iurare in verba magistri, & in eligenda sententia mihi concedi volo liberam optionem. Si vnus & alter à communi reliquorum sensu exorbitat atque auia sectatur, ausim bonam ipsorum veniam præfatus eos comiter interpretari, si possum, si non possum, honorifice dimittere. Quare quòd cum recepta Patrum aliorum sententia Phison Gangen esse dicant, id religiosè suscipio: Quod contra sensum communem Gangem cum Indo & Danubio confundunt, eumque ad Gades & Oceanum mirificè deducunt, id præstare nec possum, nec debeo.

Anchorato n. 98.

48. PH. Ne ipse quidem communem Patrum authoritatem repudiandam puto. Pauca sunt tamen quæ abs te velim enucleatiùs exponi. TH. Tu verò sciscitare quod lubet. PH. Quid habes de Gangis magnitudine? TH. Etsi fatendum est Gangem ab aliquot Americæ fluuiis magnitudine superari, eum tamen maximum orbis nostri fluuium esse consentiunt Strabo, Plinius, Ælianus, alij passim. In eum influere vndeviginti amnes plerósque nauigabiles scribit Plinius. Apuleius 1. Floridorum supra omnem fidem, vel potiùs supra mentiendi verecundiam rem exaggerat.

Eois regnator aquis in flumina centum
Discurrit, centum valles illi, oráque centum,
Oceanique fretis centeno iungitur amni.

PH. Quid de nomine? THEO. פישון *Phison* à radice פוש *phous* deducitur. i. *multiplicari, diffundi, crescere, spatiari, diuagari.* Quæ omnia restagnationi Gangis apprimè quadrant, quam, vt Geographos omittam, Virgilius agnoscit, 9. Æneid. PHIL. Imò, Theophraste, nescio casune, an quodam numinis afflatu Ouidius ad illam Phisonis Etymologiam alluserit.

Perfidáq; & lato spatiantem flumine Gāgem.
Et quascunque bibit decolor Indus aquas.

49. Sed vt Nilum etiamnum ab Æthiopibus Guion vocari ostendimus, & ex ipso Nili vocabulo aliquod duximus argumentum, possumúsne etiam è nomine Gangis aliquam dictorum probationem accersere? THEO. Meministine Gangis alueos *Valles* ab Apuleio nuncupari? PH. Quid ni meminerim? TH. Hebræi quo nomine vallem ac Paradisum appellant? PH. vocem גן *Gan* pro Paradiso גיא *ge* pro valle frequenter vsurpant. TH. Quid igitur si è duabus istis vnam vocem conflaueris? גן גיא *Gan-ge.* PH. Equidem non video cur interpretari non liceat *vallem*, vel etiam *alueum Paradisi.* Sed nos reliqua prosequamut.

50. De bdellio quid dicis? TH. Bdellium, quod genus est arboris gummi odoriferum exudans, in India reperiri scribit Plinius l. 12. Natur. Hist. ca. 9. Quod gummi quia candidum est, multósq; veluti candidos habet vngues, color mannæ dicitur esse, sicut color bdellij, n. 11. 7. Pro bdellio & lapide Onychino LXX ἐκεῖ ἐστιν, inquiunt, ὁ ἄνθραξ, καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος. *Ibi est carbunculus, & lapis prasinus,* & Strabo l. 15 meminit Indici carbunculi. Habet sanè textus primarius הבדולח ואבן השהם *babbedola· vceben haschoham.* Rabbi Dauid in libro Radicum iaspidem reddidit: alij gemmam, vnionem, margaritam. Quicquid sit, nemo dubitat lapides pretiosos, & aurum optimum in India reperiri. Plinius l. 33. c. 4. *Aurum inuenitur in fluminū ramentis, vt in Tago Hispania, Pado Italiæ, Hebro Thracia, Pactolo*

Aſiæ,Gange Indiæ,nec vllū abſolutius aurum eſt, curſu ipſo tritúque perpolitum. Et cap. vltimo libri 36. *Gemmiferi omnes ſunt Aceſines & Ganges. Terrarum autem omnium maximè India.* Tibine factum ſatis? an eſt præterea quod ex me ſcire deſideres?

XI. *De duplici terra Heuilat.*

51. PHIL. Equidem cætera Gangi conuenire non inficior: illud, tamen aueo ſcire, quo ſenſu Ganges, qui magnā Indiæ partem perlapſus in ſinum Gangeticum euoluitur, dicatur terram Heuilath, quæ pars eſſe videtur Arabiæ tam Ægypto quàm Aſſyriæ contermina, circuire. TH. Heuilam ſiue terram Heuilath ipſam Indiā eſſe teſtatur Ioſephi & conſpirans Sanctorum Patrum authoritas, ſi tamen Epiphanium & Cæſarium exceperis, qui Gangem extra fines Indiæ,ad Auſtrum & Occaſum conuertunt, & per Heuilath aliſque terrarum tractus ad Oceanum & Gades mirificā ſanè geographiā perducunt. Iidem tamen Heuilath maiorem ac minorem agnoſcunt. Et ſanè Heuila duo Geneſis 10. nominantur,qui totidem prouincijs nomen creduntur indidiſſe. Alter filius Chus è ſtirpe Chami, à quo vt ſcribit Hieronymus in traditionibus Hebraicis. *Heuila Getuli in parte remotioris Africæ Eremo cohærētes.* Ea fortaſſe Heuila quæ Amalecitis vicina eſt è regione Ægypti, quam multi Africæ cōtribuunt. Alter Heuila de ſtirpe Sem fuit filius Iectan. Semi autem filios tradit idem Hieronymus ab Euphtate partem Aſiæ, vſque ad Oceanum Indicum tenuiſſe, & filios Iectan poſſediſſe à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem: cùm autem Heuila ſtatim recenſeatur poſt Ophir, probabile eſt Ophir & Heuila vicinis regionibus nomen dediſſe. Ophir autem & longinqua erat, & auro gemmiſque abundabat, & eam doctiſſimi quique circa ſinum Bengala, quem antiqui Gangeticum vocabant, eſſe arbitrantur. E quibus efficitur probabiliſſimum Indiam ipſam terram Heuilath nominari.

3 Reg. c. 2 Paral 9 8. & 9.

52. Sed quid te renidentem video, Philomates? PHI. Quis enim non rideat? inter Gangis & Euphratis capita, gradus, vt aiunt, tres & triginta.i.mille propemodum leucæ: inter Gangis ac Nili fontes octoginta gradus.i.leucæ bis mille quadringentæ: inter Nili & Euphratis originem gradus ſexaginta quatuor.i.duo propemodum leucarum millia computantur, vnde per mihi videtur eſſe ridiculum hos fluuios adeo diſſitos ex eodem fluuio rigante Paradiſum acceſſere.

TH. Nihil eſt, mihi crede, quòd nos ſubtilis iſte calculus perturbet. Nam, vt omittā quæ iam de Inopo retulimus,& quę paſſim narrantur de Alphæo,ex Helide occultis meatibus ſubter mare in Arethuſam, influente. Scribit Pauſanias in Corinthiacis credidiſſe multos Μαίανδρον κατιόντα ἐκ Κελαινῶν διὰ Φρυγίας καὶ Καρίας, καὶ ἐκδιδόντα ἐς τὴν πρὸς Μιλήτῳ θάλασσαν ἐς πελοπόννησον ἔρχεσθαι, καὶ ποιεῖν τὸν Ἄσωπον. *Meandrum deſcendentem è Celanis per Phrygiam & Cariā, cùm in mare Mileſium ſe exonerarit, tandem ad Peloponeſum peruenire, & facere Aſopū.* Ecquid tuus ille Virgilius non agnoſcit: *Omnia ſub magna labentia flumina terra?* 4. Georg.

Sed ne longiùs exempla quæramus, fateri debent omnes Tigrim & Euphratem ab eodem Paradiſi fluuio proficiſci. Atqui ſi Strabonem audimus, apparentes vtriúſque fontes διέχουσιν ἀλλήλων, &c. περὶ δισχιλίους καὶ πεντακοσίους σταδίους, *diſtant à ſe inuicem ſtadiis circiter bis mille & quingentis*.i. milliaribus ferè trecentis. Quidni igitur quantocunque tandem fontium interuallo Tigris, Euphrates, Ganges ac Nilus poſſunt ab eodem fluuio manare? Lib. 11. Geog.

XII. *De Phiſone quid cenſuerit Haithonus.*

53. SEd quid tibi iampridem Haithonus hic Armenus in aurem inſuſurrat? Ἀγχὶ σχὼν κεφαλὴν ἵνα μὴ πευθοίατο ἄλλοι.

PHIL. Querebatur ſibi tam barbarum & infelicem interpretem contigiſſe, vt apud eruditos viros, & in hoc Patrum conſeſſu muſſitare vix audeat, dicturus alioquin magnum flumen Phiſon illud ipſum eſſe quod Perſidem in duas partes diſcriminat. THE. Huic igitur fidem adhibendam putas? PH. Magnum ſanè in Haïthono ſtudium veritatis, magna fides, authoritas tanta, quātam neceſſe eſt inſigni generis nobilitate, illuſtri vitæ ratione, magno rerum vſu exiſtere. In quo ſi nobilitatem quęris, ab ipſis Armeniæ Regibus originem duxit. Si vitæ inſtitutum, candidiſſimum Præmonſtratenſem ordinem amplexus eſt. Si fidem ac ſinceritatem, candorem veſtis animi candore ſuperauit. Si vſum & experientiam, multas orbis terrarum partes obiit, & cum Imperatore Tartarorum victricia ſigna toto propemodum Oriente circumtulit. Et cùm Armenus fuerit, adeóque Perſidi vicinus, eorum quæ de Phiſone Perſidem interſecante narrat, potuit eſſe teſtis oculatus.

THEO. Hæc equidem *quæ plurima fando, Enumerare vales*, fateor eſſe veriſſima, ve-

nintamen. PH. Quid verumtamen? Cùm Persis Tigris & Euphratis fontibus sit adeo vicina, vt non pauci literis prodiderint eos ex ipsa Perside manare, non vides quanto verborum disputationisque compendio eum fluuium esse Phisonem ex eodē capite scaturientem dicere possimus, qui vt ait Haithonus, mediam Persidem interfluit? siue is est Oroates, quem Strabo μέγισον τῶν ἐκεῖ ποταμῶν, *maximum omnium, qui sunt illic, fluuiorum* esse testatur, siue Bactrus amnis ex Paropomiso, siue, vt appellat Aristoteles, Parnaso profluens, à quo Bactriana regio nomen accepit, cùm præsertim Plinius l.12 c.9. scribat in Bactriana, quam Persidi vicinam ad Orientem esse constat, *bdellium* laudatissimum reperiri.

55. TH. Vtinam, mi Philomates, vt cum aliquo disputationis compendio, ita sine dispendio veritatis dicere possemus, vel Eulæum, vel Oroatem, vel Bactrum, vel alium quemlibet Tigri & Euphrati viciniorem esse fluuium Paradisi. Sed plures grauioresque sunt caussæ quæ Gangem esse persuadent, & etiamsi paria essent vtrimque momenta rationum, eò tamen inclinaret animus quò præponderat omnium, omnium, inquam, veterum Ecclesiæ Doctorum authoritas. Neque sanè aliud euincit Haithonus, quàm ingentem esse fluuium in Perside; cum autem esse Phisonem Paradisi fluuium, nec ille euincit, neque nos facilè concedimus.

XIII. *De Phison & Geon probabilior Sententia.*

56. SEd inepti fortasse fuimus & male feriati, dum tot rationes vndecunque corrasimus, quibus Geon ab extremis Africæ plagis, Phison inde vsque ab India per tot ambages elicere possemus. Quid enim attinuit sollicitare terram vniuersam, & hosce fluuios tanta locorum intercapedine distractos oratione coniungere, cùm reperiatur Æthiopia quædam & Heuila Tigri & Euphrati vicinior, quàm sint eæ regiones quas Nilus Gangésque præterfluunt? *Phison ipse est qui circuit omnem terram Heuilath.* Si nulla est Heuilar auro lapillisque pretiosis abundans, præter Indiam: dicamus sanè Gangem esse fluuium è Paradiso profluentem. Sin est alia quædam Heuilath Euphrati Tigrique vicinior, nec minùs opulenta, quā Prouinciam longè certiùs constet Heuilæ nomen obtinere, non video cur Phison alibi quærere debeamus. Si nulla est Æthiopia, præter illam maiorem quæ sper Ægyptum Nili fluentis alluitur; esto sanè Nilum Geon Paradisi fluuium esse faciamus. Sin alia est Æthiopia confinis Arabiæ, ac proinde propinquior amnibus Mesopotamiam cingentibus: si hoc terrarum tractu quidam reperitur fluuius nomine Geon, regnum Israeliticum ab Ægypto disterminans, nemo reprehendet, opinor, si dixerimus hunc secundum esse fluuium è Paradiso manantē.

57. PH. Hoc videlicet te mouet, quòd vxor Moysis, quam Madianitidem esse constat. Num.12. Æthiopissa nominatur. THEO. Hoc ipsum erat, ô Philomathes. Quanquam video nonnullos, atque imprimis Tostatum & Petrum Comestorem in historia Scholastica tem in dubium reuocare. Filiam enim esse volunt Regis Æthiopum, quam Mosesapud Iosephum, multis ante fugam suam annis, confecto bello Æthiopico duxit vxorem Quam probabile est à Mose, eùm is ob cædem patratam ad necem quæreretur, fecisse diuortium, vel saltem profugum sequi voluisse; dehinc auditā rerum ab eo gestarum famā, in desertum, ad eum rediisse, quam ille, vt *erat vir mitissimus super omnes homines qui morabātur in terra*, ne consultus quidem consanguineis honorificè susceperit. Sed hæc in medium relinquo. Sūt alia certiora.

58. Atque illud imprimis quòd è 2. Paralip.cap.21.p.16. constat Æthiopiam esse Palestinæ vicinam, Arabiæque confinem. 2.Reg.ca.6. *Suscitauit*, inquit, *Dominus contra Ioram Spiritum Philistinorum, & Arabum qui confines sunt Æthiopibus.* Quam minorem Æthiopiam circuit fluuius Sihor ad Rhinocoluram, vt Sanctius & Serarius affirmant; quia 2. Paralip. cap.13. v.5. dicitur fluuius Ægypti: *Congregauit ergo Dauid cunctum Israel à Sihor Ægypti, vsquedum ingrediaris Emath.* Non vtique magnus ille Nilus. Sed amnis alius Israeliticum regnum ab Ægypto disterminans. Quo factum est vt à *Sihor Ægypti*, maluerint, *à terminis Ægypti*, transferre LXX. Seniores: qui & Ieremiæ 2. v.18. *Quid tibi vis in via Ægypti: vt bibas aquam turbidam?* Vbi legitur in textu principe, *vt bibas aquam Sihor*, Geon reddiderunt Quæ fortasse male concessimus in ipsum Nilum quadrare. Loquitur enim Propheta de fluuio non in ipsa Ægypto, sed in Ægypti via constituto. Est igitur duplex Æthiopia altera super Ægyptum versus Occasum & Meridiem, quam magnus ille Nilus præterfluit, altera versus Orientem Arabiæ confinis, quæ fluuio Sichor siue Geon irrigatur.

59. PH. Hoc est videlicet quod Poëta bipertitos Æthiopas agnoscit,

Αἰθίοπες τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν Odyss.
Οἱ μὲν δυσσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.
Æthiopum duplex genus est, aliiq; cadentem Solem respiciunt, alij vertuntur ad ortum.

Sed iam ad Phison & Heuila veniamus.

60. TH. Fateor equidem duos Heuilas in scriptura nominari: alterum à Semo, alterem à Chamo propagatum. Ab Heuila Chamo filio tradit Hieronymus ortos esse *Getulos in parte remotiores Africæ Eremo cohærentes*. Sed alia est Heuila Tigri & Euphrati vicinior, inter Ægyptum & Assyriam constituta: Siquidem Ismaël, vt Genesis 25. v. 18. conceptis verbis Moses testatur, *habitauit ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyriam.* Vides Heuilam Assyriæ propinquam: Tigris autem *ipse vadit contra Assyrios*. Quis igitur, Phison, ex eodem fluuio cum Tigri manare credendus est, nisi fluuius, qui Heuilam illam Assyriis vicinam interluit?

Lib.16. 61 Quid autē illud: *Percussitq; Saul Amalec ab Heuila donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti?* 1. Reg. 15. 7. Si res ipsa loqueretur, an aliud clamare posset, quàm eas regiones, quæ Phisone & Geone alluuntur, esse Æthiopiam illam minorem, & Heuilam Arabiæ partem, quæ Tigri & Euphrati vicinæ sunt, cùm quatuor isti fluuij è Paradisi fluuio promânent. Cur igitur Heuilam aliam terræ plagam interpretemur ab illa Sinus Arabici ora, per quam ait Strabo, fluuium quemdam auri ramenta deuoluere? ῥεῖ δὲ ποταμός, inquit, δι' αὐτῶν ψῆγμα χρυσοῦ καταφέρων, *Flumen per eos labitur, quod auri ramenta defert.* (Apud Photium Cod. 250) Qui si tum regionem, tum fluuium antiquis nominibus indigitare voluisset, quæstionem haberemus expeditam. Sed οὐ λέγω δὲ τῶν ἐθνῶν τὰ ὀνόματα τὰ παλαιὰ διὰ τὴν ἀδοξίαν: *non dico*, inquit, *prisca gentium vocabula, propterea quod obscura sunt & obsoleta.*

62. Quid si ex Agatharchide aliquid lucis effulgeat? Is enim in Arabia Debas, siue Debebas agnoscit, ὧν διὰ μέσου τὴν χώραν ποταμὸς διαφέρεται, τριμερὴς μὲν τῇ φύσει, ψῆγμα δὲ χρυσοῦ καταγων, οὕτω σύνδηλον τὴν δαψίλειαν ἔχων, ὥστε τὴν ἰλὺν τὴν πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς συνηγμένην πόρρωθεν ἀποστίλβειν, *quorum per mediam regionem amnis labitur natura tripartitus, & ramenta auri defert, tam perspicua vbertate, vt limus ad ostia coacernatus, procul inde rutilet*: τούτων ἀστυγείτονές εἰσιν Ἀλιλαῖοι. His, inquit, contermini sunt Alilæi. Ecquid non tibi videtur ad Heuilæos, siue vt Masoretæ legunt, Hauilæos alludere? Quid? quòd tripertitus ille fluuius facilè intelligitur, terram, quam alluit, circuire? *Circuit terram Heuilat, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est*, inquit Moses. Agatharchidem Latinè loquentem tantisper audiamus. *Aurum sanè*, inquit, *in crustosis terræ illius cuniculis ad magnam inueniunt copiam, non quale adhibitâ scientiâ & arte colliquescit è ramentis, sed sponte natum, quod ἄπυρον Græci, i. ignis expertem ab euentu denominant: cuius portio minima non minor est oliuæ ossiculo, media mespilum adæquat, maxima cum nucibus regiis comparari potest.* Hæc ille. Et aurum terræ illius optimum est, τὴν δὲ χροιὰν οὕτω φλογώδης, *colore tam flammeum* (inquit Diodorus Siculus, lib. 2. Biblioth.) vt si pretiosi lapilli artificum opera includantur, ornamenta fiant omnium pulcherrima.

Ibi inuenitur Bdellium. Arrianus in Periplo, siue circumnauigatione Sinus Erythræi semel atque iterum facit Arabici Bdellij mentionem. Testatur Plinius etiam in Arabia Bdellium inueniri. (Lib. 12 cap. 9 & l. 37 c. 6.) *Et lapis Onychinus.* Idem ex Sotaco Arabicam onychen nigram esse tradit, candidis zonis distinctam. Quæ mihi planè persuadent, hanc ipsam esse Heuilam, hunc Phisonem, qui Mosis Geographiâ describitur. Qui autem Indiam & Gangem exponunt, nihil adferunt, præter suspicionem & coniecturam.

63. PHILOCT. Quid ergo dubitamus recentiorum opinionem amplecti? THEO. O mi Philomates, multos fucata veri species in fraudem induxit? Sed quoniam, (Persius.)

--- *Veri speciem dignoscere calles,*
Ne qua subaratò mendax subtinniat auro.

Aduerte-sis, Heuilam hanc, & Æthiopiam remotiores esse à Tigris & Euphratis confluente, quàm vt vel ipsi fluuij, postquã è concursu discesserint, vt explicat Cornelius, vel eruptiones quædam & rami, vt Pererius exponit, horum fluuiorum possint plagas à Mose descriptas circuire. Etenim hæ regiones sunt iuxta Sinum Arabicum Ægypto conterminæ: Tigris autem, & ea pars Euphratis, quæ in paludes absorpta non est, communi alueo in mare Persicum se deuoluunt, vt authores illi certissimi, quos iampridem laudauimus, literis prodiderunt. Harum autem eruptionum, quas recentiores, explicandæ difficultatis causâ commenti sunt, nullum, iterum dico, nullum penitus extet in omni retrò antiquitate vestigium: adde quòd factitius est iste duorum amnium concursus, non naturalis: adde, quòd cùm semel conueniunt, non modò non in quatuor, sed ne in duo quidem aquarum diuortia separantur, nisi cùm ad ipsas ma- Lib. 6 c. 6.

ris Persici fauces peruenerint.

64. Quid? quòd ille concursus est infra Babyloniam, vel nonagesimo lapide, vt putat Plinius, vel trecentesimo stadio, vt author est Strabo? Quis autem existimet Saülem, quo tempore rerum summam obtinebant Assyrij, Babyloniam cum exercitu transiisse, vt Amalecitarum gentem exscinderet? Non igitur Amalecitarum regio fuit trans illum Tigris & Euphratis confluxum, vbi fuisse necesse est Amalecitidem, & Heuilam, si Phisonis ex illo confluente deriuati fluctibus alluatur. PHIL. Equidem nihil habeo quod opponam, & à me rationibus extorsisti, vt quamuis communem illam Patrum de Nilo & Gange sententiam admodum probabilem rear, hæc tamen posterior longè probabilior esse videatur. Vnum est tamen, quod antequam huic opinioni penitus acquiesco, ex te scire desiderem, cur cùm Geon ille minorem Æthiopiam alluens, ac Phison terram Heuila præterfluens, obscuri sint & ignobiles, nec vspiam à Geographis nominatim appellati, ante Tigrim & Euphratem à Mose numerentur. THEO. Illud videlicet causæ fuit, quòd Israëlitis, quorum ille scribebat in gratiam, viciniores erant, meritóque Phison cæteris omnibus, si non propter alueì magnitudinem, saltem propter diuitias, aurum purissimum, bdellium, lapides onychinos, antefertur.

XIV. *Probatur fluuios è Paradiso profluentes non officere, quominus is vel in planitie, vel in conualle statuatur.*

65. PHILOCT. Iam igitur, vt initio dicebas, flumina sequamur, & videamus, vbinam gentium positus fuerit Paradisus. THEO. Me quidem nunquam pigebit cum Augustinis, Hieronymis, Chrysostomis ignorantiā meam ingenuè confiteri. PHIL. Non quæro quid habeas hac in re compertum, atque exploratum (quid enim in tantis tenebris cuiquam liquere possit?) sed quid probabilius opineris. THEOPH. Vis igitur mea somnia pro puris putis oraculis obtrudam? Non faciam. PHILOM. Amabo sine te exorari, mi Theophraste. TH. Imò verò, tu ipse quid sentias edissere, & ad rogata respōde.

66. Meministi te legere apud Cassiodorum, aquam *Claudiam per tantam fastigij molem sic ad Auentini caput esse perductam, vt cùm ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum, quasi imam vallem irrigare videatur.* PH. Equidem memini, ac sæpè miratus sum, illos, vt Rutilius appellat, Itinerario.

Lib 7. variar. epist. 6.

---- Aeriopendentes fornice riuos,
Quo vix imbriferas tolleret Iris aquas. Plinius lib. 36. cap. 15.

THEO. Qui factum putas, vt fontes illi *super omnes vrbis montes leuarentur?* &, vt iterum Cassiodorus loquatur, *per tot siccas montium summitate, lauacris ac domibus liquores purissimos fistularum vberibus emitterent?* PH. Quia videlicet, vt author est Plinius, & experientia compertum est, *aqua subit altitudinem exortus sui: si longo tractu veniet, subeat crebrò, descendátque, ne libramenta pereant.* TH. Fateris plerosque fluuios ex altissimis montibus exoriri? PH. Certè & apud Græcum Poëtam fons *μελάνυδρος, altitudine sua nigricans, καὶ αἰγίλιπος πέτρης, per rupem excelsam,* & vel ab ipsis capellis relictam, aquas effundit, & apud Latinum Athlantis, cuius caput nubes attingit: *flumina mento præcipitant:* Atque vt Aristoteles aduertit, & experientia probat, *οἱ μέγιστοι τῶν ποταμῶν ἐκ τῶν μεγίστων φαίνονται ῥέοντες ὀρῶν: maximi fluuiorum è maximis montibus fluere cernuntur.* Lib 31. c. 6. 1. Meteor. cap. 13.

67. TH. Credísne fluuios ibi tantùm nasci, vbi in suas scatebras erumpunt, an originem habere suis illis apertis fontibus altiorem, totúmque adeo terræ corpus fluuiorum alueis, tanquam venis permeari? PH. Equidem Augustino libenter assentior, qui lib. 5. de Genesi ad litteram, in illud cap. 2. v. 5 *fons adscendebat de terra, &c.* ita scribit. *Quòd si ipsius abyssi magnitudinem, ca parte excepta, quod mare dicitur, & eiusdem amplitudine aquæ maris fluctibus terras ambit in ea sola parte, quam reconditis finibus terra continet, vnde se omnes fontes, & omnes aquæ diuersis tractibus venisque distribuunt, & suis quisque locis erumpunt: propter naturæ vnitatem, fontem voluit appellare scriptura, non fontes; cùmque per innumerabiles vias antrorum, atque rimarum adscendentem de terra, & vbique dispertitis quasi crinibus irrigantem omnem superficiem terræ, non continenti specie tanquam maris aut stagni, sed sicut videmus ire aquas per alueos fluminum, flexúsque riuorum, & eorum excessu vicina perfundere, quis non accipiat, nisi qui contentioso spiritu laborat?* Hæc Augustinus, quibus, inquam, libenter assentior: Si enim aquas omnes, quæ sub cælo sunt, abysso illi magnæ sub terras abstrusæ continuari faciamus, facilè explicatur, & quo sensu dicantur *aquæ quæ sub cælo sunt, in locum vnum congregatæ,* & quo pacto dixerit Ecclesiastes: *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat ad locum, vnde exeunt* Genes. 1. 9.

flumina reuertuntur, vt iterum fluant.

Eccl.1.7. 68. TH. Non id igitur in præsentia, Philomates: Sed siue flumina per occultos cuniculos exeunt è mari, quod significat Ecclesiastes, siue quod Peripatetici malunt: sed nemo satiùs contra scripturam admiserit, ex aëris in aquam mutatione generentur, siue hæc inter se quadam ex parte conciliari possunt. Quæritur, vtrùm etiam illa flumina, quorum aperti fontes in vallibus apparent, possint aquas suas ex editiore loco, vel etiam, vt modò dicebas, κατ' ἀγύλιστος πήγης, per occultos cuniculos dispertitásque venas accersere? PH. Inficiari non possum. TH. Cùm fontem vides in valle vel planitie scatentem, certóne compertum habes, ex editisne montibus, an aliunde primùm oriatur? aut quibus libramentis in ea loca deuenerit? PH. Id soli Deo compertum

Prou. 8. 29. est, ô Theophraste, & Sapientiæ, quæ cùm *librabat fontes aquarum, cum eo erat cuncta componens*, ac perducendis aquis terræ tum altitudinem, tum depressionem, velut ad libellam examinans. TH. Hæc aquarum libramenta si crebro adscensu, descensúque seruata fuerint, nihil obstabit, quominus ostia fluminum, quibus se, vel in mare, vel in maiores fluuios euomunt, sint interdum apertis ipsorum scatebris altiora. PHIL. Assentior.

69. THEO. Ecquid certò definire potes, vnde per occultos cuniculos accesserit ille fluuius, qui manifestè scatebat, & *egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum?* PHIL. Id si posse me dicam, profectò mentiar: cùm ne fluuiorum quidem, quorum scatebras oculis vsurpo, primas origines agnoscam. THEOPH. Nihil igitur agunt, qui defendunt in edítissimo loco plantatum fuisse Paradisum, eo potissimùm argumento, quòd fluuius inde digressus in quatuor capita diuidatur: cùm ille fluuius, quisquis est, & in valle scaturire potuerit, & per occultas venas è montis alicuius fastigio, capitibus illis quatuor editiore suos latices accersere. PH. Omninò nihil: & Tostatus ipse, quamuis maioris salubritatis causâ, Paradisum vsque ad tertiam aëris regionem supra turbulentum hunc aërem, qui finis est exhalationum & vaporum, attollat, hâc ratiunculam explodit: quia vt eius verbis vtar, *licèt Paradi-*

In Genes. cap.13. q 99. *sus sit locus planus, possent inde ista flumina nasci: quia licèt ibi primùm aquæ illæ apparerent, id est, illius fluuij, qui diuiditur in quatuor capita, poterat procul inde in aliquo loco excelso habere primam originem, & apparere in Paradiso, cùm per subterranea loca illuc veniret: & tunc æquilibrium aquarum illarum non acciperetur per habitudinem ad locum Paradisi; sed ad primam originem, & si locus ille esset valdè excelsus, possent flumina per longas terras fluere, & alicubi adscendere ad magnas altitudines.* TH. Nihil igitur officiet, si cætera conueniant, quominus Paradisum; vel in valle, vel in planitie statuamus. PH. Nullus abs te dissentio.

XV. *Quæ conditiones requirantur in fluuio Paradisi.*

70. THEOPH. Nihil restat, opinor, quàm vt quæramus ipsum fluuium Paradisi. PH. Quibus autem indiciis, & vt ita loquar, characteribus, poterimus eum ab reliquis fluuiis dignoscere? TH. Multi fortasse reperientur: ac primò quærendum est, sitne fluuius aliquis, ex cuius nomine colligere possimus, eum esse fluuium Paradisi. 2 Quoniam plantauit Dominus Paradisum versus Orientem, quærendus fluuius, qui alicuius regionis plagam Orientalem interluat: an aliud tibi videtur? PH. Mihi verò non videtur. TH. 3 Quoniam Æthiopia & Heuilath ad meridiem porriguntur, Tigris & Euphratis fontes in Septemtrionali plaga nascuntur; fluuius autem irrigans Paradisum, inde diuiditur in quatuor capita, huic fluuio locus in medio quærendus est, vt commodiùs ad dextram: verbi causâ, in Phisonis & Geonis origines; ad læuam, in Tigris & Euphratis scatebras diuidatur. PH. Sanè probabilis est ista ratio. TH 4. Huic fluuio si alueum inuenire possimus, in orbis terrarum medio perductum: hinc etiam aliquid probabilitatis accedet. PH. Omninò. TH. 5 Si quid è scriptura lucis affulgeat, vnde ad probabilem Paradisi notitiam venire possimus, idne adspernandum putabis? PH. Absit, Theophraste. TH 6. Quoniam vt Nilus Ægyptum, sic iste, qui quæritur fluuius, Paradisum irrigabat, quod sine restagnatione fieri non potest: fluuius naturâ suâ restagnans, & statis temporibus redundans, quærendus est. PH. Nullus abs te dissentio. TH 7. Quoniam totum irrigat, is esse debet, non qui recto alueo per longitudinem deferatur, sed qui ambitione quadam, & crebris anfractibus per latitudinem spatietur, totúmque circumspiciat Paradisum. PH. Id inficiari quis potest? TH. 8. Quoniam Adamus iuxta Paradisum creatus, non procul inde vixit, obiit, terræ mandatus est: hinc etiam lucis aliquid haurire poterimus.

Ph. Et hoc verissimum. Th. 9 Cùm ille locus immortalitatis & incorruptionis fuerit, credibile est huius fluminis aquas non esse corruptioni obnoxias? Phil. Inficiari non possum.

71. Th. 10. Quid si ad cæteras conditiones id quoque accedat, quòd is fluuius, qui quæretur, & inuenietur, vt spero, regionem obeat, non solùm fertilem, temperatam, salubrem, sed etiam amœnam in paucis, odoribus fragrantem, omnibus denique deliciis ac voluptatibus affluentem? Ph. Hi characteres, quauis in multis singuli reperiri fortasse possunt: non possunt tamē omnes simul in aliū, quàm in vnum Paradisi fluuium conuenire. Th. 11. Quid si & vndecimam fluminis istius notam adiecero: quòd videlicet inde cælestis in mortales gratia, plenis, vt ita dicam riuis exuberatit. Ph. Magnam rem præstiteris, Theophraste. Theo. Imò, quoniam fluuius iste, qui quæritur, post rigatum Paradisum diuiditur in quatuor capita, neque diuidi facilè potest, nisi terram subeat, vt occultis cuniculis ad fluuiorum scatebras emanet: nihil hactenus à me præstitum fatebor, nisi tu ipse fluuium, qui amœnissimam regionem interlapsus, tum denique terra sorbeatur, abs te inuentum esse fateare.

XVI. *Probatur Iordanem esse fluuium Paradisi, ex nomine Iarden, Eden, Genesar.*

72. Ac primùm vt ad nomen veniamus, ridebitur fortasse quod dicam, sed vel ideò dicam, vt rideatur. Phi. Vis, opinor, pro citeria me gestitare in ludis, qui me non ita pridem cum Eugubino ridere prohibebas. Sed age sanè: *Iam petulanti splene cachinno.* Si quid habes de dictis melioribus, Philomati tuo velim impertias. Theo. Strabo, Plinius, Ptolemæus, Marcianus Capella, quemdam fluuium, nomine Paradisum, ad radices Libani scatentem: & Plinius Vrbem in Cœlesyria eidem fluuio cognominem agnoscit: Ecquid ridiculus tibi videbor, si ex ipso nomine velim argumentari, non procul inde Paradisum à Deo fuisse plantatum? Certè & amœnissima est illa regio, quam Paradisus iste præterfluit, & vergit ad Orientem, & est inter Tigrim, Euphratem, Phison, & Geon constituta. Phil. Quæso, mi Theophraste, *iam amoto dicamus seria ludo.* Si Eugubinus, si recentiores propemodum omnes, Paradisum propè Charras in Mesopotamia fuisse contendunt, nullo argumento ducti, quàm quòd apud Ezechielem, & Isaïam, filios Eden filiis Haran, eadem oratione copulatos inuenerint: si hoc argumentum pro irrefragabili demonstratione vendirant; si, vt illud tueantur, nouos alueos, nouas eruptiones è Tigri, & Euphrate deductas, contra fidem Geographiæ, contra nouas ac veteres tabulas comminisci non dubitant: si nullum aliud addunt argumentum, quàm situm, amœnitatem, vbertatémque Prouinciæ, quæ non minùs Celesyriæ, quàm Mesopotamiæ conueniunt; quid est, quòd nos quisquam irrideat, si ex ipso Paradisi nomine, Paradisi locum dicamus inuentum? Sed, ni fallor, hoc argumentum tibi leuiculum videtur, non quòd ita sit, sed quòd aliorum comparatione vilescat. Quare, si placet, ad alia transeamus.

Strabo lib. 16. Plin. lib. 5 c. 27. Capella l. 6. Ptol. lib. 5. de Syria.

73. Theo. Ne vel teneam te diutiùs expectatione suspensum, vel longiùs à Cœlesyria discedam. Si quid suspicionibus dandum est, fuit Paradisus in Terra Sancta, quam vulgò Palestinam appellant, versus Orientem, ad Lacum Gennesar, siue Tiberiadis, & Lacum Asphaltiten, quem Mare-mortuum indigitant, amb. tùque suo Conuallem Illustrem, siue Campum Magnum, Iericuntinam plagam, & magnam Galilææ partem amplexus est: totúmque illum tractum, quem Iordanes à Gennesar ad Sodomiticam regionem perlabitur. Quidni enim Iordanes fuerit, ille fluuius egrediens & ebullans è loco voluptatis ad irrigandum Paradisum? qui deinde terram subeat, occultisque meatibus in Tigris, Euphratis, Phisonis, ac Geonis scaturigines emergat. Ph. Multa velut in saturam congestis, mi Theophraste: sed videsis, vt omnia certis rationibus, aut certè maiorum testimoniis fulciantur.

74. Th. Imò, tu ipse Philomates, vide vt ad interrogata respondeas, ac primùm vnde Iordanem putes nomen obtinere. Phil. Arculphus, Adamannus, Beda, Brocardus, & alij, qui de Locis sanctis Libros ediderunt, aiunt Iordanem, ad Libani radices, propè Cæsaream Philippi de duobus vicinis fontibus emergere, quorum vnus nomine Ior, alter Dan vocitatur, qui simul iuncti Iordanis accipiunt nomen. Th. Audio, sed illud interim non mediocriter admiror, quî factum fuerit, vt fontes illi duo, qui ab hominum conspectu remoti sunt, & vt author est Iosephus, in antro, quod Paneam vocant, scaturiunt, potiùs Iordani dederint nomen, quàm à Iordane acceperint. Quare videndum, an aliunde possis Iordanis nomen non magis coactè deflectere.

deflectere. PH. Vnde, quæſo? TH. Fluuium quo nomine vocant Hebræi? PH. יאר *jaar*, vt opinor. TH. Quid ſi igitur ירדן *Iarden* (ſic enim Hebræi vocant, non *Iordan*, vt authores laudati videntur ſupponere.) Quid ſi, inquam *Iarden*, dicatur, quaſi יאר עדן *jaar Eden*, fluuius Eden, fluuius locum voluptatis, ac deliciarum interluens.

75. PH. O te mirificum æquilicem ac libratorem, Theophraſte, qui Iordanem in Meſopotamiam vſque perducas. Quis enim iam neſcit Eugubino facem præferente, Eden locum eſſe prope Charras, ac proinde Meſopotamiæ contributum? Neque enim, ſi loco diuulſæ fuiſſent hæ ciuitates, eas Iſaïas, cap.37.v.12. oratione iunxiſſet. *Nunquid eruerunt eos Dij gentium, quos ſubuerterunt Patres mei, Gozam, & Haram, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar? vbi eſt Rex Emath?* &c. TH. Equidem videre non poſſum, cur Eugubinus, cui iam doctiſſimi quique recentiores adſtipulantur, Edeneam regionem, Charris potiùs, & Haran, ac proinde Meſopotamiæ, quam vrbi Emath, (quæ Terræ Sanctæ limes eſt ad *Septemtrionalem plagam*)
Num.34.8. vicinam eſſe collegerit. Quare ſi quid ſuſ-
1.Para.13.5. picionibus indulgendum, potiùs arbitrarer hunc tractum, quem Iſaïas Eden appellat, vel ad Syriam Damaſci, montéſque Libanum, ac Paneam, vnde Iordanes oritur, vel ad Syrophœniciam, & Mare Mediterraneum pertinere: quod indicat nomen Thalaſſar, quaſi θάλασσα, vt Syri conſueuerant non paucas voces è Græco deflectere.

78. Sed eſto: faciamus Eden, cuius meminit Iſaïas, eſſe Meſopotamiæ contributam: cùm illa verba, *filios Eden, qui erant in Thalaſſar*, inter duas, aut etiam plures Eden diſcrimen aſſignent, indicéntque vocabulum *Eden*, pluribus eſſe commune: non video, cur hoc Iſaïæ teſtimonio repertum à ſe Paradiſum magnopere glorien-
C.27.v.23. tur.

Vel illud quàm lepidum eſt, Eden eſſe propè Charras in Meſopotamia: quia Haran, Chene, & Eden inter Tyri negotiatores ab Ezechiele numerantur: Carthaginenſes igitur, & Tubal, ſiue Hiſpanos in Græciam tranſcribamus, Libyas Perſis iungamus, quòd eos idem Propheta in
V.12 &13. eandem negotiatorum, ac militum ſeriem eodem capite digeſſerit.

79. PHIL. Atenim aliud eſt, aduerſariorum fundamenta conuellere, quod cumulatè feciſti: aliud tuam de Syria Damaſcena, & Syrophœnicia ſententiam aliquo ſcripturæ teſtimonio comprobare. THEO. Meminiſtíne, quibus è verbis hanc Ezechielis ad Regem Tyri orationem Cap.28.v.13.
Latinus interpres expreſſerit? *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti*.. PHIL. בעדן גן אלהים היית *Heeden gan Elohim haiita: In Eden, in Paradiſo Dei fuiſti.* THEO. Vides Tyrum in Syrophœnicia, maríque Mediterraneo ſitam, vel potiùs Tyri Regnum vicináſque Prouincias Eden nominari. Quid illa eiuſdem Prophetæ omnia ligna Ca.31.v.16.
voluptatis. כל עצי עדן *col etſe Eden, omnia ligna Eden egregia atque præclara in Libano, vniuerſa quæ irrigabantur aquis?* Ecquid non apertè ſignificant, Libanum, ſubiectáſque terras Eden fuiſſe nominatas? vt meritò Iordanes inde ſcaturiens è loco voluptatis exire, ſiue manare dicatur: & Poëta quidam non ineptiſſimè Nonnus Dionyſ.
Venerem, quam עדן *Eden*, ἡδονὴν, vo- lib.31 v.201.
luptatem, atque delicias appellare poſſe- lib.41.à
mus, ὑψοῦ Λιβάνοιο ἑζομένην, Libano verſu 100.
inſidentem induxerit, eámque dicat, vt primùm è mari nata eſt, non in Cyprum, vt Cyprij mentiuntur, ſed in vrbem Beroën, ſiue Beryton, appuliſſe. Quæ vrbs ibidem.

> Ἔνδιον εὐφροσύνης, Παφίης δόμος, οἶκος ἐρώτων.
>
> Ὀρχηθμὸς χαρίτων, Λιβανηΐδος ἄστρον ἀρούρης.
>
> *Penetrale lætitiæ, Veneris domus, ædes Amorum.*
>
> *Amœna gratiarum habitatio, Libaneidis aſtrum terræ.*

Non incommodè nuncupatur. Cap.1.v.5.

80. De Syria porrò Damaſcena diſertè Amos: *& conteram vectem Damaſci: & diſperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis* (מבית עדן *mibbeth eden, de domo Eden*) *& transferetur populus Syriæ Cyrenen.* Sunt qui hoc loco fingant, quoſdam aduenas & inquilinos in Syriam Damaſcenam ex Eden, & Meſopotamia tranſlatos. Quid his hominibus facias? ſed ſic viuitur. Qui aurigine laborant, putant omnia flaueſcere. Qui per conſpicilla colorata reſpiciunt, iiſdem omnia coloribus perfuſa ſibi videntur intueri, & qui præiudicatis opinionibus occupati, vel ad Scripturæ, vel ad Patrum lectionem accedunt, quicquid deinde legerint, ad ſua præiudicia detorquent.

81. Quid? quòd non modò Iordanis vocabulum, ſed etiam Geneſar tantum non edita voce teſtatur ibi fuiſſe Paradiſum. PHILOM. Quo pacto? TH. גן *Gan*, Hebræis quid ſignificat? PHIL.

Hortum, siue *Paradisum*. Theo. שר *Sar*, autem? Philom. *Principem*. Theo. Quid igitur, גן-שר *gan-sar*? Quid renides, mi Philomares? Philom. *Ad populum phaleras*, vis opinor, tuis illis Hebraïsmis comicum oculos configere. *Iarden*, fluuius Eden, *Ganges*, alueus Paradisi, *Genesar*, hortus princeps: alia sexcenta. Quid est nodum in scirpo quærere, si hoc non est? quid centauros in nube depingere? Th. Ea tamen est interpretatio Hieronymi, lib. de nominibus Hebraïcis, vbi vocem *Genesar* exponit *ortus, principium*: sed mendum in scripturam irrepsit, legendúmque *hortus princeps*, quasi dicat παράδεισος ὁ πάνυ, *vel hortus Principis*, videlicet Adami, qui generis humani Princeps fuit: quæ labes iam ætate Bedæ Hieronymi codices occuparat, & ipsum in errorem induxit, vt interpretaretur *ortus, siue principium*. Sed & antiqui *ortum* sine adspiratione scribebant, & *Sar* esse principem notius est, quàm vt probandum esse videatur. Hæc leuicula sunt, fateor: Tamen si ad reliquorum pondus accesserint, suum etiam videbuntur habere momentum.

XVII. *Idem probatur à situ.*

82 Tria de situ Campi Magni, quem Paradisum fuisse dicimus, quærenda sunt. Vnum quo sensu dici possit positus ad Orientem, alterum, an sit inter illa capita quatuor, in quæ diuiditur fluuius Paradisi; tertium, an sit in medio terrarum.

Cap. 27. Campus Magnus sic à Iosepho, lib. 5. de bello Iudaïco describitur: *Inter duos autem montes, regio, quæ Magnus Campus vocatur, à Gennabara vico* (is littori lacus impositus est, qua parte Iordanes è lacu emittitur) *ad lacum Asphaltitem vsque patens explicatur*, ἔστι δ' αὐτοῦ μῆκος μὲν σταδίων χιλίων, καὶ διακοσίων, εὖρος δ' εἴκοσι, καὶ ἑκατόν: *eius longitudo est mille ducenûm stadiorum*, lege ex Hegesippo & Rufino interprete, μῆκος μὲν σταδίων τριάκοντα, καὶ διακοσίων: *eius longitudo est ducentorum & triginta stadiorum* (.i. millium passuum vndetriginta) *latitudo centum & viginti*, siue XV. M. passuum: καὶ μέσον ὑπὸ τοῦ Ἰορδάνου τέμνεται: *& medius à Iordane diuiditur.*

83. Iam à te quæro, Philomates, initio constabat, inter nos Paradisum plantatum fuisse, κατ' ἀνατολὰς, *versus Orientem*, an non constabat? Phil. Constabat planè ex LXX. Seniorum interpretatione, & omnium Patrum sententia. Theo. Meministi, quid initio nobis dubitationem & scrupulum iniecerit. Philom. Illud opinor, cùm pro diuersitate terrarum varietur Oriens, quærebamus, cuius tandem gentis comparatione Oriens in scriptura diceretur? Theo. Sanè meministi, sed tu ipse quid censes? cuius regionis Oriens in scriptura describitur? Philomates. Opinor vel ipsius Eden, vel Terræ Sanctæ. Theophras. Quis autem Oriens Terræ Sanctæ? Philomates. Iordanes sine controuersia, & illa regio, quæ trans Iordanem est Tribubus Ruben, & Gad, mediæque tribui Manassis attributa, vt etiam ipsi restantur, num. 32. v. 19. *Nec quicquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus nostram possessionem in Orientali eius plaga.* Theophrastvs. Igitur Campus Magnus, siue Conuallis Illustris, quam Iordanes à Septemtrione ad meridiem decurrens, mediam interluit, ad Orientalem Palestinæ plagam porrigitur. Philom. Nullus abs re dissentio.

84. Iordanem porrò, totámque adeo Syriam sitam esse inter Æthyopiam illam, quæ Arabiæ confinis est, ac terram Heuilat, quæ ad Sinum Arabicum pertinet, quas regiones Phison & Geon circuire dicuntur, & Armeniam, vnde Tigris & Euphrates promicant, & patet oculis, & vel ex tabularum inspectione certius est, quàm vt longam orationem desideret. Quare, si placet, ad tertium caput nostra transiliat oratio.

85. An alienum fuerit in medio terræ, tanquam gemmam in annulo, cor in corpore, pupillam in oculo fuisse Paradisum? Ph. Oppidò mihi semper placuit illa veterum sententia, φασὶ δ' αὐτὸν, inquit Origenes apud Eugubinum in Cosmopœïa, μέσον εἶναι τοῦ κόσμου, ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ. *Aiunt eum mundi esse medium, vt oculi pupillam.* Th. Quæ autem regio terræ medium nominatur? num Palestina? Ph. Fateor id videri plerisque. *Operatus est*, inquit, *salutem in medio terræ*: sed cùm terræ superficies globosa sit, & medium, siue centrum paribus vndecunque radiis attingat, non video, cur Palestinam terræ medium vocare debeamus, potiùs, quàm aliã quamlibet terræ regionem, mihique probatur illa quorumdam expositio, vt Ierusalem non medium orbis terrarum dicatur, sed medium Terræ Sanctæ, quia vt etiam Iosephus testatur, Ierusalem est in medio Iudeæ constituta, & quasi terræ promissionis vmbilicus. Ps. 73. v. 12.

86. Theoph. Verissimum id quidem: Sed cùm veteres de orbe terrarum

loquebantur, putásne eos de America, vel Magellanica locutos fuisse, an de illo duntaxat, quem ipsi cognitum habebant? PHILOM. De illo vtique quem cognitum habuerunt. Etsi enim Hieronymus & Origenes ex Clemente Romano, & Platone in Atlantico mundi *trans Oceanum intransibilem* positi mentionem fecerint, tamen tam tenuis famæ ad eos aura peruenerat, vt vulgò non intelligerent, alium terrarum orbem ab eo longitudinis tractu, qui à Gadibus ad Gangem extenditur. THEO. Hanc orbis antiqui longitudinem si bifariàm diuiseris, vbi medium? PHILO. Opinor circa Syriam, & Palestinam. TH. Ergo Palestina terræ medium tibi videtur sedes apta Paradiso? PHILOM. Omninò. Sed iam, si placet, ad scripturæ testimonia veniamus.

Hier. in ca. 2. ad Ephes.
Orig. 2. περὶ ἀρχῶν cap 3.

XVIII. *Eiusdem rei coniectura probabilis è scriptura.*

87. THEO. Eccum Ecclesiastici liber, recita capitis 24. comma 35. & 36. PHILOM. *Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Geon in die vindemiæ.* THEO. Quot fluuij diuinæ Sapientiæ comparantur? PHILO. Omninò, quinque. THEO. Phison, & Geon, Tigris & Euphrates vnde promanant? PHILOM. E fluuio Paradisi. THEO. Quintus verò fluuius, quis? PHILOM. Iordanes. THEO. Idne temerarium existimas, vt Ecclesiasticus Iordanem, & solum Iordanem quatuor hisce fluuiis oratione coniunxerit? PHIL. Equidem non existimo, & Iordanem ipsissimum Paradisi fluuium putarem, nisi Paradisi fluuius, v. 41. Dorix nomine diceretur.

THEO. O bone, ne te frustrere. Hic quidem error, vel temporum iniuriâ, vel Librariorum incuriâ in Sacrum textum irrepserat, vt *fluuius Dorix legeretur*: imò & alij codices scioli cuiusdam emendatoris audacia, *fluuius vorax*, suggerebant. Sed & Græcè legitur, ποταμοῦ διῶρυξ, & ille pristinus error Sixti V. & Clementis VIII. authoritate detectus est. *Ego Sapientia effudi flumina: Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio: Ego quasi fluuij Dorix, & sicut aqua ductus exiui de Paradiso.*

88. Adducerem & aliam coniecturam è Genesis 13. v. 10. accersitam, vbi Conuallis Illustris, totáque circa Iordanem regio Paradiso Dei comparatur, sed id parum videtur nostræ velificari sententiæ. Si enim duntaxat dixisset, *Irrigabatur sicut Paradisus Dei*, dicere possemus illud, *sicut* non esse merè συγκριτικὸν, vt comparationi tantùm inseruiat, sed αἰτιατικὸν, vt causam reddat, cur illa regio fuerit irrigata, hoc videlicet sensu irrigabatur, quia erat Paradisus Dei, vt cùm ait Apostolus 2. Corinth. cap. 3. v. 18. *Transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*. i. ideò transformamur, quia Domini spiritus illius transformationis est causa, ad Ephes. 5. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi*. i. ideò Deum debetis imitari, quia estis eius filij charissimi. *Vidimus gloriam eius, gloriam, quasi vnigeniti à Patre*. i. gloriam, quam obtinet, quia est vnigenitus à Patre. Quia tamen his verbis, *sicut Paradisus Dei*, eodem tenore subnectitur, *& sicut Ægyptus*, fatendum est, hoc scripturæ testimonium vix vllius esse momenti.

89. Deinde cùm Hebræorum more, quicquid in suo genere excellit, Deo tribuatur, vnde proceras cedros, *cedros Dei*, montes excelsos, *montes Dei*, frequenter appellant, vtrùm hoc loco Paradisum Dei illum ipsum ab initio plantatum, an quemuis Paradisum, siue hortum amœnissimum intelligendum putas? PH. Illum ipsum Dei Paradisum. TH. Quo argumento? PH. Quia quamuis Hebræus articulum non adiecerit, cum tamen annectunt LXX. Seniores, ὁ παράδεισος.

90. Meministíne, quam dictionem textus Princeps vsurpet, vbi Latinus à principio, LXX. κατ' ἀνατολὰς, transtulerunt? PHIL. מקדם *mikkedem*, opinor, quod vel ad principium loci, vel ad principium temporis referri posse dicebas. TH. Quid si Moses agens de situ Conuallis Illustris, & regione Sodomorum, Gen. 13. v. 11. eandem ipsam vocem rursus vsurpet? *Et recessit*, inquit, Lot מקדם *mikkedem*. PHIL. Equidem hinc etiam puto nonnihil probabilitatis accedere. THEO. Ast ego non aduerto quid suspicionem nostram ista confirment: Sapientis tamen consilio parendum fuit. *Da*, inquit *sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.*

Prouer. 9. 9.

XIX. *Idem probatur à restagnatione Iordanis.*

91. VErùm agè, Philomates, totum hunc locum recita. PHIL. *Eleuatis itaque Loth oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa rigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Dei, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.* TH. Atqui fluuius quærebatur, qui restagnaret, & irrigaret Paradisum, quæ Iordani vides apprimè conuenire. Quid quòd dicitur, Iosuè 3. v. 15. *Iordanes ripas suas tempore messis impleuerat?* Quid illud, quod iam ex Ecclesiastico protulimus: *Multiplicat quasi Iordanis in tempore messis?* An non hæc omnia confirmant restagnare Iordanem, & habere non pauca cum Nilo communia? quod Bocherus in Serto Sacro multis obsetuat. Cap. 31.

92. Atque vtinam Timæum Mathematicum superstitem haberemus. PHIL. Cui bono? THEOPH. Phialam appellari Nili fontem asserebat (vt author est Plinius, lib. 5. cap. 9.) *mergique in cuniculos ipsum amnem, vapore anhelantem, fumidis cautibus, vbi conditur*, & alia multa sanè perobscura, quæ vix Oedipus aliquis, aut etiam ipse Loxias possit interpretari. Si viueret Timæus, & suum in hac Bibliotheca locum obtineret, ex eo scire possemus, quam Phialam Nili fontem esse velit: vtrùm eam ipsam Phialam Iosephus, & Hegesippus aiût Iordanis esse fontem primarium, an cùm ait, in cuniculos amnem demergi vapore anhelantem fumidis cautibus, putauerit Nilum, si primam originem spectes, eundem esse cum Iordane, & eandem aquam primùm à Phiala, subterraneis meatibus ad apertum Iordanis caput deductam, postquam ad terram Sodomorum exustam peruenerit, *vapore anhelantem, fumidis cautibus*, in cuniculos mergi, & in terram abscondi, donec in Tigris, & Euphratis, Gangis, ac Nili scaturigines erumpat. An hæc potiùs tibi mira videntur esse delirantium, & vt modò dicebamus, Centauros in nube pingentium insomnia? PHILOM. Equidem, mi Theophraste, vt nihil hac in re temerè pronuntiandum reor, ita rem in medio relinquo.

93. THEO. Hanc Iordanis restagnationem adiuuabant fontes duo extremæ regionis illius, quam Paradiso circumscripsimus, vbertim irrigantes: Alter à Lib. 3. de excidio Ierosol. c. 26. Septemtrione, de quo Iosephus, & Hegesippus, vbi multis regionem Gennesar, quæ lacui Gennesar prætenditur, aëris clementiam, soli fœcunditatem exposuit, hæc etiam adiunxit: *Ad hanc naturæ fertilitatem, & aeris temperiem, accedit & fontis gratia, qui memoratam regionem (Gennesar) genitali quadam irrigat infusione, Capernaum nomen ei: quam Nili fluminis venam, haud superfluò quidam æstimauerant, non solùm quia irriguis arua opimat, verumetiam quia huiusmodi creat piscem, vt Coracinum putes, qui in Alexandrino Lacu ex Nili infusione reperitur.*

94. Alter à Meridie fons Elysæi, de quo Iosephus: *Ad ipsam verò Iericho longissimus fons est, rigandisque aruis vberrimus, iuxta veterem scaturiens ciuitatem, quam Iesus Naue filius, Hebræorum dufector, primam in Chananitide occupauit:* & quibusdam interiectis. *Amplius quàm cæteri fontes spatium rigat, & septuaginta quidem stadiis* (i. nouem penè passuum millibus) *viginti autem latam planitiem permeat*: addit de soli amœnitate, atque vbertate, quæ commodiùs alibi referentur. Lib. 5. de bello Iudaico, cap. 27

PHILOM. Quærebamus fluuium, qui ad maiorem rigandi facilitatem non rectò decurreret alueo, sed Paradisum variis flexibus mæandrisque describeret. THEO. *Iordanes amnis amœnus, ambitiosus, accolisque se præbens, velut inuitus Asphaltitem lacum petat*, eleganter à Plinio describitur. Lib. 5. c. 15.

XX. *Paradisi locus, à loco creationis, & habitationis, & sepulturæ Adami ostenditur.*

95. SEd iam ex te quæro, Philomates, longè à Paradiso Adam esse formatum, an existimes? PHILOM. Sanè iuxta Paradisum, *in quo posuit* Deus *hominem, quem formauerat.* THEO. Quo, inquam, peculiari loco? PHILOM. Si interrogamus Hebræos, vel in agro Damasceno, iuxta Hebron, non longè à Conualle Illustri, vel saltem in aliqua parte terræ Israëliticæ formatum esse consentiunt. Adstipulantur Hieronymus, Lyranus, Hugo, Abulensis, aliique sexcenti. A spelunca duplici, inquit Brocardus in Terræ Sanctæ descriptione, *ad Occidentem, ad iactum arcus vnum, est*

ager Damascenus, vbi plasmatus dicitur Adam, habétque argillam rubeam, flexibilem in modum ceræ, quæ per camelos in magna quantitate in Ægyptum, Æthiopiam, Indiam, & alia loca deportatur. Sed hæc ab Hebræis ambitiosè suggeruntur, *neutrū satis probabiliter*, inquit eruditus Salianus, *propter distantiam. Statim enim cum nouo miraculo in hortum per multa terrarum spatia transferendus erat. Sed vt Hebræis amore patriæ peccantibus ignoscimus, non tamen peccare cum peccantibus æquum est.*

Addiem mundi 6. Num 86.

96. Hæc ille, cui facilè quidem ignosco, quòd anticipatæ præiudicatæque opinionis amore peccauerit. Quid enim aliud diceret? Plantarat in Mesopotamia Paradisum, neque sine miraculo poterat Adamum ex agro Damasceno in Mesopotamiam per tanta terrarum spatia commodè transferre Sed ipse mihi vicissim ignoscet, si ex eo quòd communis non Iudæorum modò, sed etiam Christianorum traditio primum hominem in agro Damasceno vel saltem in Palæstina formatum agnoscit, suspicer non procul inde plantatum fuisse Paradisum, ne statim illuc Adamus nouo sit miraculo transferendus.

97. TH. Vbi porro postquam eiectus est Adamus, eum putas habitasse? PH. Suspicor in eodem ipso loco, vnde fuerat in Paradisum translatus. Nam, vt conceptis verbis scriptura testatur Gen 3. v. 23. *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est.* Cùm enim terram de qua sumptus est, opponat Paradiso voluptatis qui generali terræ nomine continetur, non loquitur de terra generatim, sed certam definitámque regionem designat, ad quam primus homo post peccatum eiectus est. Quicquid sit, habitauit prope Paradisum, vt auctor est B. Ephræm commentariis in Genesim à Mose Bar-Cepha laudatus. *Et eiecit eum ex eo* (videlicet Adamum è Paradiso voluptatis,) *assignauitque ipsi locum non procul ab eo. Benignitas atque gratia scopus est perpetuus Deo: eius etiam rei apud inferos extant vestigia: habitationem ipsi dederat in Paradiso: sed præuaricatus est: rursus extrusit Paradiso: sed in propinquo collocauit.* Et sanè locum hunc Geneseos ita transtulerunt LXX. Interpretes. *Eiecitque Dominus Deus Adam*, καὶ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ Παραδείσου τῆς τρυφῆς, *Et habitare fecit eum è regione Paradisi voluptatis?* Quod singulari diuinæ prouidentiæ nutu factum ait Chrysostomus, ἵνα ἀδιάλειπτον ὀδύνην ἔχῃ, *vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit.* Et paucis interiectis, καὶ τὸ πλησίον καὶ ἀπέναντι τοῦ Παραδείσου προστάξαι κατοικεῖν τὸν ἐκεῖθεν ἐκπεπτωκότα, μεγίστης κηδεμονίας σημεῖον ἦν, καὶ ἵνα ἐκ τούτου τὴν ἐκ τῆς θέας ὑπόμνησιν ἔχῃ, καὶ τοῦ ἐντεῦθεν κέρδους ἀπολαύῃ, &c. *Quòd prope & è regione Paradisi eum, qui illinc exciderat, habitare fecit, maximæ prouidentiæ & curæ signum fuit, vt & spectando memor esset, & inde lucrum faceret, &c.*

De Paradiso part. 1. c. 14.

In Genesim hom 18.

98. Quonam autem peculiari definitóque loco domicilium habuerit, certò statuere non possum Quare per mihi gratum perque iucundum feceris, ô Theophraste, si hunc etiam mihi scrupulum exemeris. TH. Iam huic quæstioni satis superque feceras, cùm eum diceres in terram, vnde sumptus fuerat, esse translatum. Veruntamen Basilium Magnum tantisper audiamus, λόγος τις ἐστὶ καὶ τοιοῦτος κατὰ τὴν ἄγραφον γνώμην ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ διασωζόμενος, ὡς ἄρα πρώτη ἡ Ἰουδαία ἄνθρωπον ἔσχεν οἰκήτορα, μετὰ τὸ ἐκβληθῆναι τοῦ Παραδείσου ἐν ταύτῃ καθιδρυθέντα. *Obtinuit fama quædam in Ecclesia memoriam conseruans non scripto proditam, quæ & talis est, quòd prima vtique Iudæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit delicijs Paradisi in hac terra collocatum.*

In cap. 5. Isaiæ.

99. Atque hæc opinio tam altis radicibus in Patrum animis insederat, vt nonnulli cum Paradisum trans Oceanum posuissent, nec aliter extricare se potuissent, ad commenta quædam & fabulas exorbitare maluerint, quàm vel latum, vt aiunt, vnguem ab hac maiorum traditione discedere. *Quidam eorum Doctorum*, inquit Moses Bar-Cepha, *qui censent Paradisum vltra Oceanum esse positum, dixere primos homines ex illa Paradiso affini terra, cùm essent statura procerissima, in hanc nostram per vadosum mare pedibus commeasse:* & tandem vt è sequentibus liquet, Ierosolymis habitasse.

De Parad. cap. 14.

100. Quid? quod Cain trucidato fratre, *habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden?* Καὶ οὗτος, inquit Chrysost. ἐν τῷ πόρρω τοῦ Παραδείσου διῆγεν, *& hic non procul à Paradiso versatus est, vt è regione illius existens continuò memor esset, tum eorum quæ patri suo ob præuaricationem cōtigerunt, tum grauitatis eorum quæ ipse patrauerat.* Sed age, mi Philomates, credis tunc tantum gigantas esse natos, *postquam ingressi sunt filij Dei*, videlicet à Setho propagati, *ad filias hominum*, quæ ad Caini familiam pertinebant? PHIL. Equidem non arbitror, etsi enim obscurior est translatio communis, & tamen possumus tum è textu principe, tum ex aliis interpretationibus lucem affundere, quæ omnes in vnam

In Genesim hom. 21.

sententiam conspirant. Gigantes fuerunt in diebus illis וגם אחרי כן אשר *vegam ahariken ascher, etiam postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, & genuerunt illis. Hi sunt a seculo viri famosi.* quod Augustinus amplectitur & pluribus exponit lib. 15. de Ciuit. Dei, ca. 23. THEO. Hos autem à quo propagatos existimas? PH. Maximam partem à Caino, cùm, ait vt idem Augustinus, ciues fuerint terrigenæ societatis: quod & indicare videtur Scriptura significans etiam ex quo filij Dei, videlicet Sethi bonorúmque Patriarcharum posteritas, ingressi sunt ad filias hominum, Caini videlicet, natos esse gigantas etiam ex illa stirpe promiscua, cùm priùs ex vna duntaxat earum stirpium nascerentur. Quod si ex vna, citra controuersiam è Sobole Caini. Nam, vt ait Baruch.
cap. 3. v. 27 *Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt.*

101. TH. Quibus in locis habitarunt? PHIL. Equidem aliam sedem ijs assignare non possum, quam Moabitidem, Ammonitidem, & præcipuè Basanitidem, de qua Deuteronomij 3. v. 13. *Omnem Basan regni Og tradidi mediæ tribui Manassis, omnem regionem Argob. vocatur terra Gigantum.* Quo loco, videtur Cainus primam omnium Henociam condidisse, factúmque. quod tamen non affirmo, vt Gigantes Henocim חנוכים ante diluuium dicerentur, qui post diluuium, vt facilis est tum aspirationum inter se, tum literarum palati mutatio ענקים *Enakim* audierunt.

Vide infrà lib. 5. v. 9.

102. TH. Gigantas quidem, qui post diluuium floruerunt, ad Orientalem Palestinæ plagam trans Iordanem habitasse citra controuersiam est: sed de Gigantibus ante diluuium quis tibi facilè concesserit? PH. Baruch cap. 3. cùm superioribus versiculis. Theman, quæ ciuitas est prope Basanitidem, meminisset, & ingentem possessionis Dei locum esse dixisset, illico subiecit v. 26. *Ibi fuerunt Gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus,* &c. Qui sunt illi gigantes ab initio, nominati illi scientes bellum, nisi quos Moses Genesis 6. הנפלים *hannephilim*, gigantas הגברים אשר מעולם אנשי השם *haggeborim ascher meolam ansche hasschem.potentes*, qui *à seculo* fuerunt, *viros nominis*, siue, nominatos & famosos appellat?
v. 4.

103. TH. Iam in viam redeamus. Habitauit Cain ad Orientalem plagam Paradisi? PH. Id vt fateamur, scripturæ extorquet authoritas. TH. Idem in regno Basan, quod Tribus Manassæ dimidia possedit, ad Orientalem Iordanis ac Iudææ plagam habitauit. PH. Id admodum probabiliter ex eadem scriptura deduximus. Certe Ioannes Annius Viterbiensis notis quas ad suum illum commentitium Berosum attexuit, Henochiam non longè à Libano conditam affirmat, additque suo tempore etiam ruinas fundamentorum illius ostendi solitas, atque ab incolis ciuitatem Cain vocari; quod se peregrinorum, qui in Libano & Damasco versati fuerant, relatione compertum habere testatur; sit fides penes authorem. TH. Cur putamus versus Orientem profugisse, nisi quia longè ab Adami cæterorúmque mortalium, qui ad solem occasum, è regione Paradisi consederant, se consuetudine & congressu remouebat? Adamus autem, vt vidimus, in Iudæa vixit, eiúsque caluariam in ipso Caluariæ monte sepultam fuisse, noménque monti indidisse plerique omnes Ecclesiæ Doctores vno ore consentiunt. Laudat certè Salianus Tertullianum, Cyprianum, Origenem, Epiphanium, Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum ipsum, qui tamen alibi primum parentem in Hebron sepultum esse significat, Theophylactum, aliósque non paucos. Nos vnum Panopolitani Poëtæ versum adferemus, quem ille prætermisit, cùm huius rei testes vndecúnque conquireret. Nonnus igitur cap. 19. Ioannis Caluariæ montem.

Ἀδὰμ πρωτογόνοιο φερώνυμον ἄντυγι κόρσης,
Adam primigeniæ cranij de nomine dictum esse testatur.

104. Quæ cùm ita sint, vt subductis rationibus disputationis nostræ summam aliquando faciamus, Quæro ecquid Adamus è Paradiso voluptatis eiectus, in Iudæa, è regione Paradisi, versùs occasum habitarit? PH. Omnino. TH. Ecquid Cain circa Basanitidem dimidiæ Tribui Manassis attributam, *ad Orientalem plagam Edem* rerum suarum domicilium collocarit? PH. Negari non potest. TH. Igitur in ea regione Paradisus à Deo plantatus est? media est inter Tribum Iuda, & Tribum dimidiam Manassis? PH. Assentior. TH. Iam consule tabulas omnes Geographicas, nullam aliam regionem inuenies præter illas quas Iordanes præterfluit, in quibus constituimus Paradisum.

Alia argumenta tum Physica tum moralia in eandem sententiam conglobata.

105. Quærebamus deinde fluuium cuius aqua corruptioni non esset

obnoxia. *Numquam*, inquit Villamontius lib. 2. Pereg. cap. 20. *Iordanis aqua corrumpitur, vel toto terrarum orbe delata. Quod experientia compertum habeo, quippe qui fluminis illius aquam Ierosolymis Venetias usque mille & septingentarum leucarum itinerum ullo, secundum itinera quæ confeci, planè incorruptam detulerim.* Ecquid non hæc aqua digna tibi videtur, quæ Paradisum immortalitatis & incorruptionis locum irrigarit? PH. Planè dignissima. TH. Alienum autem tibi videtur, vt inde secundus Adam humanæ salutis initium accerseret, vnde primus Adam mortem in orbem terrarū inuexerat? PH. Planè consentaneum. TH. vbi primùm Christus Euangelium prædicauit? PH. Circa Iordanem. TH. Vnde primus Adam peccato suo mortem inuexit? Ph. E Paradiso. Th. vbi baptizatus est Christus? Ph. In Iordane. Th. Cuius fluminis aquas contactu corporis sui consecrauit, vt inde se tanquam in quatuor capita diuiderent, & ad expiationem peccatorum se ad ortum, occasum, septemtrionem & meridiem diffunderent. Ph Aquas Iordanis. Th. Quem igitur par est esse fluuium Paradisi? Ph. Iordanem.

106. TH. Quid quòd Phiala primus fons ex quo Iordanes per occultos cuniculos emanat, *ita iugiter plena est aquarum, vt neque superfluant, nec rursus aliqua derivari minutione intelligantur.* verba sunt Hegesippi post Iosephum. Μένει δ' ἀεὶ χείλους αὐτῇ ἀεὶ τὸ ὕδωρ, μήθ' ὑπονοστοῦν, μήθ' ὑπερχεόμενον. *Manet semper ipsi aqua in labro neque se subducens neque superfluens.* — Lib. 3. de exc. Ierosl. c. 16. l. 3 de exc. c. 35.

PHILOMAT. Hoc verò mihi reuocat in mentem dictum Ruperti Paradisi fontem esse veluti lacteam mammam & inexhaustam. Vnde omnis aqua dulcis oriatur. Adde quòd eam fortasse ob rem hic fons à Mario Victore describitur.

Ditior Oceano, iugi nam gurgite pronus
Ille suos donat latices: iste accipit omnes,
Nec turget tamen. At minor est qui crescere tantis
Fluctibus infusis, quàm qui decrescere nescit
Amnibus effusis.

TH. Audis Paradiso fontem numquam decrescere, quod de Phiala fonte Iordanis authores illi grauissimi prodiderunt.

XXII. *Idem probatur ab Amœnitate, fertilitate, temperie Regionis, item à Balsamo & aliis odoribus in ea nascentibus.*

107. PHIL. At enim amœnissima fuit regio Paradisi, aëris summa temperies, mira soli vbertas: vnus denique ille locus omnium terrarum deliciis affluebat. Circa Iordanem quid reperias eiusmodi? Audi Tertullianum. TERT. *Adspice Palestinam qua Iordanis arbitris finium arbiter, vastitas ingens, & orba regio, & frustra ager.* TH. Hi sunt nimirum impudicitiæ libidinisque præposteræ fructus. Nam, vt subdit Tertullianus in illo ipso Iordanis tractu, vbi vel ipse Iosephus πολλὴν ἐρημίαν *vastā solitudinem agnoscit, & vrbes retrò, & populi frequentes, & solus audiebat. Dehinc vt Dei censor esset, impletas ignium meruit imbres: hactenus Sodoma, & nulla Gomorra, & cinis omnia; & propinquitate maris iuxtà cum solo mortem bibit.* — De Pallio cap. 2.

Sed præstat profanum scriptorem audire. TAC. *Lacus immenso habitu, specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer. Neque vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur, incertæ vndæ, superiacta vt solido ferruntur, periti imperitique nandi perinde attolluntur, &c. Haud procul inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisque vrbibus habitatos fulminum ictu arsisse & manere vestigia, terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita aut manu sata siue herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.* TH. Dies me deficiet, si scriptorum qui de illa Sodomorum vastitate loquuntur, seriem coner euoluere. — 5. Histor

108. Tamen neque aquæ diluuij tantum mutare potuerunt, neque illi flammarum imbres in Sodomam, Gomorrham immissi, vt non eo terrarum tractu, quem Paradiso descripsimus, præsertim in Gennesar & agro Ierichuntino multa remaneant pristinæ amœnitatis fœcūditatisque vestigia. PH. Certè decebat vt primi parentes, quacunque anni tempestate creatos esse dicamus, fructus ex arboribus pendentes inuenirēt. Quid circa Iordanem eiusmodi? TH Meministine quanta orationis vbertate, quanta concinnitate verborum Homerus in horto Alcinoi, arbores florentes atque proceras, pyros malos puniceas, malos ἀγλαοκάρπους ficus oleásque descripserit?

Quarum perpetui ramo prodeunte fructus
Nūquā deficiūt hyeme, atque æstati perēnes.
Hos coquit, hos Zephyrus producit mollibus auris. — 7. Odyss.

Meministine vitis illius apricæ, cuius vuas
Decerpunt alias, alias calcare trapesis
Incipiunt præcox pendet dū palmite fructus,
Iam nigra apricis coquitur vindemia saxis.

Tu Græca, si te magis oblectant. Omnia quæ præstanti Poëta ingenio fingere potuit,

Broeardus auctor est in Palæstina reperiri. Brocardvs. *Habent fructus qui etiam per totum annum in arboribus conseruantur, vt sæpe videas vnam arborem simul flores, & fructus maturos gestare.* Quid? quòd sub Libano monte, in cuius radicibus fons apertus Iordanis ostenditur, *colligunt vno anno ab eadem vite triplex vinum: hoc est habent vno anno tres vindemias?* Th. Ecquid Homerum audire tibi videris?

lib 3 de excidio c. 35. *Malis mala, pyris pyra succedentia, ficus Ficubus, atque vuæ subnascens vua senescit.*

109. Ph. Vis vt Iosephū de Genesar loquentem paucis audiamus. Th. Imò, ne putidè Græculi videamur, Hegesippum, qui Iosephum Latinis verbis, & pene totidem in-
Lib. 3. de excid c 26. terpretatur, qui tamen Græcéne an Latine scripserit, incertum. *Prætendit autem*, inquit, *regio Genesar eiusdem nominis lacum, de quo & ipsa vocabulum assumpsit, mirabili naturæ gratia & specie pulchritudinis, &c. Cuius tanta temperies vt omnium nascentium conueniat diuersitati, illic & quæ frigore aluntur, sese multipliciter effundunt, & quæ æstu fouentur. Hic æstiua Hibernis mixta simul adspicias, arctoas nuces, & dactylos nisi locis feruentioribus generari nescios. Quid ficus aut oleas loquar, quas cœli mollior alit tractus?* Et paucis interiectis ex eodem Iosepho. *Dicas* inquit, *naturæ & temporum iucundam contentionem, illa quasi mater fœcunda omnia creat, horum temperies, quasi bona nutrix, molli fotu vniuersa educat. Itaque non solùm affatim generantur pomorum diuersitates, sed etiam conseruantur, vt aliqua genera maximâ parte anni non deficiant: reliqua omnia tota anni ætate vsque ad finem superſint. Nam & vua & ficus, quæ sunt in institutis regalis cuiusdam gratiæ, decem mensibus sine vllo defectu redundant, & reliqui fructus ramorum, quos vel violentia rurs sponte propria procreauerint, vel ingenerauerit industria humana ministerium suum nisi nouis succedentibus vsu quodam administrantium deserere non norunt.*

110. Ph. Hui! quid aliud in ipso Paradiso desideres? Th. Id ipsum quod suggeret
Descriptione terræ Sanctæ. Brocardus. Broc. *Habent & alia optima poma, & mirabilia, quæ poma Paradisi ab eis vocantur.* Phil. Poma Paradisi? Sed perge porro. Broc. *Hæc crescunt in modum maximi botri. Quantitatem habent mediocris cophini, cuius grana sunt ipsa poma, ita vt non raro centum poma & aliquando plura simul conglobata in modum vuarum reperias, quorum quodque oui habet magnitudinem obductum folliculo spisso crocei coloris, qui decorticatus dulcem & delicatum relinquit fructum. Hæc arbor vltra biennium non durat, sed arefacta ex eius radicibus alios surrogat surculos, folia eius adeo longa sunt, vt staturam hominis erecti ferè excedant. Latitudo vero tanta est, vt duo folia hominis corpus commodè tegere possint.*

111. Phil. Sed, mi Theophraste, bonâ veniâ dic. Hicne tibi videtur, fuisse fructus, cuius feralis esus humano generi mortem inuexit? Th. Equidem nihil affirmo, tamen Bocherus hanc omnium In sertosacro. Orientalium tradit esse sententiam. Phil. Cur igitur primi parentes animaduersa carnis rebellione, *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, si folia tantæ magnitudinis ad manum habebant? Th. Vel à contactu huius arboris, tanquam feralis abhorruerunt, vel alterius arboris folia carpserunt, quòd hæc longiùs ab arbore Paradisi gererentur. Videtur enim Eua fructus ex hac arbore decerptos ad maritum absentem detulisse. Sed quid hæres in vno defixus obtutu?

112. Philom. Hæc Paradisi poma herbam Paradisi mihi reuocant in mentem. Memini enim me legere apud Isidorum, folium odoratum, quod alij malabatrum appellant, herbam Paradisi vocari. Theo. Malabatrum autem vnde colligitur. Phil. E Syria, ni fallor, de quo Lyricus. 2. Carminum, *coronatus nitentes Malabatro Syrio capillos.* Th. Igitur è Syria, cuius Palæstina pars est, herba Paradisi decerpitur. Iam vt nardum Syriacam, vt calamum siue iuncum odoratum in Syria, præsertim Palæstina nascentem omittam, è qua terrarum plaga suauissimum omnium odorem petendum existimas? Ph. E regione Paradisi. Th. Quis odor omnium suauissimus? Ph. Balsamu quæ regio natalis? Iustinum, vel potiùs Plinium, si lubet, loquentem audiamus. Iust lib. 16.
Plinivs. *Omnibus odoribus præfertur* Plin. lib. 12.
balsamum vni Iudææ concessum quondam in cap. 21.
duobus tantùm hortis, vtroque regio: altero iugerum viginti non amplius, altero pauciorum. Ph. Certè & ante Plinium Theophrastus Peripateticus duos duntaxat in Syria Balsami παραδείσους agnoscit: Strabo τὸν τοῦ βαλσάμου παράδεισον, nec plures appellat.
Diodorvs Sievlvs *Circa hæc loca* Lib. de Plantis
in conualle quadam nascitur Balsamum, Lib. 2. biblioth.
ex quo luculentum prouentum accipiunt. οὐδαμοῦ μὲν τῆς ἄλλης οἰκουμένης εὑρισκομένου τοῦ φυτοῦ τούτου, *cum nusquam alibi in toto terrarum orbe reperiatur arbustum huiusmodi.*

113. Ph. verùm, mi Theophraste, vereor vt hinc firmum satis argumentum sumi nō possit, quo probetur in Palæstina fuisse Paradisum

radisum, cùm & Diodorus hanc conuallem assignet Arabiæ, & multi graues
Diosc. l. 1. cap. 18. Strab. l. 16. Pausan. Bœoticis. authores prodiderint in alijs quoque regionibus balsamum prouenire, vt Dioscorides in Ægypto, Strabo in maritimis Sabæorum, in Arabia Pausanias. TH. Strabo alibi balsamum nasci tradit, sed siluestre. Pausanias (nisi fortè totam fabulam commentus est) Ierichontis Conuallem Asphaltitæ lacui vicinam, duobus Paradisis balsami nobilem Arabiæ contribuit; quod fecit etiam Diodorus. Asphaltites enim lacus Arabiam à Palestina disterminat. Dioscorides etiam Ægypto balsamum assignat, postquam videlicet hunc fruticem Cleopatra transtulit in Ægyptum. Huic enim donauerat Antonius Phœniciam, Cœlem Syriam, Cyprum, magnam Ciliciæ partem. ἔτι δὲ τῆς Ἰουδαίας τὴν τὸ βάλσαμον φέρουσαν. *& cum Iudeæ tractum in quo balsamum nascitur*, vt auctor est Plutarchus in Antonio.

114. Et sanè negari non potest hanc arbusculam in alias terras fuisse propagatam, cùm multis seculis, & ab ipso fortasse mundi nascentis exordio vsque ad euersam à Tito Ierosolymã in sola Iudæa constitisset. PLIN. *Sæuiere in eam Iudæi, sicut in vitam*
Cap. 35. *quoque suam, contrà defendere Romani, & dimicatum pro frutice est. Seritque nunc eam fiscus, nec vnquam numerosior fuit, aut procerior.* SOLINVS. *In hac terra balsamum, nascitur, quæ silua intra terminos viginti iugerum vsque ad victoriam nostram, fuit: at cùm Iudæa potiti sumus, ita luci illi propagati sunt, vt iam nobis latissimi colles sudent Balsami.* TH. At iam neque in Europa, & ne in ipsa quidem Iudæa reperitur. *Tantũ æui longinqua valet mutare vetustas.*

115. Hic porro frutex in Ierichuntina valle non longè à lacu Asphaltite nascebatur. Hanc vallem rigabat fons Elisæi,
Ioh. 5. de exc. c. 27. qui cùm lacus vt videtur viciniâ corruptus, ac proinde pestifer esset ac sterilis, eiusdem Elisæi precibus & salis iniectione fœcunditatem recepit. Is, vt auctor est Iosephus, *planiciem septuaginta stadiis longam, viginti latam perlabitur.* ἐκτρέφει τ' ἐν αὐτῷ παραδείσους καλλίστους τε καὶ πυκνοτάτους, *optimos in ea paradisos ac densissimos educat, palmarúmque irriguarum genera, tam sapore quã nominibus varia, quarum pinguissimæ calcibus pressæ plurimum mellis emittunt, non multùm alio melle deterius. Quanquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium pretiosissimus est fructus ibi nascentium. Namque cyprum & myrobalanum gignit,* ὡς οὐκ ἀναμαρτεῖν τινα εἰπόντα θεῖον εἶναι τὸ χωρίον. *vt qui diuinum esse tractum illum dixerit, non errauerit.* ἐν ᾧ δαψιλῆ τὰ σπανιώτατα καὶ κάλλιστα γίνεται. *in quo quæ rarissima sunt & optima, copiosè exuberant. Sed nec in alijs et fructibus aliqua facilè toto terrarum orbe regio certauerit, &c. Tanta est autem cœli temperies, vt quo tempore in alia Iudæa regione ningit, lino illic tantùm indigenæ vestiantur.*

116. TH. I nunc, Philomates, & alibi quære Paradisum quàm circa mare Tiberiadis, in regione Genesar, in valle Illustri, & eo tractu quem Iordanes permeat, in Conualle Ierichuntina, locisque vicinis, cùm etiam ibi post diluuium, post Sodomorum incendia, tanta superfuerit vel amœnitas vel vbertas, vt præstantes ingenio Poëtæ non potuerint maiorem effingere, cùm præsertim omnis illa regio Iordanis, *qua vniuersa irrigabatur antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorram,* Genesis 13.
sicut Paradisus Dei, imò & ipsa Sodomo- v. 10.
rum conuallis illis locis tum temporis ante- v. 11. & 12.
ponenda fuisse videatur. Nam, vt subnectitur, *Elegit sibi Lot regionem circa Iordanem*, & iterum. *Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.* PHIL. Equidem alibi non quæram, mi Theophraste, & gratiam immortalem habeo, quod me *ignarum hominumque locorúmque* ad ipsum vsque Paradisum manu deduxeris.

XXIII. *Quomodo Iordanes in quatuor capita diuidatur.*

117. VNum tamen superest quod à te velim expediri. Paradisi fluuius is esse debet non qui aquas in mare Mediterraneum aut Oceanum euoluat, easque cæteræ congregationi aquarum commisceat, non qui in plures alueos apertè discedat, sed qui in plura fluuiorum capita ἀρχὰς, ראשים *raschim* diuidatur. Id autem quomodo fieri potest nisi terram subeat & occultis meatibus alibi se in fluuiorum scatebras erumpat. Id autem Iordani conuenire quis arbitretur. TH. Ecce Brocardum qui nescio quid dicturus videtur. Quid ais, Brocarde? BROC. *Dixerunt mihi Saraceni Iordanem ingredi mare Mortuum, & rursum egredi, sed post exiguum internallum à terra absorberi.* PHIL.

Credat Iudæus apella,
Non ego. TH. Quid si Villamontius accedat testis oculatus? PHIL.
Pluris est mihi oculatus testis vnus, quàm iurati decem.

vt ait ille, sed ipsum, si placet, suis verbis loquentem audiamus. VILLAMONTIVS.

Lib. 2. Pereg. cap. 10. *C'est grand cas que le fleuue du Iourdain ne s'engoulfe point en la mer, comme les autres fleuues & riuieres, & ne sçait-on pas ce qu'il deuient apres auoir passé par les lacs cy-dessus nommez.* TH. Audis Iordanem cæterorum fluuiorum more in Mare non euolui? sed ignorari quò dilabatur, postquam lacus Samochonitim, Gennesar, & Asphaltidem euaserit?

118. PH. Audio sanè, & admiror tantum apud veteres tanta de re silentium. TH. Tamen, vt scias, veteres non abeunt ab hac sententia, dum eum in Asphaltidem labi testantur, eòque sic retineri nusquam vt eius exitus appareat. TAC. *Nec Iordanes pelago*
6. hist. *accipitur, sed vnum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur.* Possem rogare Plinium, Iosephum, Hegesippum, Adamannum, aliósque non paucos. Sed quid opus est singulorum perrogare sententiam? Qui hæc de Iordane sentitis, Patres conscripti, ite in hanc partem qui alia omnia, ite in istam. Vides neminem refragari, sed omnes in hanc partem concedere.

119. PH. Video equidem. Sed quorsum? TH. Hic lacus quantumuis magnus cùm non redundet assiduo Iordanis influxu, quomodo potest tantam aquarum perenniter ingestarum copiam gremio suo continere? PH. Profectò necesse est eas Asphaltide lacu receptas per subterraneos quosdam meatus emitti, alioqui Iordanes à tot annorum millibus in eundem lacum influens, non Syriam modò, sed vniuersam Asiam & Europam iampridem inundasset, cùm tenues admodum riuos oppositis obicibus repulsos paucis non dicam mensibus, sed diebus ingentia sola terrarum aquis opplere videamus. Eream ob rem etsi qui rei naturam minùs attendunt, Mare Caspium & Hyrcanum suis seorsum circumscriptum esse finibus arbitrantur, ἀλλά γε, inquit Basilius Homilia 4 in Hexaëmeron, εἴ τι δεῖ τοῖς τῶν ἱστορησάντων προσέχειν γεωγραφίαις συντέτρηνται πρὸς ἀλλήλας, καὶ πρὸς τὴν μεγίστην θάλασσαν ἅπασαι συνεστόμωνται. *Tamen si iis qui in describendis terris operam nauarunt, mentem adhibere oporteat, maria inter se per meatus suos commiscentur, & omnia permeāt ad mare maximum atque confluūt.* Ita censent videlicet, ne dicere cogantur, quòd nemo nisi præiudicijs suis occupatus & apprehensam semel opinionem mordicùs retinere volens probabile censuerit, ideò mare Caspium tot illabentibus assiduè fluuiis non redundare, quia tantū aquæ abit in vapores, quantū è fluminibus accesserit.

120. TH. Quid igitur officit quominùs possint aquæ Iordanis in terram absorptæ in quatuor capita diuidi, & per occultos canales in Tigris, Euphratis Phison, & Geon, scatebras permeare? PH. Duo supersunt. quæ antequam penitùs assentior, mihi velim liquidiùs explicari. Alterum cur contra viros eruditos qui Æthiopiam hanc Orientalem Geone rigatam Madianitidem Arabico sinui prætentā esse volunt, tu Æthiopiam hanc ad Rhinocolutam & mare Mediterraneum pertinere defendas. TH. Quia videlicet fluuius Sihor, quem LXX. Geon appellant, inter Ægyptum & Palæstinam in mare Mediterraneum illabitur, vt colligi potest è Iosue 19. v. 26. Quia Æthiopes, qua tempestate dominabantur Ægyptiis, Rhinocoluram ibi condiderunt, vt è Strabone liquet, lib. 16. Et Diodoro Siculo lib. 1. Bibliothecæ, parte secunda. Quia Menelaus Æthiopas & Sidonios eadem nauigatione lustrauit.

Αἰθίοπας θ' ἱκόμην, καὶ Σιδονίους καὶ Ἐρεμβούς.
Accessi Æthiopas & Sidonios & Erembos.

Nisi si dicere volumus Menelaum è Troia redeuntem per Herculis Columnas in Oceanum Athlanticum nauigasse, circumflexisse Bonæ Spei promontorium, Sinum Arabicum intrasse, vt ad Æthiopiam nauem appelleret, aut certè, quod est in Argonautarum fabulis, nauem suis impositam ceruicibus à mari Sidonio ad Arabicum transtulisse, an autem Madianitis Æthiopiæ nomine iure censeatur, non disputo, neque præsentis est instituti. Satis est Æthiopiam vocari regionem illam mari Phœnicio vicinam, quam fluuius Sihor, siue Geon præterfluit.

121. PHILOM. Alterum quod expediri mihi cupiebam, id fuit, an credibile sit Iordanem qui à Septentrione versus meridiem decurrit, & in mare mortuum euoluitur, cùm terram subierit, ad angulum se reflectere versus eundem Septemtrionem, & per immensa terrarum spatia, non paucis fluminibus ac rupibus interiectis, in Tigris & Euphratis origines contra naturalem propensionem erumpere? THEOPHIL. Nihil est, mihi crede, quòd te recursus iste moueat, cùm apertos nonnullorum fluuiorum alueos ad angulum reflecti, & propiùs ad fontem redire per aliarum vallium decliuia videamus. Quod ais fieri non posse vt contra naturæ suæ propensionem adscendat: & ego fateor, sed aquam subitè altitudinem exortus sui, si libramenta feruetur, non ignoras. Primus autem fluuiorum, ipsiúsque adeo Iordanis exortus cui mortalium compertus est? Qui scire potuisti Tigris & Euphratis apertas origines esse primario Iordanis or-

tu' altiores, cùm eum nihil prohibeat ab editiſſimo totius orbis terrarum monte ſuas aquas per occultos meatus accerſere? Quod autem miraris eum flumina montesque ſubterlabi poſſe, vt poſt immania terrarum ſpatia in Armeniam erumpat, mirare potiùs *Alpheum Elidis amnem occultas egiſſe vias ſubter mare*, trecenta ſexaginta millia paſſuum abditis cuniculis emetiri, & in Arethuſam Siciliæ fontem influere, vel potiùs eum mirare qui librauit fontes aquarum, cum Sapientia ſua cuncta componens.

XXIV. *Recapitulatio.*

121. Video te dictis annuere. Quare, ne ipſa prolixitas orationis diſputationi noſtræ tenebras offundat, velim abs te ſubduci rationes, ſummámque fieri eorum quæ hactenus à nobis fuſiori ſermone tractata ſunt. Sic enim adhibebitur cautio, ne incertus animus in multa diuagetur. Ph. Conuenit inter nos Paradiſum ab initio plantatum eſſe verſus Orientem; nec in eo trãſlationem noſtram à LXX. interpretibus diſſidere: fluuium quo rigatur Paradiſus, poſtquàm rigandi munere perfunctus eſt, in quatuor aliorum fluuiorum capita diſtribui: probabilem eſſe Patrum ſententiam, qui Phiſon Gangen, Geon Nilum eſſe cenſuerunt: id commodè explicari poſſe cenſuimus, ſi dicamus è Paradiſi fluuio ſubterraneis cuniculis perducto Tigrin & Euphratem, è Tigri Gangem, Nilum ex Euphrate generari quod multis non ſacrorum modò, ſed etiã profanorũ teſtimonijs oſtendimus. Adiecimus tamen probabilius videri Geon eſſe fluuium Sihor, qui Æthiopiam Orientalem inter Ægyptum & Paleſtinam alluit: Phiſon eſſe fluuium qui in terra Heuilat prope Amalecitidem arenas aureas in Arabicum ſinum euoluit.

123. Probauimus deinde Iordani eas ineſſe conditiones quæ in Paradiſi fluuio requiruntur: cum *Iarden* quaſi *Iaar Eden*, fluuium Eden nominari: vocabulum Eden in ſcriptura, Syriæ Damaſcenæ, Libano, Syrophœniciæ, viciniſq; regionibus tributum videri: Iordanem in Orientali Terræ Sanctæ plaga decurrere: eſſe in medio terrarum, & inter illa quatuor fluuiorum capita, in quæ diuidi narratur fluuius Paradiſi. Eum vnum eſſe, quem Eccleſiaſticus quatuor illis à Moſe nominatis oratione coniunxerit, & cum diuina Sapientia compararit. Eum eſſe qui ſtatis temporibus reſtagnans terram humectet, quam non recto ſtringit alueo, ſed ad commodiorem rigationem ambitioſè circumſpicit; amœniſſimas eſſe regiones, quas alluit, vberrimas, deliciis omnibus affluentes. *Genneſar* quaſi *Ganſar*, hortum principem ob delicias appellari. Eam Iordanis eſſe naturam vt aquas ſuas in Mare non exoneret, cæteræque congregationi aquarum immiſceat, ſed in terræ gremium abſcondat, quas probabiliſſimum eſt occultis meatibus in aliorum fluuiorum ſcatebras erumpere. Multis denique oſtendimus Paradiſum eo terrarum tractu fuiſſe, qui regionem & lacum Genneſar, quem alij Mare Galilææ, ſiue Tiberiadis appellant, Campum Magnum, Conuallem Illuſtrem, Vallem Ierichuntinam, quæ ſola balſamum ferebat. Mare denique mortuum ſiue Sodomiticam regionem amplectitur, & limpidiſſimis vel fontis Eliſæi, vel fontis Capernaum, vel Iordanis ipſius aquis irrigatur. Cur enim in medio terræ, in terra Domini trita veſtigiis, illuſtrata miraculis, Vicina primæ mortalium habitationi, Paradiſo Dei: etiam poſt diluuium, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorram, Paradiſo, inquam, Dei comparata, amœniſſima, fœcundiſſima, temperatiſſima, odorum ſuauiſſimorum pleniſſima, perennibus fructibus exuberante ne gemus plantatum fuiſſe Paradiſum, vt eum ad ſactitium neſcio quem Tigris & Euphratis concurſum, & Arabas qui σκηνῖται vocantur, quòd vitam paſtoritiam agentes in tentoriis habitent, transferamus? At illi nec Orientales ſunt Paleſtinæ, ſed potiùs Auſtrales, & eorum paſcua, vel potius deſerta ἄνυγρα καὶ λυπρά arida & ſquallentia Geographus appellat.

XXV. *Vtrum opinio noua ſit & ſingularis.*

124 Cæteras, nec eas paucas rationes omitto: ne ſi ſingulas enucleare voluero, nouam videar orationem contexere. Sed vt verum fatear, vnum eſt in hac opinione quod mihi non ſatis arrideat Th. Quid illud quæſo? Ph. Vereor vt ſit admodum ſingularis, nec vllius aut veterum, aut recentiorum teſtimonio fulciatur. Th. An ignoras, ô Philomates, eam Homero cantilenam gratiorem videri.

Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Quæ poſtrema ſuis fertur auditoribus aures?

Et à Pindaro laudari παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων, *vetus quidem vinum, flores verò hymnorum recentiorum?* Olym. 9. Ph. Ita quidẽ fiebat antiquitùs, ô Theophraſte, ſed nunc mutata eſt ratio; homines nunc antiqua mirantur, recẽtiora faſtidiũt. Sic viuitur. Th. *Quod ſi tam priſcis nouitas inuiſa fuiſſet*

Horat. Ep. ad Augustum. *Quàm nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet*
Quod legeret tereretq; viritim public⁹ vsus?
Ecquid Eugubinus nouam de Paradiso sententiam non inuexit? PHIL. Inuexit, & eam neque Græcis, neque Latinis, neque Hebræis cognitam ante se fuisse gloriatur. TH. An illam eruditi viri, quia recens erat, auribus respuerunt? PH. Imò Theophraste, quis iam non illam amplectitur, non in sinu gestat, non vt filiolam exosculatur? Sed illa iam sæculum exegit, suáque ipsius antiquitate defenditur: nostræ autem tam recenti, tam nouæ vnde conciliabitur authoritas? TH. Recens est, fateor.

Si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget, non despero fore vt hæc opinio, si contemnendum habet nihil præter nouitatem, aliquando vetus euadat,

Canescat seclis innumerabilibus,

& inter antiquas suo quoque numero censeatur. Quamuis fortasse non fuimus primi. Sed aliquem habere poterimus principem nostræ sententiæ.

125. PH. Vis igitur, vt, quoniam sumus in hoc Bibliothecario Doctorum consessu, ab iis sciscitemur? TH. Placet. PH. Estne aliquis vestrûm, Patres conscripti, qui in Palestina, circa Iordanem Gennesar, Ierichontem & Sodomos putet fuisse Paradisum? Est ne? inquam. Ne vnus quidem adstipulator accedet? Ecce commodùm Iacobus Naclantus Episcopus Clugiensis. Lib. de opere sex dierum. NACLANTVS. *Meæ consonat imbecillitati vt fuerit, vbi est promissionis terra, idque haud simplici coniectura. Prima est quia illa non modò percelebris est in diuinis literis, sed & typus cœlestis decernitur patriæ*, &c. Deinde quia Deus ibi *& nasci & mori & resurgere voluit vnigenitum, qui indubiè arbor est vitæ, indéque suam proficisci legem, ad discernendum quod est bonum & malum, quam nulli fas est carpere, nulli mordere sine interminatione mortis. Secunda quia Lot*, & cætera quæ iam antè ex 13. Geneseos tractata sunt. TH. Nemo præter hunc occurrit nisi quòd Mariana *Iarden* quasi *Iaar-Eden* dictum ait, nobiscum sine controuersia sensurus, si quæstionem hanc de loco Paradisi diligentiùs tractare voluisset: & nonnulli veteres apud Athanasium, quæstione 47. ad Antiochum, Ierosolymis statuerunt. Quos ille refellit hoc argumento, ὅτι μὲν οὐκ ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐστὶν ὁ Παράδεισος, μαρτυρεῖ ὁ Ἀδὰμ ὁ ἐν τῷ Κρανίῳ κείμενος, ἔνδηλον δ' ὅτι οὐκ ἐν τῷ παραδείσῳ ἐτάφη, ἀλλ' ἐξεβλήθη. *Quod Ierosolyma non sit, testatur Adam qui in Caluariæ monte iacet, constat autem eum non in Paradiso sepultum, sed inde eiectum.*

126. Atque vtinam hîc adessent Ciruellus Doraecensis, & Alphonsus à vera Cruce. PH. Cur eos tantopere desideras? TH. Narrauit mihi frequenter noster hic Cornelius à Lapide vir eruditus, & eruditis omnibus apprimè familiaris Ciruellum in Paradoxis q. 15. & Alphonsum l. de cœlo, Specul. 15. eadem quæ nunc dicimus de Paradisi loco censuisse. Qui si adessent, nonnulla fortasse nostris argumentis ex eorum rationibus fieri posset accessio.

XXVI. *De Henoc, an sit in Paradiso.*

127. PHIL. Sed heus tu, Theophraste. Enimuerò timendum est ne Iesus filius Sirach subitò nos excutiat è tuo isto Paradiso. TH. Quamobrem? PH. *Henoc*, inquit, *placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam*. Eccl. 44. v. 16. Henochus igitur longè ab hominum consortio segregatus in terrestri Paradiso vitam agit cœlestibus deliciis circumfluentem, donec imminente rerum interitu veniat ad pœnitentiam gentibus prædicandam. Quis autem existimet eum in Palestina iuxta lacum Gennesar, aut Mare Mortuum habitare? Plautus Bacchidibus. Id si dixerimus. [*sunt posthac*
Quicunq; vbi vbi, sunt, qui fuere, quiq; futuri
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
eos omnes *stultitia & moribus indoctis*, anteire dicemur à nescio quibus, qui totam eruditionem suam & eloquentiam putant oggerendis verborũ contumeliis contineri.

128. TH. Henochum translatũ fuisse constat, sed vtrum in eum Paradisum, cuius sedem inquirimus, an in alium locum amœnum translatus fuerit, non perinde constat; Quia nec illud aliunde quàm ex articulo Græco deducere possumus, nec in contextu Græco extat vlla mentio Paradisi. *Henoc* placuit Deo, καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς, *& translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus*. Et vt in illum ipsum Dei Paradisum translatus fuerit ab initio, idcóne in eo loco tanquam arbor radices egisse credendus est, vt aliò transmigrare non potuerit? Quid si imminente diluuio in supremam aëris regionem, quid si ad cœlum ipsum subductus est? In rebus tam obscuris ariolari quis potest? aut quis Dei consiliarius fuit?

129. PH. Planè mihi persuasisti, Theophraste: atque vtinam, vt Paradisum illum terrestrem, an sagaciter nescio, diligenter quidem certè & quantùm omnibus vestigiis subodorari fas fuit, indagauimus, & fortasse reperimus, ita cœlestẽ inuenire possimus.



SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER TERTIVS.

EVLOGIVS, SIVE DE BENEDICTIONIBVS NOE.

EVLOGIVS, MEROPS, BASILIVS.

PRÆFATIO.

I. EVLOG. Meministis ne, Merops & Basili, hodiernæ cœnæ, quibus dapibus fuerit instructa? MEROPS. Dapes, opinor, non è culina, sed è scriptura petitas intelligis, quas modò nobis exhibuit anagnostes. EVLOG. Eas ipsas. MER. Equidem memini. Et vt eorum præcipua, quæ mihi magis dum legerentur, animum perpulerunt, oratione delibem, capite 9. Genes. exeuntre agit Moses de diris quibus Chanaan ob culpam patris à Noemo defixus est, & faustis apprecationibus, quibus Sem & Iapher abunde cumulati, capite decimo de prima gentium & regnorum institutione, vndecimo de diuisione linguarum. EVLOG. Rectè meministi. Sed in his multa sunt quæ difficultatis non nihil habere videantur, MEROPS. Equidem ita sentio. EVLOG. Quid igitur prohibet tempus hoc studiorum relaxationi post cœnam de more concessum his enucleandis impendere? MER. Quid enim nobis, vt etiam pro Basilio nostro tibi respōdeam, possit accidere, vel ad fructum vberius, vel ad honestam animi remissionem amœnius? Quare, nisi tibi molestum est, has nobis quæstiones extrica. EVLOGE. Imò Merops, quod olim consules faciebant, vel sortiamur, vel comparemus inter nos, quam quisque sit habiturus prouinciam. MEROPS. Nihil opus est, Eulogi, arbitrū habemus hunc Basilium, qui nostram controuersiam ex æquo & bono dirimat, & suam vtrique prouinciam assignet. EVLO. Quid tibi videtur Basili. BASILIVS. Dictum est antiqui sapientis satius inter inimicos duos, quàm inter amicos arbitrū sedere quòd ex inimicis alterum, secundum quem pronuntiaueris, amicum, ex amicis alterum, qui damnatus fuerit, inimicum sis habiturus. Neque verò aut *nostrum inter vos tantas componere lites*, aut necesse fuit

arbitrum adhibere, cùm diuina quædam sors disceptationem hanc ita decidat, vt tibi, Eulogi, τὰς εὐλογίας, & benedictiones Noëmi declarandas; tibi, Merops, de diuisione linguarum, primáque adeo gentium, & Regnorum institutione dicendum videri pronuntiet: quippe cùm propter hanc vocum partitionem, initio Panarij scribat Epiphanius, homines à Græcis μέροπας nuncupari. MEROPS. Næ tu bellus homo, Basilj, qui tuas alteri partes imponas. Cur non enim Basilius, περὶ τῆς βασιλειῶν? EVLOG. Benè mones. Quare, quod vestro commodo fiat, negotium ita partiamur, vt Merops de linguarum diuisione, Basilius de prima regnorum institutione: Ego de Noëmi benedictionibus dissetamus. BASILIVS. Sanè placet.

I. *Diuisio quæstionis, de benedictionibus Noëmi.*

2. PAuca sunt igitur, quæ circa Noëmi, siue apprecationes, siue Prophetiam ex te, Eulogi, scire desiderem.

Primùm, grauitérne peccarit ille renascentis generis humani Patriarcha, cùm in ebrietatem prolapsus est.

Alterum, cur cùm vnus peccauerit Chamus, paternæ illudens nuditati, Chanaam eius filius, aui maledictione perculsus, pœnas patris impietati debitas exoluerit.

Tertium, quæ sit verborum, quibus imprecatio concepta fuit, mens, & sententia.

Quartum denique, quem tandem huiusmodi vel imprecatio, vel Prophetia sortita fuerit euentum.

II. *Grauitérne peccauerit Noëmus ebrietate.*

3. EVLOGIVS Quætis à me, Basilj, quàm graue peccatum admiserit Patriarcha, cùm hausto liberaliùs vino, reiectis à se verendorum amiculis, iacuit in tabernaculo suo temulentus. Equidem non is ego sum, qui cum Platone, sexto de legibus, aliquod tempus excipiam, quo deceat ad ebrietatem potare, πίνειν δὲ, inquit, εἰς μέθην οὔτ᾽ ἄλλοθι πρέπει, πλὴν ἐν ταῖς τοῦ τὸν οἶνον δόντος ἑορταῖς, οὔτ᾽ ἀσφαλὲς: *Ad temulentiam vsque bibere, neque decet, neque tutum est, præter quàm in festis illius Dei, qui vinum largitus est*: aut cum eodem libro quinto pueris vinum penitus interdicam ad annum ætatis decimum-octauum: adolescentibus, ad annum vitæ trigesimum moderatissimè permittam, quadragenariis bibere, vel ad ebrietatem, indulgeam. Neque vnquam apud me fidem inuenit Philo Iudæus, quantumuis grauis author, asserens libro, περὶ φυτουργίας exeunte, temulentiam interdum, viris etiam bonis, & sapientibus conuenire: eam nunc quidem in deterius esse prolapsam; sed olim rem sacram fuisse, & in ipsis templis, sacrificiis ritè peractis vsurpatam: ἀπὸ τούτου γέ φασι τὸ μεθύειν ὀνομάσθαι, ὅτι μετὰ τὸ θύειν ἔθος ἦν τοῖς προτέροις οἰνοῦσθαι: *ex eo volunt verbum* μεθύειν *.i. inebriari esse deductum, quòd* μετὰ τὸ θύειν *.i. postquam sacrificauerant, vino se proluerent.*

4. Scio vinolentiam, nisi consuetudo grauiorem effecerit, inter culpas leues & veniales à Gratiano numerari: Scio, graues Theologos ebrietatem, non quidem voluptatis causâ, sed vnius dumtaxat sanitatis, interdum permittere. De quibus nihil in alterutram partem pronuntio: neque sanè magnopere pertinet ad præsens institutum: illud aio, etiamsi temulentiam ex genere suo mortalem esse statuamus, immunem ab omni culpa videri Patriarcham: tum quòd ebrius in scriptura plerumque dicatur, non qui vinum intemperanter plenis faucibus ingurgitarit, rationémque nimio potu demerserit; sed qui haustibus paulò liberalioribus ad hilaritatem vsque processerit, tum quòd inexperto, vinique ignoranti, vinolentia subrepserit. Quid enim, mirum, si & senex, & assiduis molestiis penè confectus, & huius voluptatis insolens, sibi nonnihil indulsit, quò post commune mundi naufragium, in illa solitudine frontem sollicitudine contractam explicaret, & ægritudinem, quasi nubem offusam animo, nouæ potionis hilaritate detergeret.

Decreti 1. p dist 26. Vide Lessiũ lib 4. de iustitia & iure disp. 3.

5. Deus enim, vt ait Plato, 2. de legibus exeunte, ἀνθρώποις ἐπίκουρον τῆς τοῦ γήρως αὐστηρότητος ἐδωρήσατο τὸν οἶνον φάρμακον, ὥστε ἀνηβᾶν ἡμᾶς, καὶ δυσθυμίας λήθην γίνεσθαι, μαλακώτερον ἐκ σκληροτέρου τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος, καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρον ἐντεθέντα γιγνόμενον, καὶ εὐπλαστότερον εἶναι. *Hominibus vinum, quasi remedium aduersus senectutis duritiam largitus est, vt reiuuenescere videamur, & mæstitiæ nos obliuio capiat, ipsáque affectio animi, sicuti ferrum in igne, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat, faciliúsque fingatur.* Et eam ob rem, si quid memini, Poëta, nescio quis, ait, post diluuium, & communem generis humani cladem, Æona .i. Seculum Ioui supplicem accidisse, auxilium aduersus hominũ tristitiã postulasse, Bacchum à Ioue terris datum, qui mortalibus remediũ exhiberet. Nonnus Dion. lib. 7.

6. An igitur peccauit ſanctiſſimus Patriarcha? minimè gentium. Quid ita? vel ebrietas nulla fuit, ſed quædam duntaxat hilaritas: vel ſi qua fuit, ea nec opinanti ſubrepſit. At enim in tabernaculo ſuo dormiuit, & à corpore ſuo pudoris integumenta reiecit. Quid tum? peccauit igitur? At ô bone, ſi nullum eſt in temulentia vitium, nullum eſt in ſomno, nullum in corporis nuditate! Quid enim mirum, ſi bene potus dormierit, ſi exhalatus è vino fumus, ſpirituum meatus à pectore ad cerebrum pertinentes obſtruxerit? ſi ſenſuum impedierit functiones? ſi denique per imprudentiam ſemiſopitus, & inquies, veſtis laciniam à pudendis amouerit. Dicamus igitur cum Auguſtino, libro de peccatorum meritis, cap. 10. Noëmum quidem ebrium fuiſſe, *ſed abſit, vt fuerit ebrioſus*, cùmque, cùm vino permaduit, nullo ſcelere fuiſſe imbutum. Habes de primo quæſito quid ſentiam.

7. BASIL. Licet interfari? EVLOG. Omninò. BASIL. Aiebas, *μεθύειν*, à Græcis dictum, quòd *μετὰ τὸ θύειν*, ebrietati vacarent? EVLOG. Aiebam verò. BASIL. Quid ſi etiam ab iiſdem ſacris, ad Latinos ebrietatis appellatio manarit? EVLOG. Quomodo? BASIL. Bria, vas eſt vinarium, quod ſacrificiis & libationibus olim ſolebat adhiberi. Arnobius, libro 7. contra gentes: *Date, quæſo, Diis immortalibus bibant: ſcyphos, brias, pateras, ſympiniáque depromite.* Hinc, vt è Chariſio Grammatico notat Paulus Leopardus, *ebrius* dicitur, qui multas brias exhauſerit, *ſobrius*, qui nullas. Sed hæc fortaſſe leuia ſunt, parúmque conueniunt Theologicæ grauitati. Quare perge porrò.

Bria. Sobrius. Ebrius.

III. *Cur ob Chami peccatum, Chanaan filius à Noëmo maledictus.*

Prima ratio 8. CHamus patris temulenti non texerat, ſed magis prodiderat nuditatem, & ridendam fratribus propinarat: Cur igitur expergefactus Noë, non ipſi Chamo, qui patrem impiè traduxerat, ſed filio Chami Chanaã ſuam maledictionem inflixit? EVLOG. Reſpondent Hebræi, Theodoretus, & Procopius Gazęus, quod neque Lyrano diſplicet, neque Toſtato, neque penitùs adſpernandum videtur, Chanaam proteruũ, petulantémque puerum, cùm primus auum indecorè iacentem vidiſſet, Chamo patri extra tabernaculum nuntiaſſe, primúmque adeo fuiſſe, qui dormienti, detectis vitilibus, Noëmo procaciter illuderet. Quod ne temerè dixiſſe videantur, ipſa Moſis authoritate confirmant, v. 24. *Euigilans autem Noë ex vino, cùm didiciſſet quod fecerat ei filius ſuus minor, ait: maledictus Chanaan*, &c. Quis ille filius minor? nepos, ſine dubio: quod in textu principe liquidiùs apparet. Articulus enim demonſtratiuus, vt vocant, præponitur. בנו הקטן *filius ſuus ille paruus.* Cùm verò proximè ſuperiùs Sem, & Iaphet eadem oratione coniunxerit, inficiari poteſt nemo, vtriuſque ratione paruum filium nominari. Quid? quòd ne vocem quidem habent Hebræi, quâ vel auum, vel nepotem appellent? cùm enim in editione communi ex Hebræo tranſlata vox *nepotis*, quater & decies, vox *aui*, bis duntaxat habeatur, nullam habent Hebræi vocem, quæ duabus hiſce reſpondeat, ſed auum *patrem patris*, nepotes בני-בנים filios filiorum, aut etiam aliquando, vt Iob. 27. v. 15. & Iſaiæ 65. 23. צאצאים *egreſſos & propagatos* appellant, vt nos vocabulum non habemus quod auum, aut nepotem exprimat; ſed illum magnum patrem, hunc paruum filium vernaculè nominamus. Quid igitur vetat, paruum filium interpretari de Chanaan nepote? an magis ad Chamum hæc oratio pertinebit; atqui, ſi de Chamo loqueretur, non eum paruum, aut etiam minorem cæterorum comparatione, ſed ſecundum filium dixiſſet. Etſi enim de primogenito propter LXX. Seniorum authoritatem, quidam à Latina verſione diſſident, omnes tamen, quos equidem meminiſſe poſſum, cum Auguſtino Chamum filium Noëmi medium fuiſſe conſentiunt. Seleim.

9. Niſi fortè ſi Philonem audiendum putas opuſculo in hunc ipſum, quem in manibus habemus, ſcripturæ locum inſtituto: Νεώτερον δὲ, inquit, ὅταν φῇ υἱὸν, οὐχ ἡλικίας ὄνομα ἀναγράφει, νεωτεροποιΐας δ' ἐμφαίνει τρόπου διάθεσιν: *Cùm iuniorem filium appellat, non tempus ætatis deſcribit, ſed morum diſpoſitionem nouis rebus ſtudentem. Quomodo enim contra legem, non ſcriptam, ſed innatam, aut occulta videre voluiſſet, aut tacenda proferre, aut quæ domi tegi poterant, in lucem producere, & definitos animæ limites tranſilire, niſi noua molitus fuiſſet?* & alia plura in hanc ſententiam: quæ ſi meritò non probantur, quòd citra neceſſitatem à propria genuináque verborum ſignificatione diſcedant; planè dicendum eſt, filium iuniorem intelligi Chanaanum, Noëmi nepotem, qui cùm in auum vino madentem, detectiſque, quas natura velari, & abundantiore honore circumdari iubet, corporis partibus, ſopi.

tum primus incidisset, adeo non texit, vt petulans & procax adolescens Chamo patri nuntiauerit, qui & ipse nuditati patris illusit, & conatus est fratres suos in societatem eiusdem impietatis assumere. At enim si vterque peccauit, cur non vtrique eadem pœna paternæ maledictionis inflicta est? Noluit, inquit Theodoretus, Chamo, quantumuis nocenti maledicere, ne ad omnes Chami posteros ea maledictio perueniret.

2. ratio. 10. Quod si traditionem hanc Iudaicam omnino repudiandam putamus, habemus ex authoritate Chrysostomi, Homil. 28. in Genesim, Chamum grauiori mulctatũ esse supplicio, cùm filius Chanaam diris à Noëmo defixus est, quàm si in ipsius persona, patris imprecatio constitisset. Ita fit enim, vt plerique grauiorem hauriant animo dolorem è filiorum & nepotum ærumnis, quàm si ipsi grauissimè plecterentur. An autem Deus culpam paternam in filiis justè vindicare potuerit, seruitutémque posteris infligere, vt certum supponimus, ita non videtur in præsentia quærendum, ne si ordini singula voluerimus, non possimus telam nostram detexere.

3. ratio. 11. Quid si Chanaanus, reluctante natura, furiosa libidine procreatus, in patris opprobrium, aut deuotione perculsus est? Certè Chrysostomus, Homil. 28. causam inquirens, cur Moses, 9. Genes. v. 28. postquam dixit: *Erant ergo filij Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iaphet,* statim adiecerit: *porrò Cham ipse est pater Chanaam: vult*, inquit, *his verbis significare*, τῆς ἀκρασίας αὐτοῦ τὴν ὑπερβολήν, *intemperantiæ eius excessum; & quod neque cladis magnitudo, neque arcæ angustia, libidinem eius compressit, sed cùm primogenitus, necdum liberis operam dedisset*, οὗτος τῇ ἀκρασίᾳ εἴξας ἐν δὲ τῷ καιρῷ τοσαύτης ἀγανακτήσεως, καὶ πανωλεθρίας τῆς οἰκουμένης καταλαβούσης περὶ συνουσίαν ἠσχολεῖτο, καὶ τὸ ἀχάλινον τῆς ἐπιθυμίας οὐ κατέσχε: *hic intemperantiæ se dedens, hoc indignationis tempore, communique rerum interitu, rei vxoriæ vacabat, nec effrenem cupiditatem coërcebat.* Addit eadem illum mente patris illusisse nuditati, quâ se in illo totius humani generis excidio in libidinem effuderat.

12. Maledicitur ergo Chanaan iustissimâ Dei vindictâ, vt Chamus, qui nefarius & impius in patrem fuerat, in filio puniatur. Quamuis fortasse neque Chanaan primogenitus fuit; quippe qui in recensenda Chami sobole postremus omnium recensetur; neque explicandæ scripturæ necessitas cogit, non ineptam quidem, sed tamen incertam fabulam comminisci. Quid enim si dixerimus, non solùm Chananæos, sed omnes Chami posteros in pœnam sceleris paterni, spiritu Prophetiæ fuisse maledictos? an huiusmodi synecdochica locutio, sacris ignota scriptoribus? Quamuis omnium teterrima calamitas in Chanaan redundauit. Cùm enim, vt aduertit Genebrardus in Chronico, quatuor liberos, qui totidem gentium capita fuerunt, Chamus susceperit, Chus, Mesraim, Phut, & Chanaan, Ægyptij, siue Mesraïmitæ nigri & deformes; Getuli ab eodem Mesraïm propagati, non solùm deformes, sed insuper ore putidi; Phutitæ, siue Mauri nigerrimi, labeones; Æthiopes, siue Chusæi, longe aterrimi, omne Chanaaniticum nomen iussum internecione deleri. Omnis Chami progenies maledicta.

13. Cur igitur, si tota Chami posteritas diris à Noëmo defixa est, vnus Chanaan à Mose nominatur? Nimirum iusserat Deus, vt Hebræi totam Chananæorum gentem extinguerent: hinc Moses vnum appellar, vt suos odio Chananæorum magis inflammet, animet, erigat diuinæ protectionis fiducia, quod facere potuit sine dispendio veritatis, quia scripturæ partem pro toto frequenter vsurpant, & propositio particularis, vt dialectici vocant, vniuersali continetur. Quemadmodum Chamum patrem Chanaan appellar, qui multos præter eum liberos procrearat. Cur autem non in ipsum Chamum, sed in eius posteros suas illas diras effudit Patriarcha? Ei maledicere nolebat, quem meminerat à Deo recens esse benedictum. Tantumne fuit in eo scelus, vt piaculum etiam ad posteros perueniret? Si Beroso, non quidem Chaldæo, vt eruditorum pler. que sentiunt, sed Viterbiensi fidem habemus, magicis carminibus patrem sterilem reddidit: si Doctoribus Hebræis, vt scribit Rabbi Leui, in 9. cap. Genes. laudatus à Genebrardo, patris virilitatem ferro decussit, ne deinceps ex eo liberi nascerentur, quod Poëtæ, paucis admodum mutatis, in suas fabulas de Cœlo & Saturno retulerunt. Quæ, si vera sunt, causam habetis, Merops & Basilij, cur ad Chamitas ea pestis & calamitas redundarit. Quanquam quid opus est, fabulas & commenta confingere? Cur Chanaan præ cæteris nominatus.

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν
ὄλοντο.

Hos sua in exitium trahit vecordia.

Vt etiamsi progenitor Chananæorum scelere caruisset, ipsi fuerint suo perituri, quippe quos deleri noluit Deus, donec eorum

eorum iniquitas impleta est, Genesis 15. v.16. Hactenus de Chanaan: nunc ad ipsa Prophetiæ verba veniamus.

IV. *Explicantur verba Prophetiæ.*

Benedictio Semi.

14. HIc Noëmus, Genes. 9. v. 25. *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*: non tam diras imprecatur, quàm spiritu prophetico præsagit, Chami posteros, Semi, Iapheti que nepotibus mancipatum iri, & quidem vilissimo genere seruitutis. *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius*: O prolixam Dei liberalitatem! ô munificentiam seculis omnibus prædicandam! Benedictus Deus, qui Semi posteros omni benedictione, siue felicitate cumulabit: Deus benedictus, & omni laude dignissimus erit Deus Semi. Cùm enim omnis, non solùm Chami, sed etiam Iapheti progenies ad idola desluxerit, vnius veri benedictique Dei cultus apud Semi posteros permanebit. Benedictus Deus olim euoluta plenitudine temporum è Semi semine nasciturus.

Benedictio Iaphet.

Dilatet Deus Iaphet, יפת אלהים ליפת quod aliter alij transtulerunt, Ioannes Forsterus: *persuasibile faciat Deus ipsi Iaphet*; & ne in hac translatione parum grauiter delirasse videatur, hanc adfert delirij sui rationem. *Rogat vt Dominus eum amanter persuadeat, ne inuideat fratri suo iuniori natu honorem primogenituræ; & quod ex illo nasciturus sit Christus, hancque prærogatiuam sibi ademptam esse & translatam in fratrem.* Alij meliùs, *alliciet Dominus Iaphet*, vt suo tempore teuertatur ad cultum Dei, & tentoria Sem, id est Ecclesiam, Caietanus & Eugubinus, *condecoret*, siue, *venustum faciat*. Augustinus, lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 1. videtur legisse, *lætificet*, sed vel omnia me fallunt, vel ista dictio pro *latificet*, id est, dilatet, in scripturam vitio Librariorum irrepsit: inhærebat enim LXX. Seniorum vestigiis, qui πλατύναι transtulerunt. Omitto Pagninum, Vatablum, doctissimos quosque, qui cum nouas ex Hebræo translationes procuderint, nec infrequenter ab antiqua versione discesserint, hoc loco ne latum quidem, vt aiunt, vnguem ab Hieronymo discedunt.

15. Sed quid plura? cùm Hebræi passim exponant per verbum ירחיב *dilatabit*. Quid est igitur: *Dilatet Deus Iaphet?* Nunc quidem Iapheti posteritas exiguo numero circumscripta est, sed eam Deus ita propagabit, vt amplissimas occupatura sit regiones: *& habitet in tabernaculis Sem.* Philo Iudæus, Theodoretus, Lyranus, Abulensis, hunc ipsum locum, qui nunc in manibus est, explicantes, aduertunt hæc referri posse, vel ad Deum, vel ad Iaphetum. Si ad Deum; Deus quidem, inquit, Iapheti progeniem mirum in modum augebit, sed tamen idem ille Deus, Iapheti posteritate in superstitionem & idololatriam prolapsa, in Semi tabernaculis habitabit, videlicet in tabernaculo Mosis, in templo Salomonis. Habitabit autem? Imò, tanquam in solio, vel potiùs thalamo requiescet. *Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*: Psalmo 131. Quid quòd ad Deum refert Chaldæa Paraphrasis, וישרי שכינתיה במשכני דשם: *& habitabit gloria eius in tabernaculis Sem.* Quo vocabulo, vt notat Pererius, Hebræi præsentiam Diuinitatis, quæ olim in Sanctuario super arcam fœderis declarabatur, appellant, aut etiam רוח הקדש Spiritum sanctum, vt author est Helias Leuita, על שם שהוא שכן על הנביא *eo quòd requiescit super Prophetas.* Quidni verò Dei filius possit intelligi, qui carnem à Semo propagatam sine peccati propagatione suscepit? *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis* καὶ ἐσκήνωσεν, *& tabernaculum posuit*, vel secundum Syros, ואגן *& thalamum posuit in nobis*: videlicet in illibatæ Virginis vtero, tanquam in tabernaculo, aut etiam in thalamo requieuit. In vtero Matris? etiam in carne sua. *Soluite templum hoc*, inquit Ioannis 3. v. 19. loquens de templo corporis sui. Quid Apostolus? cùm 2. Corinthior. 5. 4. ait: *Nos, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati*, ἐν τῷ σκήνει: aut Petrus, Epist. 2. cap. 1. v. 14. cùm velocem tabernaculi σκηνώματος sui depositionem fore prædicit, an aliud, quàm humanum corpus intelligunt? Certè vt profanos quoque attingam, σκῆνος, pro corpore Nicander vsurpat, quæ dictio fortasse ab Hebræo fonte manauit.

16. Sed quorsum ista, Merops, & Basilj? quorsum? Profectò, vt intelligatis Deum in Semi tabernaculis habitasse, videlicet in humana carne, quam à Semo per traducem acceperat, & sic in ea, tanquam in tabernaculo aut thalamo quieuisse, vt, quod semel assumpsit, nunquam dimiserit.

Sed quoniam doctiſſimis interpretibus, non ad Deum, ſed ad Iaphetum videtur hæc prænuntiatio pertinere, Iaphétque in fratris ſui Semi tabernaculis habitaturus eſſe prædicitur, nec facilè Prophetæ mentem, niſi ex euentu poſſumus ad liquidum intueri. Videamus quod poſtremum quærebatur, quis tandem euentus illi prædictioni reſponderit, quo pacto Chami progenies fratrum poſteritati ſeruierit, & Iaphet in Semi tabernaculis habitar.t.

V. *Euentus Prophetiæ.*
Semi poſteritas vix vnquam, & fortaſſe ne vix quidem, terras Iapheti poſteris aſſignatas potuit occupare.

17. ATque vt Chananæos in præſentia taceam ab Hebræis, Semi poſteris internecione deletos, aut redactos in viliſſimam ſeruitutem, cùm Monarchię quatuor vulgò numerentur, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum: poſteri Sem Aſſyriacam & Perſicam: poſteri Iaphet Græcam & Romanam Monarchiam condiderunt, fuitque proinde Chanaan ſeruus illorum: ſed Deus ita dilatauit Iaphet, vt habitaret in tabernaculis Sem, tum quia Græcorum Monarchia, Perſarum Monarchiam extinxit, & Regnum quartum, id eſt Romanorum Imperium, *velut ferrum comminuit & domat omnia*, ita cætera regna comminuit & contriuit, vt Daniel, cap. 2 v. 40. longè ante prædixerat, tum quia, vt ait Hieronymus, libro de traditionibus Hebraïcis, *de Sem Hebræi, de Iaphet populus gentium naſcitur. Quia igitur lata eſt multitudo credentium, à latitudine, quæ Iaphet dicitur, nomen accepit. Quod autem ait, & habitet in tabernaculis Sem, de nobis prophetatur, qui in eruditione & ſcientia ſcripturarum, eiecto Iſraële, verſamur.*

18. Legantur hiſtoriæ, replicentur annales, conſulantur omnia veterum monumenta, Chamitas penè ſemper reperiemus addictos fuiſſe teterrimæ ſeruituti, Iaphetitas vbique victores, raróque, & ferè nunquam, aut ſeruientes fratribus, aut ab iiſdem è ſuis ſedibus expulſos: Semitas interdum quidem regnantes, ſed Iaphetitis frequentiùs loco cedentes; Medos quidem à Iapheto propagatos, Ioſephus lib. 1. Originum, & Hieronymus in traditionibus Hebraïcis, memoriæ prodiderunt, quos Aſſyriis primùm, deinde Perſis paruiſſe compertum eſt. Sed illi, vt videntur, iam inde ab initio attributam Semi nepotibus terræ portionem inuaſerant; vt Semitæ, cùm Medos in ditionem ſuam redegerunt, non tam in Iapheti tabernaculis habitare, quàm ſua recuperare viderentur. Adde, quòd iidem ipſi, Arbace Duce, Aſſyriorum Monarchiam ſuſtulerunt, & cùm Cyrus Perſicæ Monarchiæ fundator, Regis Medorum filia genitus:

---- *Hinc partem patriæ traheret,*

non tam ſeruiiſſe Perſis videntur, quàm communicatum cum Perſis Imperium habuiſſe: Ninus & Semiramis, Indis exceptis, vniuerſam Aſiam Semi poſteris aſſignatam ſubegerunt: ſed abſtinuerunt manus ab inuadendis Iapheti tabernaculis: Cyrus Cyrus. tot gentium domitor, tot Regum victor, voluit ad Scythiam Iapheti filiis attributã Imperium promouere; ſed amiſſis ducentis hominum millibus, ne nuntio quidem cladis relicto, cæſus amputato capite, & in vtrem ſanguinis per ludibrium immerſo, ſuæ pœnas temeritatis exoluit: ſi tamen verum eſt, quod poſt Herodotum, veterum plerique litteris prodiderunt.

19. Darius Hyſtapſis, armatis ſeptingentis millibus hominum, Scythiam ingreſſus, Iuſtin. li. 2 non facientibus hoſtibus pugnæ poteſtatem, metuens, ne interrupto ponte Iſtri, reditus ſibi intercluderetur, amiſſis nonaginta millibus hominum, trepidè refugit: & Darius. reliquum exercitum in Græciam infudit: ſed eum Athenienſes non plures decẽ millibus, & Platęenſes auxiliarij mille dũtaxat aduerſum ſexçenta Perſarum millia congreſſi in campo Marathonio profligatum è Græcia depulerunt: Xerxes maioribus etiã Xerxes. copiis, quodam veluti diluuio Græciam inundauit: Decies centena millia fuiſſe ſcribit Iuſtinus, lib 2. Cteſias: ἄνευ ἁρμάτων ὀγδοήκοντα μυριάδας, καὶ τριήρεις χιλίας, *præter currus octies, centena armatorum millia, triremes mille.* Herodotus lib. 7. alterum tantùm & ampliùs adiecit, vniuerſum terreſtrium copiarũ numerum recenſens, ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν μυριάδας *decies ſepties centena millia.* Quid ſi calonum, lixarum, veredariorum, cæterorum eiuſmodi cenſum ineamus? Recenſet Iſocrates in Panathenaico: τριήρεις μὲν διακοσίας καὶ χιλίας, τῆς δὲ πεζῆς στρατιᾶς πεντακοσίας μυριάδας τῶν πάντων, ἑβδομήκοντα δὲ τῶν μαχίμων: *triremes mille ducentas, pedeſtris exercitus quinquagies centena millia, omnibus comprehenſis, bellatorum verò ſepties centena millia*, vt proinde meritò Satyricus:

---- *Credimus altos*
Defeciſſe amnes, epotáque flumina Medo
Prandente.

Atho ſuffodit in monte vela facturus. Hel-

lespontum ponte commisit, quo fluctibus immani tempestate prouolutis, disiecto ipsi Neptuno compedes iniecit, & trecentas plagas inflixit, imò, vt aiunt, quasi seruo stigmata inussit.

Sed qualis rediit! nempe vna naue cruētis
Fluctibus, & tardâ per densa cadauera prorâ.

Et, si Iustinum audimus, piscatoriâ scaphâ fauces Hellesponti traiecit, quas equis & curribus paulò ante persultarat. Vsque adeo non potuit Semi posteritas, præscriptos diuinitùs Noëmi benedictione terminos transilire. Neque verò, cùm de summis Imperiis agitur, in quibusdam minutiis hęrendum putamus, aut quarundam, verbi causâ, Ioniæ & Æoliæ ciuitatum rationem habemus, quę iam inde à Cyri temporibus, in Persarum diti onem concesserant.

VI. *Iaphetitæ semper dominati sunt Semi & Chami posteris.*

20 AT contrà, quoties Iaphet in fratrum suorum tabernaculis habitauit? Scythas, Græcos, Gallos, Romanos, Hispanos, Germanos, Iosephus, Hieronymus, aliique passim à Iapheto propagatos esse testantur. Ii quoties assignatas Semi, Chamíque nepotibus terras, armis occuparunt? Vt ab iis ordiamur, vnde Moses familias Noëmi recensens, sumpsit narrationis exordium. Cùm Græci, Alexandro duce, Indis exceptis, vniuersam Semi hereditatem occupassent, & Chamitarum pletosque seruitute pressissent; Galli tunc tantæ fœcunditatis erant, vt Iustinus affirmat: *vt Asiam omnem, velut examine aliquo implerent, ac proinde in Semi tabernaculis habitarent: denique neque Reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gesserint, neque pulsi Regno, ad alios, quàm ad Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis, siue armorum inuicta fælicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.* (Galli.) *Iam Imperium*, inquit, *Asiæ ter quæsiuere Scythæ, ipsi perpetuò ab alieno imperio, aut intacti, aut inuicti mansere: Darium Regem Persarum turpi à Scythia submouere fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidarunt: Alexandri Magni ducem Zopyrona pari ratione, cum copiis vniuersis deleuerunt: Romanorum audiuere, non sensere arma: Mox Parthicum & Bactrianum Imperium condiderunt.* (Scythæ.)

(Romani.) Prætermitto Romanos, quorum Monarchiam Daniel longè cæteris Regnis anteponit: qui quamuis è diuersis gentibus conflati fuerint, suam tamen originem Iapheto referunt acceptam. Nisi fortè non aut ex Creta Iaphetitia attributa.

Teucrus Rhetæas primùm est aduectus ad oras,

aut ex Italia profectus,

Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes.

Vt ipsi illi Troiani, qui cum Arcadibus, Latinis, & Aboriginibus Romanam gentem condiderunt, ex eodem Iapheto profluxerint. Adde, quòd Phrygas ipsos à Thogorma Iapheti filio duxisse originem, Hieronymus in traditionibus Hebraïcis, aliique testantur.

21. Euersâ Græcorum Monarchiâ, Parthi tabernacula Sem ex æquo sibi cum populo Romano diuiserant. (Parthi.) Vnde profecti? Scytharum exules erant. Quo id constabit indicio? Exules Scythico vocabulo Parthi nominantur. Id autem quo authore liquet? eodem Iustino, vel potiùs Trogo Pompeio, libro 41. Quid si Persas ipsos, qui secundam Monarchiam, sublato Assyriorum imperio, condiderunt, & Asiam longè latéque tenuerunt, origine Græcos fuisse dicamus: qui expulsis Elamitis, in attributa Semitis hereditate consederint? Certè ipse Xerxes misisse Argos caduceatorem putabatur; qui nomine ipsius ita loqueretur, Ἡμεῖς νομίζομεν Πέρσην εἶναι, ἀφ᾽ οὗ ἡμεῖς γεγόναμεν, παῖδα Περσέος τοῦ Δανάης: *Nos arbitramur Persen, ex quo progeniti sumus, fuisse filium Persei, qui Danaes filius fuit*, &c. οὕτω ἂν εἴημεν ὑμέτεροι πρόγονοι, *ita ex vobis oriundi sumus*, vt refert Herodotus, lib 7.

22. Merops. Atenim hæc ante Christum fortasse contigerunt: aduentu Messię ad eam dignitatem prouecta est Semi posteritas, vt exclusis Iapheti posteris, ad Semitas rerum summa peruenerit. Evlog. Imò verò, Merops, ante Christi ortum penes Semi progeniem erat gubernatio Synagogæ, eius aduentu totius Ecclesiæ præfectura ad Romanos, vtique Iaphetitas, trāslata est: Synagoga solos Hebræos, Semitarum partem continebat: Ecclesia nullum mortalium genus excludit: habitat in tabernaculis Sem & Cham, & per totum terrarum orbem longè latéque diffunditur. Sed hæc omitto: Traianus certè, vt Sextus Rufus, & alij prodiderunt, *Saracenorum loca & Arabum occupauit:* atque vt alias gentes ignobiliores taceam, *optimam Persidis regionem, Seleuciam & Celephontem, & Babyloniam accepit, & tenuit, vsque ad India fines post Alexandrum accessit, in Mari Rubro classem instituit,* (Traianus.)

bello Therasiam Alphonsi sexti Filiam accepit, & dotis nomine eam Lusitaniæ partem, quæ pulsis Saracenis in Alphonsi ditionem concesserat. Quo factum est vt eodem propemodum anno ex eadem Lotharingia duorum regnorum fundamenta iacerentur, quorum alterum authore Godefredo Citeriorem Asiam obtineret: alterum Henrico Lotharingo conditore, ad extremos vlterioris Asiæ fines, & remotissimas Indias perueniret.

Turci. Tartari. 29. Sequuntur Persarum, Turcorum, Tartarorum Imperia, quæ terræ portionem Semi posteris assignatam tenent, & longè latéque dominantur. Turcos & Tartaros, item Tamberlanem illum totius Asiæ domitorem Scythas & videlicet à Iapheto propagatos fuisse accepimus. Persarum monarchia Semitas inter & Iaphetitas aliquandiu fluctuauit. Nam cùm profligato Græcorum Imperio Parthi Scytharũ exules, vt iam vidimus, iugum à suis ceruicibus depulissent, & à secundo bello Punico ad Alexandrum Seuerum, annis propè quingentis in Asia floruissent, eos Artaxerxes Persa tribus præliis afflixit; Artabanum eorum Regem interfecit, & Persicam monarchiam instaurauit. Parthici regni primordium Iustinus lib. 41. finem Herodianus ostendit lib. 6. Hos Saraceni anno reparatæ salutis. DCXXX. cùm per annos pene quadringentos rerum potiti fuissent, deiecerunt Superioris Asiæ principatu, Saracenos Turci, Turcos Tartari, Tartaros Parthi sustulerunt, donec tandem magnus Vsuncassanus natione quidem Persa, sed origine Turcus, proauorũ, nostrorum memoria regnum inuasit, cuius posteri nunc in Perside dominantur. E quibus videtis, Merops & Basili, Iaphet pene semper in Semi tabernaculis habitasse.

Hispani. 30. Merops. Quid tibi quæso caussæ fuit, Eulogi, cur de amplissimis terrarum imperiis agens Hispanos silentio præterites? an quòd longinqua miramur, vicina contemnimus? Evlog. Occupasti, Merops, orationem meam: Equidem enim non quod de alijs dici solet, de his vnis verum est,

--super & Garamantas & Indos,
Extra anni solisque vias.

eos imperium protulisse. Imperium autem: imò & Euangelicæ vitis ab Apostolis in Europa, Asia, Africa plantatæ palmites in Americam vel potiùs nouum terrarum orbem omnibus retro seculis incognitũ propagarunt. De quibus illud in præsentia dixisse suffecerit, solem in eorum regno numquam occidere, nullam esse horam diei qua non in eorum imperio sacrosanctum missę sacrificium celebretur, eorum denique ditionem eò peruenisse, quò multarum stellarum nostrarum lumen, adspirare non possit. Quæ non exaggerationis, multo minùs assentationis caussa dico, sed compertissimæ veritatis. Vsque adeo per Hispanos Iapheti posteritas in fratrum suorum tabernaculis habitauit.

VII. *De Regno Sinarum.*

31. AD Sinas quod attinet, Scythæ siue Tartari, Iapheti progenies, frequenter in amplissimo illo Semi tabernaculo domiciliũ collocarunt. Hoc enim putatur esse regnum quod Paulus Venetus Mãgi appellat, scribítq; anno. MCCLXVIII. in Tartarorum concessisse ditionem. Quot Sinæ. autem annos in eo consederint non constat inter authores, alij annos octoginta numerant, alij alterum tantum adiiciunt: certè scribit Iarricus etiamnum, apud Sinas non pauca Tartariceæ dominationis extare vestigia; fateor tamen regnum illud & fundatissimum esse, & contra omnes hostium incursus portubus munitissimis, mari vastissimo, montibus inaccessis, muro omnium, qui vnquam fuerunt, longissimè porrecto, qua parte Tartaros attingit, egregiè vallatum: tamen, vt olim de Achæis dicebat T. Quintius, *sicut testudinem vbi collecta in suum tegimen est, tutam ad* Liuius Dec. 4. Lib. *omnes ictus video esse, vbi exerit partes aliquas, quodcunque nudauit, obnoxium atque infirmum habere:* ita Sinæ contra externos suam possunt tueri ditionem, alienam inuadere non possunt. Quanquam Lusitani hæc etiam Sinarum claustra non armis quidem, sed verbo Dei quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, penetrarunt, vt euangelij prædicatione longe melius quàm ferro in his etiam Semi tentorijs Iaphetus manere videatur.

VIII. *De Chami Progenie.*

32. BAsilivs. Hactenus, Eulogi, ex oratione tua liquet quo sensũ Noemus siue Deum siue Iaphetum in tabernaculis Sem habitaturum esse prædixerit: Restat, nisi tibi molestum est, vt de Chami progenie diris illis Noëmiticis addictâ seruituti abs te nonnihil audiamus. Evlog. Chami liberos quatuor vt iam vidimus, recenset scriptura, Chus, Mesraim, Phut, & Chanaan. De Chus Æthiopes, de Mesraim Ægyptio, de Phut Libies, de Chanaan Chananæi prodierunt.

homines fratribus suis mancipati sunt, & quidem, vt initio dicebam, vilissimo plerumque genere seruitutis.

IX. Æthiopes.

33. Licet antiquitus se iactarent ἐξ αἰῶνος ἐν ἐλευθερίᾳ μεμενηκέναι, *omnibus retrò seculis liberos fuisse*, vt auctor est Siculus Diodorus, & etiamnum florentem habeant rempub. tamen Regem, quem ipsi Presteiannem appellant, à Salomone & Regina Saba propagatum esse defendunt, ne quis quemquam putet è Chami progenie Æthiopibus imperare. Quòd si quis, vt suprà dictum est, VVernero fidem adhibendam putaret, eum diceret à Frisiorum Regibus originem duxisse. Quid? quòd apud Eusebium in Chronico dicuntur Indi à Semo vtique progeniti Æthiopiam occupasse? Vnde & non pauci hunc Maronis versum,

Vsque coloratis amnis deuexus ab Indis,

& Æthiopibus dictum intelligunt. Quod faciant necesse est quotquot regnum Preste-Iannis in India statuerunt. Quid? quòd etiam illuc Romanorum arma penetrarunt? quo tempore rerum potiebatur Augustus, vt Strabo lib. 17. & Plinius lib. 6. cap. 29. memoriæ prodiderunt? Certè Plinius à Pub. Petronio oppida octo, quæ sola inuenerat, expugnata esse testatur, eósque Strabo dicit ab Augusto tributorum remissionem impetrasse.

34. Sed vnde-vnde reges habuerint, & quantumuis ab externæ iugo dominationis immunes fuisse fingantur, extra controuersiam est tum populum, tum Reges ipsos vilissima fuisse mancipia: nisi si quis inficiari potest seruitutem eos seruire vilissimam qui Regem pro Deo venerantur. Id olim faciebant Æthiopes vt scribit lib. 3. Diodorus, additque parendum ei necessariò fuisse, quoties per internuntium σημεῖον ἔχοντα θανάτου *signum mortis ferentem*, iubebat vt sibi violentas manus adferrent. Omitto solitos fuisse, vt omnia magis ad terrorem componerent, χρῆσθαι πίλοις μακροῖς ἐπὶ τοῦ πέρατος ὀμφαλοὺς ἔχουσι, καὶ περιεσπειραμένοις ὄφεσιν, οὓς καλοῦσιν ἀσπίδας. *Vti pileis oblongis in summo vmbilicũ habentibus, circumuolutis serpentibus, quos aspidas appellant.* Illud omittere non possum tam miseram fuisse primatibus, regni seruitutem, vt si Rex vllam corporis partem quocunque casu amiserat, eamdem sibi omnes amputaret. Rex e quo delapsus pedem sibi detorserat? imitabantur familiares. Sibi crus effregerat? effringebant etiam optimates. Oculos amiserat? nec illi videre cupiebant. Mortem oppetierat? & illi pariter oppetebant. O miseram & abiectissimam seruitutem! Heu nimiùm veram Noëmi prophetiam! Miseri si sic suæ gentis hominibus obtemperarunt. Miseriores, si Reges à Sem & Iaphet procreatos habuerunt; miserrimi si brutis etiam animantibus obsequium & honorem regium detulerunt. Tradit Ælianus historiæ animalium lib. 3. cap. 17. apud Æthiopas gentem fuisse (Nubas siue Nubæos appellant, quo vocabulo tota gens Æthiopum hodierno die nominatur) quæ Regis vice canem agnosceret: quem mirum in modum obseruaret, cuius è gannitu latratúque penderet. Et si Plinium lib. 6. cap. 30. Solinum Polyhistorem cap. 43. audimus, in eadem Æthiopum gente *ex parte Africæ Ptoembari & Ptoemphanæ canem pro Rege habent, motu eius imperia augurantes.*

Æthiopum miseranda seruitus.

35. Quid Reges ipsi? an minùs miserè quã cæteri seruiebant? In Meroë, vt scribunt Diodorus lib. 3. & Strabo lib. 13. Sacerdotes tantum authoritatis habuerunt, vt, cùm placuisset, mortem suis Regibus imperarent, qui animis superstitione imbutis ἀρχαίᾳ καὶ δυσεξαλείπτῳ συνηθείᾳ, *antiqua & indelebili consuetudine*; sic obtemperabant, vt sua sibi manu mortem accerserent: donec tandem tempore Ptolemæi secundi, Rex Ergamenes Græcorum disciplinis innutritus superstitionem hanc pedibus subiectam proterens primus ausus imperium sacerdotum cõtemnere, omnes in aureo sacello, quò de more conuenerant, interemit. I nunc, & affirma Noëmi diras & abiectissimæ seruitutis imprecationem ad solum pertinuisse Chanaanum.

X. Ægyptij.

36. Qvid Ægyptij? an minùs miserè quàm Æthiopes seruierunt? Ægyptum & magnam Africæ & Æthiopiæ partem Assyriorum armis, Semiramidis ductu domitam fuisse Diodori Siculi libro secundo consignatum accepimus. Sed hæc fortasse Græci de Ægyptiorum seruitute inuidiosè finxerunt: Expectatis igitur vt Ægyptij se seruos seruorum fratribus suis fuisse fateantur. Tradit Manetho Sacerdos Ægyptius è sacris Ægyptiorum monumentis, cuius concepta verba tum à Iosepho lib. 1. aduersus Appionem, tum ab Eusebio lib. 10. προπαρασκευῆς exeunte referuntur, quosdam homines τὸ γένος ἀση-

Ægyptiorum seruitus.

μυς genere obscuros infestis armis Ægyptũ ex improuiso petiisse ϗ ῥᾳδίως, inquit, *ἀμαχητὶ κατὰ κράτος εἷλον, & eam facilè sine pugna per vim occuparunt.* Addit Ægypti principes in vincla coniectos, mulieres & paruulos addictos seruituti, totam regionem cædibus, direptionibus, incendijs miserè laceratam per annos vndecim supra quingentos. Et ne quis dubitet Mesraim perinde vt Chanaan seruum seruorum fuisse fratribus suis à Semo propagatis, notat eos *ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν, è partibus ad orientem solem vergentibus*, ac Semi proinde posteritati contributis in Ægyptum esse grassatos, dictósque fuisse Υκσῶς, idest, *βασιλεῖς ποιμένας Reges pastores*, vel potiùs, vt Iosephus in emendationibus codicibus se legisse testatur *αἰχμαλώτους ποιμένας, captiuos pastores.* Quare si Manethonem de suis rebus sacrorum Annalium authoritate loquentem audimus, planè fatendum est Ægyptios seruis quibusdam & captiuis iam inde ab initio seruiisse, quamuis fieri potest vt antiquitatis affectandæ caussa non paucos annos ad cladis illius diuturnitatem adiecerit.

Pastorum dynastia.

37. Quid? quòd à Iosephi præfectura seruilis conditionis facti sunt Ægyptij, vt non politico duntaxat siue ciuili, sed etiam herili siue despotico regum suorum dominio subiacerent? Sexto circiter anno famis Iosephum adierunt. Genesis. 47. v. 19. *Et nos & terra nostra tui erimus, eme nos in seruitutem regiam.* v. 21. *Subiecitque eam Pharaoni & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti, vsq; ad nouissimos fines eius.* 23. *Dixit ergo Ioseph ad populos: en, vt cernitis & vos & terram vestram Pharao possidet,* &c. Neque verò eos vnquam manumissos fuisse legimus, licet agros ijs reddiderit Iosephus, ea tamen conditione vt Regi deinceps quintam frugum partem exoluerent, vt eodem Capite disertè continetur. Si seruiendum fuit, saltem suæ gentis Reges semper habuissent, atqui si fidem habemus Herodoto, res Ægyptiacas è sacerdotum, vt ait, relatione narranti, decem & octo fuerunt Reges Æthiopes qui Ægyptum suæ ditioni submiserint.

Ægyptij à Iosepho redacti in seruitutem.

38. Scio Ægyptios multa de Osiridis, Sesostris, aliorúmque Regum suorum rebus præclarè gestis & victorijs prædicare. Scio Thulem nescio quem cæteris ignotum scriptoribus à Suida dici, occupatis omnibus Insulis Thulæ omnium vltimæ nomen indidisse. Sed nota est Ægyptiorum, quos Suidas & Herodotus sequuntur, vanitas, notæ falaciæ, vt eorum fides merito vacillet, quoties suorum laudibus indulgent, iisque tum demum securè credi possit, cùm aliquid de se minùs honorificum confitentur. Sed quid opus est ex illis veterum monumentis Ægyptiacæ seruitutis exempla corradere, cùm eos Nabuchodonosor Magnus, deinde Cambyses acerbissimæ subiecerit seruituti? & Cambyses quidem Psammenitũ Regem in vrbis captæ suburbio sedere iusserit miserabile suis spectaculũ, miseriorem etiam spectatorem, ante patris oculos filiam abiectissimis ancillarum ministerijs addictam, filium manibus colligatis, obnupto capite, infelici ligno suspendendum, amicos mendicantes ignominiosè traduxerit; vt fusè & miserabiliter narrat Herodotus in Thalia.

Nabuchodonosori seruierunt.

Cambysi & Persis.

39. E qua seruitute, quamuis exire sæpe sub Persarum imperio voluerint, per annos tamen ampliùs bis mille numquam hactenus respirare potuerunt. Cùm ducentis propemodum annis vel Persarum monarchiæ paruissent, vel infeliciter ab imperio defecissent, ab Alexandro Magno subacti concesserunt in Græcorum ditionem, à quibus trecentesimo pòst anno Ægyptus ad Romanum Imperium translata, & quidem, vt videtur, iniquiore conditione quàm cæteræ Populi Romani prouinciæ. Nam ex Augusti Cæsaris instituto, si Dionem Cassium lib. 51. audimus, non modò non facta est Prouincia Consularis, sed ne mittebatur quidem Senator qui eam obtineret. Et ne Senatoribus quidem aut Equitibus Illustribus eam intrare fas fuit, nisi proficiscendi facultatem Imperator dedisset, vt tum ex eodem Dione liquet, tum è Cornelio Tacito 2. Annalium. Quid? quòd *οὐ μέντοι οὐδ' ἐκείνοις βουλεύειν ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐφῆκεν. Nemini eorum Senatorem Romæ esse permisit.* Cùm è cæteris prouincijs Senatores passim legerentur. Quid? quòd *τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν ἄνευ βουλευτῶν πολιτεύεσθαι ἐκέλευσεν. Alexandrinis sine Senatu iussit habere Rempub.* Cùm vrbibus cæterarum prouinciarum principibus sui Senatores essent, quos Decuriones vocabant. Quæ seruitutis indignitas in multos annos est propagata. *Τὰ μὲν ἄλλα*, inquit idem Dio, *ϗ νῦν ἰσχυρῶς φυλάσσεται, βουλεύουσι δὲ ϗ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ Σεουήρου αὐτοκράτορος ἀρξάμενοι, ϗ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπ' Ἀντωνίνου τοῦ υἱέος αὐτοῦ πρῶτον ἐς τὴν γερουσίαν ἐσγραφέντες. Reliqua quidem etiam nunc accuratè seruantur. Senatores autem Alexandriæ sunt, & esse cœperunt sub Seuero Imperatore: & Romæ in Senatum admittuntur, ab Antonino Seueri filio primùm allecti,* du-

Macedonibus.

Romanis.

centis & ampliùs annis post pugnam Actiacam, ipsúmque adeo seruitutis initium euolutis.

40. Anno salutis tricesimo quarto supra sexcentesimum, superbam, auarámque Imperatorum Orientis dominationem pertæsi rebellarunt, non ita tamen vt iugum seruitutis excusserint, sed vt in grauius ignominiosiúsque mutarint. Extortas enim de Christianorum manibus regni habenas Saracenis Mahumetanis impiè tradiderunt. Saracenos Reges Calyphos vocabant. Qui cùm annis ampliùs trecentis Ægyptum tenuissent, Calyphus ab Almerico tertio Hierosolymorum Rege, qui Godofredo & Balduino successerat, armis appetitus, cùm incumbentem in regnum tanti belli molem suis viribus sustinere se posse diffideret, à Sultano Syriæ auxiliatios milites postulauit. Missus est Sarraco, quem Haithonus lib. de Tartaris cap. 52. Xacaron appellat, & Medum fuisse dicit. Is Almarico primùm è Calyphi finibus eiecto, deinde Calypho ipso in vincula coniecto, suo nomine regnum occupauit: quod posteri eius Sultanorum vocabulo tenuerunt, donec anno præter propter ducentesimo quinquagesimo supra millesimum Melecsala Sultanorum postremus, vt suas legiones frequentibus prælijs exhaustas nouo supplemento reficeret, ingentem Cumanorum (Gens est Cholcica Ponto Euxino & Mœotidi paludi Iapheri posteris attributæ vicina) ingentem, inquam, Cumanorum, quos tum fortè Tartari deuictos & in seruitutem redactos vendebant sub corona, numerum sibi non magno pretio comparauit, armis instruxit, bellicis artibus instituit, ad magna quæque excitauit ingentium spe præmiorum. Quid plura? Horum fortitudine Gallos profligauit, & sanctissimũ Christianissimúmque Regem viuum cepit. Sed ne diu Christianorum posset inequitare ceruicibus, cùm è seruis illis venalitiis cohortem prætoriam sibi scripsisset, ab iis ipsis ferro confossus est, Ludouicus è vinculis liberatus. Turquinianus quidam ex illis seruorum quisquiliis retento Sultani nomine ad regnum euectus, & Mesraimi posteritas addicta miserrimæ seruituti, vt tum demum verè Mesraim *Seruus seruorum fratribus suis*, fuisse videatur. Vbi quis non videt miseros Ægyptios postremissimos, vt sic loquar, omnium mortalium esse, regnum vberrimum solo, cœlo saluberrimum, paludibus, Nilo fluuiorum Rege, mari Mediterraneo, Arabico sinu munitissimum seruire Barbaris, seruire seruis, seruire vilibus mancipiis de lapide emptis & catasta, & quidem iis ipsis ad quorum emptionem Ægyptij tributum magno sudore quæsitum Sultanis erogarant: Quid simile fuit in Chanaano, cui nominatim sanctus Patriarcha seruitutem extremam prædixerat?

Saracenis. Calyphis.

Syris, vel potiùs Medis Sultanis.

Seruis Cumanis, siue Circassis.

41. Quid? quòd ipso nomine testabantur Ægyptij se verè seruos esse seruorum, dum Cumanos illos siue Circassos linguâ sua Caphas vocabant, id est plagio arreptos in seruitutem, quibus nihilo seciùs abiectissimè seruiebant. Et ne quis dubitet Noëmi diras ad hæc Ægyptiorum tempora redundasse, Circassis solemne fuit Sultanos suos interficere, vt parricida nefarius trucidati Sultani solium occuparet. Turquinianum paucis diebus postquam cæsi Melecsalæ regnum inuaserat, Cathus quidam è grege nouitiorum ferro iugulauit, Cathum Bendecader, Bendecaderem Elpis veneno sustulit, eiúsque filium Melecsaitum ex Ægypto fugauit. Elpim nescio quis vel trucidauit, vel, vt narrat Haithonus, veneno extinxit, qui dum & ipse tyrannidem aucuparetur, à cæteris Circassis frustratim discerptus est. Huic itaq; suffectus Melecseraph inter venandũ à sicario quodã occiditur, Qui dum & ipse tyrannidẽ affectat, amputato capite parricidij pœnas exoluit, & Melecneser superioris Sultani germanus adhuc adolescens & pene puer communibus Circassorum suffragijs regni gubernaculis admouetur. Interim ob teneram Regis ætatem rebus gerendis imparem Guiboga cuidam natione Tartaro Sultani superioris emptitio tantisper vicaria regni præfectura committitur. Is adolescente statim in ordinem redacto, & in arce, cui montis Regalis nomen fuit, seruari iusso, sibi ipsi regnum vsurpat. Huic paulo pòst exorto inter Tartaros & Cumanos bello imperium abrogatur: successit Lachis, & cum regno Melecnesaris nomen accepit: qui cùm se metu suorum in arcem Cairanam siue Memphiticam abdidisset, ibique tertium iam annum delitesceret, suo ipsius gladio sicarij domestici manu trucidatus, imperium Melecnesari priori ex arce montis Regalis, vbi hactenus asseruatus fuerat, educto reliquit. Qui, cùm ista scriberet Haithonus Armenus, adhuc rerum summam obtinebat.

Circassorũ mutuæ cædes, & parricidia.

42. Quid interim Ægyptij? Videbant, ferebant, ancillabantur: ne vnus quidem inueniebatur, qui in tantis seruorũ dominantium discordijs & mutuis cædibus, de vindicta siue libertate patriæ cogitaret. Adeo se seruituti natos, & ipsa Noëmi maledictione deuotos putabant. Estne aliquid

quid vlterius quò progredi seruitutis indignitas possit? Ægyptiorum plerique omnes Sultanis dominantibus adhuc erant Christiani, & licet multis hæresibus imbuti, tamen Christiani. Legem, tulerunt Circassi Christo longè contumeliosissimam, ne quis in equestrem militiam adscriberetur, nisi Christianis parentibus natus, Christianis initiatus mysterijs Christum abdicasset, & deciso sibi præputio Mahumeticæ disciplinæ se tradidisset, ne filius in regnum patri succederet; Neu quis Sultanus præterquàm ex equestri ordine legeretur, hinc à circumciso præputio dicti Mammeluci. Quo fiebat vt ijs solis ad regnum pateret aditus, qui nefario plagio primùm à Christianarum matrum abstracti gremio, deinde Mahumetem amplexi per summum sacrilegium à Christi religione defecerant. O acerbissimam, & vel ipsis Chami posteris indignissimam seruitutem!

Circassiorum lex Christo contumeliosa.

Mammeluci.

43. Saltem quòd in extremis malis solatio esse solet, paucis annis circumscripta fuisset. At Ægyptum Mameluci annos præter propter ducentos & sexaginta tenuerunt, donec mortuo Caytbeio, qui ob res præclarè gestas Maximi cognomen adeptus est, Mahometes filius, contra mores & instituta maiorum, patris regnum inuadit, & à Circassio quodam inter epulas occiditur. Ipse Circassius, vt Pauli Iouij histor. lib. 17. verbis vtar, *quòd publicam seruorum causam respexisset, & ius dicendi Regis atque obtinendi Imperij Mammelucis restituisse videretur, Sultanus summo omnium fauore salutatur.* Hunc Giopalatus solio detrusum in vincla compingit. Gi palato pariter custodiæ tradito suffectus Tomumbeius octauo Imperij mense trucidatur. *Occiso Tomumbeio*, inquit idem Iouius, *aulæ proceres, vt cruentissimis Mammelucorum seditionibus occurrerent, quibus ad internecionem prope eorum nominis per quatuor annos fuerat dimicatum, Campsoni Gaurio homini iusto ac forti, atque inprimis minimè ambitioso imperium detulerunt.* Sed is Selimo Turcarum Imperatori pacis leges & conditiones volens præscribere, & collatis signis cum eo congressus, Cayerberij proditione in medio conflictu destitutus à multis, animam in acie proiecit.

44. Huic substitutus Tomumbeius alter nihil aliud consecutus est, quam vt ab eodem Selimo diuersis cladibus priùs acceptis, ad postremum viuus caperetur, diuque & grauissimè tortus ad indicandos thesauros tandem per omnia Cairi fora & celeberrimas vrbis regiones vili camelo circumduci, ad Basuclam portam laqueo præfocari, & vnco ferreo suspensus supra fornicem relinqui iuberetur. Quod aiunt Idibus Aprilis anno, à partu Virginis decimo septimo supra millesimum & quingentesimum contigisse. Eo videlicet anno genti in Christum contumeliosissimæ modus impositus est, quo Saxo nescio quis Antichristi præcursor teterrimam cœpit Mephitim ex orci faucibus inhalare. *Nec defuerunt*, inquit idem Episcopus Nucerinus, *qui in eo tam atroci miserabilique spectaculo lacrymas effunderent, tristique gestu & incondito eiulatu vltimi Regis sui vsque adeo fœdam atque turpissimam necem quererentur, vel increpantibus sæua voce & mortem comminantibus Ianisariis, quod Memphiticus populus vtilitatis, & veteri Mammelucorum seruitio assuetus depulsæ seruitutis beneficium nequaquam lætis & gratis animis acciperent.* Sed nimirum iam inde ab initio diris Noëmicis defixi, & extremo seruitio deuoti serui seruorum esse cupiebant. Quamuis quid erat quod magnopere lætarentur? à quibus seruile iugum adeo depulsum est vt excussa Mammelucorum tyrannide Turcorum immanissimo dominio subiacerent, sed nimis forsasse multa de Ægyptiis, restat vt dictorum prolixitatem eorum quæ dicenda sunt, breuitate compensem.

Iam Turcis seruiunt.

XI. De Prophetia Ezechielis contra Ægypti vastatione.

45. MEROPS. Imo, Eulogi, priusquàm deseramus Ægyptios, dum interim aliquantulùm respiras, velim vt Basilius noster Prophetiam Ezechielis anno trãsmigrationis Ioachini decimo prolatam explanet, eamque cum euentu comparet, qui tum ab Herodoto lib. 2. desinente, tum à Diodoro Siculo lib. 1. describitur. Cùm enim Apries ea tempestate regnum obtineret, quem Ephree Ieremias appellat. cap. 44. v. 30. *Ecce*, inquit, *ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum eius*, quæ tamen de Apriæ narrantur interitu, ita cum vaticinio pugnant vix vt conciliari posse videantur.

46. BASILIUS. Quæstionem oppidò difficilem proponis, Merops. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum & dicis: meus est flu-*

Ezechielis 29 v. 3.

nius', & ego feci memetipsum. Hic Apries cùm magno dracone, vel vt alij dicunt, crocodilo comparatur (cubabat in medio fluminum, quia fossis è Nilo deductis mœnibúsque subtractis ita se munierat, omnésque clauserat aditus, vt in medio fluminum suorum securè quiescere posse sibi videretur. Dicebat: *Meus est fluuius, & ego feci memetipsum*: id est propriis viribus & sapientia. Nilum carpsi canalibus, & velut in diuersos fluuios deriuaui, vrbésque munitissimas Ægypto circumdedi, quibus hostes à regni mei finibus arceantur, *atque ita feci memetipsum*, neque potentiam, & securitatem, quam mihimetipsi mea virtute comparaui, alteri acceptam refero. Vel mei sunt fluuij, videlicet diuersi canales & aquarum è Nilo diuortia, καὶ ἐγὼ ἐποίησα αὐτούς. *& ego feci illos*, vt LXX. transtulerunt. Vel דלי מלכותא ואנא כבשת *meum est regnum & ego subiugaui illud*. Vt ait Chaldæus Paraphrastes. Et sanè Apriæ persuasum fuisse tradit Herodotus, μηδ' ἂν θεόν μιν μηδένα δύνασθαι παῦσαι τῆς βασιληΐης. *Ne Deum quidem vllum esse qui posset cum à regno submouere, adeo res suas in tuto collocatas putabat.*

v.4. 47. Pergit Propheta. *Et ponam frenum* (Hebr. & dabo חחים hamos) *in maxillis tuis: & agglutinabo* (vel adhærere faciam) *pisces fluminum tuorum squamis tuis*, videlicet Ægyptiorum principes & auxiliarios tuos, qui tecum in Nilo & fossis eius habent fiduciam, *& extraham te de medio fluminum tuorum*, vt crocodili hamis extrahuntur, *& pisces tui squamis tuis adhærebunt*, quos eadem ruina tecum inuoluam. Εἶχε δὲ περὶ ἑωυτὸν, inquit Herodotus, Κᾶράς τε καὶ Ἴωνας ἄνδρας ἐπικούρους τρισμυρίους, *habebat verò circa se Caras & Ionas auxiliarios ad triginta millia.* Qui cum Ægyptiis deficientibus acie congressi ab iisdem profligati sunt, Rex ipse captus, & in suam olim regiam abductus ab Amasi, quem rebelles sibi Regem adsciuerant, aliquandiu cum honore habitus est. Sed eum Ægyptij ἔπνιξαν elisis faucibus de medio sustulerunt.

48. Cur autem ab Aprie defecerint Ægyptij, narrant Herodotus & Diodorus. Quùm aduersus Cyrenæos Apries exercitu misso magnam cladem accepisset, id ei imputantes Ægyptij rebellauerunt opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos, vt his internecione deletis, ipse cæteris Ægyptiis imperitaret securiùs. MEROPS. Apriem igitur putas non ab Nabuchodonosore, sed ab ipsis Ægyptiis interemptum fuisse? BASILIVS. Ita mihi persuadeo. Non enim obscurè Ieremias ostendit alium à Nabuchodonosore fuisse regiæ cædis authorem. *Ecce ego tradam Pharaonem Ephree Regem Ægypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius, sicut tradidi Sedeciam Regem Iuda in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis inimici sui & quærentis animam eius.* Cap.44.v.10.

49. MEROPS. Quid est igitur quod ait Propheta? *Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti,* Ezech.29.v.19. *& accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia* Ezec.30.v.10. *eius?* & iterum: *Cessare faciam multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis.* BASILIVS. Ita poterimus, opinor, totam rei gestæ seriem partim ex historia partim è Prophetia contexere. Nabuchodonosor anno post transmigrationem Ioachimi vigesimo septimo, qui post initium deportationis Ioachimi, & Babylonicæ seruitutis annis septuaginta circumscriptæ trigesimus quintus illuxit, cùm statuisset irruptionem in Ægyptum facere, vidérétque omnes aditus ad Orientem contra Babyloniorum grassationem partim Nili deductionibus interclusos, partim vrbibus munitissimis ita vallatos vt Apries tanquam crocodilus in medio fluminum suorum cubaret, & ne Deum quidem vllum posse sibi regnum adimere gloriaretur, Ægyptum ab occasu & velut à tergo per Cyrenen & Barcen voluit adoriri. Apries retentis ad sui custodiam Caribus & Ionibus auxiliariis in Cyrenem, mittit Ægyptios qui extra regni fines Chaldæis occurrant. Signa conferunt, manus conferunt, vincuntur Ægyptij Babylonij fusos insequuntur, in Ægyptum irrumpunt, deprædantur manubias eius, & diripiunt spolia eius, agros populantur, alios occidunt, alios ducunt in seruitutem, reliqui Babylonio se dedunt, quibus Amasis imposita tributi annui pensione vel Regis, vel Satrapæ nomine præficitur, eique belli reliquiæ aduersus Apriem demandantur. Apries viuus venit in hostium potestatem, quem Amasis initio cum honore tractauit & obseruauit, sed Ægyptij paulo pòst ad necem expetitum ἀπέπνιξαν, καὶ ἔπειτα ἔθαψαν ἐν τῇσι πατρῴῃσι ταφῇσι suffocauerunt, & deinde maiorum suorum sepulchris intulerunt.

50. Quare quod apud Prophetam Deus

ei comminatur. *Super faciem terræ cades: non colligeris, neque congregaberis; bestijs*
Ezech 29. 5. *terræ & volatilibus cæli dedi te ad deuorandum:* sic intelligendum puto non quasi proiectus fuerit insepultus, quemadmodum neque hamo è suis fluuijs extractus est; sed quia cum dracone siue crocodilo capto comparatur, ea de ipso dicuntur, quæ draconi capto contingerent. Quanquam etiã fieri potest, vt post annos circiter quadraginta Cambyses eius etiam cadauer è maiorum suorum monumentis extractum feris & volucribus laniandum abiecerit, quemadmodum, vt narrat Herodotus, Amasis ipsius cadauer flagellis cædi, pilis nudari, stimulis pungi, & alijs affici contumelijs, imperauit.

51. MEROPS. Fateor hactenus rebus gestis & vaticinio conuenire: sed vide quid ad cætera respondeas. Deus Ægypto solitudinem cõminatur. *Daboq; terram Ægypti in solitudines, gladio dissipatã, à turre Syenes vsq; ad terminos Æthiopiæ non pertrãsibit eã*
11. *pes hominis, neq; pes iumenti gradietur in ea, & non habitabitur quadraginta annis.* At si Herodotum audimus, sub Amasi, qui Apriæ regnum inuasit, Ægyptus non solùm, Nili beneficiis, terræque frugibus exuberabat, sed etiam incolarum multitudine sic affluebat, vt vrbes habitatas ad viginti millia numeraret. *Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis in quibus dispersi fuerant, & reducam captiuitatem Ægypti.* Tamen annis qua-
v. 13. tuor & quadraginta post Apriæ necem euolutis, Cambyses Ægypti regnum
v. 15. euertit, eíque maiorem quàm priùs, intulit vastitatem, *Non eleuabitur*, inquit, *vltrà super nationes, & imminuam eos, ne imperent gentibus.* Amasis tamen εἷλε τὴν Κύπρον πρῶτος ἀνθρώπων, καὶ κατεστρέψατο εἰς φόρου καταγωγήν. *Primus mortalium Cyprum subegit; fecitque tributariam prouinciam.* Subdit Propheta capite sequenti: *Et dispergam simulachra, & cessare faciam idola de Memphi.* Amasis tamen tum alia delubra miris operibus ornauit, tum οἴκημα μουνόλιθον domum vno lapide constantem longam cubitis vno & viginti, latam quatuordecim, altam octo, ex vrbe Elephantine trium annorum spatio deuectam in Mineruæ Saiticæ vestibulo collocauit, & in ipsa Memphi ante Vulcani templum tres colossos posuit, quorum vnus fuit longus pedes quinque ac septuaginta, ac templum Isidi ἀξιοθεητότατον, *Spectatu dignissimum* excitauit; vt omittã Sphingen illam è saxo naturali elaboratam, quam volebant aduectam videri, cuius monstri ambitus per frontem centum duos pedes, longitudo centum quadraginta tres, altitudo Plinius lib.
ad summum apicem duos & sexaginta colligebat. Quæ sanè non video qua ratione prophetæ respondeant. 36.cap.12.

52. BASILIUS. Dubitari sanè non potest quin cessare fecerit Deus multitudinem Ægypti in manu Nabuchodonosoris Regis Babylonis, vt Propheta denuntiat: Neque tamen his repugnat quòd miratur Herodotus, eam sub Amasi vicenis vrbium millibus fuisse celebratam, habita suorum temporum ratione, quibus sub imperio Persarum redacta fuerat ad vastitatem. Etenim si vrbes illas vicies millenas, quæ sub Amasi colebantur, non cum æuo Herodoti, sed cum Ptolemæi Philadelphi regno comparemus, inueniemus etiam tum solitudinem vocari potuisse, si quidem vrbes Ægypti, quæ regnante Ptolemæo floruerant,

Τρεῖς ἄρα χιλιάδες τελεσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι.

tria & triginta millia, & insuper trecenta Eidyllio
triginta nouem à Theocrito numerantur. 17.
Quanquam ingens illa vastitas quam per Prophetam Deus intentat, & per hyperbolem prophetis familiarem exaggerat, & idolorum Memphiticorum subuersio, videtur non ad Nabuchodonosorem, sed ad Cambysem esse referenda, qui magnas Ægyptiorum strages edidit, Regis filium in crucem egit, Regem ipsum Psammenitum Amasis filium haustu taurini sanguinis extinxit, & *offensus superstitionibus Ægyptiorum*, non solùm vt narrat Iustinus lib. 1. *Apis cæterorúmque Deorum ædes dirui iussit*, sed etiam in vrbe Memphi, Apim ipsum, qui tum fortè apparuerat, interemit, sacerdotes virgis cecîdit, quicunque vel dies festos agerent, vel Apim lugerent occisum iussit interfici, Vulcani simulachrum irrisit, Cabirorum adytum ingressus est, & eorum effigies tradidit infelicibus ignibus vstulandas, quæ pleniùs ab Herodoto. lib. 3. referuntur.

53. Quo tempore tum indigenis & ciuibus exhausta est Ægyptus, & desiit à mercatoribus atque aduenis celebrari, quasi *non pertransiret eam pes hominis, neque pes iumenti graderetur in ea*, vt Propheta verbis ad terrorem compositis exaggerat. Donec quadragesimo pòst anno, Olympiade videlicet septuagesima tertia Ægyptus secundum Eusebij chronicon, *recessit à Dario*, quæ, vt auctor est Diodorus, Olympiade sexagesima septima, fuerat à Persis occupata. Nec dubitari potest quin sibi Regem tum temporis præfe-

cerint,& exules qui per varios dispersi populos in omnem repetendæ patriæ occasionem imminebant, in illo totius Asiæ motu qui post Marathoniam pugnam à Persis male pugnatam, vniuersum imperium concussit, denuò fuerint in Ægyptum congregati, vt Propheta prænuntiarat. Sed regnũ illud fuit humillimum, nec eleuatum est vltra super nationes: paucis enim pòst annis à Xerxe subacta est Ægyptus, & cùm iterũ ab Artaxerxe Longimano defecisset, iterum concessit in eius ditionem πλὴν Ἀμυρταίου τοῦ ἐν τοῖς ἕλεσι βασιλέως, *præter Amyrtæum saltuum palustrium Regem.* Quod regnum cùm iterum sensim sine sensu in maiorem molem assurgeret, tandem Olympiados centesimæ septimæ anno secundo ab Artaxerxe, cui cognomen Ocho fuit, funditus euersum est. Sed iam, si placet Eulogium de reliquis Chami filiis dicentem audiamus.

Lib. 1. pag. Græcæ edit. H. S.

Herod. l. 7. ineunte. Thucid. l. 1. pag. 72. edit. Græcolat. H. S. Diodorus hîc lib. 16.

XII. *Afri.*

54. EVLOG. Afri siue Libyes à Phut tertio Chami filio propagati Semi Iaphetique posteris pene à conditarum gentium initio seruierunt. Et quidem Libyas Chamitas fuisse scribunt Iosephus libro antiq. 1. & Hieronymus tradition. Hebraicis in Genesin. *Chus*, inquit posterior, *vsque hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur: Mesraim Ægyptus: Phut Libye, à quo & Mauritaniæ fluuius vsque in præsens Phut dicitur, omnisque circa eum regio Phutensis. Multi scriptores tam Græci quàm Latini huius rei testes sunt.* Libyas autem siue Phutæos Semi posteris seruiisse iidem litteris prodiderant Hieronymus. *Dicitur autem*, inquit, *vnus ex posteris Abrahæ, qui appellabatur Afer, duxisse aduersus Lybiam exercitum, & ibi victis hostibus consedisse, eiúsque posteros ex nomine Ataui, Africam nuncupasse. Huius rei testis est Alexander, qui cognominatur Polyhistor, & Cleodemus cognomento Malchus, Græco sermone barbaram historiam retexentes.* Concepta Polyhistoris verba tũ apud Eusebium l. 9. προπαρασκ. tum apud Iosephũ libro proximè laudato reperies, quæ Strabo l. 17. Geographiæ videtur præ oculis habuisse, asserens ex aliquorum sententia Mauros Indos esse, qui cum Hercule in ea loca deuenerint. Nam auctor est Hieronymus à plerísque filiis Abrahæ ex Cethura susceptis occupatas Indiæ regiones.

Lybies à Chamo propagati.

Abrahami posteris seruierunt.

55. E quibus liquet Afros Chami progeniem ab ipso pene mundi post diluuium renascentis initio Semi posteris seruiisse. Quid de Iapheti filiis loquar, Græcis videlicet à Iauano Iapheti filio propagatis, qui eandem Africam diuersis coloniis occuparunt. Quod argumento Græcorum nominum probat Solinus alter Polyhistor. *Borcion*, inquit, *promontorium quod Aquilone caditur, Græci aduenæ sic vocauerunt, Hipponem Regium postea dictum.* Cur autem Regium? Quia videlicet antequam Carthaginienses Africam obtinerent, Hippone Reges habitabant.

Item Græcis.

Et vaga, & antiquis dilectus Regibus Hippo.

Ne quis inficietur Græcos Africam tenuisse. Sed pergit Solinus. *Item Hipponem alterum interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobilissima oppida equites Græci condiderunt.* Clupeam ciuitatem Siculi extruunt, & Aspida primùm nominant. Veneriam etiam, in quam veneris Erycinæ religiones transtulerunt. Omitto Tripolim ab Achæis conditam.

Silius lib. 3.

Lybicóque habitantes littore Locros.

Omitto Berenicem, Arsinoen, Apolloniadem, & alias vrbes quæ vel ipso nomine satis indicant se Græcos conditores agnoscere. Omitto Atlantem illum cœli destinam baiulum Iaphete filiũ, Promethei fratrem fuisse viri doctissimi litteris prodiderunt: qui nunquam monti maximo & Oceano nomen dedisset, nisi regnum in Africa latè tenuisset. Omitto Cyrenaicum regnum ab Argonautarum posteris aliísque Græcis conditum: cuius coloniæ deductio tum à Strabone, l. 17. tum à Solino cap. 40. tum à Iustino, l. 13 & potissimùm ab Herodoto in Melpomene fusè describitur: Omitto Barcæos ab iisdem Cyrenensibus procreatos.

56. Et ne solis Semi Iaphetique posteris seruirent, seruierunt etiam Chananæorum reliquiis, qui Hebræorum manus euaserant. Quis enim nescit Phœnices, Sidonios & Tyrios, authorem sui generis habere Chanaanum? Quis nescit Tyrios & Sidonios Carthaginem in Africa condidisse? Ausi sunt quidem Carthaginienses Hispanias inuadere, & Mediterranei maris insulas assignatas Iapheti filiis occupare. Sed neque diuturna fuit ea possessio, &, si verum admittimus, non tam eas tenuerunt regiones, quàm hamum deuorarunt, quo ab Romanis victoribus Lybia caperetur. Tandem enim, vt auctor est Sextus Rufus in Breuiario, *per omnem Africam, sex Prouinciæ factæ sunt. Ipsa, vbi Carthago est, Proconsularis, Numidia Consularis, Tripolis, & Mauritaniæ duæ, hoc est Sitinensis & Cæsa-*

Tyriis etiã seruierunt.

Denique Romanis.

riensis, sunt præsidiales. Africam tenuerũt Romani annis circiter quingentis & octoginta: Vandali anno post Christum natum trecentesimo vndequadragesimo ceperunt Carthaginem. Hanc Iustinianus post annos nonaginta quinque recepit, & annis deinde tredecim supra centesimum euolutis, Saraceni occuparunt, nunc immanissimo Turcorum imperio partim tenentur; partim barbaris Regibus obnoxia veteres diras exoluit. Quanquam quid Carthaginienses aio fuisse Chananæorum reliquias?

XIII. *Chananæi.*

57. VEl serui seruorum facti sunt fratribus suis, vt Gabaonitæ vilibus ligni portandi ministerijs deputati: vel ab Hebræis internecione deleti, vel si qui præposterâ Hebræorum indulgentiâ fuerunt incolumes, seras quidem, sed tamen diras sceleris paterni pœnas luerunt: floruerunt olim Tyrij: Gades in Hispania, Thebas in Græcia, Vticam & Chartaginem in Africa condiderunt. Sed qui tam multis colonijs Europã & Africam impleruut, cupiã fortasse videri possint neutiquã in Chananęis esse numerandi: veteres enim illi Tyrij, quos à Sidone Chanaani primogenito, propagatos esse constat, paulò post communem generis humani cladem domi seruorũ improbitate conciderunt. *Asseuis*, inquit Iust. l. 18. *suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt, qui conspiratione factâ omnem liberum populum cum dominis interficiunt, atque ita potiti vrbe lares dominorum occupant, Rempub. inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos, procreant.*

XIV. *Digressio de Carthaginiensibus, Vtrùm fuerint à Chanaan propagati.*

58. MEROPS. Hinc igitur effici putas, Eulogi, Carthaginem illam Romani terrorem imperij, rerũmque pene dominam ab aliis esse conditam, quàm ab antiquis illis Tyriis, Sidoniorum colonis, à Sidone Chanaani primogenito propagatis? EVLOG. Equidem, Merops, si quid melius & certius attuleris, non magnopere contendam: Neque enim sic opinioni meæ sum affixus, nefas vt esse putem à sententia dimoueri. Quare, vt tibi pro Basilio nostro respondeam, etiam atque etiam ambo te rogamus, vt si quid contrà tibi probabilius occurrat, candidè nobis impertias. MEROPS. Vide, quæso, ne tuo ipsius, vt vulgo dicitur, gladio iugulêre. Cùm enim Tyriorum internecio, seruorúmque illa conspiratio Iustini solius authoritate nitatur, liquet è conceptis eiusdem verbis hanc Tyriorum cladem post conditam Chartaginem obtigisse. Non igitur Chartaginienses seruis illis dominorum interfectoribus, sed veteribus Tyriis à Chamo progenitis Noëmíque deuotatione perculsis originem acceptam retulerũt. Et si quid Poëtarum fabulis credendum putamus, Phœnix, Agenor, & Cadmus Tyri conditores fuerunt Ægyptij.

59. Sed quoniam in rebus Theologicis, nihil huiusmodi figmentis magnopere tribuendum, constat è sacris & profanis historijs Tyrum illam nobilissimam Sidonis esse coloniam. Narrat Herodotus lib. 3. Cambysem, Ægypto subacta, classem, ad subigendam Carthaginem destinasse: Sidonios parere noluisse, quòd nefas esse dicerent filijs suis bellum inferre, & ita torũ negotium esse disiectum, & Tyrus illa multis seculis post conditam Chartaginem à Nabuchodonosoro debellata, *virgo filia Sidonis* ab Isaia nominatur. cap. 23. v. 12. Cuius appellationis caussam ita v. 2. præmiserat. *Tacete qui habitatis in Insula.* Tyrus enim ante Alexandrum insula fuit modico freto à continenti dirempta, *negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleuerunt te. In aquis multis semen Nili, &c.* Quibus è verbis effici videtur vrbem Tyrum non è solis Sidonijs; sed etiam ex Ægyptijs constitutam fuisse. Quid? quod illa Tyrus cui clades tum à Chaldæis tum à Macedonibus inferenda prædicitur, disertis Prophetæ verbis inter vrbes Chanaan computatur? v. 11. *Dominus mandauit aduersus Chanaan, vt contereret fortes eius, & dixit: Non adijcies vltra, vt glorieris calumniam sustinens, virgo filia Sidonis.* Quæ mihi facilè persuadent vel fabulas esse quæ de seruorũ in Tyrios conspiratione iactantur, vel certè post expugnatam à Nabuchodonosore Tyrum contigisse.

Tyrus colonia Sidoniorum.

60. Verum esto: Tyrios seruili cõspiratione deletos, & occupatam à seruis vrbem disputationis causâ faciamus, quæro abs te, Eulogi, cur contrà Iustini authoritatem à seruis illis poriùs, quàm ab antiquis Tyrijs & Chananæis Carthaginiensium originẽ accersas, & quibus id potueris subodorari vestigijs? EVLOG. Nunquàm profectò Carthaginienses cum seruis illis nefarijs fœdus & amicitiam haberent, si parentes suos ab

iis impiè contrucidatos esse meminissent. At illi fuerunt Tyriis amici semper & fœderati: fœderati autem? Etiam religione deuincti. Deuinctos dico? Imò Tyrios semper parentum vice coluerunt. Coluerunt? etiam eorum causâ omnem aleam subire, & cum ipso Alexandro, gentium omnium terrore, belli fortunam experiri statuerunt: fecissentque, nisi cùm ille Tyrum obsidebat, fuissent domesticis cladibus impediti. Hæc autem omnia quo teste proferuntur? Quinto Curtio Rufo, qui libro 4. de gestis Alexandri, cap. 6. *Carthaginiensium*, inquit, *legati ad celebrandum sacrum anniuersarium more patrio tunc venerant.* Videtis sacrorum societatem maiorum more susceptam, & amicitiam religione deuinctam. Cedo, quid postea? *Quippe Carthaginem Tyrij condiderunt, semper parentum loco culti.* Aduertitis pietatem, quam certè par non fuit seruis exhiberi, à quibus veteres illos Tyrios Carthaginiensium maiores nefariè cæsos, esse constaret. Quid deinde? *Hortari ergo Pœni cœperunt, vt obsidionem forti animo paterentur: breui auxilia Carthagine ventura.* Aduertitis pietatem non segnem & delicatam, sed paratam omnia pro parentibus suis subire discrimina.

Carthaginienses Tyrios coluerunt.

61. Addit Curtius, vndecimo capite loquens de Apollinis simulachro, quod ne ad Alexandrum se transferret, aureâ catenâ, quasi fugitiuum ad aram Herculis alligarant. *Syracusis simulachrum deuexerant Pœni, & in maiore locauerant patria, multisque aliis spoliis vrbium à semet captarum non Carthaginem magis, quàm Tyrum ornauerant.* Quid? quòd Herculi Tyrio prædarum suarum decimas offerebant? *Carthalo*, inquit Iustinus, lib. 18. *Machæi ducis exulis filius, cùm præter castra patris, à Tyro, quò decimas Herculi ferret ex præda Siciliensi, quam pater eius ceperat, à Carthaginiensibus missus fuerat, reuerteretur, accersitúsque à patre publicæ se priùs religionis officia executurum, quàm priuatæ pietatis, respondit*, &c. Vide Diodorum Siculum, lib 13. exeunte. Eósne putatis hæc facturos, si serui Tyrij patres ipsorum nefario, & immani facinore de medio sustulissent? Mer. Atenim, Eulogi, destituerunt Tyrios, vrbémque passi sunt ab Alexandro deleri? Evlo. Quid si dolentes & inuiti? Me. Quî probabilis? Ev. Eodē Curtio teste: *Carthaginiensium*, inquit, *legati triginta superueniunt, magis obsessis solatium, quàm auxilium, quippe domestico bello Pœnos impediri, nec de imperio, sed pro salute dimicare.*

62. Merops. Notæ Pœnorum artes, noti fuci, notæ fallaciæ. Quid enim si lacdis patribus illatæ memores in omnem vltionis occasionem imminebant? Quid si latronum more, quos Philetas Alexandrini vocabant, παρέσπονδες ἀγωνιστάς, in hoc Tyrios amplectebantur, vt strangularent? Quid denique, si quibusdam, officiis dicā, an offuciis? Tyrios in fraudem induxerunt, vt spe auxilij punici, bellum cum Alexandro susciperent, & à Pœnis in medio discrimine destituti, quod res ipsa docuit, Macedonum armis internecina clade deleti, noxam in Carthaginiensium parentes admissam expiarent? Evlog. Quid si Tyrij suam omnem in Pœnorum armis fiduciam habuerunt? Quid si liberos, parentes, & coniuges eorum fidei commiserunt? An si Pœnorum parentes à suis ipsorum maioribus impiè mactatos esse meminissent, suas ipsi necessitudines, suos parentes, suos liberos Punicæ fidei credidissent? Mer. Equidem non puto; sed id, vnde procedit argumentatio tua, mihi probari velim certis authoribus. Evlog. Diodorum Siculum, lib. 17. loquentem, si placet, audiamus: Alexandro restiterunt, inquit, πεποιθότες, *fidentes, tum insulæ munitionibus, tum bellico apparatui*, ἐπὶ τοῖς ἀπογόνοις αὐτῶν Καρχηδονίοις, *tum etiam Carthaginiensibus, qui ab ipsis erant progeniti.* Quid plura? τέκνα μὲν καὶ γυναῖκας, καὶ τοὺς γεγηρακότας εἰς Καρχηδόνα διακομίζειν ἐψηφίσαντο: *liberos, coniuges, & prouectiores ætate decreuerunt transferre Carthaginem.* Quid Curtius? *Coniuges*, inquit, *liberósque deuehendos Carthaginem tradiderunt, fortiùs quicquid accideret, laturi.*

Senec. ep. 51.

63. Merops. Quid igitur Iustino, vel potiùs Trogo Pompeio faciemus, qui seruorum illam coniurationem, & calamitatem dominis illatam putant post fundatam à Didone Carthaginem? Evlo. Eos suo ipsorum testimonio refellemus. *Exercitu*, inquiunt, lib. 11 *insulæ applicato, non minùs animosis Tyriis, fiducia Carthaginiensium bello excipitur. Augebat etiam Tyriis animos Didonis exemplum, quæ, Carthagine condita, tertiam partem orbis quæsisset, turpe ducentes, si fœminis suis plus animi fuisset in imperio quærendo, quàm sibi in tuenda libertate, amota igitur imbelli ætate, Carthaginem*, &c. I nunc, & affirma, Tyrios alios fuisse, qui, fœminâ duce, Carthaginem condiderant: alios, qui cæsis Carthaginiensium progenitoribus, eorūdem Carthaginiensium fiduciâ, Regi potentissimo restiterunt. Merops. Equidem iam nullus abs te dissentio, mi Eulogi, vel ipsius Iustini, quæ sola me premebat au-

Iustinus refellitur.

thoritate compulsus, & nunc demum intelligere mihi videor illud non ignobilis Poëtæ.

Silius lib 1. Punic. v 73.

--- Cùm fugeret Dido famulam Tyron: famulam appellat, quamuis Dido Regina Tyriorum non erat.

--- Sed Regna Tyri germanus habebat
--- Pygmalion.

Non igitur Didonis ipsius famula fuit, famula tamen dicitur: quia cùm fugeret Dido, iam serui trucidatis dominis, & antiquis Tyri ciuibus, vrbem tenebant, ac proinde clades illa dominorum contigit, antequam Carthago in Africa conderetur.

64. Sed quorsum ista? EVLOG. Quorsum? Merops, Merops,

Odyss. 1.

Νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας.
Stultus es, aut certè lõginquis hospes ab oris.

Nónne vides hinc apertè sequi, Tyrios illos veteres de stirpe Chanaan, seruorum conspiratione deletos, Noëmi diras suo interitu comprobasse, & Carthaginienses seruorum illorum posteros, qui longè latéque per Africam, Phutæis Chami nepotibus imperarunt, & tum Hispaniâ, tum insulis quibusdam Iapheto assignatis potiti, maris imperium aliquandiu tenuerunt, haudquaquam origine fuisse Chananæos? MEROPS. A quónam igitur Noëmi filio, seruos illos Carthaginiensium patres propagatos fuisse existimas? EVLOG. Equidem, Merops, certò diuinare non possum: placet tamen rem suspicionibus indagare; Tyrij & Sidonij iam inde ab initio, & penè ab ipsa diuisione linguarum nauigationibus floruerunt, totóque mari Mediterraneo longè latéque volitarunt, terrestri tamen exercitu parum potuerunt, vt nihil, quod admodum ad hominum famam manarit, vnquam gessisse videantur Hinc fiebat, vt maria terrásque mari vicinas, insulas, & continentis oras crebris latrociniis obsiderent, prædas abigerent, homines plagio correptos abducerent.

Carthaginienses an origine Chananæi.

65. Certè Herodotus suam historiam hinc auspicatur, ostendens Phœnices Ius Inachi filiæ raptu, primos fecisse Græcis iniuriam, οὐκ ἔχοντός πως αἰσχύνην τέ τε τοῦ πράγματος, φέροντος δὲ πῃ δόξης μᾶλλον, *cùm hæc prædandi ratio, nondum probro, sed potiùs honori duceretur,* inquit Thucydides, libro 1. ineunte, quod & probat authoritate veterum Poëtarum, qui sciscitantes inducunt, sintne latrones ij, qui ad se nauigarint: apud Homerum exempla sunt non pauca Nestor 3. Odyss. Telemachum & Mineruam hospites humanissimè priùs exceptos, non contumeliæ, sed magis honoris causâ, sic interrogat.

Qui genus? vnde domo? quibus aut venistis ab oris.
An studio hanc vrbem petitis? temerè ánne vagantes?
Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται,
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.
Instar prædonũ, vastis qui fluctibus errãt,
Ponentes animam, atque aliis mala multa ferentes.

Sed ad propositum redeamus: Tyrij ex insulis, & maris Mediterranei littoribus seruos abigebant; sed cùm à terrestribus copiis essent imparati, non audebant longiùs ad terram exscendere. Asia verò Semi posteris attributa, remotior erat à mari, quàm vt inde Tyrij prædas auerterent, & potentiores erant Assyrij, penes quos initio rerum summa fuit. quàm vt in eos grassari latrociniis expediret. A Iapheti verò nepotibus, Græcis videlicet à Iauan progenitis: *diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis*, Genesis 10. v. 5. Peloponesus & Thracia diuersis Mediterranei maris fluctibus alluuntur, ac proinde magis Tyriorum prædonum incursionibus patebant: E quibus liquet Græcos & Thracas potissimùm fuisse, qui à Tyriis abripi solebant in seruitutem: factâ in dominos consp ratione, Tyriis veteribus Chami posteris necidatis, nouam Tyriorum Rempublicam condiderunt Quod longè probab:lius euadet, si Adrichomio fidem habeamus, aienti veterum scriptorum testimonio, Tyrum à Tyra, septimo Iapheti filio, qui secundùm Iosephum & Hieronymũ, Thracas de suo nomine vocauit, appellationem obtinere.

Carthaginienses probabiliter à Iaphet sunt oriundi.

65. Nam quòd, vt iam commodè monuisti, Merops, nonnulli etiam veteres Agenorem Ægyptium Sidonis & Tyri conditorem esse referunt, id potest inter Ægyptiorum commenta numerari, cùm Sidon vrbis ἐπώνυμος, non Ægyptius fuerit, sed inter Chanaani liberos & quidem primogenitus censeatur, Genes. 10. v. 15. & multis seculis ante Cadmum & Agenorem, quos Iouis Cretensis æuo floruisse compertũ est, Iacob Sidonẽ quasi iam tum nobili emporio celebrem nominarit, Genesis 49. 13. *Zabulon in littore maris habitabit, & statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.* E quibus liquet Sidonem ante Agenoris tempora, non multis post publicam orbis terrarum eluuionem seculis, ortum habuisse. Quamuis, vt iam ex Isaia docuisti, probabile est, non paucos Ægyptios in vrbe Tyro rerum suarum domici-

lium collocasse, siue Agenor vrbem instaurarit vetustate collapsam, & coloniam eò deduxerit, siue mercatores Ægyptij in vrbem nauigationibus opportunam sponte conuenerint. Et sanè, quamuis in Homero, qui frequenter & honorificè Sidonem appellat, nullum extet Tyri vestigiũ, multò tamen fuit, quàm Iosephus, Iustinus, & alij putant, antiquior. Iustinus, lib. 18. ante annum Troianæ cladis; Iosephus, annis ducentis & quadraginta, priusquàm templi Salomonici fundamenta iacerentur, Chronicon Alexandrinum anno Gedeonis octauo conditam arbitrantur. Contrà, Herodotus in Euterpe, ait se ex Sacerdotibus Tyriis audisse, εἶναι ἔτεα ἀφ' οὗ Τύρον οἰκέουσι τριηκόσια καὶ δισχίλια, *annos, ex quo Tyrum habitant, trecentos supra bis mille computari.* Quæ sanè Chronologia cohærere non potest, cùm à tempore, quo scribebat Herodotus, ad diluuium, ne quidem annorum duo millia numerentur, si, quod fieri necesse est, textus Hebraïci, Latinæque versionis calculos Græcorum interpretum rationibus anteponendos putamus, si χίλια, mille dixisset, propiùs ad veritatem accessisset.

Tyri antiquitas.

66. Ad eius antiquitatem spectat illud Isaïæ cap. 23. v. 7. *Nunquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur à diebus pristinis in antiquitate sua?* & quod Iosuè 19. v. 28. 29. cùm aliæ passim vrbes sine adiecto recenseantur, sola Sidon magna & Tyrus munitissima nuncupatur. Quæ verba satis indicant Tyrum perinde vt Sidonem, iam tum inter alias Phœniciæ vrbes caput extulisse, vt sub Israelitarum aduentum iam propè cum sua metropoli de dignitate contenderet. Quod equidem de Palætyro nolim interpretari, de cuius dignitate, vel munitione nihil quod sciam reperitur in veterum monumentis Quæ verò tum è Dio, tum è Menandro Ephesio refert Eusebius, adeo dictis non officiunt, vt vrbis antiquitatem mirum in modum illustrent: cùm ex iis liquidò constet, ante Hiramum Salomonis amicum longam Regum seriem extitisse. Non est igitur absimile vero, paucis annis post linguarum dissidium elapsis abundante Sidoniorum multitudine deductam esse coloniam, quæ primùm in littore consederit, deinde seruorum conspiratione dominis è medio sublatis, vt se cōtra Chananæos suorum necem vlturos muniret, in vicinam insulam semigrarit, antequàm Israëlitæ in terram promissionis adscenderent.

67. Quæ si vera sunt, habemus non solùm Chanaan, sed etiam Phut & Mestaïm vel à seruis esse deletos, vel addictos seruituti, vel propriè, & vt verba sonant, seruos seruorum fuisse fratribus suis. Ioseph in Ægyptum, siue terram Mesraim abductus fuerat, & eunuchi seruitio mancipatus, in seruitutem redegit Ægyptios. Filiorum Israël manus in cophino, paleis & lateribus seruierunt: sed iidem, ducibus Mose & Iosuè, totum penè extinxerunt Ægyptiorum & Chananæorum nomen. Tyrij veteres à Chanaano progeniti, multos Iapheti filios plagio arreptos iniustæ subiecerant seruituti: sed hi serui vrbem Phœniciæ principem, necatis dominis obtinuerunt, & Carthaginiensium patres fuerunt, qui totam Africam Phuti posteris attributam iugo submitterent.

68. Sed quia non placet citra grauissimam necessitatem in explicandis scripturis à genuina propriáque verborum significatione discedere, & vt prudenter aduertisti: *Tyrus virgo filia Sidonis* ab Isaïa nuncupatur, eámque ipsam Tyrum, cuius interitus prædicitur, Sidonij repleuisse dici videntur, & eius excidio denuntiantur fortes Chanaan esse conterendi, quæ nisi dixeris nouissimos illos Tyrios à Sidoniis propagatos, non faciles habent explicatus; tibi sanè, Merops, assentior, & seruilem illam conspirationem, cuius meminit Iustinus, fateor esse fabulosam. Etiam orationis nostræ vela contrahenda sunt, ne quò magis in altum prouecta fuerit, eò reddatur vel incertior, vel certè obscurior. BASILIVS. Vis igitur, vt per ἀνακεφαλαίωσιν, tuas subducam rationes, summámque faciam disputationis tuæ: tu, si quid fortè exciderit, in memoriam reuocabis. EVLOG. Tuo arbitratu. BASIL. Age igitur, experiar.

XV. *Recapitulatio.*

69. Quatuor enucleanda susceperas: primùm, grauitérne peccarit Noëmus in ebrietatem prolapsus alterum cur Noëmus, Chamo peccante, diras non ipsi, sed Chanaano nepoti fuerit imprecatus: Tertium fuit expositio verborum, quibus Noëmi Prophetia concepta est: Quartum euentus prædictionem illam consecutus. Non videtur peccasse, tum quia fortè temulentiam & ebrietatem è vino sequi nesciebat, & vini naturam ignoranti vinolentia subrepsit: tum quia licèt ebrius fuerit, non tamen fuit ebriosus. Exhalatâ crapulâ, somnóque discusso, non Chamo filio, sed Chanaano nepoti suam maledictionem inflixit, siue quòd Chanaan primus, auo post ebrietatem nudato, petulanter

lanter illuserat, vt Hebræi, Theodoretus, aliique testantur, siue quod effrenem Chamo libidinem, quâ vel in arca, diluuij tempore, liberis operam dederat, Chanaanúmque genuerat, exprobrare voluit sanctissimus Patriarcha, vt opinatur Chrysostomus, siue quòd ipsi Chamo maledicere noluit, cui recens Deus benedixerat, nec voluit pœnam ad omnes Chami posteros pertinere, vt etiam Theodoretus interpretatur. Quamuis admodum probabile est, & ex euentu colligitur; non vnum Chanaan, sed & Chamum, & omnes Chami posteros diris illis Noëmicis esse defixos: vnius tamen Chanaani συνεκδοχικῶς, meminit Moses, vt Hebræos Chananæorum, ad quorum excidium mittebantur, odio magis & magis incendat.

70. Quod ad Prophetiæ sensum attinet, non tam imprecatur, quàm futura præsagit. *Maledictus*, inquit, *Chanaan*, id est, infelix erit Chanaani posteritas, quod de cæteris quoque fratribus, Chanaani filiis potest intelligi: infelix, inquam, erit Chanaani posteritas, & Semi, Iaphetique filiis addicta in vilissimam seruitutem: *Benedictus Dominus Deus Sem*, id est, laudetur Deus, qui Semi progeniem omni felicitate cumulabit: vel Deus ille benedictus, cui Angeli in cælo benedicunt, erit Deus Semi, apud cuius posteros vera religio remanebit, cùm Iapheti Chamique progenies ad idola desciuerit: Deus, inquam, erit Semi, de cuius stirpe Dei filius nascetur humana carne circumdatus. *Sit Chanaan seruus illius*, Chananæi ab Hebræis Semi nepotibus partim delebuntur, partim redigentur in seruitutem. *Dilatet Dominus Iaphet*, Iapheti sobolem, quæ nunc paruo numero circumscripta est, ita dilatabit & augebit, vt abundanti multitudine multas, & quidem amplissimas occupatura sit regiones. *Et habitet in tabernaculis Sem*: si ad Deum ista referantur, hęc videtur esse sententia, licèt Deus Iapheti sobolem valdè propaget, non tamen in illius, sed in Semi tectis habitabit, in tabernaculo Mosis, in templo Salomonis, in vtero Virginis, in humana carne, quam à Semo propagatã assumet. Si ad Iaphetum, quod sane doctioribus arridet, hic erit sensus. Deus Iapheti posteros ita numero dilatabit, eóque fortitudinis euehet, vt frequenter occupaturi sint terras Semi posteris attributas.

71. Iam si euentus optimus est Prophetiarum interpres, maledictus fuit verè Chanaan, vel potiùs tota Chami posteritas. Omitto Afros plerosque, & noui orbis incolas à Chamo (si quid suspicionis indagari potest) progenitos, qui etiamnum corporis nuditate, & antropophagia Noëmicas diras exoluunt, quos equidem abs te prætermissos admiror; sed omitto tamen, ne nouam potiùs orationem ordiri videar, quàm tuæ subtemen attexere. Quatuor Chami liberos scriptura commemorat. *A Chus*, inquit Hieronymus, libro de traditionibus Hebraïcis, *vsque hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur, Mesr. iam Ægyptus, Phut Libye, à quo & Mauritaniæ fluuius vsque in præsens Phut dicitur, omnisque circa eum regio Phutensis.* Libyes Abrahami posteris ex ancilla Cethura genitis, Græcis Hipponensium Regibus, Charthaginiensibus seruorum Tyriorum posteris, Romanis, Vandalis, Græcis Imperatoribus, Saracenis Miramolimis, ad postremum Turcis seruierunt. Ægyptij, vt captiuorum pastorum dominatione omittam, à Iosepho captiuo addicti sunt Regum suorum non politicæ tantùm, sed despoticæ seruituti: iidem à filiis Israël, quibus tanquam vilibus mancipiis abusi fuerant, propemodum internecione deleti. Seruierunt posteà Persis, Macedonibus, Romanis, Saracenis, Caliphis, Mãmelucis, seruis vtique venalitiis, Turcis, neque his tribus annorũ millibus à Iosepho ad nostrã ætatem elapsis, seipsos in libertatem asserere potuerũt. Chananæi ipsa nominatione se produnt, è quibus liquet, Phut, Mesraïm, & Chanaã seruos seruorum fuisse fratribus suis. De Chusæis res est obscurior. Sunt tamen graues & antiqui scriptores, qui dicant Indos in Æthiopia consedisse, & eam obtinuisse Prouinciã: sunt qui Reges Æthiopum à Salomone: sunt, si superis placet, qui à Regibus Frisiæ propagatos velint. Sed vt eos ab exterorum iugo semper liberos fuisse dicamus, subditi plebeij Regibus, Reges Sacerdotibus abiectissimè, quædam etiam gentes, Æthiopum canibus vice Regum, stultissimè seruierunt.

72. Atque ita Prophetiæ de Chami posteris respondit euentus, quorum plerosque tam Semi, quàm Iapheti progenies subiecit infimæ seruituti. Ita dilatauit Dominus Iaphet, vt non solùm Europam, sed etiam magnam Asiæ partem, quæ à Media ad Pontum-Euxinum, versus Septemtrionem extenditur, occuparit, & in Semi tabernaculis frequenter habitarit. Scythæ, Græci, Tartari, Galli, Hispani, Romani, Turcæ à Iapheto progeniti, terras Semi filiis assignatas pene semper imperio renuerunt. Semitæ, cùm à Saracenico in His-

pania dominatu discesseris, vix vsquam in Iapheti tentoriis habitarunt, nisi si quis fortasse Lydorum, qui Hetruriam occuparunt, & maris imperium aliquandiu tenuerũt, aut posterorum Abrahæ, qui Lacedæmonem condidisse dicitur, & aliorum eiusmodi putat habendam esse rationem. Sed horum nonnulla, prudens, opinor, & sciens omisisti: quia cùm de communi rerum statu ageres, sectari mediocria non decebat Adde, quòd, vt ait Hieronymus, his verbis, *& habitet in tabernaculis Semi; de nobis prophetatur, qui in eruditione & scientia scripturarum, eiecto Israële versamur.*

XVI. *Potiórne Semi, an Iapheti fuerit* ברוך *Benedictio.*

73. MEROPS. Vbi sunt, qui his Noëmi benedictionibus Semo prerogatiuam tribuunt, cúmque, cùm natu minimus esset, Iapheto fratrum, vt aiunt, maximo, prælatum, & iure primogenituræ donatum esse defendunt? Omitto nostram editionẽ, cuius sacrosancta est authoritas, disertis verbis esse contrariam Genesis 10. v. 22. dum Semum fratrem Iapheti maiorem appellat. Magna quidem fuit illa Semi felicitas & benedictio, quòd eius posteri primam & secũdam monarchiam condiderunt. Maior cumulatiórque benedictio, quòd notus in Iudæa Deus; in Israël magnum nomen eius, cùm non fecisset taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestasset eis. Penes illos fuit Synagoga: credita sunt illis eloquia Dei, & ex iis fuerunt omnes tum Prophetæ tum Euangelistæ, tum Apostoli, qui diuino spiritu afflati, libros canonicos ediderunt. Illa verò benedictio planè diuina, quòd Deus humanam carnem à Semo propagatam assumpsit, & in Semi tabernaculis habitauit, solam Iudæam sacris impressit vestigiis & se non nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, missum esse testatur.

74. Tamen vt terrenam illam felicitatem, vt imperia, vt victorias, vt Semitarum ditiones a Iapheticis occupatas taciti prætermittimus, in cælestibus illis benedictionibus Iaphetus Semum longo superat interuallo. *Notus in Iudæa Deus*, verissimè dictum est. Sed quota pars illa terrarum, si cum iis Iapheti regionibus, ad quas veri Dei cognitio manauit, comparetur? *In Israël magnum nomen eius.* Negari non potest: sed quamdiu perseuerauit illa nominis diuini notitia? Tẽporibus Iudicum identidem ad idola defluebant. post Salomonis obitum decem tribus vitulos aureos infami sacrilegio coluerunt. Penes Iudæos fuit Synagoga exiguis admodum contenta limitibus: penes Iapheti posteros Ecclesiæ sedes & petra, quæ omnes Christi fideles toto terrarum orbe sustẽtat. Credita sunt illis eloquia Dei: sed ad tempus credita, nobis in perpetuum, quasi hereditate transmissa sunt. Illi habuerunt litteram occidentem: nos spiritum viuificantem, 1. Corint. 3.13.
vsque in hodiernum diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super oculos eorum. Nobis, vt qui gloriamur, in Domino gloriemur, Ibidẽ v.3.
reuelata sunt diuina mysteria, illis scripta lex est in tabulis lapideis, nobis scripta, non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Illis multifariàm multísque modis locutus est Deus per Prophetas. sed incircumcisi cordibus Spiritui sancto restiterunt. *Si audieritis vocem meam*, inquit, *& custodieritis pactum* Exo 19.4.
meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Sed quoniam illi à præscripta conditione defecerant, gentibus ad Christum vocatis, ita loquitur Petrus: 1.Pet.2.9.
Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vocauit vos in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

75. Ex illis natus est Christus: sed nobis natus est. Etsi enim, si Dei spectetur inten- 1. Tim.2.4.
tio, qui voluntate simplicis complacentiæ, vt loquuntur, *omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, omnibus natus est, si tamen effectum & vtilitatem consideremus, iis dumtaxat natus est, in quos Natiuitatis & Passionis fructus redundauit. Quòd si Semi nepotes magnopere se circumspiciunt, séque Iapheti posteris anteponendos putant, quòd Christus secundum carnem à Semo descenderit, habent etiam Chananæi quod magnopere glorientur. Mathæus enim in serie maiorum Christi tres mulieres Chananæas intexuit, Thamar, Raab meretricem, & Bersabéee, vxorem Vriæ Hethæi. Positus est in ruinam Iudæorum, qui sua culpa Christum respuerunt, & in resurrectionem gentium, quæ Christo nomen dederunt. Ante Christi aduentum, omnia Iudæis in figura contingebant. nos adepti sumus veritatem veteris Testamenti figuris adumbratam, vt quantùm veritas figuram, tantùm Ecclesia è Iapheti posteris potissimùm congregata superet conflatam è Semi posteris Synagogam.

76. Christianæ quidem fidei lux aliquando Semitis oborta est, sed eos statim densissimis tenebris inuoluit Mahumetes, vix vt dici possit, quando Persæ publicè Christiana sacra susceperint. Quid dicam amplissimum illud Sinarum Regnum, quos, opinio est ante annos circiter sexaginta, ne fando quidem Christi nomen audisse? Apud Indos adhuc nonnulla remanebant impressa S. Thomæ vestigia, sed ita longinquitate temporis obliterata, vix vt quicquam præter Christianum nomen extaret. Et sanè si diligenter attendimus, Noë non ipsi Semo, sed Deus Semi benedixit, quasi significare vellet prolixam quidem in Semi posteros fore Dei liberalitatem, modicum tamen emolumentum, nec Semo Dei benedictiones, sed Semum Dei benedictionibus defururum. Adderem & noui orbis incolas, Peruanos, Brasilios, Mexicanos, si de horum origine constaret. Sed in obscuro res est, & miror quid nostrum Basilium mouerit, vt eorum stirpem à Chamo potiùs, quàm à Semo vel Iapheto deduceret.

XVII. *Appendix de Americanorum origine.*

77. BAS. Equidem, Merops, habere mihi videbar nescio quid, vnde argumentum accerserem. Sed quicquid illud fuit, id mihi nescio quo pacto de manibus Eulogius noster expressit. Author est Aristoteles lib. de Mirandis auditionibus, in Oceano repertam à Carthaginiensibus insulam desertam, multorum dierum interuallo distantem, omni lignorum genere, magnisque ac nauigabilibus fluuiis abundantem, fructibus omnimodis affluentem, ad quam cùm Carthaginienses identidem vela facerent, nonnulli etiam propter vbertatem soli cœlique clementiam, in ea rerum suarum domicilium collocarent. Magistratus sub pœna capitis edixit, ne quisquam ciuium in eam Insulam nauigaret. Mihi veniebat in mentem suspicari Carthaginienses vel ad ipsam Americam, vel ad aliquam Insulam Americæ vicinam appulsos illarum fuisse gentium authores, ac proinde noui orbis incolas à Phœnicibus & Chamo propagatos. Sed hanc, vt dixi probandi rationem mihi Eulogius è manibus excussit.

78. EVLOG. Egóne vt abs te de Peruanorum ac Brasilorum origine dissentiam. Mihi verò, Basili, tanti non est illa de Carthaginiensibus disputatio, vt eam, si modò quicquam probabiliter attuleris, tuis coniecturis & suspicionibus anteponam. Illud tamen admiror vnde hanc Insulam Carthaginiésium appulsu celebrem Americam esse coniicias, cùm non modò nullum noui illius orbis, sed ne nauigationis quidem ad Indiam, quam Orientalem appellant, extet in omni retrò antiquitate vestigium.

BASIL. Multa sunt, Eulogi quæ huic opinioni meæ verisimilitudinem aliquam conciliare videantur. Regionem hanc à Carthaginiensibus inuentam in mari extra columnas Herculis, Aristoteles sitam esse testatur, Americam esse videmus trans Oceanum Atlanticum. Eam fuisse dicit multorum dierum interuallo diremptam. Africam inter & Americam immanis traiectus est. In ea fuisse scribit, *ὕλην τε παντοδαπὴν, καὶ ποταμοὺς πλωτούς. Omnimodam materiam fluuiosque nauigabiles.* E nouo terrarum orbe ligna quæ Bræsila vocant, inficiendis lanis aptissima, maioribus nostris ignota passim aduehuntur. Ioannes Lerius c. 13. Historiæ Americæ, ligna rubra generis alterius, buxei coloris alia, alia ianthini, nonnulla candidi, quædam etiam venis intercursantibus discriminata se vidisse confirmat. Omitto palmarum formas facilè quatuor, taceo quasdam arbores rosarum odorem suauissimum habentes.

79. Scribit Philosophus eam terram τοῖς καρποῖς θαυμαστὴν, *fructibus esse mirabilem.* Mira de fructibus Americæ referuntur ab iis qui illarum terrarum historiam prodiderunt. Placet vnum aut alterum optimis Maffeij nostri verbis, è libro 2. hist. Indicarum, speciminis caussa decerpere. *Zabucales*, inquit, *quæ dicuntur admodum excelsæ, magnos ferunt summa duritie calices, ore in terram obuerso, & quidem admirabili naturæ solertia pyxidatim operto, ijs calicibus nuces castaneæ saporis egregij continentur: quæ vbi maturuerint, excusso confestim operculo, paulatim ipsæ per se in alimenta incolarum ad vnam è calice defluunt. Syluestria etiam sunt Catusia pyra, apprimè succosa & innoxia: itaque mediis caloribus auidè manducantur: cæterùm in imo pyro faba quadam extuberat cortice amarissimo, prædulci medulla, si torreatur. Pyro præterea refrigerandi vis: faba calefacit.* Quod ad fluuios attinet, quorum facit Aristoteles mentionem. Scatet ea tota fermè plaga fontibus ac syluis, & amnibus inclytis: è quibus, vt reliquos taceam, is quem Argenteum vocant, leucarum quadraginta ostio in mare fertur adeo violentus, vt inde nautæ dulces hau-

nant latices priusquam tellurem ex alto conspiciant.

80. Quòd autem Carthaginiensium plerique in illa regione consederint, metuerintq; Principes ciuitatis, ne si diutiùs eam nauigationem permitterent, vrbe ciuibus exhausta, deciderent Africæ principatu, facile conicere possumus hunc terrarum tractum & amœnissimum & vberrimum fuisse. Quæ autem regio fingi potest Brasilia vel amœnior, vel vberior. *Regio fermè tota*, vt iterum conceptis Maffeij verbis vtamur, *imprimis amœna est, cæli admodum iucunda salubrisque temperies. ; lenium quippe à mari ventorum commodissimi flatus, matutinos vapores ac nebulas tempestiuè disiiciunt: solisque purissimos ac nitidissimos reddunt. Terra in planitiem exspatians, partim in colles clementer exurgens, felix præpinguibus glebis ac riguo solo semperque vernante credita semina multiplici reddit fœnore, ac saccari præsertim est ferax, cuius* tum natura tum excoctio fusè describitur. E quibus omnibus si non certum, probabile saltem videtur, tertam hanc quam Aristoteles Insulam putauit, fuisse Brasiliam, quam cùm desertam reperissent Carthaginienses loci vel amœnitate, vel vbertate, vel aëris clementia pellecti, domicilium in ea collocarunt.

81. Nam quod aiebas, Eulogi, non modò priscis ignotam penitus fuisse Americam, sed ne nauigationis quidem ad Indos circa Bonæ Spei caput extare vestigium, vide, quæso, quibus argumentis id potueris in animum inducere. Cùm enim Rex Ægyptiorum, quem Scriptura Nechao, Herodotus lib. 4. Necon appellat, mare Mediterraneum Oceano committere voluisset, & fossam à Nilo ad mare Rubrum perducere exorsus, amissis in opere centum viginti fossorum millibus ab incœpto destitisset, Phœnicibus quibusdam iniunxit vt Australem lustrarent Oceanum, qui à Rubro mari soluentes, totã Africam circumuecti tertio pòst anno per Herculis Columnas & Mare Mediterraneum in Ægyptũ redierunt. Et aiebant, inquit Herodotus, quod tamen ipse credibile non putat, Ὡς περιπλώοντες τὴν Λιβύην τὸν ἥλιον ἔχον ἐς τὰ δεξιά, *sibi Libyam circumnauigantibus solem ad dextram fuisse*. E quibus liquet eos & Æquatorem transisse, & Bonæ Spei promontorium circumflexisse, ne sibi Lusitani de patefacto ad Indos itinere nimium blandiantur, quod posteà Carthaginienses præstiterant. Sic enim illa Herodoti verba interpretor, mutatâ distinctionis notâ. Μετὰ δὲ Καρχηδόνιοι εἰσὶ οἱ λέγοντες. *Posteà verò Carthaginienses, vt quidem ipsi dicunt.* Quorum verborum mentem assecuti non videntur Valla & Henricus Stephanus interpretes. Sataspes autem Achemenides cùm id Xerxis imperio tentasset post aliquot mensum nauigationem retrocessit. Vide Herodotum loco proximè laudato.

82. Certè, vt auctor est Plutarchus in Alexandro. *Voluit ipse per Euphratem magna classe deuectus*, εἶτα περὶ τὴν Ἀραβίαν, καὶ τὴν Λιβύην περικομισθεὶς διὰ στηλῶν Ἡρακλειῶν ἀναβαλεῖν εἰς τὴν ἐντὸς θάλασσαν, *deinde Arabia & Libya circumlustratis per Herculis Columnas in Mare Mediterraneũ nauigare*, & eum in finem magnam vim nauium ac remigum, gubernatorésque præstantissimos colligebat. Quod quamuis morte occupatus præstare non potuit, non designasset animo, nisi iam tum nauigationis illius, quam multis pòst seculis Lusitani feliciter instaurarunt, notitiam habuisset. Quid? quòd, vt ait Plinius lib. 2. cap. 67. *Hanno Carthaginis potentia florente circumuectus à Gadibus ad fines Arabiæ, nauigationem eam prodidit scripto, &c. Præterea Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quemdam sua ætate, cùm Lathyrum Regem fugeret Arabico sinu egressum, Gades vsque peruectum: multóque ante eum Cœlius Antipater, vidisse se qui nauigasset ex Hispania in Æthiopiam commercij gratia* Quid? quòd vt initio disputationis è quibusdam annalibus referebas, multis ante Lusitanos & Barptolomæum Diasium seculis, Rogerus Danorum Dux in Æthiopiam, & Sigelius Schireburgensis Episcopus in Indiam vsque penetrarunt Heraclides certè Ponticus, vt è Posidonio liquet apud Strabonem lib. 2. Geograph. Magum nescio quem dialogo quodam induxit, qui se circum Libyam diceret nauigasse.

83. Americam quod attinet, equidẽ obscuriora fateor eius apud antiquos extare vestigia. Plato tamen cũ in Timeo, tum in Critia, vtroque ineunte in Oceano Atlantico, trans Herculis Columnas Atlantidem Insulam fuisse scribit Asia, Libyáque maiorem, & Oceanum vltro citróque nauigatum. τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν, inquit, τὸ ἐκεῖ πέλαγος, *tunc enim pelagus illud erat nauigabile.* Non video quid aliud quàm nouum orbem interpretari possimus. Quî enim Oceanus Africam, Europam, & Americam interfluens Insulam tota simul Asia Libyáque maiorem capere potuisset? Quare quod ille subnectit ingenti terræ motu iugique diei vnius ac noctis illuuione factum, vt Atlantis insula sub vasto gurgi-

te mergeretur, & Oceanus ille propter relictum absorptæ insulæ limum innauigabilis redderetur, eatenus admittendum reor non vt totam hauserit Oceanus, sed vt magnam eius partem abstulerit, orbique nostro subduxerit.

84. Merops. Imò, Basili, nihil obstat quo minùs, quæ de Atlantidis magnitudine narrat Plato, per auxesim dicta fateamur, cùm ipse conceptis verbis Insulam hanc ab illa continenti, quæ ab Americo Vesputio Americæ nomen accepit, aperte distinxerit. Cùm enim dixisset pelagus Atlanticum olim nauigationibus fuisse peruium, eodem tenore subtexuit. Νῆσον γὰρ πρὸ τοῦ στόματος εἶχεν *Insulam enim habebat in faucibus illius freti quod vos Columnas Herculeas vocatis. At insula illa & Lybia & Asia simul maior erat: ex qua adscensus ad alias insulas tūc proficiscentibus cōtingebat: ex insulis autem in omnem ex aduerso continentem*, &c. Dicamus igitur è Platonis sententia insulam Atlantidem ingentis magnitudinis ad Herculeas columnas in ipsis freti faucibus sitam fuisse, quæ omnes Asiæ Lybiæque insulas facilè superaret, ex qua soleret antiquitùs ad Insulas fortunatas siue Canarias, deinde ad eas quæ Azores dicuntur, & ex iis denique ad ἐπὶ τὴν καταντικρὺ πᾶσαν ἤπειρον, *ad continentem è regione sitam*, siue Americam nauigari. Quia tamen tanta non est Atlantici vastitas Oceani, vt insulam Asia simul & Africa maiorem, capere potuerit, vel exaggerationem & hyperbolem in Philosophi verbis, vel aliquod mendum agnoscimus. Quis enim neget fieri posse vt ἅμα pro τῇ in textum Platonis irrepserit? vt proinde legendum ita videatur, ἡ δὲ νῆσος τῶν Λιβύης ἦν καὶ Ἀσίας μείζων. *Insula porro iis quæ tum in Libya sunt, tum in Asia maior erat?*

85. Evlog. Quid Plato in te committere tantum potuit, Merops, vt in eius scripturam grassere, quæ in omnibus eius codicibus iampridem inoleuit, aut quid opus est in hac insula diuturniorem habere stationem, quam Plato eadem facilitate destruxit, qua ipsam construxerat? Merops. Atqui Crantor primus omnium Platonis interpres cæterique primæ notæ Platonici veram insulam non commentitiam fuisse litteris prodiderunt, quam narrationem Proclus Diadochus lib. 1. Commentariorum in Timæum, veterum qui de rebus Æthiopicis scripserunt, & imprimis Marcelli cuiusdam authoritate confirmat. Is enim ait in Atlantico mari, tum alias Insulas spectari, tum vnam præ cæteris amplitudinem mille stadiorum, καὶ τοὺς οἰκοῦντας ἐν αὐτῇ μνήμην ἀπὸ τῶν προγόνων διασώζειν περὶ τῆς Ἀτλαντίδος ὄντως γενομένης ἐκεῖ νήσου παμμεγεθεστάτης, *Et eius incolas conseruare memoriam à maioribus acceptam insulæ Atlantidis, quòd eo loco fuerit magnitudine planè ingenti* Sed hoc in præsentia non agitur: illud quæstionis nostræ caput est vtrùm Plato terram continentem trans Oceanum Atlanticum agnouerit: quam ille τὴν καταντικρὺ ἤπειρον continentem huic nostræ oppositam & è regione respondentem, nos Americam nominamus. Quare, perge porro, Basili, & quoniam tibi in monumentis Platonicis Americæ mentionem extare concedimus, vide an aliunde possis fidem orationi tuæ corradere.

86. Basil. Circumfundi terræ vndique homines conuersísque inter se pedibus stare, & cunctis similem esse cœli verticem, ac simili modo ex quacunque parte mediam calcari, nauigationes superiore sæculo susceptæ planè docuerunt, & ex antiquis ij putauerunt, qui terram qua Physicis qua Mathematicis rationibus deprehenderant paribus examinatam ponderibus in seipsam suis momentis ac nutibus conglobari. Testis, vt cæteros omittam, Clemens Romanus apud Origenem lib. 2. περὶ ἀρχῶν Ruffino interprete: *Meminit sanè*, inquit, *Clemens Apostolorum discipulus, eorum quos ἀντίχθονας Græci nominant, atque illius partes orbis terræ ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis qui ibi sunt, quisquam transire ad nos, quos & ipse mundos appellauit, cùm ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & hi qui trans ipsum sunt, mundi, qui his eisdem dominatoris Dei dispositionibus gubernantur.* Quæ tamen Augustino non satis arrident, qui ex eo quòd Oceanus transiri non possit, cunctósque mortales necesse sit ex vno fuisse propagatos, negauit vllos homines trans æquinoctialem lineam habitare.

87. Sed illud quærimus, ecquis antiquorum præter Platonem arbitratus fuerit fieri posse vt homines ad Antichthonas vltro citróque commearent. Poëta certè videtur id aliquo modo suspicatus, cùm Troianam cladem ait omnibus auditam esse mortalibus.

— Et si quem tellus extrema refuso 7. Æneid.
Submouet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui. 6. Æneid.

Et alibi cùm prædixisset Anchises fore, vt Augustus *super* id est vltra *Garamantas & Indos* Imperium promoueret, quia Garamantes in extrema Africa, Indi in extre-

ma degebant Aſia, nec vlterior Regio cognoſcebatur, terræ illius quam India & Garamantibus remotiorem dixerat, ſitum debuit explicare. *Iacet*, inquit, *tellus* & Regio quædam longè latéque porrigitur *extra ſidera* videlicet, vel extra conſpectum ſiderum Borealium, ſiue Vrſæ maioris & minoris, quæ cùm in noſtro ſpectentur hemiſphærio, videri tamen non poſſunt à populis alteri polo ſubiectis, vel *extra ſidera*, videlicet trans duodecim ſigna Zodiaci, vt ſequentibus verbis liquidiùs explicatur: *Extra anni Soliſque vias.* Quæ porro ſunt anni Soliſque viæ? Zodiacus videlicet ſiue ſignifer circulus, & ſpatium illud quod ſol annuo curſu deſcribit, cuius obliquitas extenditur à Cancro ad Capricornum. Quas duas extremas partes tropicos appellant, quia ſol ſtatim atque ad alterutrum peruenerit, reuertitur per eandem viam, atque, vt ſic loquar, relegit ſua veſtigia.

---Iacet extra ſidera tellus,
Extra anni, Soliſque vias.

Reſtat vt certa terræ illius ac mundi plaga denotetur, ait eam eſſe mundi regionem,

vbi cælifer Atlas.
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Quibus, opinor, verbis non ſolam Mauritaniam ſignificat, vbi fingitur Atlas cœlum ſuis ceruicibus ſuſtinere, ſed totum illum tractum Occidentis atque adeo terram illam continentem trans Herculis columnas & Oceanum Atlanticum ſitam, quam nunc Americam ſiue nouum orbem & Indias Occidentales vocamus.

88. Cū igitur ait Poëta ſuper & Garamantas & Indos, Extra ſidera, Extra anni Soliſq; vias Imperij Romani limites eſſe proferendos, indicat nouum orbem vltra tropicum Capricorni Auguſti armis eſſe ſubiugandū. Quod etſi non euenerit, tamen optare potuit & vaticinari ſub Anchiſæ perſona. *Et qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.* Et quamuis mea, quæ nihilo ſecius amare me fateor, nolim pro veris oraculis obtrudere, ſic tamen explicare malui, quàm cum Seruio atque aliis interpretibus Æthiopiam exponere. Deſcribitur enim regio trans æquinoctialem lineam & tropicum Capricorni conſtituta: At Æthiopia, quantumuis ad Æquatorem accedat, citra tamen illum eſt poſita, vt ex eo conſtat.

Lucanus. *--- Quòd non premeretur ab vlla*
Signiferi regione poli, ni poplite flexo
Vltima curuati procederet vngula Tauri.

Et ſi non diffiteor Virgilianam illam Chorographiam poſſe non ſolùm Braſiliæ, ſed etiam regnis Congi ac Monomotapæ conuenire. Quare, ſi placet, res in medio relinquatur, neque Herculem, Bacchum, Theſeū, & non paucos alios ad Antipodas perueniſſe ſtatuamus, quantumuis eos aſſerat Strabo lib. 1. Geog. non aliam ob cauſſam quàm ob longinquas expeditiones καταλιπεῖν δόξαν περὶ ἑαυτῶν ὡς εἰς ᾅδου καταβάντας, *eam dereliquiſſe opinionem quaſi ad Inferos deſcenderint.* Ne hoc quidem dicam veterum Geographorum, quos Strabo lib. 10. confutat exiſtimaſſe multos Indis occidere Cynoſuram; vnde certum eſt aliquam Indiæ plagam ab iis trans Æquinoctialem circulum eſſe collocatam? Neque illud argumentum adhibebo, regionem Ophir, ad quam Salomon claſſem tertio quoque anno deſtinabat, à multis exiſtimari Inſulam quandam in ſinu Mexicano, quam noui orbis repertores Hiſpaniolam nuncuparunt: Quod Pineda noſter lib. de rebus Salomonis 4. cap. 16. quamuis commentariis in Iob cap. 28. v. 16. in alia fuerit Sententia, tum rationibus ſeptem, tum teſtium facilè quindecim authoritate confirmat.

89. Auctor eſt Marinæus Siculus *repertum in nouo Orbe nummum aureum veterem cum effigie Auguſti: eúmque Romam ad Pontificem fidei ergo miſſum per Ioannem Ruffum Epiſcopum Conſentinum.* Hiſpani ſcribunt, *in valle, quæ Cautem dicitur, in Chili Prouincia, oppidum eſſe, quod imperiale ab hac cauſſa nominant, quoniam in pleriſque domibus & portis repererunt aquilas bicipites formatas, vt hodie videmus in Romani Imperij ſignis.* Vt lib. 2. Phyſiologiæ Stoicorum cap. 19. doctiſſimus Lipſius annotauit. Quid? quod Patres Societatis Ieſu poſtremis relationibus ſcribunt in Paraquaria Sancti Thomæ, quem indigenæ Samam nuncupant, memoriam, & Euangelij per eum eò vſque propagati quædam extare veſtigia.

Idem de Braſilia prodit Manuel de Nobrega Soc. Ieſu literis, anno Domini 1552. datis, & ex eo Petrus Ribadeneira.

89. Narrat certè Lerius c. 16. hiſt. Americ. ſe eùm Braſilis audientibus de prima rerum molitione, Deóq; naturæ totius conditore bene longam orationem habuiſſet, retuliſſe ſibi ſenem admodum grandi natu venire ſibi in mentem traditionis cuiuſdam quam à maioribus ſuis acceperat: Nimirum ante multas hominum ætates, tótque iam lunis exactis vt earum numerus iniri non poſſet, veniſſe quemdam Maïrum (ſic alienigenas appellant) veſtitum

atque barbatum, qui eadem planè de Deo nuntiaret, eóq; repudiato venisse alterum, qui diras Brasilis imprecatus clauam porrexerit, qua se mactare, mutuísque cædibus conficere numquam postea destiterunt.

90. Atque vt apud Iosephum à Costa me legere memini, narrabant Peruani quemdam proauorum suorum atauis, eadem quæ Hispani docerent, nuntiantem, in vnius Dei confessione vitam profudisse. Imo, vt auctor est Franc. Lopes de Gomara lib. 5. historię generalis Indiarum cap. 14. Inter Peruanorum Guagas (idola sic appellant) reperti complures cum lituo & Mitra Pastorali, adeo vt cùm primùm Episcopus ab Indis cum Mitra spectatus est, quæsierint isne Guaga Christianorum esset. Hispani ad eas oras appulsi, quas ipsi Vacatan nominarunt, ibi repererunt cruces admodum multas mortuorum sepulcris impositas. Cuiusmodi cruces partim æreas, partim ligneas inter idola sua in Acuzamilæ & Xicalanci sanctissimis gentium illarum sacrariis collocatas viderunt. Cumani inter cætera deorum suorum simulachra decussatam crucem adorabant, quam & pueris cùm primùm in lucem edentur, imponere consueuerant, eiúsque se præsidio contra terrores nocturnos muniebant. Idem Gomara scribit in regno Nicaraguæ cœlibes quosdam fuisse sacerdotes qui secretam peccatorum confessionem audirent, & pro ratione delicti pœnas imponerent, à quibus confessionis arcanum sanctissimè coleretur. Quæ videri possunt esse non obscura non solùm Oceani iam olim vltro citróque præternauigati, sed etiam Christianæ fidei quondam iis terris inuectæ; sed vel diuturnitate temporis vel ipsa gentium feritate paulatim obliteratæ vestigia. Sed enim verendum est ne iampridem extra scammata transiliisse videamur; quare, si placet, redeamus ad institutum.

Idem lib. 5. cap. 2.

Eodem lib. cap. 4.

Lib 3. c. 32.

Lib. 6. c. 11

91. Id quæstionis erat in manibus verū continentis illius nouæ, quam Americam vocant, ac vicinarum Insularum incolæ fuerint à Chamo propagati. Vtar iisdem argumentis, quibus F. Thomas Ortisius Dominicanus, & alij tum ex eadem florentissima Prædicatorum familia, tum è præstantissimo Minoritarum ordine persuaserunt has nationes addicendas esse seruituti; cùm Ortisius libellum F. Thomæ de Corduba manuscriptum Indiarum Consilio, cui F. Garsia Loaisa Caroli V. confessarius præerat, obtulisset in hanc sententiam. Eos humanis carnibus vesci, præ ceteris gentibus deditos esse libidini posteræ, nullis legum aut iustitiæ vinculis cohiberi, nudos incedere, inconstantes esse, leues, inconsultos, ingratos, rerum nouarum studiosos, stultos, amentes, omnium rerum ignaros, sine pudore, sine verecundia, nulla inter se morum commoditate, nulla vitæ ciuilis honestate, nulla fide, pietate nulla, nulla denique charitate deuinctos, moribus adeo belluinos, victúque spurcos, vt pediculos, araneos, vermes crudos in aluum demitterent, timidos vt lepores, fœdas vt sues, veneficiis, hariolationibus, necromantiæ deditos, religionis hostes, omnibus denique flagitiis ac facinoribus coopertos, vel potiùs ex omnium scelerum colluuione concretos. His & aliis argumentis inductus Imperator anno seculi superioris vicesimo quinto Madriti declarauit de Concilij sententia Americanos omnes addictos seruituti.

Idem Gomara lib. 6. Iust. Gener. Tod. c. 18

92. Merops. Atenim, mi Basili, non video quid ex hoc Imperatoris decreto possis elicere: Hanc enim de Indorum seruitute quæstionem cum alij doctissimi ex eodem Dominicanorum sodalitio diligentiùs tum in scholis publicis, tum in concionibus agitassent, & Cæsar ipse missis ad Indiam inquisitoribus æquiùs omnia caussæ momenta ponderasset, Paulus tertius supremus rerum diuinarum Antistes homines ac proinde liberos esse decreuit, & Cæsar ipse retexens priorem sententiam, iugo seruitutis exemit. Basil. Egregiam verò laudem, editam à summo Pontifice bullam sine qua potuerint non tam homines quàm belluæ iudicari. Equidem illos orbis occidui colonos aut homines aut natura liberos esse non inficior, sed moribus & vita seruiles esse defendo, eósque suspicor à Chamo propagatos, & iam inde ab initio diris à Patriarcha defixos impietatis paternæ pœnas exoluere.

93. Chamus temulentiam patris irrisit; ipsi ebrietati dediti sunt ad insaniam: illusit paternæ nuditati; isti seipsos æterna nuditate damnarunt. Chamum, quod ne in communi quidem generis humani clade sibi temperarit, quo minùs vel in arca, publicoque totius naturæ iustitio, liberis operam daret, traducit Chrysostomus: Huius impuritatis extant apud istos aperta vestigia. Chamúsne primus omnium mortalium veneficia, nefariásque contra naturam libidines inuexerit, certò definiri non potest: cum tamen Berosus Annianus, quisquis ille fuit, & veneficum & iuuentutis corruptorem fuisse testatur. Eius certè nepotes fuerunt Gomorræ & Sodomitæ, qui

propter præpofteram hanc efferatæ cupiditatis rabiem, incendio cœlitùs immiffo deflagrarunt: quo tempore Chamus, vt videtur, nondum naturæ conceſſerat. Hanc libidinis nefariæ luem ita videmus ad iſtos eſſe transfuſam, vt nullo pudore, nullis non dicam pudicitiæ, ſed vel ipſius naturæ repagulis poſſint ab hac impudicitia cohiberi. De Chananæis à Chamo progenitis ita Sapiens Sap. 12. v. 4 *Odibilia opera tibi faciebant per medicamina & ſacrificia iniuſta, & filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & comeſtores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinis.* Quis hîc non videt Americanorum mores viuis coloribus adumbratos, vix vt dubitari poſſit, quin hi & illi ab eodem fonte profluxerint. Chamus impudentes oculos ad patris nuditatem adiecit: Hi faciem vltro grandibus vulneribus ſauciant atque pertundunt, & inſertos habent iam inde à prima ætate deliciarum cauſsâ inferiore labro, mento tenus, nonnunquam etiam tota facie, qua rotundos qua prolongos nullius fere pretij lapillos, tetro ſanè ſpectaculo. Sed nimirum hoc honeſtum putant, hoc liberale, & tanti fuit eos vel ſic patris impudentiam ac duram omníque ſilice duriorem faciem imitari.
Gomar l.3 hiſt Gen. cap 84. Syneſ. ep. 4. Mexicanis fœminis adeo mammillæ ſupra modum exurgunt vt infantes non ſub matrum axillis, vt fieri ſolet, ſed impoſiti tergo papillas ad humerum adductas exugant, hoc ipſum de Libycis nutricibus citra controuerſiam à Chamo progenitis Satyricus & Syneſius prodiderunt.

94. Inſulæ ſunt in Archipelago S. Lazari, decimo quarto circiter cis Æquatorem gradu, modico trans Americam interuallo, quas Magellanus celebri illa nauigatione primùm à ſe detectas ab incolarum in fucando vafritiem Latronum inſulas nuncupauit. Ii ſe ab Ægyptiis ortos aiebant. Mexicani non tantum notas Ægyptiacis hieroglyphicis perſimiles habuerunt; ſed etiam honores diuinos, brutis animantibus detulerunt vt & literas & ſuperſtitionem ab Æygptiis hauſiſſe videantur. Equibus omnibus ſi non certum, probabile quidem certè ducitur argumentum has nationes partim ab Ægyptiis, partim à Libybus & Pœnis Chami poſteris eſſe propagatos, & Ægyptios è ſinu Arabico per Oceanum Eoum, Carthaginienſes per Oceanum Atlanticum ad eas partes nauigaſſe, eamque proinde Inſulam ad quam Carthaginienſes appulſos eſſe teſtatur Philoſophus, vel Hiſpaniolam Columbi fuiſſe, vel Cubam, aut aliam eiuſmodi. Neque verò cum res tota noua ſit, nouus orbis, debetis hoc loco veterum teſtimonia poſtulare. Gomara certè lib. 6. hiſtoriæ Generalis Indiarum, & Ioannes Lerius (quæcunque tandem in re quæ fidem non attingit, impij nouatoris eſſe debet auctoritas) hiſtoriæ Americanæ cap. 16. exeunte, ad eundem Chamum harum gentium originem retulerunt.

Gom. l. 4. hiſt. Gener. cap. 3.
Idem l. 2. cap. 75. cap. 90.



SACRARVM



SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER QVARTVS.

MEROPS, SIVE DE DIVISIONE LINGVARVM.

PRÆFATIO.

I. EVLOGIVS. Τὸ χεῖμα τῶν νυκτῶν ὅσον Ἀντίπατον, *Credo ego hac noctu Nocturnum obdormisse ebrium.*

Aristophanes nubibus. Plautus Amphit. Claudianus.

BASILIVS. Videris mihi de hesterno colloquio, & temulentia Noëmi somniasse. Nam, vt ait quidã, *omnia, quæ sensu voluuntur facta diurno, Tempore nocturno reddit amica quies.*



EVLOG. Imò verò mihi de hodierna disputatione cogitanti, vestrísque sermonibus auidiùs inhianti.

Neque se Septemtriones quoquam in cœlo se commouebant,
Neque se luna quoquam motabat, atque vti exorta est semel,
Nec iugula, neque vesperugo, neque Vergiliæ occidebant.

Adeo denique gressu testudineo se circumagebant.

--pigri sarraca Boota,
vt vna nox *—toto mihi longior anno*
videretur. MEROPS. Interdum videlicet noster.

EVLOG. *--Noctem patitur lugentis amicum Pelida, cubat in faciem, mox deinde supinus.*

Hoc fortasse tibi dolebat quòd tuis interrogationibus fieri satis posse non putabas meæque te miserebat infantiæ. EVLOG. Imò tantam apud me hodiernæ disputationis spem vterque conceitastis, vt soli quodammodo succenserem, quòd tardiùs diem adduceret, quasi, vt ait Sosias ille Plautinus, & haud scio an ita me loqui deceat, dormitet appotus probè, & inuitasset sese in cœna plusculùm. Primo enim quoque tempore vestri de confusione linguarum, & regnorum institutione sermonis particeps esse gestiebam.

2. MEROPS. Vereor vt alia quæpiam caussa noctem istam produxerit. EVLOG. Quidum? MEROPS.

Iupiter Alcmenæ geminas requieuerat Arctos.

Nimirum concipiebatur ἀλεξίκακος & auerruncus ille Scytalosagittipelliger Hercules qui Hesternæ disputationis monstra perimeret. EVLOG. Quænam illa quæso? MER. Aiebas Assyriorum Monarchiam à Semi posteris conditam fuisse. Quasi verò

quisquam dubitet Nemrodum Chami nepotem primum fuisse regni Babylonici conditorem. Ecquid non iure monstri loco ducetur opinio scripturæ, Patribus, superis, infimis, medioximis, sensui denique communi contraria, aut alium à nostro Basilio expectamus Herculem qui istud monstri scripturæ claua conficiat? EVLOG. Merops, Merops, Iampridem video quid moliare. Fugam circumspicis. Quæris tibi suppositítium, vt cùm me Basilio nostro composueris, fias pro gladiatore spectator. Sed *nusquam hodie effugies*, postea de monstro viderimus, illud impræsentiarum abs te quæro de diuisione siue confusione linguarum quid sentias.

II. *Partitio totius Disputationis.*

3. ET quoniam non placet in iis hærere, quæ passim ab interpretibus atque Chronologis peti possunt, ac

Cætera quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia iam vulgata,

Certos orationi tuæ cancellos circũdabo, extra quos euagari non possit. Primum igitur illud quæro cùm Armenia, in cuius montibus arca quieuerat Genes. 8. v. 4. Septemtrionalis sit Babyloni, quo sensu dicantur ab Oriente profecti, venisse in terram Sennaar & ibi turrim Babylonicam excitasse. Deinde quoto post publicam generis humani cladem anno facta fuerit terrarum linguarumque diuisio.

Tertio cur Deus illam linguarum confusionem induxerit.

III. *Quo sensu primi mortales ab Oriente in campum Sennaar venisse dicantur.*

Armenia Septētrionalis Babyloni.

4. MEROPS. Quæstionem proponis, Eulogi, tum à paucis admodum tractatam, tum multis controuersijs implicatam. Et quidem inficiari non possumus Armeniam Septētrionalem esse Babyloni. Id si negauerimus, reclamabit omnium Geographorum authoritas: reclamabũt ipsæ tabulæ. Vnus sit instar omnium Dionysius Periegetes Mesopotamiæ inter Armeniam & Babyloniam situm ita describens.

Τῆς μὲν πρὸς Βορέην λιπαρὴν χθόνα ναιετάουσιν
Ἀνέρες Ἀρμένιοι.

Ad Boreæ flatus habitant vberrima regna Armenij.

Πρὸς δὲ Νότον Βαβυλὼν ἱερὴ πόλος, ἣν ῥά τε πᾶσαν
Τείχεσιν ἀῤῥαγέεσσι Σεμίραμις ἐστεφάνωσεν.

At Babylon obuersa Noto, quam dicitur olim Mœnibus inuictis cinxisse Semiramis vrbem.

5. Quomodo igitur profecti sunt ab Oriente? Sunt inter Sectarios, vt Temporarius ab erudito Saliano citatus, qui arcam diluuio perfunctam in montibus Armeniæ quieuisse negent, & montem Ararat eum esse velint, qui Paropamisus à Geographis, Parnasus ab Aristotele nominatur. Quò nos hoc loco vertemus? Dicemus communem hanc esse sententiam? At ipsi communem errorem appellant. Dicemus montes qui tum in textu principe, tum in LXX. virorum interpretatione Ararat vocantur Genes. 8. v. 4. in translatione Latina montes Armeniæ nuncupari? At hoc ipsum est in quo se magnificè venditant, & circumspiciunt Quid enim illorum supercilio dignius quàm vt receptam ab Ecclesia scripturæ versionem erroris inscitiæque condemnent? Haithomi Armeni testimonium proferemus? *In Armenia*, inquit cap. 9. de Tartaris, *est altior mons, quàm sit in toto orbe terrarum, qui Arat vulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis arca Noe primo sedit: & licet, propter abundantiam niuium, quæ semper in illo monte reperiuntur, tam hyeme, quàm æstate, nemo valeat adscendere montem illum, semper tamen apparet in eius cacumine quiddam nigrum, quod ab hominibus dicitur esse arca.* Testem habemus domesticum, Armeniũ, & quidem, si quid interest, de regia familia, denique testem oculatum. Sed monachum esse dicent, adeóque reijcient tamquam è nostris subsellijs excitatum.

4. Meteor. Quidam Sectarij negat arcam in Armeniæ montibus quieuisse.

6 Quid igitur agemus? Cogemur, opinor, litem de scripturæ veritate cõtestatam Ethnicorum arbitrio decidere. *Et hoc apud infideles? sic non est inter vos sapiens quisquã, qui possit iudicare inter fratrem suum?* Placet tamẽ apud externos Iudices ius experiri, atque vt multos alios à Iosepho laudatos libro Antiquitatum primo, silentio prætermittam, Berosus non ille nouitius ab Annio Viterbiensi confictus sed antiquus & Chaldeus, qui propter viciniam res Armeniorum potuit habere compertas, λέγεται δ' inquit apud eundem Iosephum, καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι. *Dicitur etiamnum arca in Armenia apud Gordyæos montes,*

Refutantur authoritates gentiliũ.

partem aliquam superesse, & quosdam abrasum inde bitumen adsportare, eo autem quod adsportatum fuerit, vtuntur homines ad amuleta. Nicolaus Damascenus & ipse Armeniæ vicinus montem hunc Barim appellat, Armeniæ contribuit, additque τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι, *diu lignorum reliquias ibi fuisse seruatas.* Quid si mons ab ipso nauigio nomen acceperit? Βάρις enim Ægyptij certum nauigij genus appellant, vt author est Herodotus in Euterpe. Abydenus apud Eusebium lib. 9. de præpar. Euang. τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ περίαπτα ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσι ἐπιχωρίοισι παρείχετο. *Nauigium autem in Armenia pensilia quædam lignorum amuleta indigenis exhibebat.* Adstipulatur ibidem Polyhistor ex Melone, nec abludere videtur Lucianus libro de Dea Syria, dum ait Deucalionem Scythicum, diluuio defunctum circa illa loca templum excitasse. Quid? quòd Chaldæus Paraphrastes hos montes in quibus arca requieuit, perinde vt Berosus קרדו *Cardu* siue Cordyæos, appellat, qui authore Strabone lib. 11. Armeniam à Mesopotamia disterminant, & vt indicat Curtius, longo tractu ad ortum & meridiem porriguntur. Cùm enim Tigrim, qui ab ortu Mesopotamiam alluit, ab Alexandro superatum esse dixisset, *Dextra*, inquit, *Tigrim habebat, læua montes quos Cordyæos vel Cordæos vocant.*

7. E quibus intelligi facilè potest, quo pacto & arca in montibus Armeniæ consederit, & homines nihilominùs ab Oriente ad campos Babylonicos accesserint. Cùm enim, vt ex Haithono vidimus, mons Ararat ita perpetuis aggestarum niuium molibus cumuletur, vt ad eius fastigium adspirare nemo possit, primo quoque tempore descendere debuerunt, ne si diutiùs molirentur, niuium cumulis oppressi tum perirent ipsi, tum omnem instaurandi generis humani spem eadem ruina secum inuoluerent. Neque tamen in ipsam Armeniam ad Aquilonem & Occasum monti subiectam descenderunt, siuè quòd clementiorem auram sequerentur, &, vt ait Strabo, Aquilonares Armeniæ partes sint νιφόβολοι μάλιστα, *admodum niuibus obnoxiæ*, ὅπου φασὶ κατὰ τὰς ὑπερβολὰς τῶν ὀρῶν πολλάκις, καὶ συνοδίας, ὅλας κατὰ τὰ ὄρη ἐν τῇ χιόνι καταπίνεσθαι νιφετῶν γινομένων ἐπὶ πλέον. *Ferunt ibi in traiectu montium frequenter totos comitatus in ipsis montibus, niuibus hauriri, cùm maiore copia niues exuberant:* siue quòd Armenia seriùs quàm aliæ regiones ad Ortum & Meridiem vergentes, siccata fuerit, vt quæ maximis paludibus oppleatur, & diuersis fluuiorum scatebris abundet. *Flumina enim Armeniæ sunt multa*, inquit ibidem Geographus, *notissima horũ in pontum Euxinum exeuntia, Phasis & Lycus, in Caspium autem Cyrus & Araxes, in Rubrum mare Euphrates & Tygris*, (superiore tamen pagina dixerat vtrumque in sinum Persicum euolui) *Sunt & paludes in Armenia magnæ, quarum vna est Mantiana, quam coerulam interpretantur*, μεγίστη, ὥς φασι, μετὰ τὴν Μαιῶτιν, *maxima post Mæotidem, vt aiunt.*

Lib. 4 c. 14
Lib. 11.

Armenia serius siccata quàm vicinæ regiones.

8. Adde quòd idem probabilem eorum narrationem arbitratur, qui *Araxem in Armenia à montibus delapsum* πλατύνεσθαί φασι τὸ παλαιὸν καὶ πελαγίζειν ἐν τοῖς ὑποκειμένοις πεδίοις οὐκ ἔχοντα διέξοδον, *antiquitus aiunt in latum se effudisse, inq; subiectis stagnasse campis, cùm nullum exitum haberet, Iasonem autem Tempe imitatum meatum aperuisse cauum, per quem nunc aqua in mare Caspium se præcipitat, exinde Araxenum campum detectum fuisse per quem Araxes ad cataractas fertur.* vnde & à Dionysio Medica Tempe nominantur ad Ortum Armeniæ Meridiemque spectantia, & circa hunc locum τὸν τῆς Βάριδος νεὼν *Baridis templum*, quo nomine iam ostendimus montem in quo requieuit arca à Nicolao Damasceno nuncupari. Quid? quòd planè fatendum est Noëmum diluuio perfunctum eas primùm incoluisse terras, quæ palmitibus sponte nascentibus fruticarent, quos ille deinceps putauerit, & in ordines versúsque digesserit? Neque enim illi venisset in mentem plantare vineam, fructum decerpere, succum exprimere, in vasa transfundere, & dum vetustisceret, ipsaque vestutate langueret, seruare, nisi frequenter vuæ sponte prouenientis suauitatem expertus fuisset. At si Strabonem audimus ἐν αὐτῇ τῇ Ἀρμενίᾳ πολλὰ μὲν ὄρη, πολλὰ δ' ὀροπέδια ἐν οἷς οὐδ' ἄμπελος φύεται ῥᾳδίως. *In ipsa Armenia multi quidem montes, multæ verò conualles in quibus ne vitis quidem facilè nascitur.* Neque verò facilè mihi quisquam in mentem induxerit primam vitem in campo Sennaar, siue Babylonia plantatam fuisse. Quamuis enim, si Herodotum lib. 1. loquentem audimus, *Babylonia regionum quidem omnium, quas nouimus, est præstantissima, fructu quidem Cereris ferendo, alias tamen plantas* οὐδὲ πειρᾶται ἀρχὴν φέρειν, *ne experitur quidem à principio producere non ficulneam*, οὐδ' ἄμπελον, *neque vitem, neque oliuam: frugibus autem procreandis ita fertilis est, vt vbique reddat ad ducenta: vbi autem seipsam*

Multis Armeniæ locis nullæ vites.

Babylonia frugifera.

vbertate vincit, etiam ad trecenta, illic autem folia tritici & hordei nascuntur latitudine quatuor digitorum, &c. Quare cùm Noëmus publicæ mortalium cladi superstes nec in Armenia, nec in Babylonia vitem panxerit, planè fatendum est eum alias incoluisse regiones, priusquam ex Armenia profectus cum suis in campum Babylonicum perueniret.

VI. *Vbi primum Noëmus post diluuium habitarit.*

9. Equidem non is ego sum qui nosse omnia me profitear.

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura sequantur.

aut quem pigeat præsertim in rebus tam antiquis, tam obscuris, tanto scriptorum inuolutis silentio meam inscitiam confiteri: si quid tamen coniecturæ dandum putarem, dicerem primos mortales ex arca digressos vel in Mediam Armeniæ vicinam, vel in Hyrcaniam paulo remotiorem commigrasse. Has enim regiones & ad Babylonis ortum sitas, & tum vini, tum cæterarum rerum quæ vel ad naturæ necessitatem, vel ad delicias expetuntur, feracissimas fuisse accepimus.

De Mediæ situ Dionysius antè laudatus.

Ἀλλ᾽ ὁπότ᾽ Ἀρμενίων ὀρέων προπάροιθεν ὁδεύοις
Εἰς αὐγὰς, τότ᾽ ἔπειτα σοὶ Μηδικὰ Τέμπεα δήεις.

Si porro Armenijs pergens à montibus ortum Auroræ sequeris, reperis tum Medica Tēpe.

Mox Πρὸς δὲ Νότον ναίουσιν ἀγαυῶν ἔθνεα Μήδων.

Medorum illustres populi vertuntur ad Austrum.

E quibus videas Mediam & Orientalem & Australem esse, montibus illis qui Armeniam à Mesopotamia disterminant.

10. De feracitate Geographus, vbi (cum Diodoro Siculo lib. 17.) Hyrcaniam ita laudasset, εἰ μέν γε τῇ Ὑρκανίᾳ τὴν ἄμπελον μετρητὴν οἴνου φέρειν φασί, τὴν δὲ συκῆν μεδίμνους ἑξήκοντα, &c. *In Hircania ferunt vitem vini metretam, ficum medimnos sexaginta exhibere, frumentum è semine quod è spicis deciderit, renasci, aluearia in arboribus confici, & mel è floribus defluere* (quæ l. 11. rursus inculcat) cùm, inquam, Hyrcaniam in hæc verba laudasset, adiecit *hoc ipsum & in Media fieri regione quæ dicitur Mattiana, & in Saracene, & Araxene Armenia*. Probabilius tamen videtur, vt dictum est, Noëmum ad regiones ad Ortum vergentes & Meridiem, quam ad Armeniam vicinam quidem montibus Gordæis, sed occidenti soli & Septētrionibus oppositam se contulisse, cùm præsertim necdum Armeniæ nosset vbertatem, & eam vel montibus niuosis coronatam, vel immensis stagnis & eluuionis reliquiis inundatam videret. Pergit Geographus, sed parco Græcis. *In Margiana vnum vitis truncum inueniri aiunt sæpe, qui duas viri amplectentis vlnas impleat, vuam cubitalem. Ariam aiunt parem huic esse, vini autem prouentu etiam superiorem: quippe vinum in vasis non picatis etiam per tres ætates durare. Bactrianam quoque Ariæ proximam omnium rerum dempto oleo feracem esse.* E quibus, nisi Berosi, Damasceni, Abydeni aliorumque veterum authoritas, Patrum consensus, &c, quod caput est, editionis communis maiestas obstaret, suspicari quis posset montes Ararat, eam esse Tauri partem, quæ Indis & Orienti vicina Bactrianam & Ariam claudit à Meridie. Siquidem, vt ait idem Geographus de Hyrcania, Aria, Margiana, Bactriana, *hæ omnes regiones contiguæ sunt*, τῇ Βορείᾳ πλευρᾷ *lateri Septētrionali Tauri, adeoque Bactriana montibus ad Indiam porrectis & propinqua*, qui sane Paropamisus à Strabone, & Curtio, Paropanisus à Ptolemæo. Parnasus ab Aristotele 4. Meteor. Parnasus & Parpamisus à Dionysio nominantur. Et facile fieri potuisse dicet aliquis, vt amanuensium vitio mendum in vulgatam editionem irreperet, & pro *Ariæ* modica litterarum accessione *Armenia* sciberetur.

11. Huc accedit quòd montes quos Curtius paulo antè laudatus Gordyæos vel Gordæos appellat, Arrianus eandem Alexandri perfectionem describēs, Sogdianos interpretatur. Sogdiana verò Bactrianæ vicina est. Siquidem, vt ait lib. 2. Geographus, vtramque regionem alteram ab altera diuidens Oxus interfluit. E quibus probabile fuerit Onchelos in Paraphrasi Chaldaica, dum montes Ararat קרדו *Cardu*, siue *Gordiæos* appellat, loqui de montibus illis Sogdianis siue Arianis & Bactrianis. Verùm, cùm vox *Ararat* in textu principe quatuor duntaxat locis habeatur, vterque Chaldaicus, Onchelos & Ionathan, *Cardu* constanter appellat, Latinus interpres Genesis 8 v. 4. & 4. Regum cap. 19. v. 37. Armeniam interpretatur: Isaiæ 37. v. 38. & Ieremiæ 51. v. 27. Vocem *Ararat* relinquit intactam: LXX. seniores eandem tribus retinent locis, at 4. Regum, fugeruntque *in terram Ararat*, ita transtulerunt, διεσώθησαν εἰς Ἀρμενίαν, *euaserunt in Armeniā*. Quid? quòd Ierem. 51. v. 27. Vbi

nostet habet, *Regibus Ararat Menni*: pro *Menni* septuaginta quidem efferunt *παρ' ἐμοῦ à me*, at Chaldæus interpres, vt proprium regionis nomen vsurpat, *Regibus terræ Cardu, exercitui*, חרמני *Armeniæ*. Cur autem Noëmum ex Armeniæ montibus in Mediam descendisse censeamus, ea caussa est, quòd eum montem in quo atca consederat, Nicolaus Damascenus Barin, Epiphanius initio Panarij Lubor appellat, vt is ipse mons Nephasi & Abo coniunctus esse videatur, de quo Strabo 11. Geog. εἶτα ὁ Νίβαρος μέχρι τῆς Μηδίας παρατείνει. *Deinde Nibarus vsque ad Mediam porrigitur.* Hunc porro montem ab egressu scribit Iosephus ἀποβατήριον nuncupari, quòd eo loci Noëmus ex arca descenderit, & Boccatius, vnde vnde id acceperit, Ararat Armenis idem esse quod egressum testatur, aitque ab egressu Noëmi id nominis obtinere.

12. Iam si, vt semel atque iterum dictum est, Armeniam huic monti versus occasum & Aquilonem subiectam paludes plurimæ, fluuiorum ingentium scatebræ, Araxis potissimùm restagnatio sic occupabat, vt longè post cæteras regiones siccari potuerit & habitari, niuiúmque ingruentium metu, (quod ipsum Niphatis nomen significat) primo quoque tempore descendere debuerunt, quid aliud eos facere par fuit, quàm vt ad Ortum & Meridiem, qui Mediæ situs est ad Armeniam comparatæ, se conuerterent? Cùm præsertim, vt ait sæpe laudatus Geographus, lib. 11. τὰ μὲν δὴ κύκλῳ τοιαῦτα ὀρεινὰ σχεδόν τι πάντα καὶ τραχέα πλὴν τῶν πρὸς τὴν Μηδίαν κεκλιμένων ὀλίγων. *Omnia in orbem Armeniæ circumposita montosa ferè sunt & aspera, paucis exceptis quæ ad Mediam inclinant.* Vbi cùm plantasset vineam Noëmus, experientiáque didicisset, quantum ex ebrietate redundaret incommodi, suósque fortasse liberos videret vino liberaliùs ad temulentiam indulgere, profectus est ab Oriente versus Occasum, & quam primùm inuenit regionem frugum quidem vberrimam, sed ferendis vitibus ineptam, ibi familiæ suæ, vel potius totius generis humani domicilium collocauit.

Primi homines de arca in Mediam descenderunt.

Neque verò quærendum est quo pacto Noëmus ex Oriente veniens Tigrim tam altum, tam rapidum cum tota familia, gregibus & armentis transire potuerit: cùm enim Tigris antequam Babyloniam alluat, subterraneis cuniculis identidem absorbeatur, vt memini probare Theophrastum agentem de fluuiis Paradisi, difficile non fuit transitum inuenire.

V. *Conciliantur Scripturæ.*

13. QVòd si quisquam Iosephi verbis inductus peruicaciùs ex eo loco profectos esse defendat, vbi primùm arca consederat, videamus vtrùm scripturæ ita inter se dissideant vt conciliari non possint, nisi altetutra erroris arguatur. *Requieuit arca super montes Armeniæ.* Negari non potest. Nulla calumnia, nulla subtilitate torqueri potest in aliam sententiam, nisi si volumus ipsi Soli tenebras offundere. Armenia planè Aquilonaris est, si ad Babyloniam comparetur. Ne id quidem negare possumus, neque nobis cor est adeo plumbeum & os ferreum, vt possimus omnium authorum reclamantium conuicia sustinere. Vt primùm ex arca descenderunt homines sine flexibus & Mæandris recto cursu se in campum Sennaar contulerunt. Iniqua sanè flagitatio, vt quod nulla coniectura, nulla scripturæ authoritate, nullo veterum testimonio probauetis, id quamuis plurimùm nostris rationibus officiat, tanquam principium ἀναπόδεικτον, quod Mathematici postulatum appellant, vltro concedi iubeas. Sed tamen hoc etiam largiamur. Non igitur profecti sunt ab Oriente, cùm Armenia Babyloniæ siue campo Sennaar ab Aquilone respondeat. Quid hîc agemus? dicemus acceptum insulsis Librariis id esse referendum, quorum vitio vox *Armenia* in nostram translationem irrepserit. At temeriarum est lectionem tot seculis receptam, LXX. seniorum, & Chaldææ paraphrasis, vt ostendimus authoritate munitam in dubium reuocare, cùm pro ratione solum supercilium adducat. Errorem hunc non amanuensibus, sed ipsi versioni Tridentini Concilij decreto vallatæ tribuemus? Impium est & sacrilegum. Dicemus totum Taurum qui longè latéque à Pamphylia ad Indiæ fines per Armeniam vicinásque regiones extenditur, montium Armeniæ nomine contineri; homines autem ex Oriente profectos, quia Larnax illa Noëmitica in aliqua Tauri parte magis ad Ortum vergente, verbi caussa, in Paropamiso consederat? Id quidem dicere malim quàm scripturam arguere falsitatis. Tamen vix mihi quisquam persuaserit Mosen, qui tam accuratè, tam præcisè mensem & diem notauit, non etiam certam definitámque mundi plagam designasse. *Requieuitque*, inquit, *arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.*

14. Cùm igitur hoc scripturæ testimo-

nium,nec sine temeritate mendi suspectum esse possit,nec sine sacrilegio falsitatis, nec sine violentia detorqueri videamus, verùm in illos spes aliqua reconciliationis affulgeat: *Cúmque proficiscerentur*,inquit, *de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo*.Quid si dicamus hîc Orientem dici Armeniam,non habitâ campi Sennaar ratione, sed Arabicæ solitudinis, vbi Moses ista scribebat? Argutula, ne quid grauius dicam, responsio. Quis enim non videt Armeniam, etsi cum Ægypto & Arabicis illis comparata solitudinibus, ad Ortum inclinet, longè tamen magis Aquilonarem esse, quàm si cum ipsa Babylonia comparetur? Quid si Orientem interpretemur,non campi Sennaar, sed Armeniæ ipsius habita ratione? Vt quoniam montes Ararat interpretatus generatim fuerat mõtes Armeniæ, eos se intelligere doceret, qui ad Orientalem Armeniæ plagam versus Mediam porriguntur,quem montis Ararat situm supra descripsimus: Id quidem vtcunque defendi potest,donec aliud melius occurrat. Quia tamen longiusculè petitum videtur,placet aliam conciliandæ scripturæ rationem inquirere.

Oriens quo sensu capi possit.

15. Quid igitur si dicamus his dictionibus *de Oriente*,vel vt Hebræa sonant מקדם *mikkedem*, non ipsam Solis orientis oram, sed principium temporis intelligi, vertique proinde commodè potuisse,*cúmque proficiscerentur ab initio*,id est, ab ipso mundi post diluuium renascentis exortu. Hæc enim dictio, קדם *Kedem*, tam principio temporis quàm ortui Solis communis est, vnde Genes. 2. v. 8. illud: *Plantauerat autem Dominus hortum voluptatis* מקדם *mikkedem*,Hieronymus ab initio, LXX. κατ' ἀνατολὰς, *ad Orientem*, saluâ textus Hebraici maiestate, commodè transtulerunt: &, ne longiùs Onchelos Chaldæus Paraphrastes homines profectos esse, בקדמיתא *bekadmitha*, quod propter seruilem litteram ב de ortu Solis interpretari non possis: Quo sensu enim dixeris homines in Orientali plaga esse profectos? At contrà, quàm bellè dicuntur *in principio profecti*?

16. Atque hanc interpretandæ conciliandæque scripturæ viam insistere poteramus; quia tamen, quamuis textus princeps expositionem vtramque patiatur, Latina versio nescio quid aliud sonat, nósque in hac conditione adstrinximus,vt in genuino natiuóque sensu, communis editionis verba caperemus, superiorem illam expositionem amplectimur, vt dicamus arcam quidem in Armeniæ montibus quieuisse, sed Noemum cum suis versus Orientem & Meridiem in Mediam se contulisse, vnde postmodum cum tota familia in Babyloniam migrauerit. Nihil igitur caussæ fuit Hæreticis,cur Patribus ipsique adeo scripturæ,quòd Ararat montes Armeniæ nuncuparit,vel falsitatis, vel inscitiæ labem adspergerent. EVLOG. Atqui, Merops, cauendum etiam atque etiam, ne dum in sectarios tela coniicis,per eorum latus authores bene Catholici saucientur. MEROPS. Egóne vt Catholicum quemquam existimem eò prolapsum,vt cum aperta scripturæ sententia pugnaret? EVLOG. Tamen ne nescias,ô bone, Goropius Becanus in Indoscythicis,pag.476. multis probare conatur, arcam in supremo Paropamisi vertice constitisse. MEROPS,

--- *Equidem ae te nil tale verebar*,

Goropi. Quia tamen à me non quæsitus es,faciam quod apud Plutarchum, nescio quis adolescens. EVLOG. Quid illud? MEROPS. Cani lapidem destinarat,nouercam ictu intercepto percussit. *Neque hoc malè*, inquit. Ita si piè castéque,vt Catholicum decet,scripturam tractat Becanus, in mea tela non incurrit: si, quod equidem non credo,petulantiùs Patres, & communem editionem insectatur,non recuso,quominus per Hæreticorum latus saucietur. *Ne sic quidem malè*. Sed Catholicorum neminem insector, quorum maximè scripta in manus meas non inciderunt. EVLOG. Hactenus de prima illa quæstione, quam enucleandam susceperas: Expectamus vt doceas,

VI. *Quo tempore facta fuerit Linguarum Terrarúmque diuisio.*

Exponuntur variæ recentiorum opiniones.

17 MEROPS. Qui dissidii linguarum Chronologiam indagant, diuersas ineunt huius inuestigandæ rationes.

Alij cùm fixum ratúmque habuerint, Abrahami ortum in annum Nini tertium ac quadragesimum incidisse, Belum Nini patrem, annos regnasse quinque & sexaginta,hunc porrò Belum eundem esse cum Nemrode, qui in ipsa linguarum gentiúmque diribitione regnare occœpit, inter illam linguarum diuisionem,& ortum Abrahami,annos centum & octo lapsos esse defendunt: cúmque ex eorum calculis, anno post diluuium trecentesimo octogesimo tertio natus fuerit Abrahamus, si 108. à 383. subduxeris, sequetur anno post publi- Tornielli Opinio.

cam illam generis humani cladem 275. tum linguarum confusionem, diuisionémque litterarum, tum Nemrodis initia contigisse, vt Torniellus & Salianus in eum annum annotarunt.

18. At si Iacobum Tirinum, virum sanè doctum audimus, cap. 12. Chronici sacri, anno mundi 1862. diluuij 206. Saturnus, qui & Chus, filius Chusi alterius, qui primogenitus fuit Cham, Genesis 10. v. 6. &c. inchoauit regnum Assyriorum, sed filius eius Nemrod, qui & Belus Iupiter, inchoauit Monarchiam Assyriacam, seu dominatum supra alias vicinas gentes, anno mundi 1932. diluuij 276. cuius monarchiæ anno 43. inchoante natus est Abraham: vide Eusebium in Chronico. Authore Nemrod, seu Ioue, cœpta est turris Babel initio regni eius, quod totis quatuordecim annis prius fuit monarchiâ eiusdem. Porrò in turre construenda dicit Cedrenus occupatos fuisse annos 43. vt ad altitudinem vnius leucæ illam eueherent. Igitur dissipatio operarum, & diuisio linguarum contigit quatuordecim annis ante ortum Abrahæ. Hæc ad verbum vir eruditus, quibus eum aduertis per calles quosdam ignotos & auios chronologicam rimari veritatem. Neque sanè facile dixerim, aut vnde Chusum illum iuniorem, quem ipse Saturnum appellat, Chami nepotem, Nemrodis patrem intruserit, aut à quibus authoribus Chusi regnum, ac regni Nemrod à monarchia distinctionem acceperit, aut quomodo è scriptis Eusebij Nemrodem eundem esse cum Nino Assyriorum Rege, atque ortum Abrahami tertio & quadragesimo Nemrodis monarchiam obtinentis anno consignandum esse collegerit.

Opinio Tirini.

19. Petauius libro 9. de doct. temp. cap. 13. Nemrodis primordia, atque adeo dissidij linguarum chronologiam non vestigiis solùm persequi, sed etiam in ipsis, vt ita loquar, cubilibus, deprehendere conatus est. Ponit Assyriorum Regnum durasse annos præter propter trecentos supra millesimũ: Medos exinde post obitum Sardanapali, annis trecentis septem-decim imperasse; quorum summã si faciamus, à primo Nemrodis anno, quem profani scriptores Iouem Belum appellant, ad Cyri primordia anni 1617. colligentur. Cyri autẽ ac Persici regni primus annus omnium consensu primus fuit Olympiadis 55. vt apud Eusebium lib. 9. προπαρ. docet Iulius Africanus: hic autem annus est periodi Iulianæ 4155. mũdi conditi 3425. à diluuio 1770. à quibus si annos Medorum & Assyriorum 1617. subtraxeris, cùm te ad anteriora conuerteris, & annos illos 1617. pes retroactus impleris, inuenies anno, post publicam eluuionem, centesimo quinquagesimo quinto, aut non multò secus, Beli, siue Nemrodis primordia.

Petauij.

VII. *Examinatur prima sententia.*

20. MAgnum est apud me Petauij nomen, magna Tornielli & Saliani authoritas, non mediocris existimatio Tirini, & aliorum, qui recentes chronologias ediderunt. Ne tamen temerè nos præiudicatis opinionibus occupari sinamus, & authoritatum potiùs momenta, quàm rationum videamur expendere, age, consideremus,

Ecquid odore possint, si quid fortè olfecerint,
Facere coniecturam:

Plautus Menæchmis &c. 2.

quibúsue chronologiam subodorati vestigiis, ad ipsum veritatis cubile peruenerint. Ac primùm illud statuatur, non posse ad occultæ veritatis notitiam deueniri, nisi à notis ad incognita, à certis ad incerta, à iudicatis & ratis, ad dubia & controuersa veniamus, vt & incognita noscãtur & controuersa iudicentur. Cùm enim, vt dialectici notant, omnis conclusionum certitudo è præmissis emanet, præmissæ non maiorem, quàm ipsę contineant, conclusioni certitudinem impertient.

21. Non dico Torniellum ac Salianum duo sibi velle concedi contra conceptam verbis expressis scripturæ sententiam, dum vt Abrahamum, anno post diluuium trecentesimo octogesimo tertio natum ostendant, Salæum, anno Arphaxadi sexto & sexagesimo, Abraham Tharæi centesimo trigesimo primo natos esse defendunt: illud dissimulare non possum, quòd rem oppidò dubiam & controuersam, tanquam principium & axioma sibi vendicant, & quasi pro suo iure vsurpant, dum & Abrahamum anno Nini quadragesimo tertio natum esse volunt & Belo patri annos sexaginta quinque tribuunt, & Belum eundẽ cum Nemrode faciunt, primúmque eius annum linguarum diuisioni proximè subnectunt. Hi sunt Atlantes, hæ destinæ, hi tibicines, quibus tota chronologiæ moles sustinetur. Tamen primum illud qua ratione confirmant? Eusebij vnius authoritate. *Rectène* (inquit Salianus, ad annum mundi 1931. Num. 2.) *componat Eusebius Abrahamum cum Nino, operosior est, neque necessaria disputatio.* Imò nisi planè stabilitur, quicquid superstructum fuerit, ab ipso fundamento conuellitur. Sed esto sanè, verum id esse statuatur.

22. Quid deinde? ante hunc Belus an-

nos quinque & sexaginta regnarat. Quo hæc authore proferuntur? Eodem Eusebio. Quid si ex Chronico Alexandrino, Belum duobus duntaxat annis regnasse ostendimus? *Belus*, inquit, *cum Assyriis biennio præfuisset, decessit, quem Persæ in numerum Deorum retulerunt.* Quod & Cedrenus amplexus est. *Sed hæc*, inquiunt, *vt parum consentanea sacris profanisque litteris meritò contemnuntur.* Equidem, quomodo cum sacris historiis ista pugnent, suspicari non possum, cùm scriptura nullam omninò Beli, aut temporis, quo Nemrodes regnauit, faciat mentionem. E profanis, quis annos Beli computauit? non Herodotus, non Iustinus, non Diodorus. Sequendus, inquiũt, Eusebius, ne plus Augustino sapere videamur. Cur igitur vbi commodum est, Eusebium relinquunt? cur ipsum Augustinum? Et ne ambitiosus videar exempla conquirere, cur hoc ipso loco linguarum confusionem, anno Phalegi 144. contigisse defendunt, quàm vt mox videbimus, Augustinus anno Phalegi primo consignat? Atenim Eusebius Chronico Alexandrino non paucis annis fuit antiquior. Quid tum? Maior igitur ei fides adhibenda. Quid igitur Africano faciemus qui sub Heliogabalo floruit, & centum minimùm annis Eusebium antecessit? Is Belo quinque duntaxat & quinquaginta tribuit annos. Quid igitur Africani chronographiam Eusebianæ præponimus? Non hoc dico, sed eò spectat oratio mea vt ostendã locum hunc esse lubricum, in quo non possis tutò consistere, nec è principiis adeo controuersis atque incertis, ad certam chronologicæ veritatis notitiam facilè perueniri.

Salianus ad ann. mũdi 1996

23. Quòd si certa sunt omnia, quæ de annis Beli narrat Eusebius, cur adeo scriptores inter se de hoc ipso dissentiunt? Non desunt, inquit ibidem Salianus, qui eum plus ducentis annis regnasse putent. Temporarius, qui Nemrodum à Belo separat, illum octoginta annos regnasse vult, istum, sexaginta quinque. alij denique aliter, prout cuique commodum fuit Beli chronologiã texuerunt. Quid autem illud, Eulogi, quòd Nemrodem eundem esse volunt, quem Græci Belum appellant, eiúsque filium esse dicunt Ninum illum Assyriacæ Monarchiæ conditorem? Quod tu falsum esse credis, ego saltem incertum: de quo tamen viderit noster Basilius, vt & illi considerandum relinquo, an Nemrod ante linguarum diuisionem regnare ceperit, an statim postea, an aliquot anni inter operarum dissipationem, & Nemrodis imperium fuerint elapsi. Mihi certè nihil horum liquere confiteor, ac proinde hac via tam obscuris impressa vestigiis chronologiæ veritatem indagare non possum.

Scriptorũ de Nẽrod, & Belo dissensio.

VIII. *Expenditur secunda sententia.*

24. Qvod ad eruditissimum Chronici sacri scriptorem attinet, cùm sine probatione Chusum iuniorem, alterius Chusi filium inuexerit cùm eum, antequã Nemrodes potens esset in terra, & generis humani tyrannidem acciperet, præter scripturæ mentem, Regnum Assyriorum inchoasse dicat, cùm Nemrod eius filium cum Nino confundat: cùm Nemrodis, siue Nini regnum à Monarchia distinguat, regnóque quatuordecim, monarchiæ, quinque & sexaginta tribuat annos, cùm penitus à communi sententia diuersus, nullam dictorum adferat rationem, cùm ex eo quod homines in construenda turri, quadraginta tribus annis occupatos fuisse tradit Cedrenus author non grauissimus, cùm, inquam, hoc vnico argumento tempus diuisionis linguarum collegerit: æquo animo me chronologiam hanc, vel alia via rimari, vel ignorare patietur. In qua sententia illud imprimis admiror, quid sit, cur vir eruditus, cùm annis illis 292. qui à diluuio, ad annum Tharæi septuagesimum, in textu principe colliguntur, annos triginta, propter insititium Cainanum adiecerit, Abrahamúmque sexaginta post annis, anno videlicet Tharæi patris centesimo trigesimo genitum esse defendat: è quibus citra controuersiam annorum 382. Homas existit; annos nihilò seciùs non plures 319. ab illa publica generis humani clade, ad ortum Abrahami collegerit. Nam si anno post diluuium 276. Nemrodes Assyriacam Monarchiam inchoauit, & anno eiusdem monarchiæ quadragesimo tertio, qui post linguarum confusionem decimus quartus illuxit, natus est Abrahamus, necesse est eius ortum annis trecentis, ac nouem-decim duntaxat post diluuium elapsis contigisse.

IX. *Expenditur tertia sententia.*

25. Tria sunt apud Petauium, lib. 9. cap. 13. de doctrina temporum, Assyriorum epochæ fundamenta. Horum vnum est longè certissimum. Si quidem, vt author est Iulius Africanus apud Eusebium, lib. 10. προπαρασκ. Primum Cyri annum in primum Olympiadis quinquagesimæ quintæ incidisse Diodorus, Thallus, Castor, Phlegon, Polybius, alij denique omnes

omnes prodiderunt, ἅπαντες γὰρ συμφωνοῦσιν ὁ χρόνος, *omnes enim de tempore consentiunt.* Basil. Sanè verò, Merops, fundamentum illud certissimum? Merops. Quidni certissimum putem, quod tanto consensu veteres omnes Chronologi comprobarunt. Basil. Arqui vir eruditissimus quicquid de Cyri primordiis, veterum authoritate stabilitis habet, id sumpsit ex Africano. Eorum enim authorum scripta, quæ laudat, temporum iniuriâ perierunt, nec aliunde nobis nota sunt, quàm è verbis Africani. Aliter tamen Petauius, aliter Africanus loquuntur de Cyri primordiis. Ille primum Cyri annum interpretatur, quo anno Cyrus Astyagen vicit, & regnum Medorũ ad Persas transtulit: hic autem primũ Cyri, quem omnium veterum authoritate confirmat, eum esse dicit, quo Cyrus potitus Babylone, Monarchiam totius Asiæ fundauit, & Iudæos, quos olim Nabuchodonosor Babylonem abduxerat, septuagesimo transmigrationis anno libertate donauit. Μετὰ δὲ ὁ. τῆς αἰχμαλωσίας ἔτη Κῦρος ἐβασίλευσε Περσῶν, ᾧ ἔτει Ὀλυμπιὰς ἤχθη νε. *Post verò septuaginta captiuitatis annos Cyrus Persis imperauit, quo anno celebrabatur Olympias quinquagesima quinta,* &c.

26. Cui nos potissimùm credemus? Non dico Iuliũ Africanum seculis esse quatuordecim antiquiorem: Scio diligentiam, eruditionem, ingenium, non, vt vina, annis æstimari: Scio plausibiles adferri posse rationes, quibus probetur Olympiadem illam quinquagesimam quintam potiùs cum relata de Astiage victoria, quàm cum subacta Babylone concurrere. Sed id in præsentia non agitur: id vnum quæritur, cùm Petauius quicquid adfert de veterum Cyri primordia stabilientium authoritate, id ex vno duntaxat Africano deduxerit, neque Africanus ipsa scriptorum verba referat, sed sic eorum mentem interpretetur, quasi locuti fuerint de primo illo anno, quo Cyrus victis Babyloniis imperauit; illud, inquam, vnum quæritur, Petauiine, an Africani expositio maioris debeat esse momenti? Neque illud mihi postulo, quod extorquere facilè potuissem, vt in hac quidẽ parte Petauio præponderet Africanus: hoc certè mihi negari non debet, vt quoniam Africanus, qui authores ipsos legerat, eos captæ Babylonis annum Olympiadi quinquagesimæ quintæ consignasse scribit, non minor illi, quàm Petauio veterum illorum, quos vnius Africani fide de Cyri primordiis egisse nouit, mentem aliter interpretanti tribuatur authoritas: vt quoniam primum illud epochæ fundamentum sola veterum authoritate fulcitur; de veterum porrò mente Petauius ab Africano dissentit, & annis ampliùs viginti ab eius calculo diuersus est, nihil alterutram in partem certum esse statuatur, & res in medio relinquatur.

27. Merops. Sunt ista vera, Basili, veruntamen aliud est quærere, vtrùm Olympiade quinquagesima quinta, Cyrus regni Persici gubernacula susceperit: aliud vtrùm eo ipso anno, quo Cyrus Persicum regnum obtinuit, Babyloniis perdomitis frenum Persicæ dominationis iniecerit, obtinuerítque totius Asiæ Principatum, Iudæísque postliminium dederit. De anno, quo primùm Cyrus, Περσῶν ἐβασίλευσεν, *Persis imperauit*, omnes veteres recentioréſque conspirant: de anno captæ Babylonis, datique Iudæis postliminij, quem annum Cyri primum scriptura non semel appellat, neque veteres illi, quos laudat Africanus, omninò loquuti sunt, & Petauius impunè potuit ab eo dissidere. Quare nisi tibi secus videtur, nihil prohibet, quominùs fundamentum illud chronologiæ certissimum esse statuamus. Cætera duo, quibus vir doctus Assyriorum epocham adstruere molitur, sunt admodum controuersa. Nam si Herodotum lib. 1. audiamus, Medi regnarunt annis duntaxat centum & quinquaginta, & quamuis longè priùs ab Assyriorum dominatu defecerint, extremis tantùm Cyaxaris temporibus quadraginta circiter annis, antequã Asiæ Monarchia transiret ad Persas, deleta Ninus est, & imperiũ Assyriis abrogatum. Si Eusebio, & Gregorio Monacho fidem habemus, Medi ducentis quinquaginta annis, destructo Assyriorum imperio, ante Cyrum imperarunt. E Ctesia, si tamen ex Herodoto annos Astyagis triginta quinque adieceris, anni reuera trecenti septemdecim colligentur.

28. Sed cur eruditissimus Petauius Ctesię cõputationem Diodori Siculi authoritate corroboret, sanè nõ video. Cùm Diodorus tam Herodotũ, quàm Ctesiã ex æquo laudasset, διαφωνοῦσιν, inquiens, οἱ μέγιστοι τῶν συγγραφέων περὶ τῆς μεγίστης τῶν Μήδων ἡγεμονίας. *Scriptorum maximi de maximo Medorũ imperio dissentiunt*, rem in medio relinquit, & neutrã in partẽ iudicans, profert vtriusq; rationes. Herodotus Xerxis æuo florebat, Ctesias tẽpore Artaxerxis Memoris, centũ circiter annis post Herodotũ. Ait Ctesias se, quæ dicat, ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, *è regiis membranis* depromere: ait Herodot. scribere se ὡς Περσέων μετεξέτεροι λέγουσι οἱ μὴ βουλόμενοι σεμνοῦν τὰ περὶ Κῦρον, ἀλλὰ τὸν ἐόντα λέγειν λόγον: *vt Persarũ nonnulli dicũt, qui res Cyri nolũt nimiũ extollere, sed res narrare pro-*

O

ut reuera cōtigerūt. Herodotus apud multos mendaciorū infamia laborat: qui excerpta Ctesiæ legerit apud Photiū, ne eum quidē omnium scriptorū veracissimum iudicabit.

29. Sed esto, nefas esse ducamus, vel latum, vt aiunt, vnguem, à Ctesiæ supputatione discedere. Quid si Diodorus parum fideliter eius sententiam retulit? Petauius paucis verbis in referenda Herodoti narratione duo μνημονικὰ ἁμαρτήματα deprehendit, quòd videlicet & Cyaxarem pro Deioce dixerit, & Olympiadem notarit, cuius nullum in Herodoto vestigium. Tertium addere potuisset, quod ad rem nostrā potissimùm attinebat. Ait enim Diodorus ex Herodoto, Assyrios ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι, *à Medis esse subuersos*, cùm Herodotus post Medorum defectionem, Assyrios, quamuis accisis viribus, centum minimùm annos stetisse, & vrbem Ninum tenuisse significet: illúdque duntaxat dicat, Medos, excusso Assyriorum iugo, libertatem esse consecutos, & bellum inferentibus Assyriis acriter restitisse. Quæ verane sint, an secus, non disputo, ne falcem, vt loqui solent, videar in Basilij messem immittere: illud vnum aio quod pertinet ad præsens institutum, non esse tam certa, quæ de Medorum imperio iactantur, vt ex eius duratione, quibusdam quasi vestigiis linguarum confusio possit, & Assyriaci regni primordium deprehendi.

30. Evlog. Atenim liquidæ sunt & expeditæ in supputandis Assyriorū annis chronologiæ rationes, vt quamuis initia Medorum ignores, possis tamen Assyriorum originem habere compertam. Merops. Imò, mi Eulogi, cùm Petauiana methodo ex duratione colligatur initium, necesse est priùs cognoscas quādo desierit: id autem sciri nō potest, nisi scias quando Assyriis Medi successerint. Sed quid ais explicatas Assyriacæ chronographiæ rationes? Quid si perturbatissimas esse, paucis ostendero? Evlog. Nobis quidem rem gratissimam feceris, Merops, vt etiam pro Basilio nostro respondeā. Mer. Si cum Eusebio dixerimus, omnes annos regni Assyriorum mille ducentos & quadraginta à Nino computari, reclamabit omnis authorū classicorum Orchestra: qui omnes ab eo suam chronologiam exorsi ab Eusebio dissentiunt. Herodotus Musa prima Medos ab Assyriis defecisse scribit, cùm illi iam annum quingentesimum ac vigesimum Asiam superiorem obtinerent. Eos Velleius Paterculus imperasse scribit annis mille septuaginta, vel, vt in aliis codicibus legitur, mille septingentis. Si Orosium audimus, mille ducenti triginta numerantur:

Assyriorū chronologia perturbata.

Lib 1.

Lib. 1.

Si Iustinum, mille trecenti: Si Ctesiam apud Diodorum Siculum, lib. 2. mille trecenti sexaginta: si Diodorum ipsum, plures annis mille quadringentis: si Africanum in fragmentis Eusebianis apud Scaligerum, quod etiam ipse Scaliger amplectitur, mille quadringenti & octoginta: si Sacerdotes Ægyptios è literis, quæ sacræ apud illos habebantur, *Regnum Assyriorum in epistola Alexandri* ad matrem Olympiadem, quinque *millia excedit annorum*, vt ait Augustinus, libro 12. de Ciuitate Dei, cap. 10. Et quoniam, vt subdit, *perhibentur Ægyptij quondam tam breues annos habuisse, vt quaternis mensibus finirentur*: si Ægyptiorum annos ad communes reducas, anni fient penè mille septingenti cum Velleio.

31. Eruditissimus Petauius (quē equidē honoris causâ nomino) hoc loco chronologiā Eusebianam amplectitur, & ab anno primo Nini, ad obitum Sardanapali annos ducentos & quadraginta supra millesimū euoluros putat, quibus si annos Beli sexaginta quinque adiūxeris, anni mille trecēti quinque colligentur. Quia tamen Africani calculis anni dūtaxat quinque & quinquaginta Nino tribuuntur, ipse mediam viam insistit, & Assyriorum imperium annis mille quingentis circumscribit, adeóque Ctesiā, & Diodorum emendat: cùm enim Ctesiæ supputatio sic apud Diodorum cōcepta sit: ἡ τῶν Ἀσσυρίων ἡγεμονία μετέπεσεν εἰς Μήδους ἔτη διαμείνασα πλείω τῶν χιλίων, καὶ τριακοσίων, ἔτι δ᾽ ἑξήκοντα: *Assyriorum Imperium ad Medos translatum est, cùm stetisset ampliùs annis mille trecentis, & insuper sexaginta*, ipse minorem numerum, vt à Librariis inculcatum expungit, & cùm paulò pòst scribat Diodorus: ἡ μὲν οὖν ἡγεμονία τῶν Ἀσσυρίων ἀπὸ Νίνου διαμείνασα μὲν τριάκοντα γενεὰς, ἔτη δὲ πλείω τῶν χιλίων, τετρακοσίων ὑπὸ Μήδων κατελύθη: *Assyriorum imperium, cùm à Nino annis amplius mille quadringentis durasset, à Medis euersum est*: ipse τριακοσίων, *tricentis* legēdum arbitratur. Verùm si quoties nostris rationibus commodum est, possumus quidlibet augurari, si antiquorū scriptorum voces alias aliis substituere possumus, alias penitus eradere, non video quid veterum testimonio probari non possit. Quid enim dictionem χιλίων, aut inducere, aut si delere non placet, eius loco δισχιλίων subiicere prohibebit?

32. Quid? quòd hæc parum stabiliunt Eusebij chronologiam, cùm neque Ctesias, neque Diodorus, annorum illorum Assyriaci dominatus, quos mille trecentos hariolamur ab iis putari, non à Belo, vt

Eusebius, sed à Nino caput accersunt? Quid? quod quantumuis omnes planè scriptores de annis à Belo ad Sardanapalum euolutis, conspirare inter se faciamus, nihil tamen, quod ad propositam quæstionem attineat, extricari poterit, nisi priùs probaueris ad ipsam linguarum confusionem referenda Beli primordia. Quod neque antiquorum vllus putauit, neque Iustino, Manethoni, Africano persuaderi facilè potuisset, quorum primus, Vexorē & Tanaïm Nino multis seculis antiquiorem: alter duodecim Ægyptiorum dynastias eodem Nino vetustiores: tertius Reges tredecim agnoscit, quos ait ante Belum in Babylonia floruisse. Denique, vt semel dicam, maior hic opinionum, quàm in ipsa Babel, linguarum videtur esse confusio, vt ex his, plus quàm Labyrinthæis flexibus, & recurrentium viarum ambagibus extricare te non possis, nisi si scripturæ diuinæ, tanquam Ariadnæi glomeris explicatione regas obseruata vestigia. Basil. Quónam igitur pacto tempus linguarum diuisionis scripturæ authoritate stabilitur?

IX. *Sibyllæ & prophanorum, de diuisione linguarum testimonia.*

33. Mer. Antequam de scriptura dico, pretium videor operæ facturus, si de Sibyllinis oraculis, & Historicis externis pauca libauero. Huius enim linguarū dissidij non Hebræi solùm, & Christiani, sed etiam gentiles pleríque meminerunt, atque imprimis Sibylla, cuius equidē versibus non abuterer, si è solis illis, qui nomine Sibyllinorum oraculorum feruntur, libris duntaxat promerentur, sciens quàm multi sua somnia nomine Sibyllarum iam olim obtruserint. Sed cùm Iosephi lib. 1. antiquitatis, & Theophili omnium penè Theologorum antiquissimi verba ipsissima referentis authoritate muniantur, ea silentio prætterire non possum.

---Πύργον ἔτευξαν
Χώρῃ ἐν Ἀσσυρίῃ ὁμόφωνοι δ' ἦσαν
   ἅπαντες,
Sibyll. dissidio linguarū — Καὶ βούλοντ' ἀναβῆναι ἐς οὐρανὸν ἀστερόεντα.
Αὐτίκα δ' ἀθάνατος μεγάλην ἐπέθηκεν
   ἀνάγκην
Πνεύμασιν, αὐτὰρ ἔπειτ' ἄνεμοι μέγαν
   ὑψόθι πύργον
Ἔρριψαν, καὶ θνητοῖς ἐπ' ἀλλήλοις ἔριν ὦρσαν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πύργος τ' ἔπεσεν, γλῶσσαι
   τ' ἀνθρώπων,
Εἰς πολλὰς θνητῶν ἐμερίσθησαν διαλέκτους
Assyriæ in campis exorsi condere turrim,
Cùm vox vna foret cunctis adscendere cæli
Stellātes volucre plagas: verùm ocyùs Euris
Vim Deus incussit, qui turrim funditùs altam
Deiiciunt, homines inter discordia gliscit.
At postquàm cecidit turris, sermóq; direptis
In diuersa fluēs abiit diuortia linguis, &c.

34. Nota sunt ex Iosepho, primo antiquitatum, & Eusebio 9. προπαρασκευῆς. Abydeni verba, quibus facta turris mentione subiecit: τοὺς δ' ὄντας ὁμογλώσσους ἐκ θεῶν πολύθροα φωνὴν ἐπενεχθῆναι: *Cùm ad hoc vsque tempus eundem sermonem habuissent, à Diis diuersam vocem esse illatam*: & Hestiæi, qui cùm homines in campum Sennaar venisse dixisset, continuò subtexuit. Σκιδνάντας δὲ τολοιπὸν ἐντεῦθεν ὑπὸ τῆς ὁμογλωσσίας τὰς συνοικίας ποιήσασθαι, καὶ γῆν ἕκαστοι καταλαμβάνον τὴν ἐντυχοῦσαν. *De cætero ex illo loco dissipati sunt, cùm secundùm similitudinem linguarum, familias & contubernia fecissent, & singuli terram occuparunt, quæ cuique obuenerat.* Anonymus quidam apud Eusebium, vel potiùs Alexander Polyhistor, ἐν ἀδεσπότοις, se reperisse dicit, Abrahamum è gigantibus originem accersere, qui, cùm Babylone habitarent, à Diis propter impietatem fuerunt interempti. Horum vnum fuisse Belum, qui cùm euasisset, turrim Babylone substruxit, in ea vitam exegit, eámque de suo nomine, Belum nuncupauit: μετὰ δὲ τρεῖς γενεὰς Ἀβραὰμ γενέσθαι: *post tres verò ætates natum Abrahamum.* E quibus effici videtur, centum annis ante ortum Abrahami confusionem Babylonicam cōtigisse: γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατόν ἔτεά ἐστι: *tres enim hominum ætates colligunt annos centum*, inquit Herodotus, lib. 2. Quāuis, quod ait, gigantas illos propter impietatem à Diis, ἀναιρεθῆναι, *esse sublatos*, veriùs & ad scripturam expressiùs dixisset fuisse dissipatos. Poteram huc & Eupolemi calculos adhibere: sed quoniā locus ille mendi suspectus est, ab iis mihi temperabo.

35. Eu. Hic ego te teneo, Merops. Vides hoc loco, quod modò negabas cuiquā veterum persuasum fuisse, Belum agnosci turris Babylonicæ conditorem, eúmque inter gigantas à Deo propter impietatem malè mulctatos recenseri, quem & Babylonij sui generis authorem, & eundem cum Saturno fuisse prodiderunt, vt confirmat ibidem Eupolemus. Mer. Fugit me ratio, Eulogi, cùm dixi neminem antiquorum ad confusionem Babylonicam retulisse Beli primordia: paucos dicere volebam:

Sed tu insulsus es & malè & molestè,
Per quem non licet esse negligentem.

Iam vt ad institutam de scriptura disputa-

Abydenus. Hestiæus. Polyhist.

ionem ve niamus, cùm externi ſcriptores de tempo re diuiſionis linguarũ, vel omninò ſiluerint, vel perobſcurè locuti fuerint, tres autem illæ temporis indagandi viæ à recentioribus excogitatæ certi nihil habeant, quod nos deducat ad notitiam chronologicæ veritatis; eam autem tum Hebræi, tum Chriſtiani veteres omnes, & plerique recentiores ex vna ſcriptura rimari fuerint, etiam atque etiam videndum ecquid ex ea ſubodorari poſſimus.

XI. *Eorum qui ex ſola ſcriptura tempus diuiſionis inueſtigant, opiniones duæ.*

36. **A**It Moſes Geneſis 10. v. 25. *Natique ſunt Heber fily duo : nomen vnius Phaleg, eo quòd in diebus eius diuiſa ſit terra : & nomen fratris eius Iectan.* Omnes ad vnum, etiam ipſi illi qui alias temporis inueſtigandi vias inierunt, fatentur hæc ad Chronologiam confuſionis Babylonicæ pertinere. Quia tamen Phalegus ad annum vitæ ducenteſimum & pene quadrageſimum vitam propagauit, neque ſcriptura definit quoto Phalegi anno linguarum confuſio contigerit, recentiorum non pauci qui omnia ſolent ad viuum reſecare, & quæſtiones omnes accuratiùs enucleant, eas, quas diximus, excogitarunt rimandæ Chronologiæ rationes. Qui autem illam ad ſcripturæ ſolius amuſſim exigendam putant, ruſſus diſtracti ſunt in aliquot ſententiarum diuortia.

37. Chriſtiani veteres, & recentiorum plerique diuiſionem hanc primo Phalegi anno conſignant. Certè doctiſſimus Salianus in hunc annum octodecim huius ſententiæ laudat authores, quibus & alios complures addere potuiſſet. Clariſſimè Hermannus Contractus in Chronico. *Phaleg*, inquit, *interpretatur diuiſio, cui propterea tale nomen impoſuere parentes, quod tempore natiuitatis ipſius terra per linguarum confuſionem diuiſa eſt.*

38. Hebræi cum Seder Olam (qui liber tantæ apud ipſos authoritatis eſt vt propè ad canonicos accedat, & ab ipſo Eſdra magna ex parte conſcriptus eſſe credatur, quamuis Genebrardus qui Latinis auribus eum communicauit, anno Chriſti præter propter nulleſimo editum putat) Hebræi, inquam, diuiſionem hanc ad annum Phalegi poſtremum referre maluerunt. A diluuio, inquiunt, ad diuiſionem vſque trecenti quadraginta anni, והוא חיה חג אצמ נימסא םינש רשע הגלפה. *Nimſa Noahh hhaiah ahar happilga aſchar ſchanim.* Noë poſt diuiſionem annis decem vixiſſe reperitur. שכה

Hebræorũ opinio de tempore diuiſionis linguarum.

איגו אברהם בפילגה בן ארבעים ושמונה *Abinou Abraham bephilga ben arbaim ouſchmoneh ſchana.* Abraham pater noſter diuiſionis tempeſtate attigerat octauum & quadrageſimum annum, & aliquanto poſt: מן הפלגה עד שנולד יצחקנב *min happilgah ad ſcheneled Iiſchac 52. ſchenaim vehhamiſſchim*, à diuiſione ad conceptionem Iſaac anni quinquaginta duo. Quam Chronologiam ita demonſtrant ex Genebrardi verſione. Heber, vt ſcriptum reliquit Rabbi Ioſe, magnus fuit Propheta, quoniam afflatu Spiritus ſancti filium ſuum Phaleg nominauit, nam ſcribitur quia diebus eius diuiſa eſt terra. Non quidem dierum vitæ eius initio: nam certè Iectan frater eius natu erat minor, qui tamen tredecim cognationes ſiue ſtirpes & familiarum capita, quæ in hanc venerunt diuiſionem, procreauit. Non in medio: nam id minimè occultaſſet Moſaica Geneſis hiſtoria, ſed indicaſſet. Quod ergo ait diebus eius diuiſam eſſe terram, ad finem dierum & vitæ ipſius pertinet. Atque hæc eſt Rabbinorum de tempore diuiſionis linguarum, ſententia.

39. Et ſanè Moſes, cùm in diebus Phalegi terram ait eſſe diuiſam, aut primos vitæ dies, aut medios, aut extremos intelligit: vt dicat vel eo quo Phaleg natus eſt anno, terram fuiſſe Noëmi filiis diſtributam, vel hanc diribitionem eo ipſo, quo Phaleg mortuus eſt, anno contigiſſe, vel ſaltem aliquo eorum annorum, qui inter illum primum & hunc vltimum intercedunt. Poſtremum hoc dici non poteſt. Cùm enim, vt ex vndecimo Geneſis conſtat, neque Heber pater Phalegi, neque Salauus, neque Arphaxad proauus, neque Sem abauus, imo ne ipſe quidem Noëmus omnium parens ante Phalegum humanæ neceſſitati conceſſerit, non minùs eorum quàm Phalegi diebus terrarum diſtributio facta diceretur. At hoc loco ſcriptura notat aliquid in Phalego, proprium & ſingulare, quod in reliquos Patriarchas quadrare non poſſit. Ratio huius opinionis.

40. Imò, inquiunt, in eius diebus facta terræ diuiſio, quia quo primùm anno natus eſt Phaleg, Heber reuelationem futuræ diuiſionis accepit. Quæres vnde nobis hanc Prophetiam inuexerint, nullum huius reperient in tota ſcriptura veſtigium. Sed eſto ſanè: hanc terræ diribitionem eo ipſo, quo Phaleg in lucem editus eſt, anno, patri reuelatam fuiſſe faciamus. Illud quæro. Vtrùm facta fuerit in diebus Phalegi, quia pater eo naſcente futuram præuiderat: an futuram eſſe præuiderit, quia futu-

ra erat in diebus filij nascentis terræ diuisio. Quare Heberum quantumlibet Prophetico Spiritu afflatum fuisse, & quo tempore filium suscepit, futuram terræ distributionem prædixisse faciamus, quod propter Hieronymi & Chrysostomi authoritatem negare facilè non debemus; sed tamen illa quæstio manebit, quid in hac diuisione Phalegi diebus propriè conueniat, quod in aliorum Patriarcharum ætatem cadere non possit.

Tradit. heb.

41. Illud igitur superest vt vel ineunte vel exeunte Phalegi vita contigisse dicatur illa linguarum gentiúmque diuisio. Sed cùm vnus & idem annus à diluuio trecentesimus quadragesimus, quo volunt Hebræi terræ partitionem obtigisse, non solùm Phalego, sed etiam Arphaxado fuerit extremus, quod omnes fatentur, paucis exceptis, qui in gratiam Cainani iunioris annos triginta tum Hebræorum tum Latinorum rationibus addiderunt: cùm, inquam, vnus & idem annus vtrique postremus illuxerit; nos autem in hac temporis circunstantia quæramus nescio quid Phalego proprium & singulare, quod alijs Patriarchis conuenire non possit, planè dicendum videtur in hac Chronologia non exeuntis, sed ineuntis vitæ Phaleg habendam esse rationem, adeóque considerandum,

XII. *Quid per Phalegi dies Spiritus Sanctus intelligat.*

42. EOs, opinor, annos intelligit quos Chronologi passim chronologicos, expansos & explicatos vocant, qui soli in texenda temporum descriptione numerantur, quorumque duntaxat rationem haberi voluit sacer historicus, vt nos ad chronologiæ cognitionem adduceret. BASIL. Res mihi videtur obscurior, Merops, in quo tamen non orationem tuam vt parum disertam, sed ingenij mei tarditatem accuso. Quare, si tibi commodum est, exemplo velim illustres vt eam possim ad liquidum intueri. MEROPS. Age verò, orationis meæ, vel, quandoquidem ita censes & pro ingenij tarditate dicere voluisti, rei ipsius obscuritatem exemplo suppleamus. Vixit Arphaxadus annos duodequadraginta supra tercentesimum: non omnes tamen in Patriarcharum chronologia putantur, sed ij duntaxat triginta quinque, quos ante natalem Salæi filij sui diem exegerat. Vixit Sale quadringentis triginta tribus annis: non omnes chronologici dicuntur & expansi: sed ex eo numero triginta duntaxat excerpimus ante susceptum ab eo filium euolutos, quorum in supputanda chronologia ratio inearur. Hi enim soli explicatim euolutimque recensentur, cùm cæteri quadringenti tres post genitum ab eo filium elapsi tum filij, tum cæterorum Patriarcharum temporibus implicentur, &, vt sic loquar, absorbeantur. Quos ergo scriptura Phalegi dies appellat? eos, opinor, annos triginta, qui ab eius ortu fluxerunt, antequam Reu filius ex eo nasceretur. Genes. 11. v. 19. *Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.* Hi sunt Phalegi dies: cæteri deinceps in Mosis chronologia non ipsi Phalego, sed Reu filio tribuuntur. Si enim annos nouem & ducentos, quos cum filio & nepotibus Phalegus exegit, computaret sacer chronologus, altero tanto chronologiæ numerus excresceret, & pro ducentis anni quadringenti facilè putarentur. Restat vt videamus,

Dies Phaleg.

XIII. *Quoto post diluuium anno facta fuerit linguarum terrarumque diuisio.*

43 NAtus est Phaleg anno post publicam generis humani cladem centesimo primo: hoc anno arbitror conditum à Noëmo testamentum, & illam terrarum assignationem, si nondum re ipsa, saltem animi destinatione informaram, siue (vt placet Iosepho & Originum) Deo iubente, vt propagandi multiplicandique generis gratia colonias ded[illegible] erent, siue (quod mihi magis arridet) Noëmo præuidente fore paulo post necessariam huiusmodi secessionem. Neque enim aliter fieri poterat quin paucis pòst annis exuberante multitudine, necesse iam Armenicis & Babylonicis finibus continente, colonorum examina, tamquam apes ex aluearibus emissæ, passim se in diuersas terræ plagas effunderent. Prouidit itaque sapiens pater, ne qua post suam mortem inter liberos in cernenda hereditate simultas oriretur. Suam partem singulis assignauit: ab iisque (vt ait Epiphanius in Anchorato) iuramentum exegit, ne quis eorum terras fratribus attributas inuaderet. τριχῆ, inquit τοῦ κόσμου τοῖς τρισὶν υἱοῖς διαμερισθέντος, ὅρκον ἀπῄτησεν παρ' αὐτῶν ὑπὸ τοῦ πατρὸς μηδένα ἐπεμβαίνειν τῷ τοῦ ἀδελφοῦ κλήρῳ. *Orbe terrarum tribus liberis trifariam distributo, iuramentum exegit pater, ne quis fratris sui sortem occuparet.* Quod verumne sit, equidem affirmare non possum, illud scio iam olim Noëmum instinctu diuino prædixisse fore vt Iaphet in fratris sui tabernaculis habitaret, si-

Diuisio terrarum à Noemo facta.

ue terras Semi posteris assignatas Iapheti progenies occuparet, vt Eulogius noster hesterna disputatione pluribus explanauit.

43. Quicquid sit, probabilissimum est totum terrarum orbem Noëmi testamento trifariàm esse diuisum: & quoniam, vt ait Sapiens Prouerb. 18. cap. 18. *contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat*, fratres inter se esse sortitos. Itaque, *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*, & quidem ita temperantur, vt Semo primogenito partes Orientis, Chamo partes ad polum Australem vergentes, quem, vt ait Poëta.

Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi,

& potissimùm Ægyptus omnium, prope terrarum infima, ad quam non solùm è Iudæa, sed etiam ex Æthiopia prono Nili defluxu descenditur, Iapheto natu minimo, tum alij tractus, tum potissimùm Mediterranei maris insulæ, & oræ quæ illus maris interni fluctibus alluuntur, pleræque omnes obuenerint.

Poëtarum fabulæ de diuisione & sortitione mundi.

44. *Non igitur*, inquit Lactantius libro de falsa religione, *à poëtis totum fictum est, aliquid fortasse traductum, & obliqua figuratione obscuratum, quo veritas inuoluta tegeretur, sicut illud de sortitione regnorum. Aiunt enim Iouis cœlum obtigisse, Neptuno mare, inferna Plutoni. Cur non terra potiùs in sortem tertiam venit, nisi quod in terra gesta res est? Ergo illud in vero est, quòd regnum orbis ita partiti sortitique sunt vt Orientis imperium I* **. i cederet; Plutoni, cui cognomen Agesilao fuit, pars Occidentis obtingeret* (mallem dixisset pars Australis: videtur enim Sem Iouis, Cham Plutonis, Iaphet Neptuni nominibus adumbrari) *eo quòd plaga Oriens, ex qua lux mortalibus datur, superior; Occidentis autem inferior esse videatur.* Aliam attulimus rationem cur partes ad Austrum deuexæ, qualis est Ægyptus & Libya, nomen inferorum habuerint. Et si dum apud Poëtas Titanes à Iapheto propagati ad Tartara,

Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo,

Tartari & inferorum nomine Occidens videtur intelligi. Sed pergit Lactantius. *Sic veritatem mendacio velauerunt, vt veritas ipsa persuasioni publicæ nihil derogaret. De Neptuni sorte manifestum est, cuius regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonij fuit*, (videtur μνημονικὸν ἁμάρτημα, non enim M. Antonio, sed Cn. Pompeio id imperium à Senatu Populóque Romano delatum est) *infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ potestatem Senatus decreuerat, vt prædones persequeretur, ac mare omne pacaret. Sic Neptuno maritima omnia cum Insulis obuenerunt.* Quod ille Euemeri & Ennij authoritate confirmat.

45. BASIL. Hui! μνημονικὸν ἁμάρτημα: Vide, quæso, Merops, ne tibi potiùs ipsi, quàm Lactantio memoria cespitarit. MER. Quo pacto, Basili noster? BAS. Maris quidem imperium Cn. Pompeio lege Gabinia delatum esse constat, *sed tamen idem* (verba sunt Paterculi lib. 2. cap. 31.) *hoc ante biennium in M. Antonij prætura decretum erat, sed interdum persona, vt exemplo nocet, ita inuidiam auget, aut leuat, in Antonio homines æquo animo passi erant*, &c. Is fuit Oratoris filius patruus Triuiri. Sed tibi grauioribus cogitationibus intento memoriæ lapsus ignosci facilè possit. Criticis autem quibusdam haud scio an perinde debeat, qui cùm in hunc vnum scriptorem incumberent, locum hunc suis notarunt obeliscis, & pro M. Antonio. Cn. Pompeium reponendum putarunt. Verùm hæc leuiora fortasse: in viam redeamus.

46. MER. Negari sanè nō potest quin veteres poëtæ multis etiā sæculis ante LXX. seniorum interpretationem, sacras historias ad se nescio quo pacto maiorum traditione transmissas quibusdam fabularum integumentis inuolutas litteris consignarint, & vel ex ignoratione veri, vel ex animi inductione, voluptatis aucupandæ caussâ mendaciolis quibusdam frequenter adsperserint, vt mihi planè persuasum sit, ea quæ de Ioue, Neptuno, Plutone tradunt, ad Sem, Cham, & Iaphet, eorúmque sortitionem pertinere. Sed enim verendum est, Eulogi, ne iampridem extra cancellos abs te mihi circumdatos, mea diuagetur oratio. Rursus igitur ad institutum.

Vnde hæ fabulæ manarint.

47. Cùm scriptura dicat ideo nomen à parentibus inditum Phalego, quia in diebus eius terra diuisa est, nec vllo modo significet Heberum spiritu Prophetico afflatum, diuisionisque paulò pòst futuræ præscium id filio nomen indidisse, caussæ nihil est cur à futuro potiùs, quàm à præsenti terrarum distributionis euentu Phalegum dicamus appellationem esse sortitum, aut sine necessitate nouas reuelationes & miracula fabricemur. Nihil tamen humanæ prouidentiæ detractum volumus Hebero, cùm è Noëmi testamento ac diuisionis illius informatione facilè præuidere potuerit futurum vt homines qui hacterius eodem in loco, atque, vt ita dicam, contubernio consederant, paucis post annis te ipsa paternam hereditatem adituri per diuersa terrarum spargerentur. Quod

Hieronymus in Traditionibus Hebraicis Heberi *vaticinium* Chryſoſtomus Homilia 30. in Geneſin τοῦ μέλλοντος μετ' οὐ πολὺ σημείου τὴν πρόγνωσιν, *futuri paulo pòſt prodigij prænotionem* appellat. Sed quicquid illi de Heberi ſiue naturali prouidentia, ſiue diuina reuelatione ſenſerint, cum certè Prophetam fuiſſe non ex ipſa ſcriptura, ſed ex Hebræorum traditione didicerunt: neque nos, qui hac conditione ſcripturam tractandam ſuſcepimus, vt ad eius explicationem nullas ſine neceſſitate Prophetias, nulla noua miracula procuderemus, citra cauſſam, in ortu Phalegi diuinam reuelationem inuitis, certè non exigentibus ſcripturæ verbis debemus obtrudere: cùm etiamſi primo, quo natus eſt, die, Phalego nomen inditum eſſe faciamus, potuerit ab ea quæ vel proximè facta fuerat, vel tum in manibus erat, terrarum diuiſione nomen eſſe ſortitus.

Heber an propheta.

48. Neque propterea quòd in ortum Phalegi terræ diuiſionem coniecimus, ideo putandum eſt hanc eodem temporis veſtigio, vel etiam eodem anno & informatam & abſolutam fuiſſe. Certè Ioſephus lib 1. cap. 4 vt eleganter notat Salianus, duplicem terræ diuiſionem agnoſcit, alteram iuris, alteram facti: illam vocat ἀποδασμὸν τῆς οἰκήσεως, *habitationis diſtributionem*, hanc στάσιν καὶ σύγχυσιν περὶ τὴν διάλεκτον, diſſidium confuſionémque linguarum. *Vna*, inquit Salianus in annum Phalegi primum, *diſtributionē habet, ſiue partitionem, altera occupationem & poſſeſſionem. Prior nullam habuit confuſionem coniunctam: poſterior autē maximè illa quieta fuit, iſta turbulenta.* Illam credit ſub ortum Phalegi, cui planè aſſentior: iſtam ſub media eiuſdem tempora (anno videlicet eius centeſimo quadrageſimo quarto, vt in eum annum dicturus eſt) contigiſſe, vt meritò ille à gemina diuiſione nomen acceperit. Sed iam oſtendimus cauſſæ nihil ei fuiſſe, cur linguarum confuſionem ad ea tempora ſubmouendam putaret.

Diuiſio terræ.

Confuſio linguarum.

49. EVLOG. Quonam igitur anno inducta linguarum confuſione, ſuum effectum ſortita eſt ea quæ ſub ortum Phaleg Noemi teſtamento delineata fuerat terræ diuiſio? MEROPS. Anno, ni fallor, Phalegi trigeſimo, qui poſt publicam terrarum eluuionem centeſimus trigeſimus primus illuxit, res ita tranſacta eſt, vt eo naſcente Noemus teſtamentum condiderit, vniuerſúmque terrarum orbem in partes tres deſcriptum filiis ſuis diuiſerit, reliquis deinceps annis ad triceſimum interlabentibus, homines, antequam diſpergerentur, æternum nominis ſui monumentum relinquere decreuerint, lateres compararint, turrim ædificare cœperint, & iam ad inſanam altitudinem euexerint, donec tandem anno Phalegi trigeſimo, linguis diuinâ prouidentiâ confuſis, gliſcente inter fabros diſcordia, diſſipatis operis, creuerunt hereditatem, & à ſe mutuò diſtracti, partim alienas ſortes inuaſerunt, quod de Chananæis ſcribit Epiphanius, partim in aſſignatos agros nolentes volentes abierunt.

in Anchorato.

50. Certè quod ad tempus attinet, Beroſus Annianus planè noſter eſt, aliíque non pauci, qui ſupputandis antiquorum temporibus, eius vnius veſtigiis inſtiterunt. BASILIVS Quid igitur, Merops? tantín' tibi fuit Beroſus ille Viterbienſis quem initio diſputationis tuæ nuperum ac nouitium ab Annio confictum tute dicebas, vt rem tantam, tam obſcuram, tantis doctorum virorum altercationibus vltro citróque ventilatam, eius vnius & ſequacium authoritate decideres? MER. Equidem, Baſili, ſi quid authoritatis Beroſo tribuendum putem, authores habebo viros eruditos non ſectarios tantùm, vt Godefridum qui eum elegantiùs edidit, eiúſque patrocinium in operis præfatione ſuſcepit, & Ioannem Funccium, ſed etiam Catholicos vt Ioannem Lucidum, & Blaſium Vigenerium, alióſque quamplurimos qui ſuas primorum temporum deſcriptiones ex vno propemodum Beroſo concinnant. Sed quia longè plures ac doctiores huiuſmodi fictitiorum authorum quiſquilias euerrunt, vt ſaltem dubia ſit eius fides; nobis autem iam inde à diſputationis initio non placuit ex dubiis & controuerſis ad rimandam Chronologiæ veritatem procedere, Beroſi Viterbienſis authoritate non abutar. Tanta ſit, quantam quiſque exiſtimat. Habeo grauiora ſcripturæ momenta quæ iudicij mei lancem in eam partem inclinent.

51. Ait Moſes *Nomen viri Phaleg, eo quod in diebus eius diuiſa ſit terra.* Cauſſæ nihil apparet cur vel ad verborum expoſitionem nouas prophetias obtrudam, vel in imponendis nominibus nouitatem inducam, vel à proprio genuinóque verborum ſenſu diſcedam. Video Phalego nomen inditum: Octauo vel nono ſecundum antiquorum conſuetudinem, vel fortaſſe primo partus editi die, à parentibus datum interpretor. Hanc adfert nominis impoſiti rationem: *eo quod in diebus eius diuiſa ſit terra.* An autē Heber diuiſionem iſtam Spiritu Prophetico præuiderit, neq. ſcripturâ tacente ſcire poſsũ, & in re dubia malo mihi perſuadere,

Quo ſenſu propriè terra ſit diuiſa in diebus Phaleg.

potiùs ex eo quod fiebat, quàm ex eo quod aliquanto pòst futurum esse diuinabatur, Phalegi nomen esse deductum. Ait enim Phalegum ideo nomen obtinere, quòd in diebus eius diuisa sit terra, non quòd pater eo nascente diuidendam esse præsciuerit. Ait in diebus Phalegi terram esse diuisam. Scripturæ mordicùs hæreo: nolo plus scire, quàm me Spiritus-Sanctus scire voluit; verba interpretor vt sonant, nec argutis interpretationum offucijs tã apertæ veritati tenebras offundo. Phalegi dies eos annos intelligo quorum Moses in texenda chronologia putat habendam esse rationem. Annos videlicet illos triginta qui seorsum ab aliis Patriarchis Phalego tribuuntur. Neque sinceriùs & castiùs interpretari possum terram in Phalegi diebus esse diuisam, quàm si diuisionem hanc initio dierum inchoatam & designatam, progressu prouectam, fine perfectam absolutamq; interpreter, vt initium dierum diuisionis initio progressus progressui, finis fini respondeat.

XIII. *Respondetur aduersariorum argumento.*

52. BASIL. Quid igitur Hebræis, immo recentioribus Christianis plerisque faciemus, qui non ante prouectam Phalegi senectutem probant hanc linguarum confusionem obtigisse, eo potissimùm argumento, quòd iam tum Iectan ipsius frater, & quidem natu minor, liberorum duodecim pater erat, quorum singuli iam in illa dispersione gentium à se propagatarum principes extiterunt. MEROPS. Facilis esset & expedita ratio, si liberet à maiorum authoritate discedere. Dicerem enim quo tempore diuinitus illata est linguarum confusio, nondum aliquot eorum natos fuisse qui capite decimo memorantur, sed ideo numerari, quia secutis temporibus gentium ἐπώνυμοι fuerunt & conditores. Statuerat enim Moses non vnius Israëlitiçæ, sed etiam præcipuarum gentium origines explicare. Hic igitur occasione benedictionis & prophetiæ Noëmi, quæ in omnes liberorum posteros redundabat, multarum gentium de quibus videbat nullum posteà fore dicendi locum, seriem contexuit: cæteras prætermisit non paucas ab Abrahamo, Nachore, Loto suo tempore condendas; non quia nati nondum fuerant, quo tempore facta est linguarum confusio, sed quia scriptura de Abrahami rebus acturа gentium illarum originem in aliud tempus commodiùs differebat.

Omnésne iam nati erant in cõfusione linguarum, qui Gen. 10. nominantur?

53 Quid enim à nobis extorquet vt ante Babylonicam confusionem aut liberos à Iectano susceptos, aut etiam eum natum fuisse fateamur? quod huius rei vel minimum in vniuersa scriptura vestigium? An quia priùs eorum facit quàm confusionis Babylonicæ mentionem? Sanè verò. Dicamus igitur Noëmum priùs vitâ defunctum quàm gentes orto linguarum dissidio spargerentur, quia linguarum confusio c. 11. extremus Noëmi dies cap. 9. describitur. Dicamus priùs mortuum quam Arphaxadus nepos nasceretur, quia cùm dixisset Moses cap. 9. exeunte. *Impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est*: ortus Arphaxadi cap. sequenti subnectitur. Sed, credo, ex ipsis scripturæ verbis Iectanum ante turris Babylonicæ substructionem liberis operam dedisse liquidiùs colligetur. Quibus? Moses enumeratis proximè liberis, *Isti filij Sem*, inquit, *secundum cognationes, & linguas, & regiones in gentibus suis*. Audio quidem eos qui recensiti fuerant, singularum gentium fuisse conditores, sed quonam eas tempore condiderint, non audio. Subdit v. 32. *Hæ familiæ Noë iuxta populos, & nationes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium*. Hoc etiam audio. Sed quæ necessitas incumbit asserendi nullam omnino ex his gentibus fuisse quæ non in ipsa confusione Babylonica conderetur?

54. An si aliquarum originem annis, verbi caussa centum post dissidium illud Babylonicum differamus, idcirco minùs verum erit eas, post diluuium esse exortas? aut ad Noëmi familias pertinere? An quia Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Amalecitæ, aliæ gentes innumerabiles multis annis post linguarum confusionem conditæ fuerunt, idcirco post diluuium conditæ non fuerunt? E quibus manifestè colligitur ea quæ de linguis duabus & septuaginta vulgo dicuntur, quas cæterarum matres primoque diuersas appellant, ea non è scripturarum fontibus, sed ex Hebraicarum traditionum lacunis esse deriuata. Ad quarum defensionem necesse non est, si aliter cum scriptura conciliari non possint, à natiuo genuinóque scripturæ sensu discedere.

55. Atque hæc quidem impunè dicere poteramus. Quia tamen aliud Sanctissimorum Patrum authoritas persuadet (quam nihilominùs illi relinquunt, qui linguarum confusionem non anno Phalegi primo, vt plerique veteres, sed vel anno eiusdem 53. vt Petauius, vel 144. vt Torniellus & Salianus

Salianus, vel etiam poſtremo conſignant, vt Genebrardus & Hebræi) dicamus cum Auguſtino lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 11. exeunte, *priorem quidem Phaleg nominatum, ſed longè poſt fratrem ſuum Iectan fuiſſe natum, cùm Iectan duodecim filij tam grandes iam familias haberent, vt in linguas proprias diuidi poſſent.* Quod ſanè facilè dicere potuit Auguſtinus, qui quamuis lib. 15. cap. 13. Hebræos calculos Græcis præferendos eſſe decreuerat, in hac tamen quæſtione Græcorum rationes adhibet, vt è cap. 10. liquet: *fiunt itaque*, inquit, *anni à diluuio vſque ad Abrabam mille ſeptuaginta & duo, ſecundum vulgatam editionem, hoc eſt interpretum ſeptuaginta. In Hebræis autem codicibus longè pauciores annos perhibent inueniri, de quibus rationem aut nullam aut difficillimam reddunt.* Quare cùm Græcorum calculis anno patris trigeſimo quinto ſupra centeſimum natus fuerit Phalegus, centum ipſis annis Iectanus fratre ſuo Phalego facilè potuit eſſe prouectior. Quo poſito nulla ſupereſt difficultas.

De 12. liberis Iectani.

56. EVLOG. Atenim maior eſſe debet communis editionis Latinæ Hebræo præſertim textui conſentientis authoritas. MEROPS. Quis enim negat? ſed noſtræ reſponſioni non officiunt textus principis & editionis Latinæ rationes. *Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg.* Sed quid prohibet ab eodem Hebero decimo ſeptimo ætatis anno Iectan eſſe ſuſceptum, vt Iectan fratrem ſuum ipſis ſeptemdecim annis præceſſerit. Id ſi ſtatuatur, cùm anno Phalegi trigeſimo confuſæ ſunt linguæ, operæ diſſipatæ, conſtitutæ gentes, Iectan ad ſeptimum & quadrageſimum ætatis annum peruenerat: quo tempore liberos habere potuit facilè tredecim è pluribus præſertim, vt tum licebat, vxoribus, ſuſceptos, non ſolùm adultos, ſed etiam iam patres-familias, & aliquot liberorum parentes, quorum ſingulæ familiæ proprias linguas habere potuerunt. Nihil igitur cauſſæ ſupereſt cur in ſcrutanda confuſionis Babylonicæ Chronologia ſcripturam detorqueamus à proprio verborum ſenſu, vel ad obitum Phalegi diſperſionem gentium differamus. BASIL. Non igitur, vt Hebræi volunt, annis duntaxat decem linguarum confuſioni ſuperſtes fuit Noëmus Patriarcha, ſed annis omnino ducentis, ac viginti, quibus videre potuit diuerſarum gentium à ſe propagatarum imperia non ſine grauibus bellis & generis humani cladibus inſtituta. Nam ſi annis trecentis & quinquaginta quos ille poſt diluuium exegit, centum & triginta detraxeris, ducenti ac viginti remanebunt. MEROPS. Planè ſic exiſtimo. BASIL. Quibus igitur in locis cum poſt gentium diſperſionem verſatum eſſe ſuſpicaris? MEROPS. Equidem, Baſili, non auſim extra limites, quos nouus iſte Popilius mihi virgula circumſcripſit, excedere.

Genesis 11. v. 16.

Ἀλλ' ἄγεθ' ὡς ἂν ἐγὼν εἴπω πειθώμεθα πάντες.

Memento te eſſe Baſilium: ego quoniam iſte mihi cancellos, circumdedit, me cancellarium eſſe meminero, & edicta baſilica vel nominis ſubſcriptione, vel ſigilli appoſitione communiam. BASILIVS.

Γιγνώσκω, φρονέω, τὰ δὲ μοι νοέοντι ἔειπας.

Tuæ ſunt partes, ampliſſime Cancellarie, dic ei mulctam nomine meo, tuo tamen arbitratu. MEROPS. Hanc tibi mulctam imponimus, Eulogi, vti nobis ediſſeras;

XV. *Vbi poſt Babylonicam confuſionem, habitarit Noëmus Patriarcha.*

58. BASIL. Et nos dictam à noſtro Cancellario mulctam pro noſtra poteſtate ratam habemus. EVLOG. Edicta ſanè baſilicà *quibus parere neceſſe eſt*, vel potiùs aperta coniuratio. Quapropter vt vobis ex eodem Poëta reſpondeam. Κέκλυτέ μευ.

Ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει.

Non eſt tamen quòd à me expectetis oracula, rem leuibus coniecturis duntaxat, & ſuſpicionibus indagabo. Auctor eſt Alexander Polyhiſtor apud Euſebium libro 9. προπαρασκ. ex Melone vetuſtiſſimo ſcriptore μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας ἀπελθεῖν τὸν περιλειφθέντα ἄνθρωπον, μετὰ τῶν υἱῶν ἐκ τῶν ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, διανύσαντα δὲ τὴν μεταξὺ χώραν ἐλθεῖν εἰς τὴν ὀρεινὴν τῆς Συρίας οὖσαν ἔρημον. *Poſt terrarum eluuionem, hominem qui relictus fuerat ex Armenia cum liberis abiiſſe, expulſum ab iis qui regionem illam incolebant, & cùm interiectas terras emenſus eſſet, veniſſe in montana Syriæ vacua cultoribus.* Quæ non ad viuum omnia reſecamus, ſed ita comiter interpretamur, quaſi Patriarcham nepotes ſui, poſtquàm is facta linguarum diuiſione circa Meſopotamiam & Armeniam aliquamdiu ſubſtitiſſet, tanquam importunum monitorem & cenſorem amoliti fuerint, & cum Semo filio ſubmouerint, quo liberiùs ac licentiùs obſequerentur animo ſuo, & velut admiſſarij cuſtodibus amotis, fractiſque pudicitiæ repagulis ad ſuas voluptates adhinnirent, vnde ſenſim per

Noë in Syria poſt linguarum diſſidium habitauit.

ſcelerum abrupta deuoluti tandem ad idololatriam prolapſi ſunt; Noëmus autem à ſuis eiectus in Sytiæ montanis, & in ipſa Iudæa conſederit.

59. Certè conſtans eſt Hebræorum opinio, quam Abulenſis, Lyranus, Genebrardus, Torniellus, & alij multi ſequuntur, & Soares tom. 4. in 3. part. Diſput. 46. §. 4. vt valdè probabilem admittit, Semum eum ipſum eſſe qui Gen. 14. Melchiſedech. i. Rex iuſtitiæ nominatur, qui & tanquam primogenitus Sacerdos fuit Altiſſimi, & in Sytiæ montanis habitauit: fuit enim Rex Salem, quam plerique omnes Ieruſalem fuiſſe exiſtimant. Neque verò temerè credi poteſt Noëmum & Semum à ſuis expulſos eò rerum ſuarum domicilium transtuliſſe, vbi Adamum creatum ac ſepultum, vbi Paradiſum à Deo plantatum eſſe meminiſſent, vt, quoniam vterque typus erat & figura Chriſti, arca crucis hominum reparatricis, ac Melchiſedechi oblatio vmbra quædam incruenti miſſæ ſacrificij, ibi potiſſimùm habitarent, vbi Chriſtus olim peracturus erat illa myſteria.

Sem Melchiſedech.

XVI. *Vtrum Noë ſit is qui Ianus à profanis nominatur.*

60. AN autem ibi Patriarcha reliquam ætatem exegerit, facilè non poteſt explicari. Beroſus Viterbienſis, quiſquis ille fuit, & alij eius authoritatem ſecuti Noëmum in Italiam migraſſe, & eundem eſſe cum Iano litteris prodiderunt. Quod ne abſurdum putem, non tam aut recentiorum aut veterum incertæ fidei ſcriptorum authoritas, quàm probabilis ſuſpicio perſuadet, vt nonnulla videantur obſcura quidem & iam euanida, ſed non omnino dubia tantæ vetuſtatis ſupereſſe veſtigia. Iani nomen, effigies, mores & inſtituta, & eiuſmodi non pauca.

Noë vide tur in Italiam migraſſe.

61. Noë vineam plantauit: Ianus à יין *iaiin vino* nomen ſortitus eſt. Italiam vetuſtiſſimi vocabant Oenotriam, ἀπὸ τοῦ οἴνου, à vino nomen acceperat. Pherecydes Atticarum Genealogiarum ſcriptor, & Antiochus Syracuſanus ambo ſcriptores antiquiſſimi, apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 1. Antiq. Romanæ, Oenotrium primũ Italiæ Regem fuiſſe litteris prodiderunt. Quamuis Græci vt Italos à ſe ortos iactatent, eum non ſolùm primo cataclyſmo poſteriorem, ſed etiam quintum à Phoroneo, quem Acuſilaus apud Clementem 1. ſtromatum, & Plato initio Timæi primum hominem authorPhoronidis πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων, patrem mortalium hominum appellant, ſeptemdecim duntaxat γενεαῖς, id eſt annis non omnino ſexcentis, ante bellum Troianum floruiſſe voluerunt.

Ianus. Oenotrus.

62. Cùm tamen Ianus & Oenotrus à vino nomen acceperit, primúſque Rex Italiæ fuiſſe dicatur, poſſumus citra temeritatem, non duos, ſed vnũ duntaxat ſuſpicari. Etenim, ſi quam fidem ijs tribuendam putamus, quæ Catonis nomine circumferuntur, Originum fragmentis, *multi Ianum Oenotrum dictum exiſtimant, quia inuenit vinum & far.* Ait quidem Beroſus lib. 5. Cùm Noa ſiue Ianus Pater in Italiam appulſus eſt, Chamum in ea reperiſſe eumque tribus annis æquo animo tuliſſe, ſed cùm is iuuentutem corrumperet, eum ex Italia depuliſſe: & ex iiſdem Originum fragmentis conſtat Italiam à Cameſe qui cùm Iano patre regnauerat, dictam fuiſſe Cameſenam. Ex quo probabiliter colligi poſſit Ianum Patrem à Noëmo non eſſe diuerſum. Sed quoniam tam Beroſi quam Catonis Anniani vacillat fides, Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 7. loquentem audiamus. *Regionem iſtam, inquit, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. Qui (vt Hyginus Protarchum Trallianum ſecutus tradit) cum Cameſe æquè indigena terram hanc ita participata potentia poſſidebat, vt regio Cameſene, oppidum Ianiculum vocaretur, poſt ad Ianum ſolum regnum reductum eſt,* &c. Præclarè omnia, niſi quòd indigenas vocant, cùm Ianum Plutarchus & alij paſſim aduenam fuiſſe teſtentur. E quibus Iani, Oenotri, Cameſi nominibus ad veri notitiam aliquo modo deducimur.

Cameſes.

XVII. *De effigie Iani.*

63. QVod ad ſpeciem & effigiem attinet, eum bifrontem vel etiam quadrifrontem fuiſſe veteres fabulantur, & ſiue primus æs ſignauerit, vt Draco Corcyræus antiquiſſimus ſcriptor, Macrobius & alij volunt, ſiue poſtea eius memoriæ conſultum voluerint, vt magis placet Ouidio 1. faſtorum ita ſcribenti.

--Naualis in ære,
Altera ſignata eſt, altera forma biceps.

Quod Macrobius ita confirmat loco proximè laudato. *Æs ita fuiſſ. ſignatum hodiéque intelligitur in aleæ luſu, cùm pueri denarios in ſublime iactantes capita aut nauim vſu teſte vetuſtatis exclamant*, quòd Franci veteres feruntur dixiſſe: *chef ou nef.*

64. Huius rei caussam Ethnici scriptores inquirunt: plerique duas illas facies ad Iani prudentiam, qui & præterita nosset, & futura præuideret, putant esse referendas: nauim at honorem Saturni qui *Arma Iouis fugiens & regnis exul ademptis* ad Italiam nauigarat. Nauis in nummis.

At bona posteritas puppim signauit in ære
Hospitis aduentum testificata Dei.

Quod meritò Plutarchus non probat, quia Ianus, Euander, Æneas, aliique non pauci perinde atque Saturnus nauigio ad Italiam accesserant. Cui tamen responderi posset nauigium non vnius Saturni fuisse, sed Iani cæterorúmque memoriæ consecratum. Ipse mauult hac nauis figura mercaturam Reipublicæ comptimis necessariam adumbrari. Satis coacte. Sed quid mirum nō potuisse homines veritatis ignaros veram huius rei caussam attingere? Volebat Ianus Pater immissi cataclysini memoriam ad posteros propagari, & altiores in eorum animis agere radices, vt iustitiæ diuinæ recordatione mortales in officio contineret. Æs signauit: altera parte ratem siue nauigium expressit, æternum arcæ Noëmiticæ monumentum.

Et sanè Draco Corcyræus apud Athenæum lib. 15. Deipnosoph. author est Ianum Patrem πρῶτον καὶ στέφανον εὑρεῖν, καὶ σχεδίας, καὶ πλοῖον, καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. *Primum & coronam inuenisse, & rates, & nauigium, primum etiam æs signasse.* Ex altera parte formam bicipitem exsculpsit, vt se ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, *simul ante retróque.*

Finem æui veteris principiúmque noui.

& quæ communem illum terræ Cataclysmum præcesserant, & quæ secuta fuerant, vidisse ostenderet.

65. Et verò bifrontem hanc effigiem Noëmo quadrare hinc etiam possumus aliquo modo suspicari, quòd apud Syrophœnicas, in quorum montanis aliquamdiu versarum esse Patriarcham iam ostendimus, tradit apud Eusebium libro 1 de Præparat. Euangelicâ Sanchoniaton Berytius etiam temporibus Troianis antiquior, datum à Phœnicibus fuisse Saturno insigne regiæ potestatis, ὄμματα τέσσαρα ἐκ τῶν ἐμπροσθίων καὶ τῶν ὀπισθίων μερῶν. *Oculos quatuor ex antica, & totidem, è postica parte.* Solebant, vt author est Draco Corcyræus, pro nauigio frequenter in altera nummi parte coronam exsculpere. Quid aliud intelligi voluerunt, quàm quatuor anni tempestates, illámque promissionem, qua post diluuium *odoratus Dominus odorem suauitatis,* qui floribus coronariis adumbratur, & Noëmi sacrificio placatus, *benedixerat coronæ anni benignitatis suæ,* & campos vbertate repleuerat? Quid, inquam, veteres aliud significari voluerunt, quàm Dei promissionem in hæc verba conceptam? *Omnibus diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies, non requiescent.* Genesis 8. v. 12. Quidni verò coronâ, vtique circulari, putemus tempestatum sibi perpetuò succedentium vicissitudinem commodè denotari? Vt etiam, quod Grammatici obseruant, annulus ab anno nomen acceperit. Vt enim in annulo corona, in circulo neque principium neque finis inuenitur, sed potiùs quocunque te conuerteris, ibi finis est, ibi principium, ita

Ianus Biceps. — Gen. 8. v. 21. — Psal. 64. v. 12. — Iani Corona.

Perpetuò redit actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia voluitur annus:

ac serpentis instar in gyrum conuoluti, caudam.

Ore vorat tacito relegens vestigia lapsu;

Vt quocunque adspexeris, neque principium inuenire possis, neque finem euoluere, cùm tamen prout animo designaueris, vbique incipiat, vbique finiatur.

66. Iani simulacrum ita plerúmque fingebant Numæ instituto vt manu dextera ccc. sinistra sexaginta quinque quadam digitorum gesticulatione numerum exhiberet, ad demonstrandam anni solaris dimensionem, vt Suidas in Ianuario, Plinius lib. 34. naturalis historiæ c. 7. Macrobius 1. Saturnal. & alij prodiderunt. Hoc videlicet numero notabantur ij dies quos in area Noëmus exegerat. Qui enim anno sexcentesimo vitæ suæ, mense secundo, septimo decimo die mensis, & quidem in articulo diei illius, id est ipso diei exortu arcam ingressus est, mensibus duodecim euolutis, quos Hebræorum more menses lunares interpretor, dierum trecentorum quinquaginta quatuor, sexcentesimo primo anno, mense secundo, vigesimo octauo die mensis egressus est; cùm pridie, id est vigesimo septimo die mensis arefacta fuisset terra. Iam duodecim mensibus ad lunæ cursum descriptis dies, vt modò dicebamus, trecenti quinquaginta quatuor colliguntur: his adde dies decem, qui à decimo septimo ad septimum & vigesimum, quo siccata est terra, numerantur, fient 364 Egressum autem postridie, quamuis disertè conceptisque verbis non legitur, facilè tamen ex ipsa narrationis serie potest intelligi. E quibus videtis, Merops & Eulogi, & cur antiqui Ianum anno præesse voluerint, & cur in eius di-

Ianus anno præerat. — Gen. 8. v. 13. 14. 18.

gitis 365. dierum numerum expresserint.

Varro laudatus à Macrobio *libro quinto rerum humanarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.* totidem menses Noëmus in arca versatus est.

Iani virga. 67. Pingebatur alibi Ianus, Ouidio teste,

Ille tenens baculum dextra, clauemque sinistrâ.

Clauem, quia Noëmus priorem hominum ætatem clauserat ante diluuium, post diluuium patefecerat insequentem, vnde & Ianum Patrem in sacris Clusium & Patulcium vocabant. Baculo quid aliud significari putemus quàm vlnam illam mensuramque fabrilem, qua omnes arcæ dimensiones ad præscriptos diuino iussu cubitos exegit? Certè si Phœnicum Theologiam intelligo, ij virgas siue bacillos Noëmo, Vsoi nomine, consecrarunt: quamuis illi veritati multarum fabularum tenebras offuderint. Auctor est enim Sanchoniaton apud Eusebium lib. 1. præpar. Euangel. ῥαγδαίων γενομένων ὄμβρων καὶ πνευμάτων. *Pluuijs ac ventis vehementibus exortis, &c.* en diluuium. δένδρου λαβόμενον τὸν Οὔσωον καὶ ἀποκλαδεύσαντα πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι. *Ligno accepto, ramisque decisis* (en arcæ fabricam) *primum ausum fuisse in mare adscendere.* Quid aliud quàm aquas diluuio maris instar vbique stagnantes, Noëmumque primum mortalium omnium in iis nauigantem interpretari possimus? τούτων δὲ τελευτησάντων τοὺς ἀπολειφθέντας ῥάβδους αὐτοῖς ἀφιερῶσαι. *Cum hi naturæ concessissent, qui superstites fuerunt, virgas ijs consecrasse.* Quis non videt intermicantes in his fabularum nubibus quosdam radios veritatis?

Ianus primus Deorum, inuocatus. 68. Cùm cæteris Diis litarent, solemne fuit Antiquis Ianum Patrem primum omnium inuocare, vt sibi ad cæteros Deos aditum aperirent Quid si hoc ex antiqua Hebræorum consuetudine manarat, qui, ni fallor, solemni ritu, quanquam de ritu nihil affirmo. Noëmum sibi deprecatorem adhibebant? Vnde & Ezechielis 14. v. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, &c.* Antequam cæteros Deos thure ac vino inferio mactos esse iuberent, in omnibus sacrificiis Iano thus adolebant, merumque libabant, vt aduertit Ouidius. Adeoque Matutinum Patrē eum vocabant, quòd & sub auroram ante ceteros Deos inuocaretur, & votorum omnium primitias decerperet. Quæ quis non videt ad Noëmum commodissimè referri? Saliorum antiquissimis carminibus Deorum Deus canebatur auctore Macrobio, & cum in sacris Ianum Patrem quasi Deorum primum indigitabant, Chaos etiam putabant. Sed ipse de se loquens audiatur 1. Fastorum.

Me Chaos Antiqui (nam sum, res prisca) vocabant.

Inde nimirum Hesiodus suam Theogoniam exorsus est, & Cœlum à Chao procreatum esse fabulatur, ex quo Saturnus aliique Dij fuerint longa serie propagati. Noëmus eorum omnium pater, quos cæca gentilitas Deorum nomine consecrauit. Ianum rerum omnium initiis præesse voluerunt: Noëmus mundi post publicam cladem renascentis initio præfectus est Ianus rerum initijs præerat. Ianum in sacris *Consiuium* dicebant, *à conserendo, siue propagine generis humani, quæ Iano auctore conseritur*, inquit idem Macrobius. Quis humanæ propagationis post diluuium auctor? Citra controuersiam Noëmus.

69. Quanquam hoc miseri Gentiles, vt notat Augustinus libro. 7. de ciuitate Dei cap. 3. alio sensu capiebant, vt dictus sit Consiuius, quòd in puerperio siue conceptu aditum & quasi ianuam semini reseraret, & velut ostiarius semen in matricem admitteret. Sed operæ-pretium est apud eundem Augustinum videre, vel potiùs ridere quàm ineptas & insulsas eorum, quæ de Iano feruntur, rationes attulerint, & cum nostris comparare.

Quid igitur? oculatiores sumus Messalis, Bassis, Nigidiis, Varronibus, qui huiusmodi Deorum mysteria diligentissimè rimati caussas plerumque ridiculas, contortulas quidem certè ac frigidas protulerunt? Imò ne centesima quidem parte cum iis vel eruditione vel ingenio comparandi sumus. Quid igitur caussæ est cur dictorum rationes vel haud paulo concinniores, vel saltem minùs coactas adferre videamur? Nimirum illi frequenter, vt erant sacrarum literarum ignari, in indagatione veri, lubricante vestigio cespitarunt: nobis, quibus scripturæ diuinæ lux oborta est, facilior fuit inquisitio caussarum, vt earum vel concinnitas vel probabilitas ab ingenio mediocri vel potiùs exiguo profecta non mediocre sit indicium repertæ veritatis.

70. BASIL. Propemodum nobis persuades, Eulogi, vt etiam pro Merope nostro tibi respondeam, vera esse quæ de Iano & Noëmo Patriarcha Berosus Annianus, iique qui in Berosi verba iurarunt, litteris consignata reliquerunt. EVL. Equidem, Basili, an persuaserim nescio: non id

tamen me facturum esse receperam, nihilque pollicitus aliud fueram, quàm tenues huius rei coniecturas, & signa quædam leuibus impressa vestigiis. Quare si fidem orationi meæ adhibendam putatis, ego videlicet in sinu gaudebo, ridebóque meas illas tariunculas plus apud vos quàm apud meipsum ponderis habuisse. Si aliter existimaueritis, non molestè feram, aut vestras vel apertas reprehensiones, vel tacitas cogitationes magnopere pertimescam. Basil. Ne tamen nimium gaudeas in sinu, nostráinque in credendo facilitatem rideas, possum aliquid tuis illis probationibus opponere. Evlog.

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω.

XVIII. *De Moribus Iani.*

71. Basil. Iniuriam facere videris sanctissimo Patriarchæ, quem eundem cum Iano Deo Gentilium, esse defendis, ac proinde vel malum Genium, vel si homo fuit, hominem sceleribus omnibus ac flagitiis coopertum, quales Ethnicorum Deos fuisse accepimus. Evlog. Nihil est, mihi crede, Basili, cur ea diuinitatis opinio nos à sententia deducat: nam hominem reuera fuisse Poëta nobilis agnoscit.

8. Æneid. *Hic duo præterea disiectis oppida muris.*
Relliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit vrbem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Neque verò Iani mores iis fuisse traduntur, vt Patriarchæ nostro vel minimam potuerint infamiæ labem adspergere. *De Iano quidem*, inquit magnus Hipponensium Episcopus, *nō mihi facilè quicquam occurrit quod ad probrum pertineat, & fortasse talis fuit vt innocentiùs vixerit, & à facinoribus flagitiisque remotiùs.* Nam quod de Carna quadam ab eo adamata & ad stuprum expetita tradit Ouidius sexto fastorum, id acceptum eius inuentioni potiùs & ingenio, quàm maiorum traditioni videtur esse referendum. Sed pergit Augustinus *Saturnum fugientem benigniùs excepit: cum hospite regnum est partitus*: & paucis interiectis. *Sed isti*, inquit, *in cultu Deorum omnis dedecoris appetitores, cuius vitam minùs turpem inuenerunt, eum simulacri monstruosa deformitate turparunt, nunc eum bifrontem, nunc etiam quadrifrontem tanquam geminum facientes. An fortè voluerunt, vt quoniam plurimi Dij selecti, erubescenda perpetrando, amiserant frontem, quanto iste innocentior esset, tanto frontosior appareret?*

7. de ciuit. Dei cap. 4

Iani mores laudabiles.

72. Quid? quòd, vt ait Macrobius lib. 1. Saturni. cap. 9. *Mythici referunt regnante, Iano omnium domos religione & sanctitate fuisse munitas?* Quid hîc indignum innocentissimo Patriarcha? *Idcircóque ei diuinos honores etsi decretos, & ob merita introitus & exitus domorum eidem consecratos.* Hîc agnosco miseriam, hominúmque delirantium & ad superstitionem exorbitantium errorem: infamiam Iani non agnosco, qui virtute, religione, morum sanctitate venerationem promeritus, apud posteros in idololatriam prolapsos superstitiosum cultum inuenit.

Basilivs. Atenim, Eulogi, videndum est ne Ianus ipse, quisquis ille fuit, primus superstitionem in hominum mores inuexerit. Nam, vt auctor est idem ille Macrobius, *Xenon primo Italicarum tradit Ianum in Italia primum diis templa fecisse, & ritus instituisse sacrorum, ideo eum in sacrificiis præfationem meruisse perpetuam.* Evlogivs. Quibus autem Diis, qui Deos omnes Gentilium antecessit? Vni videlicet Deo templa dedicauit, arásque consecrauit, cuius nomen scriptor Ethnicus veræ diuinitatis ignarus numero multitudinis vsurpat. Neq; enim fieri potest, vt qui Deus & pater Deorum fuisse dicitur, is in orbem terrarum πολυθεΐαν inuexerit.

73. Quare facessat illud, quod ait idem capite superiore Macrobius: cùm subitò Saturnus non comparuisset, excogitasse Ianum honorum eius augmentum, aram ei cum sacris tanquam Deo condidisse, obseruari eum iussisse maiestate religionis tanquam vitæ melioris authorem, simulacrum ei fecisse, cui falcem insigne messis adiecerit. Esto enim Saturni demortui memoriam honorarit, ei statuam erexerit, templum siue Mausolæum excitarit, regionem ab eo Saturniam nominarit. Nunquam tamen adducar vt credam Ianum aut aliud quàm sepulchrum Saturno excitasse, aut honores diuinos detulisse simulacris eiusmodi. Etenim si primam templorum institutionem quæramus, nihil aliud fuerunt initio, quàm mortuorum sepulchra, quæ veteres, vt ait nobilis Poëta,

An Ianus idololatriā inuexerit?

Velleribus niueis, & festa fronde reuincta coluerunt, & vt aduertit Clemens Alexandrinus in Prophetico, ἐφήμους, specioso nomine templa nuncuparunt. *Quid*, inquit Arnobius, lib. 6. aduersus Gentes, *quòd multa ex his templis, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, authorum conscriptionibus comprobatur, contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepul-*

turas? Nónne patet & promptum est, aut pro Diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorũ delubra, & templa mortuorum superlata sunt bustis? Hæc illi, atque adeo benè longam huiusmodi sepulchrorum seriem vtetque contexit.

74. Quod statuas attinet, ac Deorum simulachra, non abs te fuerit audire, quæ Clemens idem Alexandrinus, 1. Stromatum, & Plutarchus in Numa de priscis Romanis memoriæ prodiderunt: οὐδ' ἦν παρ' αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν, οὔτε πλαστὸν εἶδος Θεοῦ πρότερον, ἀλλ' ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς μὲν οἰκοδομούμενοι διετέλουν, καὶ καλιάδας ἱερὰς ἱστῶντες, ἄγαλμα δ' οὐδὲν εὔμορφον ποιούμενοι διετέλουν, &c. *Neque Romanis initio fuit, aut picta, aut ficta imago Dei, sed centum septuaginta primis annis templa quidem & cellas Diis excitabant; simulacrum tamen per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus, neque adspirari ad Deum aliter, quàm mente posse.* Quantò minùs credibile est Ianum, tantò Romanis antiquiorem, diuinos honores Saturni statuæ detulisse?

Sed nouum non est, Noëmo ipsi, quem Ianum esse defendimus, superstitionis & idololatriæ crimen inurere. Author est Lucianus, paulò post initium libri de Dea Syria, Deucalionem illum Scytham, qui cum brutis animantibus, quæ ad ipsum in arcam ex vnoquoque genere binæ conuenerant, è publica terrarum eluuione seruatus est, (qui citra controuersiam Noëmus fuit) egressum ex arca Iunoni sacram ædem excitasse. Quasi verò parum in hominum mentes illapsura fuerit superstitio, nisi per nefarias impiorum calumnias, antiquitatis & maiestatis opinionem ab ipso recidiui mundi Patriarcha videretur accersere. Maneat igitur illud sententiæ nostræ non officere quæ de inducta per Ianum Patrem superstitione iactantur, cùm etiam ipsi Noëmo nonnulla idololatriæ labes per summam contumeliam adspersa sit.

75. Hæc habui, Merops, & Basilj, quæ de rebus à nostra memoria remotissimis, quarum ob nimiam antiquitatem,

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura:

si non affirmanda, saltem proponenda viderentur. Neque si Viterbiensi Beroso placuit, eundem fuisse Ianum Gentilibus, qui Noemus in nostris litteris nuncupatur, ideò statim respuendum est quicquid ille pronuntiarit, cùm nemo prohibeat legere gemmam è stercore Anniano. Certe, vt argumenta cætera dissimulem, &, si vultis, nullius fateat esse momenti: cùm Deus in æterno sapientiæ suæ consilio Synagogam, atque Ecclesiam erigere, & Ierosolymam Synagogæ, Romam Ecclesiæ caput eligere statuisset; cùm antiqua sit traditio, Semum Noëmi primogenitum, cognomento Melchisedech, Ierosolymis habitasse, credibile est, Noëmum ipsum Italiam, & solum, in quo multis post annis Roma condenda fuit, suis impressisse vestigiis, & iam inde quasi Dei Vicarium sua præsentia consecrasse. Sed perge, Merops, & quod vnum tibi supererat, nobis expone.

XIX. *Cur diuinitùs inducta fuerit Linguarum confusio.*

76. MEROPS. Physici quatuor causarum genera posuerunt, materiam, formam, efficientem, & finem: quibus aliæ duæ, altera idea, siue exemplar, altera, quam moralem, siue moraliter influentem ac mouentem appellant, possunt accedere. Si causam confusionis linguarum, vt loquuntur, materialem quæritis, vox est humana, quæ principium à mente ducens, per arteriam à pulmonibus vsque ad fauces intimas pertinentem, ad palatum emanat: si formam, ea est modorum, & velut articulorum diuersitas, quæ vocem illam immoderatè profusam, spirationis modulatione, dentium allisione, palati repercussu, labiorum tum contractione, tum diductione variè finxit ac terminauit. Si causam efficientem, vel tres fuerunt personæ sanctissimæ Trinitatis, vel etiam, vt aliis placet, Angeli, quibus dictum est, Genes. 11. v. 7. *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguas eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Quomodo autem Deus, siue per seipsum, vt aliqui prodiderunt, siue Angelorum ministerio, pristinas vocum species, veluti spongia quadam ex hominum memoria penitùs absterserit, nouásque infuderit, & explicare difficile est, & necessarium non videtur, & cum Augustino 16. de Ciuitate Dei, cap. 4. exeunte dixisse suffecerit. *Illa conspiratio dissoluta est, cùm quisque ab eo, quem non intelligebat, abscederet, nec se ei, nisi cum quo loqui poterat, aggregaret, & per linguas diuisæ sunt gentes, dispersæque per terras, sicut Deo placuit, qui hoc modis occultis, nobisque incomprehensibilibus fecit.*

77. Externum confusionis exemplar quærere non oportet, nisi si dicere velimus, ad Hebraicæ vocis imitationem efficatas: in quam disputationem si ingrediar, vereor,

vt exitum inuenire non possim. Probari tamen facilè posset, in omnibus Linguis Hebraïsmi nonnulla superesse vestigia. Quid enim, quòd omnes propemodum gentes Dei nomen litteris quatuor exprimunt? Quid? quòd omnes penè saccum retinent? Quid? quòd Græcis, ἡδονῆς nomen ab עדן *eden*, ἔρα & ἔραζε, ab ארץ *erez*, terra, eadem significatione deductum est? κεφαλὴ, caput, & vertex à כף, id est curuatura, siue inflexio? Hieronymus in caput 7. Isaïę: *Est vt risum præbeamus Iudæis*, inquit, *nostro quoque sermone* עלמה *alma sancta dicitur, omniúmque penè Linguarum verbis vtuntur Hebræi, vt est illud in Cantico de Græco φορεῖον, id est, ferculum sibi fecit Salomon, quod & in Hebræo ita legimus*, (אפריון aphrion) *verbum quoque nugas* (נוגי *nugi*) *&* (*mensuram* משורה) *Hebræi eodem modo, & eisdem appellant vocibus*. Sed hæc, si placet, omittamus, & ne de interna quidem idea loquamur, qua Deus immenso suæ perfectionis Oceano, omnem rerum linguarúmque perfectionē amplectitur. Duo supersunt igitur causarum genera, illúdque duntaxat enucleādum superest, quid Deus in Linguarum confusione spectarit, quid ex parte hominum causæ moralis fuerit, quæ Deum ad illam linguarum diuisionem impelleret. Quod vt liquidiùs videre possimus, priùs considerandum est,

Omnes Linguæ habent aliquid commune cum Hebraïca.

X X. *Quàm grauiter homines Turris ædificatione peccauerint.*

78. QVæ quæstio, quoniam omnium interpretum scriptis iactata est, meus autem amor

Transsilulat in medio posita, & fugientia captat:

Horat.

Libanda potiùs hoc loco paucis videtur, quàm accuratiùs disputanda. Flauius Iosephus, lib. Antiquit. Iudaïc. primo, primos illos homines acriter reprehendit, quòd substructione turris illius se immani scelere atque impietate, Nemrodo potissimùm authore, deuinxerint. Hos enim ait, eo consilio turrim illam Babylonicam molitos fuisse, vt ab ipso Deo deficerent, se contra nouum diluuium tueri possent, ac maiorum suorum interitum vlcisci. Sed hæc tum ab aliis, tum præsertim ab Alphonso Tostato, 11. Genes. iampridem egregiè confutata prætermittimus, ne, quod aiunt, actum agere videamur.

79. Augustinus tamen 16. de Ciuit. Dei, cap. 4. ædificatores illos superbiæ & impietatis accusat, dum negat, Babylonem esse perfectam *vsque in tantum modum, quem superba cogitabat impietas. Nam nimia disponebatur altitudo, quæ dicta est vsque ad cælum: subditque paucis interiectis. Quid autem factura fuerat humana & vana præsumptio? Cuiúslibet, & quantúmlibet in cælum aduersus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes transcenderet vniuersos? quando spatium nebulosi huius aeris euaderet? Quid denique noceret Deo quantálibet, vel spiritalis, vel corporalis elatio?* Hæc Augustinus, quæ parum abesse videntur à Iosephi sententia: sed mirum non est, sanctissimum Doctorem, aliquantò vehementiùs in primos illos turris Babylonicæ conditores inuectum, limites transiliisse. Cùm enim in editione, quæ tum communis habebatur à LXX. viris concinnata, legeret, Nemrodem fuisse robustum venatorem contra Dominum, nec ipsis Græcis codicibus admodum iuuari posset, propter ambiguitatem vocis ἐναντίον, quam hoc loco LXX. Seniores vsurpant, nec Hebraïcæ linguæ notitiam haberet, quā omnis ista controuersia deciditur, quid aliud facere debuit, aut etiam potuit, quà vt communem illam editionem Latinam pro virili tueretur, & à Nemrode, qui contra Dominum fortis erat venator, turrim contra Dominum extructam esse defenderet.

Cur Augu. ædificātiū turrim peccatū exaggerauit.

Adde, quòd in eo totus erat Augustinus, vt ciuitatem mundi distingueret à Ciuitate Dei: quod discrimen eò liquidiùs apparet, quò magis pietas alterius, alterius exaggeratur impietas.

80. Longè benigniùs interpretatur illud, ἀπέναντι κυρίου, Chrysostomus idiomatis Græci non ignarus, Homilia 30. in Genes. ἀντὶ τοῦ ὑπ' αὐτοῦ παραχθεὶς, ὑπ' αὐτοῦ δεξάμενος τὴν εὐλογίαν, καὶ ὅτι ἤμελλεν ὁ Θεὸς δι' αὐτοῦ θαυμάζεσθαι, ὡς τοιοῦτον παραγαγὼν, καὶ δείξας ἐπὶ τῆς γῆς: *Dicitur*, inquit, *Nemrod gigas venator coram Domino, id est, ab ipso productus, qui ab eo benedictionem acceperat, & quia futurum erat, vt Deus per illum esset admirationi, quippe qui talem induxisset, & ostendisset in terra.* Quamuis paulò pòst eum reprehendit, quòd οὐκ εἰς δέον χρησάμενος τοῖς τῆς φύσεως πλεονεκτήμασιν, *abusus naturæ priuilegiis*, regnum in reliquos mortales occuparit, & nouum seruitutis genus inuexerit. Sed hæc omitto, ne quid de Basilij nostri oratione prælibem.

81. Aliquam certè culpam in eo Chrysostomus agnoscit, quòd dixerint: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim*, cùm non sibi, sed Deo facere debuissent. *Illud etiam, & celebremus nomen nostrum*, videtur

nescio quid vanitatis, & κενοδοξίας redolete. Quam vltimam esse vestem, quæ vix etiam à sapientibus exuitur, homines doctissimi prodiderunt; ac proinde non Chamo solùm ac Nemrodi, sed etiam Noëmo, Semo, aliísque sanctissimis aurei seculi Patriarchis, citra grauem culpam potuit obrepere.

82. Neque verò ex inflicta pœna rectè colligitur criminis magnitudo. Moses iussus tollere virgam, & loqui ad petram, vt populo murmuranti, & de prouidentia diuina quiritanti, aquas effunderet, eam insuper iteratò virga percussit, vt non solùm imperio, sed etiam ictu, laticem eliceret. Propter hanc culpam, quæ hominum iudicio leuissima videri poterat, tantus Propheta, post exantlatos annorum quadraginta labores, Terra promissionis exclusus est. Nadab, & Abiu, filij Aaronis, recèns ad Sacerdotium diuinitùs electi, vixdum sacro diuinæ consecrationis oleo delibuti, non tàm temeritate & contemptu, vt vidětur, quàm inconsulta quadam pietate arreptis thuribulis, obtulerant ignem alienum. Quis non culpam hanc adeo leuem, vel Mosis, vel Aaronis pietati condonandam putaret? Tamen egressus ignis à Domino vtrumque in ipso ætatis flore, necdum filiis à se propagatis, quod eo tempore longè grauissimum putabatur, spectante populo vniuerso, in oculis patris ac patrui, in ipso tabernaculo, eodem temporis vestigio deuorauit. Betsamitæ Arcam Domini ad se diuino nutu perlatam curiosiùs inspexerant, & præpostero quodam feruore victimas immolarãt. Quid deinde? quid expectatis? *Percussit autem de viris Betsamitibus, eo quòd vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* 1. Reg. cap. 6. v. 19. Atque, vt omittam Saülem, & alios, qui videri possunt Dei iudicio reprobati, cùm arca Domini plaustro veheretur, vt legitur 2. Reg. c. 6. v. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerant eam.* Quis tam officiosæ voluntati præmium non expectet? *Indignatúsque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei?* Dauid ille homo secundum cor Dei, aliquo fortasse futilis gloriolæ studio concitatus, populi censum indixerat, immissâ diuinitùs pestilentiâ, pœnam suæ vanitatis exoluit; atque ob leuissimam, vt videtur, culpam, triduo septuaginta millia virorum absumpta sunt. Ezechias Rex item laudatissimus, cùm aliqua, vt è 2. Paralip. cap. 32. intelligitur, animi elatione suos thesauros Babyloniorum legatis ostenderat: statim ei Deus, post redditam tanto prodigio sanitatem, Solémque gradibus decem reuersum, Deus, inquam illi per Isaiam denuntiauit, fore, vt omnes illi thesauri in Babyloniorum potestatem deuenirent. *Sed & de filiis tuis*, inquit, *qui egredientur ex te, quos generabis; tollentur, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* 4. Reg 20. 18. E quibus liquidò videre possumus, vt de reprobis, & abdicatis interim taceam, Deum frequenter in virga filiorum visitare seruos suos, & grauissimis quidem interdum, semper tamen iustissimis pœnis, amicorum suorum noxas, hominum iudicio leuissimas expiare: vt proinde ex illa linguarum confusione certò colligi non possit, illos turris Babylonicæ conditores, graui scelere fuisse defunctos.

Num. 20.

Leuitici 10.

An semper ex pœna, peccati magnitudo rectè colligatur.

83. Quid si ne peccauerunt quidem? Abulensis certè, 11 Genes. quæst. 6. 7. 8. tem variis rationum momentis in vtramque partem diligenter examinat, eóque tandem inclinat, vt nullum omninò peccatum admiserint. Neque enim peccatum est, altissimam turrim excitare, nisi opus ex genere suo ἀδιάφορον, praua conditorum intentione vitietur. Quæ si ædificabatur, eo fine, vt esset quasi specula, vt homines viis nondum stratis & munitis, quasi Pharus, in vrbem ab errore reuocaret, vt hominibus à se dilabentibus, esset communis originis monumentum, vt esset locus publici commercij, non video quid huic operi vel minimam culpæ labeculam adspergat.

Ædificatores turris excusãtur.

84. Atenim videntur inanem gloriam aucupati. *Venite*, inquiunt, *faciamus nobis ciuitatem & turrim, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Verùm honor humanus, nominis celebritas, famæ claritudo, perinde vt odes ac diuitiæ, sita in lubrico, vt loquitur Censorinus, bona maláue per se non sunt, sed τῶν μέσων, hoc est, bonorum malorúmque media censentur: atque vt Comicus ait Terentius,

Perinde sunt, vt illius est animus, qui ea possidet,
Qui vti scit, ei bona: illi, qui non vtitur bene, mala.

Quapropter hic acquirendi nominis appetitus cùm naturâ suâ sit indifferens, ac positus in bonorum malorúmque confinio, perinde bonus, aut malus fuit, vt eorum animus, qui turrim Babylonicam condiderunt. Qui si virtutem atque industriam suam, non Deo, sed sibi ipsis, vt putat Iosephus, acceptam retulerunt, vt Deo debitam laudem detraherent, superbia, ne dicam sacrilegium

legium fuit, si inanes auras cuiusdam gloriolæ captabant, vanitas fuit: si ornamentum, vel commodum Reipublicæ quærebant, potuit ad virtutem ciuilem, siue politicam pertinere. Si antequam spargerentur in diuersa terrarum, volebant apud posteros extare perpetuum consanguinitatis, & pristinæ concordiæ monumentum, fuit opus insigne charitatis: sic enim longè antè prouidebant, vt homines, cùm se ex vno patre propagatos esse meminissent, mutuo beneuolentiæ nexu deuincti tenerentur.

85. Quæretis fortasse, quid horum probabilissimum existimem? *Non possumus affirmare*, inquit Magnus Augustinus, lib. 16. de Ciuit. cap. 10. sub finem: *illo tempore, quo erat illis labium vnum, id est, loquela vna, tunc iam genus humanum alienatum fuisse à cultu veri Dei: ita vt in solis istis generationibus pietas vera remaneret, quæ descendunt de semine Sem per Arphaxad, & tendunt ad Abraham. Sed ab illa superbia ædificandæ turris vsque ad cælum, quâ impia significatur elatio, terrena apparuit ciuitas, hoc est, societas impiorum. Vtrùm autem antè non fuerit, an latuerit, an potiùs vtraque permanserit, pia scilicet in duobus filiis Noë, qui benedicti sunt, eorúmque posteris: impia verò in eo, qui maledictus est, eiúsque progenie, vbi etiam exortus est gigas venator contra Dominum: non est diiudicatio facilis; fortassis enim, quod profectò credibilius est, & in filiis duorum illorum, iam tunc antequam Babylonia cœpisset institui, fuerunt contemptores Dei, & in filiis Cham, cultores Dei: vtrumque tamen hominum genus terris nunquam defuisse credendum est.* Huc vsque verba sunt Augustini.

Diuersa fuit causa diuersorũ.

86. quare, si placet, primos illos homines in genera tria partiamur, vt alij fuerint omnibus virtutũ numeris absoluti, atq; perfecti, verbi causâ, Noë, Sem, Iaphet, Heber: alij Dei contemptores, & omnibus sceleribus ac flagitiis inquinati, vt Cham, Chanaam, Nemrod, sed tamen adhuc animi nequitiam, frontis integumentis, & simulata religione velantes: alij tanquam in virtutum ac vitiorum confinio constituti, qui videlicet neque per scelerum abrupta deuoluti, in impietatis barathro subsederant, nec ad diuini timoris apicem peruenerant. Horum optimi quique, turris ædificatione publicum fraternæ charitatis monumentum posteris relinquere gestiebant: medij, vel Reipublicæ commodis, vel inani gloriæ seruiebant: illi autem Dei contemptores superba impietate, vt Augustinus loquitur, & impia superbia tumentes contra Deum, insanam illam turris Babylonicæ substructionem moliebantur, non vt in cœlum adscenderent: non vt eorum, qui diluuio perierant, vlcisceerentur interitum: non vt, si Deus alteram terrarum eluuionem immitteret, ipsi receptum haberent, quod somniat Iosephus: sed vt Noëmi diras, & intentatam à Deo Chami posteris eluderent seruitutem, areémque suæ tyrannidi compararent; eúmque Noëmus spiritu Propheticæ afflatus, prædixisset fore, vt Chanaan seruus seruorum esset fratribus suis, omnem Chami posteritatem eadem deuotione defigens, quemadmodum hesterno die noster Eulogius explicabat, Nemrod gigas quasi cum Deo bellum gerens, non solum destinatæ sibi seruitutis iugo ceruicem subducere conatus est, sed etiam *arripuit*, vt cum Hieronymo loquar, *insuetam primus in populo tyrannidem*, & vi, minis, blanditiis, eloquentia, simulatione iustitiæ, omnibus denique malis artibus, non tantùm Chamitas, sed etiam plurimos à Sem & Iaphet propagatos, in suas partes illexit, nouúmque seruitutis genus inuexit. Quo factum est, vt fortis venator, id est, Augustino interprete, *animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor*, & quidem coram Domino, id est, non hominum opinione, sed reuera diceretur. 16. de Ciui. cap. 4.

XXI. *Genus pœnæ quàm fuerit conueniens.*

87. SEd nimirùm

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Dámna parit sibi quisque, aliis qui damna parabat,
Quique aliis mala consuluit, sibi pessima sensit.

Ille turrim moliebatur, prætextu quidem aut gloriæ comparandæ, aut boni publici, aut retinendæ inter posteros concordiæ; re autem ipsa, vt arcem suæ tyrannidi, quam contra Dei voluntatem, Noëmíque Prophetiam inuaserat, excitaret, multósque, quasi solers venator, iam in suos casses induxerat. *Meritò autem*, vt ait Augustinus, loco proximè laudato, *malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus verò ipsum pœnæ quale fuit? Quoniam enim dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti: sic illa conspiratio dissoluta est,* &c. Hæc maximus Doctor, è quibus ad-

Q

uertitis hanc linguarum diuisionem eo consilio diuinitùs illatam fuisse, non tam vt ipsam linguarum diuersitatem hominibus, quorum plerique innocentes erant, pœnæ loco infligeret, quàm vt bonorum libertatem assereret, mediorum vanitati conueniens remedium adhiberet, sceleratorum, qui generis humani tyrannidem affectabant, consilia dissiparet.

80. Nam si res ipsa per se spectetur, quid in omnibus humanitatis & litteraturæ partibus, vel ad fructum vberius hac linguarum varietate, vel ad honestam animi delectationem amœnius? Quem, vt linguas Orientales omittam, quarum pleræque ex Hebraïco fonte manarunt, non delectat exuberans illa Græcorum copia, Dorum amœna rusticitas, Atticorum sales, Romanorum maiestas, suauitas Italorum, grauitas Hispanorum, Gallorum elegantia, Germanorum in componendis nominibus, penè Græcis æquiparanda felicitas? Quid iucundius, quàm Ciceronem cum Demosthene, Basilios, Gregorios, Theodoretos, cum Hieronymis, Augustinis, Ambrosiis, aut Homerum, Maronem, Tassum, Ronsardum inter se comparare? vt qui linguarum varietatem ex encyclopœdia sustulerit, is Solem è mundo, vernam tempestatem ex anno sublaturus esse videatur. Quàm multa sunt in ipsa litterarum diuinarum tractatione, quæ ex vna linguarum varietate, suum splendorem & suauitatem accersunt? In quo se humani vis ingenij memoriáque feliciùs aut magnificentiùs ostentat?

89. Sed hæc omitto, quæ disputari fortasse possunt in vtramque partem, quasi *hanc occupationem pessimam dederit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea*, & optimam ætatis partem addiscendis rerum signis impenderent, quam in addiscenda rerum ipsarum scientia meliùs collocarent. Eccl 1.13.

Illud in præsentia dixisse suffecerit, hanc linguarum diuisionem iis duntaxat pœnam fuisse, qui culpam admiserant. Cùm autem hæc scripturæ verba: *celebremus nomen nostrum, antequàm diuidamur in vniuersas terras*, vel vt habetur in textu principe, *& fabiamus nobis nomen*, פן נפוץ *pennaphous, ne fortè dispergamur super facies omnis terræ*, in leniorem partem interpretari possimus hoc sensu, vt voluerint apud posteros suæ consanguinitatis extare monumentum, ne fortè, quoniam exuberante multitudine, necessariam breui fore corporum separationem videbant, animis quoque suę cognationis obliti dissiderēt: cùm inquam, hæc in eum sensum interpretari possimus, causæ nihil video, cur omnibus patribus nostris, tanquã impiis, nefariis, Deóq; iam inde à mũdi renascẽtis initio rebellibus inuidiam facere, & non solùm instar Chami illius, pudẽdis patrũ nostrorum illudere, sed etiã pudendam usi ignominiã affingere debeamus.





SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER QVINTVS.

BASILIVS,

SIVE

DE PRIMA REGNORVM INSTITVTIONE.

PRÆFATIO.

1. BASILIVS. Vnus, duo, tres. Quartus autem, vnde nec inuitatus, ad nostras epulas accessit? MEROPS. Vmbram, vt video, metuis: Nearcho nostro in hodiernum diem condiximus, & sanè, vt ait ille,

Locus est vel pluribus vmbris.

BASIL. Amice quidem factum, & mihi semper morosiores visi sunt, qui Menelaum reprehendendum putarunt, quòd ad fratris Agamemnonis conuiuium, non inuitatus accesserit. Tamen vereor, vt tot conuiuis non sufficiat exiguus noster apparatus. NEARCHVS Bono animo, Basili, non erimus conuiuæ nimiùm voraces, faciemus quod Philippus monebat: locum placentæ seruabimus. BASIL. Tamen vt
Odyss.1. scias, Nearche, ἔρανος τάδε γ' ἐστίν, ex symbolo cœnamus.

--- Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena diues vt in domo.

Scis illud Hesiodi conuiuium sumptu communi præbitum celebrantis.

In operib. Ἐκ κοινοῦ πλείστη τε χάρις, δαπάνη δ' ὀλιγίστη.

Sumptū è cōmuni comitatur gratia paruum
Plurima.

NEARCHVS. Imò, non modò symbolum conferam, sed etiam me Thaliarchum, Regémque conuiuij profitebor. Quare, ne longiùs à proposito deerrem, ex te scire velim, Merops, quibus dapibus Eulogius adiicialem illam suam cœnam extruxerit. Tum ex te vicissim sciscitabor, Eulogi, quàm lautè vos hodierno die Merops noster exceperit.

§ I. *Recapitulatio dictorum de Benedictionibus Noë.*

2. QVatuor ostendit noster Eulogius. Primò, temulentiam, quæ Noëmo, vel imprudenti, vel vini vim ignoranti, subrepsit, sine crimine contigisse. Caussas deinde quæsiuit, cur sanctissimus Patriarcha Chanaano potiùs nepoti, quàm Chamo filio paternæ diras maledictionis inflixerit: idque factum putabat, siue quòd Chamo maledicere non debuit, cui benedictionem à Deo recens impertitam esse meminerat, siue quòd Chanaan ebrietati

Noëmi prior illuserat, cúmque seminudum in tabernaculo teperisset, patri nuntiarat. Quanquam probabilius putabat, illam Noëmi Prophetiam, non ad vnum Chananæum, sed ad omnes Chami posteros pertinere.

Tertiò Prophetiæ sensum aperuit, Denique docuit Chami posteros pene semper seruos seruorum fuisse fratribus suis, id est Semi Iapheticque posteris addictos in vilissimam seruitutem: Ita tamen vt Iapher per Græcos, Romanos, Gallos, Scythas, Hispanos, aliásque gentes à se propagatas in Semi tabernaculis habitarit, siue terras Semi posteris assignatas occuparit. Chanaan autem à Mose nominatim commemoratum dicebat, non quòd Noëmus eius vnius mentionem fecisset, sed quia volebat sacer historicus Hebræos odio Chananæorum magis incendere.

§. II. *Confirmatur authoritate Prophetiam Noëmi ad omnem Chami sobolem pertinere.*

3. NEARCHVS. Cætera non inuitus admiserim: sed illud vnum requiro, cuius authoritate nouam hanc scripturæ interpretationem inuehendam putarit, vt cùm verbis conceptis dicatur, *Maledictus Chanaan*, ipse nihilo putet seciùs Prophetiam ad omnes Chami posteros redundare, cuius antiqui scriptoris ista testimonio proferuntur? EVLOG. Ignoscat tibi Deus, Nearche. Hanc expositionem pro mea venditare decreueram: tu me qualemcunque gloriolæ fructum percipere vetuisti. Sed quoniam, vt sapienter monet Plinius, satius est in mutuo, quàm in furto & plagio deprehendi, non piget indicare per quem profecerim. Quæris huius opinionis authorem? Dabo antiquissimum, eruditissimum, sanctissimum. Cuius antiquitas ab opinionum nouitate: eruditio ab errore, sanctitas ab asserendi remeritate longè seiuncta est. Cuius antiquitatem si quæris: etiam nonnullos Apostolorum videre potuit. Si eruditionem, non solùm sacris litteris, sed etiam omnibus oratorum, Sophistarum, Philosophorum studiis erat expolitus. Si sanctitatem, etiam pro Christo sanguinem effudit.

4. Is est Iustinus Martyr, cuius dialogo in Tryphonem exeunte, his verbis habetur concepta sententia. τὸν γὰρ υἱὸν συνευ-
Iustin. λογηθέντα ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὸ προφητικὸν πνεῦμα καταρᾶσθαι οὐκ ἔμελλεν, ἀλλ' ἐπεὶ δι' ὅλου τοῦ γένους τοῦ ἐπιγελάσαντος τῇ γυμνώσει υἱοῦ αὐτοῦ ἡ προτίμησις τοῦ ἁμαρτήματος εἶναι ἔμελλεν, ἀπὸ τοῦ υἱοῦ τὴν κατάραν πεποίηται. *Filium enim eum reliquis à Deo benedictum Spiritus Propheticus non debuit maledictione percellere; sed quoniam ad omne genus filij qui nuditati patris illuserat, peccati punitio pertinebat, eius filium dirarum imprecatione defigit.* Hæc & alia non pauca martyr eruditissimus, quamuis amanuensium oscitantiâ Sethi nomen pro Semi vocabulo frequenter irrepserit.

Vis & aliũ huius authorem fundúmque doctrinæ? Cyrillum Alexandrinum exhibebo lib. 1. Glaphyrorum verbis Andreæ Scoti latinè loquentem. *Postquam*, inquit, *expergefactus est, conscius fuit rei pater, & maledicit statim ei, qui debitæ ipsi reuerẽtiæ leges temerè violarat, & seruitutis iugũ ipsi* (Chamo) *meritò imponit*, Χαναὰν ὀνομάζων
Cyrill. διὰ τοὺς ἐξ αὐτοῦ Χαναναίους. *Chanaan vocas propter eos, qui ex ipso orituri erant, Chananæos, qui supplicij ipsius participes futuri erant.* Et ne putares pœnam paterni sceleris in vnos Chananæos redundasse, eodem tenore subtexuit: παγγενῆ γὰρ ἐκολάζετο. *in vniuersam enim eius progeniem pœna propagata est.*

5. NEARCHVS. Nihil est, Eulogi, cur quicquam de tua laude detractum, aut delibatum putes, si quæ dicis, non tuopte ingenio fabricata, sed è maiorum officinis deprompta videantur. Vt enim mihi nunquam placuerunt (quanquam vnusquisque abundat in suo sensu) qui circa vilem patulumque morantur orbem, & crambe repetita miseros lectores occidunt, eademque planè quæ vulgus interpretum, mutatis tantùm verbis, & ordine rerum inculcant: ita mihi magis arrident, qui instar patrisfamilias Euangelici, proferunt de thesauro suo noua & vetera, & ab exponendæ scripturæ methodo recentiorum trita vestigiis ita discedunt, non vt ipsi noua comminiscantur, sed antiquatas Patrum opiniones & iam sepultas obliuione diuturna renouent, & è ruderibus antiquitatis euoluant. Tamen ne tibi nimiùm de huius expositionis instauratione blandiaris, eam Martinus del Rio vir, vt apprimè nosti, doctissimus tanquam aliud agens videtur attingere. *Volebat*, inquit commentariis in Genesim cap. 10. v. 8. *Semitis etiam & Iaphetanis dominari, quibus merito paterna maledictionis aequiùs seruiuisset.* Sed iam, si placet, expone quæ fuerit nostri Meropis oratio.

§. III. *Recapitulatio dictorum de linguarum diuisione.*

6. EVLOG. Ea, si quid memini, tres in partes distributa fuit. Primò quærebar, cùm Armenia, si Babyloniæ campóque Sennaar comparetur, obuersa sit Aquiloni, & vix vllo modo vergat ad Orientem, quo pacto dicantur homines egressi ex arca, quæ post diluuium in montibus Armeniæ consederat, se ex Oriente in campum Sennaar contulisse. Atque, vt cæteras rationes omittam, aiebat montes Ararat siue Gordæos sic Orientalibus Armeniæ partibus imminere, vt Armenia iis composita vergeret ad Occasum & Aquilonem. Homines impendentium niuium metu ex illis montibus primo quoque tempore descendere debuisse, & leniorem auram secutos ad Ortum potiùs & Meridiem, quàm ad Occasum & Septemtrionem esse progressos, cùm præsertim longè post vicinas regiones siccata fuerit Armenia; quippe quæ maximis, præter vnam Mœotidem, paludibus, lacubus, stagnis, diuersis ingentium fluminum scatebris, Araxis potissimùm, qui tum oppositi montis obiectu refluebat, restagnationibus abundaret. Quæ omnia tum cæterorum Geographorum, tum maximè Strabonis testimonia comprobabunt.

Huc accedit quòd cùm Armenia montibus asperrimis, nisi qua Persidem attingit, vndecunque cingatur, credibile est homines ex arca digressos in Perside rerum suarum domicilium collocasse, quæ Persis cùm campo Sennaar ab Ortu, respondeat, difficile non est explicare, quo pacto mortales ex Oriente profecti campum Sennaar inuenerint.

7. Demonstrauit deinde Merops ex vna scriptura duntaxat linguarum confusionis diuisionisque tempus certò posse chronologiam deprehendi, cæterósque quotquot aliâ viâ grassantur, ex incertis dubiisque principiis ad indagationem veri procedere. Illud vnum è scriptura constare in diebus Phalegi terram esse diuisam. Phalegi porro dies eos appellari, qui Phalego seorsum à cæteris Patriarchis in texenda Mosis chronologia tribuuntur, & expansi siue chronologici nuncupantur: eorum autem Phalegi duntaxat annorum haberi rationem qui inter eius natalem anno post diluuium centesimo primo consignatum, & susceptum ab eo filium anno vitæ trigesimo sunt euoluti, vt meritò terram in diebus Phalegi diuisam esse dicamus, quia sub eius ortum designata est terræ diuisio, & iacta turris Babylonicæ fundamenta, sub annum Phalegi trigesimum confusæ linguæ, operæ dissipatæ, diuersæ terrarum partes diuersis occupatæ cultoribus. Hinc variis rationibus ostendere conatus sum, an ostenderim nescio, sanctissimum Patriarcham annis illis ducentis & viginti quibus linguarum confusioni superstes fuit, partim in montanis Syriæ, partim in Italia, nomine Iani Patris, esse versatum, vt iam inde futuram olim sedem Ecclesiæ sui corporis præsentiâ consecraret.

8. Caussas denique confusionis inquirens Merops ostendit eam fuisse Noëmi, Semi, Iapheti, Heberis, aliorumque sanctissimorum virorum mentem, vt priúsquàm in diuersa spargerentur, relinquerent æternum consanguinitatis & fraternæ beneuolentiæ monumentum: alios ad insanas illas substructiones vel publici commodi, vel inanis gloriolæ studio fuisse compulsos: Chamum autem eiusque liberos & nepotes spectasse, vt quoniam ipsos Noëmi maledictio fratribus suis addixerat in seruitutem, ipsi contrà detestarentur à se prophetiam, & non tantùm ipsi iugum excuterent; sed etiam illud imponerent fratrum suorum ceruicibus, ac tyrannidem quam Nemrodes partim violentiâ, partim simulatione iustitiæ, partim blanditiis cæterísque malis artibus occuparat, arcis ædificatione stabilirent. Quoniam ergo dominantis imperium obedientiísque seruitus mutui sermonis intelligentiâ continetur, meritò Deus linguarum confusionem induxit, vt impiorum tyrannidem molientium consilia dissiparet, à piorum collo iugum seruile depelleret, futiles autem & inanis gloriæ cupidos, operis è quo gloriam captabant, intermissione, in officio contineret. Hæc fere Merops. NEARCHVS. Quæ sunt igitur tuæ partes, Basili? Hi certè, mihi promiseras fore vt quæ ad Nemrod & Assur pertinent, hodierno die nobis explicares. BASIL. Imò, mi Nearche, quoniam non debes ἀσύμβολος *Immunisque sedens aliena ad pabula fucus*, nostris epulis interesse, rem partiamur inter nos nostri Meropis arbitratu. MEROPS Agite igitur. Tu, Basili, de Nemrode; tu Nearche de Assur quid censes?

§. IV. *Propositio & diuisio quæstionis.*

9. BASILIVS. Hæc Genesis 10. v. 8. de Nemrode. *Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, &*

erat robustus venator coram Domino. Ab hoc exiuit prouerbium : quasi Nemrod robustus venator coram Domino; fuit autem principium regni eius Babylon , & Arach , & Achat , & Chalane in terra Sennaar. Hæc est seges & materia nostræ quęstionis. Circa quam primo genuinum verborum sensum, diuersasque versiones paucis enucleare statuimus. Deinde quæremus antène, an post linguarum dissidium Nemrodes regnum Babylonicum fundauerit. Tertiò an inducta linguarum confusione Babylonis retinuerit principatum. Quartò si Babylone deturbatus est, quis in Chaldæa regnarit. Quintò quonam concesserit excussus Babylone. Postremò quæremus idemne sit Nemrod in scriptura qui Belus in prophanis historiis nuncupatur.

§. V. *Scripturæ verba de Nemrod explicantur.*

10. Porro *Chus genuit Nemrod.* Chus, id est, Æthiops interprete Hieronymo, de cuius nomine *Chus vsq; hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur.* De quo eleganter Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei, c. 3. ineunte. *Iste porro Chus pater gigantis Nemrod primus nominatus est in filijs Châ, cuius quinque filij iam fuerant computati, & nepotes duo. Sed istum gigantem aut post nepotes suos natos genuit, aut, quod est credibilius, seorsum de illo propter eminentiam scriptura locuta est, quandoquidem & regnum eius commemoratum est.* Est autem נמרד *tyrannus vel profugus, aut transgressor,* Hieronymo interprete, aut etiam *rebellis* à radice מרד, vt aliis magis arridet: Tyrannus, quòd insuetam primus generis humani tyrannidem occuparit, & nouum, vt Chrysostomus loquitur, seruitutis genus inuexerit: Profugus quòd tanquam seruus fugitiuus se Noëmo, cui vt omnium parenti obtemperare debebat, subduxerit. Transgressor, quòd Dei voluntatem transgressus fuerit qui Chami posteros in pœnam impietatis paternæ, Semi Iaphetique posteris manciparat Rebellis quod defecerit à Deo cæterosq; ad rebellionem excitarit, subinde iactans, ait Iosephus homines non Deo, sed propriæ virtuti præsentem felicitatem debere. Quamuis quod ait Nemrodem turris substructione maiorum suorum, qui diluuio perierant, interitum vlcisci voluisse, nemini facilè intrudi potest, nisi si putamus gigantas *conturatos cælum rescindere, superisque Deum detrudere regnis.*

De nom. Hebraic.

Quæst. Hebraic.

Nemrod quid significet.

Lib. 1. antiq. c. 3.

11. *Hic cœpit esse potens in terra,* imò iam de gigantibus ante publicam generis humani cladem dictum fuerat cap. 6. v. 4. *Isti sunt* הגברים *potentes à seculo viri famosi.* Quomodo igitur Nemrod esse potens in terra cœpit, an quia nullus ante ipsum regnauerat. Imò probabilissimum putat Augustinus l. 15. de ciuit. cap. 20. eos omnes qui Genes. 5. de progenie Cain recensentur, fuisse reges, & quidem longè lateque dominantes Henochiæ ciuitatis: An igitur scriptura secum pugnat? Minimè gentium. Sed, vt ait idem Augustinus quæst. 18. in Genesim, *post diluuium nouitas generis humani reparandi de nouo commemoratur, in qua nouitate hic cœpit esse gigas super terram.* Gigas, inquit: sic enim LXX. seniores. οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. *Hic cœpit esse gigas super terram.*

Quo sensu Nemrod cœperit esse potens in terra.

12. NEARCHVS. Mihi sæpe numerò mirari venit in mentem, Basili, cur non solùm LXX. sed etiam Latinus interpres ad fabulas Poëtarum frequenter alluserint. Multa proferri poterant exempla, sed de multis pauca libemus. Iudith. 16. v. 8. οὐδὲ υἱοὶ Τιτάνων ἐπάταξαν αὐτόν, οὐδὲ ὑψηλοὶ γίγαντες ἐπέθεντο αὐτῷ. *Nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes imposuerunt se illi.* Isa. 34. LXX. cùm versu 13. ἐπαύλεις Σειρήνων *cubilia Sirenum*, dixissent, adiecerunt, καὶ …τήσουσι δαιμόνια ὀνοκενταύροις, καὶ βοήσονται ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον, &c. Latinus. *Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus* (id est Satyrus) *clamabit alter ad alterum, ibi cubabit Lamia, &c.* Threnorum 4. v. 3. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam.* Iob. 21. v. 33. *Dulcis fuit glareis Cocyti.* Amos 5. Arcturus & Orion. Iob 38. Pleïades, Arcturus, Lucifer, Vesperus nominantur. Iob, vltimo v. 14 Ἀμαλθαίας κέρας. *Amalthææ cornu*, Græci interpretes transtulerunt. Quid tibi videtur, Basili? an Gręci & Latinus interpres aniles illas gentiliũ fabulas suis suffragiis approbarunt? BAS. Non eam ob caussam ita loquuntur, Nearche, sed interdum, vt vulgari loquendi modo sese accõmodent. Quod Græcis potissimũ interpretibus Ptolemæo Philadelpho huiusmodi fabulis innutrito scribentibus necessarium fuit. Interdum etiam velut intento digito huiusmodi locutionibus fontes ostendat, à quibus fabulas suas hauserunt gentiles Poëtæ, vt probent, quemadmodum loquitur Firmicus, Mate. cap. 22. de erroribus profanarum religionum, *Nequissimum hostem generis humani de sanctis hæc venerandisque Prophetarum oraculis ad contaminata furoris sui scelera transtulisse.* Sic isto loco fontem fabellæ de bello

Scriptura nonnunquã ad fabulas poëticas alludit.

gigantum & Deorum obitet indicarunt.

Nemrod fuit vere Gigas. 13. Hic igitur post diluuium cœpit esse potens, aut etiam gigas in terra, primúsque tyrannidem inuasit, cum ante ipsum mortales patrum natúque maiorum authoritate potiùs quàm potentia regerentur. *Et erat robustus venator coram Domino*, aut vt LXX. loquuntur γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ, Gigas venator, contra (vel ante) Dominum Deum, Hebraicè גבר ציד quod diuerso modo possis interpretari pro varietate punctorum. Nam si legas גבר ציר *fortis venator*, vt noster interpres exponit, aut etiam gigas venator, vt septuaginta maluerunt, aut potens venatione, vt transtulit Vatablus. Sin legere mauis גבר־ציד erit *vir venationis*, siue, *vri venator*. Interptes Caldaicus venatinois nullam facit mentionẽ; sed eum duntaxat גבר־תקיף *virum fortem* appellat. Venator dicitur siue quòd venationem ferarum primus inuenerit, siue quòd, vt Augustino placet lib. 16. de Ciuit. cap. 4. fuerit *animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor*. Venator.

Coram Domino. 14. Cur autem dicatur *fortis venator coram Domino*, variæ sunt diffidentésque sententiæ. Aben Esra. vt Tostatus refert, venatorem coram Domino dici putat, quòd captas venatione feras altaribus admotas immolaret. Augustinus loco proximè laudato *contra Dominum* interpretatur. *Quod*, inquit, *non intelligentes nonnulli ambiguo Græco decepti sunt, vt non interpretarentur* contra Dominum, *sed* ante Dominum: ἐναντίον *quippe* & ante & contra *significat. Hoc enim verbum est etiam in Psalmo*. Et ploremus ante Dominum qui fecit nos. *Et hoc verbum est etiam in lib. Iob, vbi scriptum* est, In furorem erupisti contra Dominum. *Sic ergo intelligendus est gigas ille venator contra Dominum.* Sed hæc Chrysostomo non faciunt satis Homilia 30. in Genesin exeunte τὸ δ' ἀπέναντι κυρίου τοῦ θεοῦ, inquit, ἀντὶ τοῦ, ὑπ' αὐτοῦ παραχθεὶς, ὑπ' αὐτοῦ δεξάμενος τοῦ θεοῦ τὴν εὐλογίαν, ἢ ὅτι ἤμελλεν ὁ θεὸς δι' αὐτοῦ θαυμάζεσθαι, ὡς τοιοῦτον παραγαγὼν καὶ δείξας ἐπὶ τῆς γῆς· ἀλλὰ καὶ οὗτος πάλιν μιμούμενος τὸν πρόγονον, καὶ οὐκ εἰς δέον χρησάμενος τοῖς τῆς φύσεως προτερήμασιν, ἕτερον δουλείας ἐφεῦρε τρόπον, καὶ ἄρχων καὶ βασιλεὺς γενέσθαι ἐπιχείρησεν. *Et quod dicit coram Domino, hoc est à Domino constitutus; quippe qui Dei benedictionem acceperat; vel quòd Deus per hunc esset in admiratione habendus, quòd talem produxisset, & super terram monstrasset. Sed hic iterum auum suum imitatus, & abusus naturæ priuilegijs, alium seruitutis modum adinuenit, & princeps atque rex fieri attentauit.*

15. Abulensis venatorem coram Domino dici putat vel quòd luce palam, Deo & sole, vt loquuntur, spectante, homines quasi venatione captos occideret, vel contrà quòd occultis insidiis solique Deo notis homines ferarum instar in suos casses inducetet. Insulsè verò Ioannes Cario lib. 1. Chronicorum, venatorem coram Domino dictum existimat quasi Dei venatorem, quo significatum est ciuilem potestatem esse à Deo ordinatam, atque adeo quæ Dei ministra sit. Insulsius etiam Gaspar Peucer, & Philippus Melancthon in eiusdem Chronici supplemẽto eiusdem Nemrodis tyrannidi patrocinari voluerunt, quasi cùm mores sensim fierent deteriores, & grassari rapinis & cædibus aliqui cœpissent, Nemrodes regnum eo consilio suscepetit, vt mortales in officio contineret. Ita, inquiunt, primùm imperia armis constituta sunt per virum fortem, præsidia ordinantem, & ducentem, & iudicia præsidiis defendentem, quia sine executione lex est inanis sonitus, vt Æschines inquit, οὐδὲν ὄφελος πολιτείας μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπὶ ἀδικοῦντας. ideo dicitur Nemrod fuisse robustus venator coram Domino, id est venator ducens exercitum, vt armis cogeret homines ad legitimam obedientiam. Additur autem *coram Domino*, quod significat Deo dante ei robur, victorias & successum in constituendo & retinendo imperio. Artopæus apud Martinum del Rio sic interpretatur quasi fuerit insignis persecutor malorum, lattonum, furum, sicariorum. Vt meritò cum eodem del Rio exclamare libeat. *Vide quos hæresis canonizet.* Sectarii Nemrodum laudant.

16. Communis est sententia venatorem metaphoricè dici, vt Augustino placet, cuius locutionis exempla frequenter occurrunt. Psal. 90. 3. *eripuit me de laqueo venantium* 123. vers. 6. 7. *Non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Threnorum 3. vers. 52. *Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.* Robustus venator coram Domino; id est reuera & valdè robustus, & non solùm hominum opinione, qui falli possunt, sed etiam iudicio Dei, siue in oculis Dei qui æqua lance res omnes examinat. *Ab hoc exiuit prouerbium*, siue vt habetur in textu principe על־כן יאמר *idcirco dicetur* & vt loquuntur LXX. διὰ τοῦτο ἐροῦσι. Tanta videlicet fuit eius tyrannis & feritas, vt hoc adagium possit tyrannis omnibus conuenire. Venator dicitur metaphoricè.

17. *Fuit autem principium regni eius Babylon*, id est interprete Augustino, loco

ſæpe laudato, ante cæteras ciuitates condidit Babylonem, *quæ ciuitatum cæterarum gereret principatum. Vbi eſſet tanquam in metropoli habitaculum regni: quamuis perfecta non fuerit vſque in tantum modum, quantum ſuperba cogitabat impietas. Nam nimis diſponebatur altitudo, quæ dicta eſt vſque in cælum: ſiue vnius turris, eius quam præcipuam moliebatur inter alias; ſiue omnium turrium quæ per numerum ſingularem ſignificatæ ſunt, vt dicitur miles & intelliguntur multa millia militum.* Quod ſpectat ad tres illas ciuitates, Arach fuit Edeſſa, Achat Niſibis, Chalanne vel Seleucia, vel Cteſiphon. Vt author eſt Hieronymus in traditionibus Hebraïcis. Sed iam, ſi placet, videamus an ante linguarum gentiúmque diuiſionem Nemrodes regnare occeperit.

Babylon principium regni.

VI. *Appendicula de Orione & Titanibus.*

18 NEARCHVS. Imò, Baſili, quoniam Titanum & Orionis incidit mentio, ex re ſcire velim, antequàm progrediamur vlteriùs, an harum etiam fabularum fontes in ſcripturis inuenire poſſimus? BASIL. Refert Chronicon Alexandrinum ex Perſarum Babyloniorúmque ſententia Nemrod gigantem Babyloniæ conditorem in cælitum ordinem relatum in aſtris apparere, quem vocant Oriona. Cui Cedrenus adſtipulatur his verbis. Τὸν Νεβρὼδ ἀποθεώσαντες οἱ Ἀσσύριοι, ἐν τοῖς ἄστροις τοῦ οὐρανοῦ ἔταξαν, καὶ καλοῦσιν Ὠρίωνα. οὗτος κατέδειξε τὴν κυνηγετικήν, διὸ καὶ τὸ καλούμενον κύνα ἄστρον τῷ Ὠρίωνι συνῆψαν. *Nemrodo Aſſyrij diuinā adſcribunt naturam inter ſidera cæleſtia collocantes, & Orionem vocantes. Hic venandi artem primus protulit, itaque Orioni ſidus, quod canis vocatur, adiungunt.* Quæ cur repudiare debeamus, equidem non video.

Nemrod. eſt Orion.

19. Quid enim in Nemrodem cadere non poteſt, quæ Poëtæ de Orione fictis fabulis prodiderunt? ſi tamen inſulſas quaſdam, & Homero cæteriſque poëtices antiſtitibus ignotas de Orionis ortu fabellas exceperis. Nemrodes ἦν γίγας κυνηγός *erat gigas venator.* Orion, vt author eſt Euſtathius in 5. Odyſſ. κυνηγέτης ἄριστος ἦν, *optimus erat venator.*

Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

Μεμροδμος ὁ καὶ Ὑψουράνιος. inquit Sanchoniaton apud Euſebium lib. 1. προσπαράσχ. Nemrodem opinor intelligi Æonis ſiue Protogoni, ideſt Noëmi pronepotem. Dictus eſt Hypſuranius quaſi Alticæleſtis, vel quòd turrim ad cælum voluerit educere, vel quòd corporis magnitudine præ cæteris emineret. Orion vt loquitur Poëta,

Ingrediturque ſolo, & caput inter ſidera condit. 10. Æneid.

Nemrodem conſtat principem omnium gigantem fuiſſe qui poſt diluuium extiterunt. Orionem Homerus Odyſſ. λ'. gigantum præcipuum fuiſſe teſtatur agens de Oto & Ephialte.

Οὓς δὴ μηκίστους θρέψε ζείδωρος ἄρουρα,
Καὶ πολὺ καλλίστους μετά γε κλυτὸν Ὠρίωνα

Quos forma, & magno ſuperantes corpore Tellus
Nutriit omniparens poſt Oriona ſuperbum.

Ait Sanchoniaton Vſoum Memrumi fratrem ἀνιερῶσαι δύο στήλας πυρί τε καὶ πνεύματι, καὶ προσκυνῆσαι, αἷμά τε σπένδειν ἐξ ὧν ἤγρευε θηρίων. *Columnas duas igni & vento conſecraſſe, eas adoraſſe, & ſimul immolaſſe de feris quas venatione capiebat.* Hæc eadem, vt iam vidimus, Aben Eſra tribuit ipſi Nemrodi.

20. Vt autem gigantes à Chamo, *ita* Titanes & ipſi Deorum hoſtes à Iapheto videntur fuiſſe propagati. Vnde & Prometheus eorum vnus *ſatus Iapeto* à Naſone, *audax Iapeti genus*, ab Horatio, Ἰαπετιονίδης ab Heſiodo nominatur. Is ignem dicitur clepſiſſe dolo, & fraude mala gentibus intuliſſe, hominem è luto finxiſſe, & fictum igne, quem ætherea domo ſubduxerat, animaſſe, pœnáſque Ioui expendiſſe ſupremo ad rupem Caucaſeam deligatus. Quid aliud putamus his fabulam inregumentis adumbrari, quàm aliquem è Iapheti poſteris, cui Græci Promethei nomen fecerunt, primum fuiſſe qui humana ſpecie deorum ſimulacra finxerit, & idolorum cultum inuexerit, cùm iam antè Chami poſteritas ignem colere, eique rudem ſtatuam erigere cœpiſſet, vt Prometheus ignem à Ioue ſubreptum, id eſt diuinitatem quandam, idolis indidiſſe videatur. *Hoc fonte deriuata clades.*

Titanes. Prometh.

21. Miſſa eſt in terras Pandora, quam omnes dij ſuis donis ornauerant. Quid aliud quàm idololatriam putamus, quam ſcriptura meretricem frequenter appellat? Ex eius pyxide omnia mala prodierunt, *macies & mala febrium terris incubuit cohors.* Res ipſa loquitur. Pandora ſiue idololatria deorum omnium muneribus ornata calamitates omnes in genus humanum inuexit, & ea de cauſſa

Pandora.

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Plena malis tellus, plenum mare.

Eam è pyxide, quam gestabat, operculum remouisse fabulantur, omnes inde clades erupisse, iniectum nutu Iouis operculum, spem solam in fundo remansisse.

Hesiodus in operib.

Μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι

Ἔνδον ἔμιμνε, πίθου ὑπὸ χείλεσιν, &c.

Pyxidis infractæ fundo spes sola remansit.

Hinc videlicet fabula manauit, quòd gentibus ad idola prolapsis, & in profundam scelerum omnium voraginem demersis spem reliquit Deus, fore vt plenitudine temporum euoluta, mitteretur desideratus gentibus & expectatio gentium, & in semine Abrahæ benedicerentur omnes nationes. Sed miseri gentiles diuinæ veritatis ignari tam perspicuæ veritati sexcentas fabularum offucias illeuerunt. Interim tamen liquet, quod modò dicebam, *nequissimum hostem generis humani de sanctis hæc venerandisque prophetarum oraculis, ad contaminata furoris sui scelera transtulisse.*

22. Habes, Nearche, de Titanibus & Orione quid sentiam: Orionem esse Nemrodem, Titanas è Iapheto procreatos, & in his Prometheum qui primus idola confinxerit. Sed quoniam tu ad has me fabulas auocasti à sententia Meropis, ad ipsum Meropem & Eulogium appello, ab iisque etiā atq; etiam contendo, vt quæ me demonstraturum esse promiseram, ad ea te protinus exhaurienda compellant. MEROPS. Omnino sic videtur. EVLOG. Age igitur Nearche, auemus ex te primùm audire,

---

§. VII. *Vtrùm Nemrodes ante linguarum confusionem Babylone regnauerit.*

23. NEARCHVS. Hæc quidem vis est & aperta coniuratio, tamen obtemperandum ne brachia cōtra torrentem, vt loquuntur, videar opponere. Illud igitur imprimis in exponenda scriptura statuendum videtur, non solùm vt propriæ genuinæque verborum significationi, quantum fieri potest, mordicùs hæreamus, nec vbi potissimùm res gesta narratur, fas esse dicamus ad tropos & figuras citra grauem caussam recurrere; sed etiam, nisi quid aliud necessitas persuadeat, eam narrationis ordinem rerumque gestarum seriem sequendam putemus, quæ in ipsa rerum expositione contexitur. Vt nec facilè per prolepsim anticipari dicamus res subsequentes, nec antecedentes posterioribus quadam recapitulatione subnecti.

In explicanda scriptura, verbis & ordini hærendum.

24. Sed nimirum μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, & in hoc genere *medio tutissimus ibis*, si neque narrationis ordini, cùm aliud ratio suadet, etiam cum veritatis dispendio tenaciùs insistas, neque, cùm nulla necessitas incumbit, seriem narrationis inuertas. In quo genere viros etiam graues aliquando deceptos aduertimus. Et, vt ne longiùs exempla ducantur, Seuerus Sulpicius lib. 1. historiæ sacræ *Cùm multiplicaretur*, inquit, *humanum genus: diuersaque loca atque insulas mortales haberent, vna tantùm omnes lingua vtebantur, donec se in vnum dispergenda per totum orbem multitudo contraxit.* Hîc vt videtis, quia Moses postquam cap. 10. gentium insulas à Iapheti posteris habitatas fuisse dixerat, capite sequenti linguarum confusionem subtexuit, putauit Insulas habitari cœpisse, priusquam Deus linguarum diuisionem immitteret. Sed hîc agnoscendam prolepsim ipsa scriptura clamat asserens vnumquemque *secundum linguam & familias* in Insulis habitasse. Quid? quod Philastrius Brixiensis, quia legerat Insulas vnicuique secundum linguam suam esse diuisas, hæresis eos condemnat qui ante linguarum confusionem, omnes mortales vna lingua locutos fuisse existimant, & terram fuisse *labij vnius, & sermonem eorumdem* interpretatur, quia mortales ante Babylonicam confusionem, habebant *angelicam gratiam, id est multarum linguarum scientiam*, sed contra Deum *conātes progredi, perdiderunt gratiam, quam sine vllo labore diuinitus habebant concessam.*

Sed seruandus in eo modus.

Sed vitia sanctis, si religiosiùs interdum ordini Mosaicæ narrationis hæserunt, facilè ignoscas: illis autem qui nulla vel leuissima ratione compulsi turbant rerum gestarum seriem, & posteriora prioribus anteponunt, haud scio an perinde debeat ignosci.

25. Hoc iacto disputationis nostræ fundamento mihi magis arridet, quod paulo antè Meropem nostrum censuisse dicebas, Eulogi, vt ante linguarum dissidium tyrannidem humani generis à Nemrode malis artibus occupatam fuisse dicamus, & conditas Babylonem, Niniuem, aliásque ciuitates quæ Genesis cap. 10. numerantur. Tum quòd prius ista narrentur, quàm diuisio linguarum, nihilque nos cogat hoc quidem loco ab ordine scripturæ discedere, tum quòd sanctorum Patrum & imprimis Theophili, qui secundo seculo vixit, quintúsque post Petrum fuit An-

Nemrodes regnauit ante linguarum dissidium.

tiochenorum antistes disertè conceptam anthoritatem habeamus. πρὸ τοῦ τὰς διαλέκτους μερισθῆναι, inquit lib. 2. ad Autolycum, αὗται αἱ προγεγραμμέναι ἐγενήθησαν πόλεις. *Ante linguarum diuisionē conditæ sunt eæ quæ suprà scripta sunt ciuitates.*

26. Quid August. cùm verbis iam à Basilio laudatis Nemrodem ait Babylonis fuisse conditorem, *quæ cæterarum ciuitatum gereret principatum, vbi esset tanquam in Metropoli habitaculum regni, quamuis perfecta non fuerit vsque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas.* Cùm eodem cap. exeunte sic loquatur exponens *quid sit venator, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor? Erigebat ergo cum suis populis turrem contra Dominum, qua est impia significata superbia. Meritò autem malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus autem ipsum pœna quale fuit? quoniam enim dominatio imperantis in lingua est, ibi damnata est superbia, vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere vt obediret Deo, sic illa conspiratio dissoluta est, cùm quisque ab eo quem non intelligebat, abscederet; nec se nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret.* Cùm eodem lib. 16. de ciuit. cap. 11. infra medium, non certum, sed duntaxat *probabilius* esse dicit, *quòd Nemrod fecerit etiam ipse gentem suam*, an non apertè significauit ea quæ de Nemrodis regno dicuntur, cuius principium Babylon, ante linguarum dissidiū contigisse? Quomodo enim vrbē cōdebat vbi esset habitaculū regni, si nōdū generis humani regnū inuaserat? Quomodo turrim cum suis populis erigebat, si nondum populos subditos habebat? Quomodo dominium imperantis linguarū confusione sublatum est, si Nemrodes nullis adhuc subditis imperabat? Omitto cæteros vno contentus Abulensi. *Erat*, inquit, *gigas corpore, audax mente, viribus robustus, consilio discretus, dominandi auidus, ideo gentem adhuc rudem quibusdam persuasionibus ad se applicuit, vt dominaretur in eis*, & clariùs aliquanto pòst. *Post diluuium*, inquit, *iste fuit primus omnium Regum, cùm adhuc hominibus cōgregatis ante Babylonicā diuisionem imperaret.* Atque hæc sunt quæ nobis persuadent Nemrodem ante linguarum gentiúmque dispersionem regnum occupasse, Mosaicæ narrationis contextus, & Augustini, Theophili, aliorúmque Patrum authoritas.

27. Aduersarij verò quid afferunt? non fuisset, inquiunt, hoc regnum Assyriorum, vel Arabum, vel Ægyptiorum, sed omnium hominum. Proprietas enim vt bonorum, ita & subditorum diuisionem ac distinctionem supponit. En cur sibi fas esse putent peruertere seriem historiæ, & à maiorum authoritate discedere. Quasi verò quisquam hactenus somniarit regna Babyloniorum, Arabum, Assyriorum, Ægyptiorum ante diuisionem gentium extitisse: aut non putemus Nemrodem totius humani generis tyrannidem affectasse, iisque cœpisse dominari quos vel allexerat blanditiis & eloquentia, vel promissis excitarat, vel minis, contumeliis, cæterisque malis artibus in suam factionem adduxerat, cuius regni sui principium & caput voluit esse Babylonem. Ratio aduersariorū expeditur.

28. Atenim credibile non est tot colonias, quot Genes. 10. recensentur, partim in campum Sennaar, partim in Assyriam ante gentium diuisionem esse deductas. Id certò dicere non poterunt omnes pene recentiores, qui Ninum Nemrodis filium fuisse, atque adeo paulò post confusionem Babylonicam floruisse defendunt, quo regnante iam ita genus humanum excreuerat, vt si Diodorum Siculum audimus, equitum ducenta millia; peditum decies septies centena millia sub signis haberet. Quod iam tum fieri potuisse lib. 9. de Doctrina temp. cap. 14. doctissimus Petauius arithmetica progressione demonstrat. Cùm igitur ante linguarum confusionem sic exuberaret hominum multitudo, vt iis omnibus alendis vna Babylonia commeatum subministrare non posset, necesse fuit vt annonæ quærendæ caussa vicinas etiam regiones deductis Nemrodis, opinor, iussu coloniis occuparent. Et eam ob rem de terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuem & cæteras vrbes. Quod ita factum putamus, vt multas quidem vrbes, sed vnam duntaxat habuerint ciuitatem, & quantouis locorum interuallo Nemrodis vnius, cuius imperio transscriptæ fuerant, imperio subiacerent. Vnde & Theophilus Nemrodem harum omnium conditorem agnoscit. Νεβρὼδ δ' ᾠκοδόμησεν πόλεις, τὴν Νινευί. *Nemrod autem vrbes cōdidit, Niniuem, &c.* Quamuis etiam fieri potest, vt Assur Semi filius seruandæ libertatis studio, cum sociis *quibus aut odium crudele tyranni*

Aut metus acer erat,

è terra Sennaar sponte secesserit. De quo nihil opinor, nocebit audire Tostatum 10. cap. Genes. ita disserentem. *Assur vir nobilis de genere Sem, cùm nollet repugnare Deo, videns intentionem peruersam aliorum ædificantium turrim, fugit de terra illa, &c. & ædificauit ibi ciuitatem magnam quæ post*

Coloniæ ante diuisionem deductæ.

multum tempus à Nino Rege Niniue dicta est.

29. Enimuero vereri Chamus, Nemrodes & alij tyrannidis fautores, ne qui secesserant, paulatim ceruices iugo subducerent, & iuxta Noëmi prophetiam Sem & Iaphet Chami posteros suæ subijcerent ditioni. Extructa turri non solùm altissima, sed etiam munitissima tyrannidem stabilire arcemque parare, quo faciliùs vsurpatum semel imperium retinerent.

§. VIII. *An ducta Linguarum confusione Nemrodes Babylonis retinuerit principatum.*

30. SEd nimirum. οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, κιχάνει δὲ βραδὺς ὠκύν.

Assequitur tardus celerem, mala nec bene cedunt.

Incidit Nemrodes in foueam, quam fecit: tanquam fortis venator retia multis tetenderat: in ea ipsa prolapsus est. Multos promissis, blanditiis, eloquentia pellexerat: Deus eius impietatem linguarum confusione mulctauit, vt nec multis loqui posset, nec à multis intelligi. Erigebat arcem suæ tyrannidis, qua Noëmi prophetiam, Deique maledictionem Chami posteris inflictam eluderet: Deus immissa diuisione linguarum, impiorum consilia dissipauit. Insanis ille substructionum suarum molibus regnum munire satagebat: sed comprehensus est sapiens in astutia sua, & infirma mundi Deus elegit, vt fortia confunderet, non rugientium fremitu belluarum, non maris tumultu, non tonitruum fragore, non turbinum impetu, sed inducta vocis humanæ (qua quid leuius, aut fragilius?) varietate tyrannicas superborum molitiones ita disiecit, vt arcem quam tyrannidi suæ parabant, non modò non retinerent ipsi, sed etiam iis quos cōtra ius omne oppresserant, & à quibus partim in seruitutem redigendi, partim, vt euentus docuit, internecione delendi erant, cedere cogerentur.

Nemrod quomodo punitus.

31. Et sanè, cùm ad coërcendam potissimùm Nemrodis superbiam, vt Augustino placet, & impiorum consilia dissipanda Deus hominum linguas confuderit, & pro linguarum diuersitate gentes inter se distinxerit, non sine causâ suspicari licet Nemrodem inducta linguarum confusione, cùm sesquisque ad eum, cuius linguam intelligere poterat, aggregaret, ab eo, quem non intelligebat, abscederet, aliis aliò dilabentibus, ad eam redactum fuisse paucitatem, vt ægrè gentis nomen sustinere posset, & à quibusdam fortioribus, ex vrbe quam regnum gentibus facere destinarat, extrusus, cæteris vberrimas quasque regiones occupantibus, compingeretur in quasdam montium sterilium angustias. Et cùm scriptura dicat *principium regni eius Babylon*, suspicari quis possit ibi finem regni eius non fuisse, & cœpisse quidem regnare in campo Sennaar, sed exorta linguarum diuisione rerum suarum domicilium aliò transtulisse. Sed quoniam hæ quæstiones sic aptæ sunt inter se & implicatæ, vt qui vnam non euoluerit, cæteras explicare non possit, plus etiam præstabo, quàm exegeras, Basili, & paucis indagabo,

Nemrod eiectus Babylone.

§. IX. *Quis extrusô Nemrode obtinuerit Babylonem.*

32. EA citra controuersiam tanquam primaria generis humani sedes Semo Noëmi primogenito debebatur hereditas, vt cùm cæteri ipsius Liberi vicinas Babyloniæ regiones, Elam Persidem, Assur Assyriam, Lud Lydiam, Aramus Armeniam & Mesopotamiam obtinerent, Arphaxadus maximus natu; quippe qui biennio post diluuium vitam exorsus est, campum Sennaar & Babylonem sibi vendicaret. Nisi fortè si quis ignorat Arphaxadum Chaldæorum patrem non solùm ab Hebræis, sed etiam à Græcis Latinisque Patribus passim vocari; aut quisquam ita peregrinus est in scripturis vt non intelligat eos esse Chaldæos qui Babylonij nuncupantur, quamuis profani Babyloniorum Philosophos tum aliis sapientiæ partibus, tum præsertim astrologiæ vacantes Chaldæos libentius appellant, & si cum Ptolemæo propriè strictéque loqui volumus, Chaldæam Babyloniæ partem esse dicemus. Nullum tamen inter Chaldæos & Babylonios discrimen scriptura videtur agnoscere. Taceo Abrahamum, quem nemo nescit origine fuisse Chaldæum, & tum à Philone, tum à sanctis Patribus Babylonium sine discrimine nominari.

Arphaxad obtinuit Babylonē.

33. Aut igitur facta linguarum diuisione Chami nepotes non sunt à Semi posteris segregati, quod & per se absurdum videtur, & scripturæ diuinæ contrarium, aut, quod nemo somniauit, Tharæus tanquam hospes & peregrinus, in Chaldæa Chamitis destinata, in medio nationis prauæ versatus est, aut Abrahami maiores gigante depulsô, & in alias terras amandato Chaldæam siue Babyloniam iam inde ab initio tenuerunt.

34. Scio non deesse viris doctis & ingeniosis argutias quibus susceptam semel sententiam tueantur. Negare non possunt ab Arphaxado conditos esse Chaldæos, quod tum Iosephi, tum Hieronymi & aliorum euincit authoritas: sed Nemrodem aiunt robustum venatorem duos patruos suos Assur & Arphaxad è propriis sedibus exturbasse: aut certè Ninum filium eius qui primus dicitur bella finitimis intulisse. Sed quantò satius erat nihil dicere quàm dicere quod dicunt, & nullo penitus emolumento diuinare? Esto enim Arphaxadum Nemrod eiecerit, an adeo minùs sequetur aut Nemrodem cessisse Chaldæâ, aut si non cessit, Chami posteros iam inde à dispersione gentium cum Semi nepotibus habitasse? Certè quocumque se transtulerit Arphaxadus, siue in Mediam, vt quidam hariolantur, siue in Susianam, vt Arias Montanus diuinat, certum est eius posteros in Chaldæa substitisse: ibi natum Abrahamum, eum inde cum patre suo fugisse, & in Mesopotamiam migrasse, *quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum qui erant in terra Chaldæorum*. Iudith 5. v. 6. An quia Nemrodis Deos colere nolebant, eiúsque cultus & ceremonias respuebant? quod huiusmodi rei reperiemus vel in scriptura, vel in traditione, vel in Patrum authoritate vestigium? Imò, vt v. 8. subnectitur, *deserentes cerimonias patrum suorum qui in multitudine Deorum erant, Deum cæli coluerunt*.

Abrahami maiores in Chaldæa

35. Merops. Atqui, Nearche, constans est Hebræorum traditio, quam Hieronymus non modò probabilem, sed etiam veram esse defendit, *quòd egressus sit Thare cum filijs suis de igne Chaldæorum, & quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus*. Patriarcham accusante patre, iussu Nemrodis in ignem esse coniectum ex eadem traditione liquet. Quam si admittimus, Nemrodem in Babyloniâ substitisse fatendum est. Si negamus, non solum Hieronymo, sed etiam scripturæ fidem derogamus. Esdræ 2. c. 9. v. 7. *Elegisti Abram & eduxisti eum de igne Chaldæorum*.

Abraham ab igne liberatus.

Nearchvs. Equidem, Merops, si traditio Iudæorum iis se finibus contineret, quibus eam Hieronymus circumscripsit, & ex ea Nemrodem probares post linguarum dissidium in Babylonia consedisse, nonnihil commoueret. Sed cùm hæc nouitia de Nemrode commenta vereri traditioni, Rabini quidam recentiores aspexerint, quæ proinde à Tostato, Lyrano, aliisque viris doctissimis meritò confutentur, caussæ nihil est cur de nugis illis Rabinicis admodum laboremus. Evlog. Macte Basili. Iam Nearchi nostri rationibus Babylone & campo Sennaar fortis ille venator excussus est: restat vt ei locum assignes, & exponas,

§ X. *Quem in locum migrauerit Nemrodes deiectus Babyloniæ principatu.*

36. Basil. Duram mihi prouinciam imponis, Eulogi, qui me locum assignare Nemrodi iubes, qui ne terra quidem vniuersa contentus nitebatur ad cœlum ipsum adscendere. Duas tamen coniecturas suspicionésque proponam: si certam iis fidem habendam non putaris, id etiam me authore facietis. Sunt, vt author est Epiphanius initio Panarij, qui eum Zoroastrum fuisse putent Bactrianæ gentis & artis magicæ conditorem. Alij, vt Isidorus & Ado Viennensis in Chronico, eum voluntad Persas migrasse & ignis religionem iis gentibus inuexisse. Difficile est sola coniectura tricas adeo perplexas euoluere; constat tamen apud omnes duas hasce regiones Semi posteris assignatas fuisse, & ita terras primis illis mortalibus attributas plerique sentiunt, vt post Babylonicam confusionem ex terrarum plagæ, quæ ab Euphrate per meridiem, ad Ortum extenduntur, Semitis obuenerint; Iaphetitis Asia minor, Europa, mediterranei maris Insulæ, omnes denique regiones quæ Babyloni & Euphrati comparatæ Septemtrionem & Occasum respiciunt, imò & ad Ortum se per Aquilonem longè latéque portexerint: Chamitis autem Æthiopia, Ægyptus, Africa & omnes ij terrarum tractus qui per Meridiem ab Occasu porriguntur.

Terrarum diuisio.

37. Atque hæc est, vt bene Merops aduertit, sed in Nearchi nostri gratiam, iterum dicendum est, celebris illa rerum sortitio, qua Poëtarum fabulis non ex toto confictis.

Pluto solum, Neptunus aquas, & Iupiter astra
Obtinuit.

Quod verum esse scies, si nomine Iouis Semum, Neptuni Iaphetum, Plutonis Chamum interpretêre. Etsi autem Iaphetus penitude atque Chamus Occasum sortitus est, Chamo tamen Inferi potissimùm tribuuntur; tum quia Iaphetus etiam ad ortum suæ funiculum distributionis extendit, tum quia Chami non solùm ad Occasum, sed etiam ad Meridiem vergebat hereditas, polus Meridionalis subter terram

depressus perpetuò latet, cùm polus Arcticus siue Septemtrionalis nobis semper sublimis appareat: Oriens autem, vt Lactantius à Merope laudatus aduertit, pars mundi creditur esse superior, quia lumen inde terris infunditur.

38. Vbinam igitur dicemus Nemrodem facta linguarum diuisione rerum regnique sui domicilium collocasse? Res ipsa loquitur. Nemrodes gigas fuit, vt tum LXX. seniores, tum plerique omnes Patres Græci Latiníque sentiunt: fuit idem è Chami stirpe propagatus. Vt Chamita debuit cum suis versus Meridiem & Occasum secedere. Vt gigas, dubitari non potest quin Babylone pulsus eam terræ plagam occuparit, quæ ab euentu nomen terræ gigantum sortita est. Vbi autem gigantum terra? Ea sine dubio fuit inter Iordanem & Ægyptum, quam postea Basanitæ, Idumæi, Moabitæ, & potissimum Ammonitæ tenuerunt. Quo id authore stabilimus? ipso Mose Deuteron. 2. v. 10. de Moabitide. *Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus & validus, & tam excelsus, vt de Enachim stirpe, quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enachim. Denique Moabitæ appellant eos Emim*, quasi terribiles & truculentos. De Ammonitide vers. 20. ארץ רפאים *terra gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim.* Hos tamen Genesis 14. v. 5. Zuzim appellat, vbi & Chorrai, alij gigantes dicuntur in montibus Seir habitasse. De terra Basan Deuteronomij 3. v. 11. *Solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius qui est in Rabath filiorum Ammon nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram virilis manus.* Eorum tamen aliqui Iordanem transgressi Cariath-Arbe siue Hebron in Chanaanitide tenuerunt, quos Moses Enachim, quasi Torquatos, frequenter appellat, & Iosue 14. *Nomen Hebron autem vocabatur Cariath Arbe. Adam maximus ibi inter Enachim situs est.*

Terra Gigantum.

39. Porro quamuis Ammonitis terra Rephaim reputaretur, videtur tamen id nominis Balsanitidi potissimùm conuenire. Deuteron. 3 vers. 13. *Reliquam autem partem Galaad & omnem Basan regni Og tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob, cunctáque Basan vocatur terra Gigantum.* Hîc, vt author est Hieronymus de locis Hebraicis, fuit *Astaroth antiqua ciuitas Og Regis Basan, in qua habitauerunt gigantes.* Quàm etiam Astaroth Carnaim nominabant, positam trans fluenta Iordanis in supercilio Sodomorum, vt ibidem loquitur Hieronymus. Vnde & Nemrodē inter eos gigantas fuisse hoc etiam vestigio deprehendemus, quòd vt doctissimi viri Martinus Del-Rio, & Cornelius commentariis in 14. Genes. aduertunt, à Dianæ cultu nomen acceperat, dicebatúrque Astaroth laruaim quasi Vrbs Dianæ siue Deæ corniculatæ consecrata. Astaroth enim communis erat Dearum appellatio, perinde vt Bel siue Baalim Deorum, hisque duobus vocabulis,

πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θεαῖναι in scriptura nominantur, קרנים autem in numero duali cornua dicuntur, & Orion Nemrodes robustus venator, Dianam venationis Deam efflictim deperisse legitur, *& integræ Tentator Orion Dianæ* à Lyrico nominatur.

---

§. XI. *Vtrùm Ninus Rex Assyriæ Nemrodes fuerit aut saltem ab eius stirpe propagatus.*

40. NEARCHVS Atqui, Basili, videtur Nemrodes Babylonem & in terram Senaar postliminio reuocandus. BASIL. Quid ita, Merops? MEROPS. Quæstionem habemus enodem, si doctissimorum virorum spectetur authoritas. BASIL. Quo pacto? MEROPS. Constat apud omnes Ninum in Assyria & Babylonia floruisse. Hunc alij Nemrodem ipsum esse existimant, vt Chronicon Alexandrinum, Mercator, & Tirinus cap. 12. Chronici sacri, & rursum cap. 15. Sed commentariis in Genesim cap. 10. in alia videtur esse sententia. Alij, vt Ioannes Funccius, alijque permulti magistrum suum Berosum Annianum secuti, Nemrodem esse Saturnum Belum, Iouis Beli patrem, Nini auum esse defendunt. Alij, vt Pererius, Cornelius à Lapide, Del-Rio in 10. Genes. Torniellus & Salianus in annalibus, Bellarminus & Gordonus in Chronologia. Petauius lib. 9 de doctrina temp. cap. 13. alijque passim vno ore consentiunt Ninum fuisse Nemrodis filium, ac proinde progeniem Chami regnum Assyriorum obtinuisse contendunt.

Ninus an Nemrod.

41. Constat enim Ninum primum fuisse Niniues conditorem ex Hieronymo, cui omnes assentiuntur, inquit Ribera in cap. 5. Oseæ, Num. 37. Qui prius in Babylonia regnauit, quem nec filium Sem, nec de eius posteris fuisse multò sibi probabilius videri dicit, sed de stirpe Cham, cum filij Sem nequaquam in Babylonia regnaue-

Ninus Nemrodis filius.

rint, vt è cap 10. Genes. planè cognoscitur. Suum Eusebium esse dicunt initio Chronici, suum Hieronymum in cap. 2. Oseæ, suum Augustinum lib. 16. de ciuit. cap. 17. suos alios plerosque veteres qui Nemrodem eundem esse cum Belo volunt, cum Ninum secundum Regem Assyriorum & Beli proximum successorem fuisse litteris prodiderunt. Et sanè, vt optimè ratiocinantur, Qui primus Babylonem condidit, est Belus, vt scripsit Abydenus apud Eusebiũ l. 9. παρασκευ. exeunte, nemo enim antiquior proferri potest. Atqui ex scriptura & Iosepho, & omnibus scripturæ interpretibus Nemrod primus Babylonem condidit, in eaque primus regnauit. Ergo idem est Nemrod cum Belo. Quid? quòd, vt argumentarur Tirinus, in vtrumque quadrant quæ de tempore, quæ de loco, quæ de tyrannide & imperio, quæ de pratiis motibus vtriusque Eusebius in Chron. Hieronymus quæst. heb. Augustinus lib. 16. de ciuit cap. 7. & alij scriptores tradidere. Vtrumque faciunt primum Monarchiæ Assyriacæ authorem, vtrumque primum regem & conditorem turris & vrbis Babel, seu Babylonis, vtrumque primum authorem idololatriæ, vtrumque regnasse annis quinque & sexaginta.

42. Quæ tanti videntur esse momenti vt eruditissimus Annalium scriptor anno mundi 1932. postquam scripturæ Patrumque testimonio demonstrauit, Nemrodem cœpisse esse potentem in terra, siue primum omnium regum extitisse, tandem numero 5. in has voces erupetit. *Quæ si satis stabilita sunt, si scripturæ imprimis consentanea, si multis antiquis & recentioribus approbata doctoribus, exsufflantur illa Chaldæorum & Arabum, quæ ex Africano & Manethone referuntur, Dynastiæ, cum tredecim Regibus qui ante Belum siue Nemrod in Babylonia regnasse dicuntur annis 440. Sed & Ægyptia illa quarum quindecim natiuitatem Abrahæ anteuertunt, vt refert Eusebius initio chronici. In fabulis quoque numerandum, quod de Vexore Ægypti Rege, & Tanai Rege Scythiæ tradit Iustinus, quos vult Assyriorum temporibus antiquiores, quando diuisio linguarum & gentium nondum contigerat.* Hæc ad verbum vit eruditus, & anno mundi 1997. num. 3. ait hallucinari Diodorum lib. 2. ineunte, cùm ait Ninum ex Assyria profectum bellum Babyloniis intulisse, cùm potiùs Nemrodis Babyloniæ Regis filius fuerit Ninus, & è paterno regno egressus Assyriam subiugarit.

43. Quæ mihi pene meam de Assyriorum Regibus à Semo propagatis orationem retexendam esse persuadent, ne brachia quod aiunt, contra torrentem videar opponere. Dicamus igitur, si placet, linguarum gentiúmque diuisione diuinitùs inducta, Nemrodem quamuis è maledicta stirpe Chami procreatum addictúmque seruituti, tamen in campo Sennaar & Babylone substitisse, ibique regnasse tam feliciter, vt filium Ninum reliquerit, Assyriç monarchię conditorem, adeo felicem & illum, vt regnum iniuriâ partum per annos mille trecentos.

Et natis natorum, & qui nascentur ab illis.

ad Sardanapalum vsque transmiserit, auream videlicet illud statuæ, siue Monarchiarum omnium caput, vt probat expositio Danielis. Incredibilia loquuntur, fateor; Cap. 2.

Sed illos
Tutatur numerus, iunctæque vmbone Phalanges.

vt penè securiùs sit cum tam multis, tamque eruditis errare, quàm vel solum vel cum paucis bene sentire.

XII. *Constitutio quæstionis.*

44 BASILIVS. Tamen, Merops, *ferro rumpenda per hostes*
Est via, qua globus ille virûm densissimus vrget.

Quanquam lapsus sum verbo: non ferro, sed ratione, non per hostes, sed humanissimos viros, quos omnes, si tamen Functium & Mercatorem exceperis, & à te honoris caussa credo nominatos, & vel superstites obseruo, vel iam μακαρίτας religiosè veneror; per hos, inquam, limes agendus est, ad ipsam, si fieri poterit, veritatem.

45. Cardo quæstionis in eo versatur, vtrùm Assyriæ monarchiæ fundator, quem Diodorus Siculus libro 2. ineunte Iustinus libro 1. aliíque passim Ninum appellant, fuerit de stirpe Semi, qui paternam benedictionem acceperat, an de maledicta Chami progenie propagatus per Nemrod gigantem qui primus omnium Babylonis tyrannidem occupauit. Nos Nini genus, adeoque Beli, qui Nini pater fuit, à Semo deducimus: illi Belum cum Nemrode confundunt, & Ninum vel ipsum Nemrodem, vel eius nepotem aut potiùs filium, Chusi nepotem, Chami pronepotem esse defendunt. Illi Ninum eum ipsum es-

se volunt, cuius meminerit Moses 10. Genes. vers. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuem.* Ninum, inquam, Nemrodes filium esse volunt, qui post mortem patris, Babylone, vbi Nemrodes regnare occœperat, egressus Assyriis bellum intulerit, & à deuicta gente nomen Assur acceperit. Nos cum Augustino, Hieronymo cæterísque, quos paulo pòst laudare decreuimus, Assur illum, qui dicitur egressus de terra Sennaar, eum ipsum esse dicimus de quo versu 22 subnectitur: *filij Sem, Elam & Assur*, qui egressus de terra Sennaar, ædificauerit eam vrbem & plateas ciuitatis quæ secutis temporibus à Nino magnificentiùs extructa nomen acceperit. Illi regnum Babylonicum cum Assyriaca monarchia confundunt: nos vtrumque distinguimus, vt videtur distinxisse Moses aiens Assur vrbis Niniuæ conditorem de terra Sennaar exiisse. Volunt illi Babylonios victores totam imperij gloriam ad victos Assyrios ita transtulisse, vt Assyria totius obtineret Asiæ principatum, & non Babylonicorum, qui vicerant, sed Assyriorum, qui victi fuerant, monarchia diceretur: Nos dicimus Ninum ab Assur propagatum, deuictis primùm Babyloniis cæterisque vicinis gentibus, deinde finibus Imperij ad Bactra prolatis Assyriacam monarchiam condidisse. Suam illi sententiam veterum testimonio confirmant: nos nostram eorumdem authoritate defendimus. Atque tota res vt liquidior euadat, pretium facturus operæ videor, si paucis ostendero,

IX. *Quis fuerit Belus, Cælum, Saturnus, Iupiter, cæterique Dij gentilium.*

46. Etsi gentes omnes originem suam voluerunt à Diis accersere, suósque singuli conditores Iouem & Saturnum esse dixerunt, constat tamen eas opinionem hanc latiùs propagasse, altioribúsque fixisse radicibus, quæ cæteris antiquitate præstarent, & vel ingenij vel imperij sui fines longiùs protulissent, ea maximè tempestate, qua rudes & simplices animi superstitionem faciliùs imbibebant. Cuinam igitur Assyrij primæ monarchiæ conditores Cæli, Saturni, Iouis aut etiam Beli, nomen indiderunt? Nolo meas suspiciones pro veris & germanis oraculis venditare: felices alii quibus id impunè licet, & quos, vt aiebat Metops noster.

Defendit numerus, iunctæque vmbone phalanges.

Suspicor tamen, sed suspicor, non assero, Semum fuisse Cælum, Assur Saturnum, eius siue filium siue nepotem fuisse Iouem Assyrium, eos tamen omnes Beli nomine consecratos. Certè Hesychius author est cælum βηλὸν appellari, & Eustathius in illum versum primæ Iliados.

Belus vnde.

Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο

Hunc pede protendens Belo deiecit ab alto.

Scribit βηλὸν Assyriis idem esse quod οὐρανὸν Græcis, vnde fieri potest vt modico flexu cæli nomen profluxerit.

47. Neque tamen, opinor, Belus si propriè loquamur, nomen proprium, sed vt vocant, appellatiuum fuit, quod omnibus è cæli familia in numerum deorum relatis & indigetibus conueniret. Vnde Belphegor, Belzebub, Belsemen, & alia sexcenta. *Baal enim*, inquit Theodoretus in Ieremiam cap. 32. *nómen est idolorum generale*, & scriptura frequenter Baalem numero multitudinis vsurpat. Eupolemus certe apud Eusebium lib. 9. præpar. duos Belos Babylonios agnoscit & בעל nihil aliud est, quàm, vt etiam Hieronymus interpretatur in cap. 2 Osee ὁ ἔχων, habens, Dominus siue possessor, & passim maritus Bahal vxoris suæ nominatur: latiùs etiam vsurpatur, vt Genesis 37. vers. 19. *Ecce somniator venit*, Heb. בעל החלמות *magister somniorum*, Gen. 49. 23. *habentes iacula*, בעלי חצים *Domini sagittarum*. Prouerbiorum 1. 17. בעל כנף *pennatus, compos pennæ*. Prouerb. 29. 22. בעל חמה *Dominus vel author excandescentiæ*, vel *ad indignandum facilis*, vt noster exponit. Iam, vt ait Augustinus lib. quæst. in Iudices cap. 16. *Solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Iouis, Astarte Iunonis, quod lingua Punica putatur ostendere. Nam Baal Punici videntur dicere Dominum, vnde Balsamem quasi Dominum cæli intelliguntur dicere: Samem quippe apud eos cæli appellantur: Iuno autem sine dubitatione ab illis Astarte vocatur.* Hæc ille. Sanchoniaton tamen temporibus etiam Troianis antiquior Solem ait à Phœnicibus Baalsemen nuncupari apud Eusebium lib. 1. de præpar. Euang. alij Saturnum, alij Belum Herculem appellant, vt author est M. Tullius lib. 3. de natura Deorum. Astartem Iunonem vocat Augustinus: Tullius ibidem quatuor Veneres enumerans: *Quarta, inquit, Syria, Tyróque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est*: alij, vt iam vidimus, Lunam siue Dianam Astaroth, Carnam

Baal. Astarte. Baal Semê.

Astartem corniculatam indigitant.

48. E quibus efficitur Baal siue Belum esse nomen idoli generale, quod cæteris quidem etiam diis tribueretur, sed iis, qui erant è cæli stirpe propagati, potissimùm conueniret. Et sanè, vt ad Eustathium reuertar. Βῆλον δέ τινες τῶν ἀρχαίων, inquit, εἶναί φασι τὴν περίοδον τοῦ αἰθέρος καὶ τῶν ἀστέρων· ἕτεροι δὲ τὸν ἀνωτάτω, καὶ πάντα περιέχοντα ἀέρα. τινὲς δέ φασι τὸν τοιοῦτον βῆλον, κατὰ Δρύοπας μὲν, ὄλυμπον εἶναι, κατὰ δὲ χαλδαίους, οὐρανόν. *Belum antiquorum nonnulli aiunt esse ætheris astrorúmque circuitum, alij supremum aërem qui omnia complectitur. Alij verò dicunt hunc Belum secundum Dryopas, olympum esse, secundum Chaldæos autem cælum.*

Belus cælum

49. Quid autē per cælum Saturni patrem nisi Semum ipsum intelligunt? Certè si dualem שמים velis à numero singulari deducere, nullum aliud vocabulum quam שם poteris inuenire, vt fortasse Belsemem non tam ab ipso cœlo, quod omnia complexu suo coërcet, quàm à Semo Noëmi filio, nomen acceperit. Iam quid Assur nisi Saturnus? Κρόνος ἀπὸ τοῦ κόρου. Saturnus à saturitate & copia. אשר à beatitudine & abundantia siue satietate profluxit: E quibus efficitur eos qui primi mortalium Beli οὐρανίωνες siue cælestes dicti sunt, à Semo fuisse propagatos, quemadmodum iam ante visum est Chamitas Gigantum, Iaphetitas Titanum vocabulo denotari. Quamuis cæteræ gentes Assyriorum & Chaldæorum imitatione primos sui generis authores Deos & οὐρανιῶνας, eorum hostes partim Titanas, partim gigātas dici voluerunt. Sed iam ad scripturæ verba veniamus.

Sem est cælum siue cælus pater Saturni.

Assur Saturnus.

§. XIV. *Explicantur verba scripturæ de Assur primo Nini conditore.*

50 GEnesis 10. vers. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuem, & plateas ciuitatis & Chale: Resen quoque inter Niniuem & Chale. hæc est ciuitas magna.* In hunc locum Augustinus: *longè*, inquit, *postea factum est, quod ex hac occasione perstrinxit propter nobilitatem regni Assyriorum.* Alij tamen vt Lyranus & Abulensis hoc etiam ante linguarum confusionem putant contigisse, & Assur Semi filium inde profugisse, ne cum impio & scelerato habitaret. Alij quorum in numero fuisse videtur Theophilus Antiochenus, putant exuberante multitudine, nec se Babyloniæ finibus continente, coloniam ab Assur ante linguarum dissidium, iussu & auspicio Nemrodis esse deductam. Quicquid sit *de terra illa*, videlicet de terra, quæ per anticipationem Sennaar, ab excussione dentium, & vrbs Babylon à confusione linguarum nominatur, *de terra*, inquam, *illa egressus est Assur.*

51. Hic tria reperio interpretationum diuortia. Sunt qui per *Assur* non hominem, sed regionem intelligant: hoc sensu Nemrodes, cùm post gentium dispersionem Babylone substitisset, non contentus finibus suis, è terra Sennaar egressus est in Assyriam, quod videtur Vatablo placuisse, nec iis displicere potuit qui Ninum Assyriaci cōditorem imperij Nemrodem ipsum esse crediderunt. Sed his repugnare videtur ipsa loquendi consuetudo: non enim dixisset Moses ויצא אשור, sed addita littera seruili ה quæ motus significandi caussa nominibus subnectitur אשורה protulisset. Vt Hebræi dicūt non descendit מצרים כעריסה, Alij Assur ipsum Ninum Nemrodis filium fuisse dicunt, siue iam inde à pueritia nomen illud sortitus fuerit, siue à deuictis Assyriis ita fuerit nominatus. Alij, vt Augustinus, Hieronymus, Eucherius, Lyranus, Abulensis (quam nos videlicet sententiam amplectimur) eum ipsum Assur interpretantur, de quo vers. 22. *filij Sem, Elam, & Assur.* Sed horum verba suo loco proferentur.

Assur quis?

52. Nunc illud satis fuerit obiter dixisse, scripturam eo sensu, qui primus obuius esse solet, videri capiendam. Id autem quod dicitur Ninus, vrbem sui nominis condidisse, non tanti videtur esse momenti, vt à natiuo genuinóque verborum sensu propterea discedere debeamus, cùm Ninus ideo dici potuerit Niniues conditor, non quòd eam à primis fundamentis excitârit, sed quòd eam mœnibus sepserit, instaurauerit, eiúsque plateas nouis ædificiis ornauerit. Quòd si planè fatendum esset Ninum primum fuisse Niniues conditorem, qui Ninum Assur Semi filium esse diceret, diuinaret ille quidem, minùs tamen quàm qui filium Nemrodis esse dicunt, scripturæ verba torqueret, & à vera germanáque significatione deflecteret. Igitur de terra Sennaar egressus est Assur Semi filius, eam regionem, quàm de suo nomine vocauit Assyriam, occupauit, vrbémque in ea condidit ad Tigrim fluuium, quæ vel tunc à pulchritudine, vel longè post à Nino Rege nomen accepit, *& ædificauit Niniuem & Rohooth ciuitatem*, vt vertunt LXX. seniores aliíque non pauci: tamen vt monet Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, *non putemus esse duas vrbes, sed quia*

רחבת *plateæ interpretantur, ita legendum est, & ædificauit Niniuem & plateas ciuitatis*, vel vt alij transtulerunt, *& latitudines ciuitatis*, quibus significari videtur Assurem designasse quidem aream & delineasse, quam postea Ninus ædificiis impleuit. De Chale & Rhesem, vel vt L X X. legunt, Dasem, nihil liquet, nisi quòd quarta quintáque Asiæ tabula quandam Assyriæ plagam Calacinen appellat Ptolomæus.

53. *Hæc est ciuitas magna.* Putat nescio quis hæc verba non ad Niniuem, sed ad Rhesen pertinere, quæ licet in medio posita, tamen & magna ciuitas erat, & ciuibus affluebat. Sed liquida est textus Hebraici sententia הוא העיר הגדלה quod Græcis elegantiùs quàm Latinis verbis exponitur *αὕτη ἡ πόλις ἡ μεγάλη hæc illa ciuitas magna*, quod Niniues adiectum apud Ionam perpetuò reperitur. De qua Ionæ 3. vers. 3. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.* Vbi articulus quidem non præfigitur, sed ad exaggerandam eius magnitudinem dicitur. עיר-גדלה *ciuitas magna* לאלהים *Deo siue coram Deo, id est*, valdè magna, vt *robustus venator coram Domino*, id est valdè robustus. Etenim Hebræi apposito Dei nomine rerum magnitudinem frequenter exaggerant. Hanc ait Diodorus Siculus l. 2. altera parte fuisse longiorem. *ἔχει δὲ τῶν μὲν μακροτέρων πλευρῶν ἑκατέραν ἡ πόλις ρν. σταδίων, τῶν δὲ βραχυτέρων, ἐνενήκοντα. Longius vero latus vtrumque ciuitas habet centum & quinquaginta stadiorum, breuius vero nonaginta.* Fuit igitur longitudo milliarium octodecim & ampliùs, quam Propheta trium dierum itinere metiendam putauit. Vt nihil agere videantur, qui Prophetam ita locutum putant, quia singuli vici plateæque ciuitatis illius non minori quàm trium dierum spatio lustrari potuerunt. Superest vt paucis probemus,

Niniues ciuitas magna.

§. XV. *Nemrodem neque Belum Nini patrem fuisse, neque Ninum ipsum Assyriacæ Monarchiæ conditorem.*

54 CVm è superioribus constet, saltem quouis opposito probabilius videatur, Nemrodem, cùm ante linguarum dissidium, tyrannidem occupasset Babylone, quam sibi velut arcem tyrannidis statuebat, immissâ linguarum confusione deiectum cis Euphratem in terra Gigantum habitasse, cùm Belus vel primus Babylone regnarit, vt ipsi volunt, vel Assyriam primus obtinuerit, vt putamus, necesse est Belum à Nemrode distinguere. Communis sententia est, inquiunt, Nemrodem eundem esse cum Belo. Quorum autem sententia? Hanc ij amplectuntur omnes, qui Ninum secundum Regem Assyriorum esse volunt, & Beli proximum successorem. Quinam verò? Chorum ducit Eusebius initio Chronici. *Quando natus est Abraham*, inquit, *iam regnabat Rex secundus, qui vocabatur Ninus filius Beli, nam primus Assyriorum regnauit Belus Annis 65. quem Assyrij Deum nominauerunt Saturnum.* Quis præterea? Augustinus lib. 16. de ciuit. cap. 6. & Hieronymus in caput 2. Oseæ. Magna sanè nomina Sed Augustini verba suo loco commodiùs audientur. Ita loquitur Hieronymus. *Primum omni Asiæ regnasse Ninum Beli filium omnes & Græci & Barbari narrant historiæ, qui apud Assyrios Ninum sui nominis condidit ciuitatem.* Nemóne tantorum Ecclesiæ Doctorum vestigiis insistet? Eos sequitur Isidorus in Chronico. Primus in *Assyrijs regnauit Belus, quem quidam Saturnum existimant.* Beda de sex ætatibus. *His temporibus*, inquit, *Assyriorum & Sicyoniorum regnum nascitur, his primùm Belo, illis Ægialeo regnante.* Eadem habet Ado, Marianus, Scotus, Hugo à S. Victore.

55. Equidem non video quorsum eruditi viri hæc veterum testimonia tam ambitiosè corraserint, aut quo tandem pacto necesse sit Belum eundem esse cum Nemrode, quia Belus primus in Assyria regnauit. Aiunt illi Belum Nini patrem fuisse, aiunt Belum primum in Assyria regnasse; Belum autem Nini patrem eundem esse cum Nemrod de stirpe Chami ne somniarunt quidem. Nisi si quis fortè eos ita ratiocinatos fuisse existimat. Belus primus fuit Rex Assyriæ, Nemrodes fuit primus Rex Babylonis, ergo idem est Belus qui Nemrodes; vt si quia Saül primus fuit Rex Hebræorum, Romulus autem primus Romanorum, inde colligas Romulum eundem esse cum Saüle. Bona verba, inquies, cùm alij fuerint Hebræi, alij Romani, nihil nos cogit primos duarum gentium Reges in vnũ confundere Quid igitur? nullâne inter Babylonios & Assyrios distinctio? Si nulla, cur eas regiones Ptolemæus alijque distinguunt? cur Moses ipse discriminat, aiens Assur de terra Sennaar, siue Babylonis egressum Niniuem in Assyria condidisse. Si fuit aliqua diuersitas, priùs probandum fuit Nemrodem orto linguarum dissidio primum Assyriæ Regem fuisse.

Babylonij ab Assyrijs distincti.

56. Hæ gentes, inquiunt, videlicet Babylonia, Chaldæa, Assyria fuerunt à principio distinctæ, & Babylonij Nemrodem, Chaldæi Arphaxadum, Assurem Assyrij conditorem habuerunt; sed hic robustus venator duos patruos suos Assur & Arphaxad propriis sedibus exturbauit: aut certè Ninus filius eius qui primus dicitur bellum finitimis intulisse. Profecto multa diuinant, esto tamen, faciamus hæc

Anno mundi 1931. Num. 59.

Credenda magis quam
Pythia quæ tripode è sacra lauroque profatur.

Si Assur à Nemrode vel filio Nemrodis eiectus est, Nemrodes primus Assyriorum Rex non fuit, sed Assur qui ante Nemrodem Asiyriam obtinebat. Primus autem Rex Assyriorum fuit Belus, ergo Assur is ipse est qui Belus in historia profana nominatur. *Assur autem* (inquit Augustinus lib. 16. de ciuit. cap. 3.) *Vnde Assyrij non fuit in filijs Cham medij filij Noë, sed in filijs Sem reperitur, qui fuit Noë maximus filius. Vnde apparet de progenie Sem exortos fuisse qui postea regnum gigantis illius obtinerent, & inde procederent, atque alias conderent ciuitates, quarum prima est à Nino appellata Niniue.* Hæc Augustinus; quæ Eucherius suis in Genesim commentariis verbatim exscripsit. Hieronymus cùm exponens in traditionibus Hebr. verba illa Gen. 10. v. 11. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen:* subobscurius dixisset, *De hac terra Assyriorum pullulauit imperium, qui ex nomine Nini Beli filij Ninum condiderunt, vrbem magnam quam Hebræi appellant Niniuem*, delapsus ad v. 22. *Filij Sem, Elam & Assur*, &c. adiecit, *de Assur iam dictum est quod Ninum vrbem condiderit.* Ergo ex illius mente de stirpe Sem propagatus est vrbis Niniuæ & Assyrij fundator imperij.

Assur non fuit de filijs Chami.

57. Cui Rabanus Maurus adstipulatur ne verbis quidem mutatis. Idem sentiunt Hugo Victorinus, Hugo Cardinalis, Lyranus, Abulensis. Adstipulantur Hebræi dum omnes trans Euphratem regiones, atque adeo Mesopotamiam, Babyloniam, Asyriam Semi posteris attributas esse defendunt. Vnde & Rabbi Selomon explicans illa 10. Genes. v. 21. *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber.* בל-בני-עבר, ait עבר hoc loco non esse nomen proprium, sed accipi pro dictione *trans*, vel *vltra*, quod Græcè commodiùs quàm Latinè sic efferri potest πάντων τῶν πέρα, *omnium* qui *vltra* fluuium Euphratem, rerum suarum domicilium collocarũt. Sic Abram

Hebræi vnde.

Gen. 14. v. 13. vocatur Hebræus, quam vocem LXX. seniores περάτην transitorem interpretantur, & Theodoretus in Genes. quæst. 60. *Ego*, inquit, *arbitror Hebræos ex eo quòd Patriarcha Abraham è regione Chaldæorum, in Palæstinam accesserit, Euphrate transmisso*, ἑβρα γὰρ τῇ Σύρων φωνῇ ὁ περάτης ὀνομάζεται. *Hebra enim Syriaca voce transitor nominatur.* Vbi Latinus interpres deceptus, vt videtur similitudine litterarum, ita transtulit. *Hebra enim Syrorum lingua idem est quod Euphrates.* Sed vt ad institutum redeat oratio, putauit Rabbi Selomon hoc vocabulo עבר non hominem denotari, sed regiones trans Euphratem constitutas, vt filij terræ transeuphratensis ij dicantur qui has incolunt regiones. Vt Iosue 24. v. 2. בעבר הנהר *trans fluuium*, vel in loco qui est trans fluuium *habitauerunt patres vestri*, & v. 3. Tuli itaque patrem vestrum de Mesopotamiæ finibus, מעבר הנהר. Verbum verbo sic interpreteris *de trans fluuium.* Quod si Semus pater fuit omnium qui trans flumen habitarunt, Belus autem & Ninus Reges Assyriæ trans flumen habitarunt, negari non debet eos à Semo fuisse propagatos.

58. Augustinus tamen 16. de ciuit, cap. 17 potest nobis aliquam molestiam exhibere. *In Assyria*, inquit, *prævaluerat dominatus impiæ ciuitatis, huius caput erat illa Babylon, cuius terrigenæ ciuitatis nomen aptissimum est, idest Confusio. Ibi autem Ninus regnabat post mortem patris sui Beli, qui primus illic regnauerat sexaginta quinque annos.* E quibus verbis effici videtur Nini patrem aut auum non fuisse Assur, sed ipsum Nemrodem, qui primus Babylone regnauit. Sed cùm priùs agens ex instituto de generationibus trium filiorum Noë, tam aperte dixerit apparere de progenie Sem exortos fuisse, qui posteà regnum gigantis illius obtinerent; addideritque c. 10. Ninum in stirpe Sem latissimum ac fundatissimum regnum, quod diuturno tempore duceretur, suis posteris propagasse, negari non potest quin Belum Nini patrem à Nemrode distinxerit, ac proinde cùm Belum ibi regnauisse dicit, eum putauerit eiecto Nemrode regnum Babylonicum occupasse, vel anticipatione quadam Babylonem Assyriacæ monarchiæ caput appellet, quia Semiramis Abrahamo, de cuius ortu sermo erat, adolescente, sedem illuc regiam translatura fuit, vel caput ait non dominationis & principatus, sed originis duntaxat habita ratione. *Nam de illa terra egressus est Assur, & ædificauit*

Niniuem, quæ tum metropolis erat, donec, vt verbis vtar Orosij lib. 2. *Semiramis Babyloniam vrbem instaurauit, caputque regni Assyrij vt esset, instituit.* Quòd si instaurauit, vel à Nino subuersa fuerat, vel saltem victis Babylonijs multum pristinæ dignitatis amiserat; vnde & profani scriptores eam putarunt Babylonis fuisse conditricem. Quid? quòd illa verba; *ibi autem Ninus regnabat post mortem patris sui Beli qui primus illic regnauerat sexaginta quinque annos*: non ad Babylonem referuntur, sed ad Assyriam, *vbi prævaluerat dominatus impiæ ciuitatis.*

59. Quid? quod neque Augustinus, neque Eusebius, neque vt semel dicam, vllus Latinorum, Græcorumque Patrum qui suam chronologiam ad LXX. Seniorum calculos exigebant, quod in hac parte facere se disertè testatur Augustinus. lib. 16. de ciuit. cap. 10. ne potuerunt quidem Belum Nini patrem cum Nemrode confundere? cùm enim Græcorum codicum supputatione Phalegus, cuius exortu passim aiunt confusionẽ linguarum diuisionemq; gentium contigisse, anno post diluuiũ quingentesimo trigesimo primo lucem adspexerit, anno autem post illam cladem generis humani millesimo septuagesimo secundo natus fuerit Abrahamus, inter gentium diuisionem regnique Nemrodis initium, & ortum Patriarchæ necesse est anni saltem quadraginta suprà quingentos effluxerint. At ex Augustini, Eusebij, & communi chronologia anno Nini quadragesimo tertio natus est Abrahamus, & ante Ninum Belus annos sexaginta quinque regnauerat; ergo inter ortum Abrahæ Belique regis initium anni centum & octo duntaxat intercedunt, ac proinde nihil est quod nobis Sanctorum Patrum authoritatem obtendant, cùm planè necesse sit ex eorum sententia Belum à Nemrode distinguere.

Augustinus & alij veteres non potuerunt Belum cum Nemrode cõfundere.

XVI. *Respondetur Theophilo, Epiphanio & Chrysostomo.*

60. EVLOG. Nullísne igitur Patribus Græcis aut etiam Latinis secundum LXX. viros Chronologiam suam digerentibus putas videri Niniues conditorem à Nẽrode propagatũ? BAS. Equidẽ nullum ab aduersariis proferri video, præter vnum Epiphanium initio Panarij de Nemrodita loquentem, ἐξ οὗ Ἀσσοὺρ γεγέννηται, *à quo natus est Assur.* EVLOGIVS. Iam ita sum oratione tua persuasus, vt non verear aduersaris tela subministrare, certus nullis machinis labefactari posse constitutam à te veritatem. Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum. Νεβρὼδ, inquit, ᾠκοδόμησεν πόλεις τὴν Νινευὶ, καὶ τὴν Ῥοβοὰμ, *Nemrod ædificauit ciuitates, Niniuem & & Roboom, &c.* Chrysostomus homilia 29. in Genesin exeunte, de Niniuitis, οὗτοι μὲν πρότερον ἔχον προπάτορα τὸν Χάμ, τὸν πατραλοίαν ἐκεῖνον, ἔπειτα τὸν Νεβρὼδ ἄνθρωπον τύραννον καὶ αὐθάδη, ἔκγονον ἐσχηκότα τὸν Ἀσσούρ. *Illi quidem primo Chamum illum parricidam progenitorem habuerunt, deinde Nemrod tyrannum & audacem, cuius soboles fuit Assur.*

61. BASILIVS. Constat authoritate Theophili alium fuisse Nemrodem, alium Belum, cùm hunc non solùm Nemrode, sed etiam ipso Mose iuniorem esse defendat libro 3. exeunte, Nemrodem autem ante linguarum dissidium velit generis humani tyrannidem occupasse. EVLOGIVS. Cur igitur Nemrodem Nini conditorem agnoscit? BASILIVS Quid enim aliud caussæ fuisse putem nisi quòd Assur Nemrodis auspiciis & iussu coloniam deduxerat, & ad Tigrim condiderat ciuitatem. EVLOGIVS. De Chrysostomo & Epiphanio quid dices? BASILIVS. Equidem negare non possum eos aliud censuisse. Sed cùm neuter posterorum Noë seriem ex professo tractauerit, nihil est quod eorum authoritatem Augustino, Hieronymo, & alijs innumeris præferamus, qui Assur Niniues conditorem Semi filium fuisse litteris prodiderunt. Certè cùm in numerandis Patriarcharum annis etiam ipsi Græcorum codicum ratiocinia sequantur, Belum Nini patrem cum Nemrode confundere non possunt, ne se, vt è dictis patet, contradictionum laqueis inuoluant.

XVII. *Respondetur testimonio Abydeni.*

62. ATenim, inquiunt, Abydenus scriptor antiquissimus Belum ait Babylonis fuisse conditorem, quod & Torniellus Eupolemi apud Eusebium libr. 9. προπαρασκευῆς medio laudati, testimonio confirmat: idem de Nemrode scriptores sacri tradiderunt. Idem est igitur Nemrodes, in historia sacra, qui

Belus in profana. Et nos eodem modo ratiocinari possemus. Multi nec numero, nec authoritate, nec antiquitate inferiores Babylonem à Semiramide conditam affirmant: Dicamus igitur in sacris eum esse Nemrodem, qui Semiramis in historia profana nuncupatur. Ridiculum est, inquies, Semiramidem cum Nemrode, mulierem cum viro confundere. Fateor id quidem: sed cùm eadem argumentandi viâ procedat oratio, non video cur vnum potiùs quàm alterum inferatur.

63. Magna, inquies, Abydeno tribui debet authoritas. Quid ita? antiquissimus fuit scriptor Abydenus. Equidem qua tempestate floruerit ignoro, cuius nisi vnum aut alterum in Eusebij præparatione fragmentum extaret, vix vllum inueniretur vestigium. Sed esto: fuerit admodum antiquus. Etiamne Herodoto antiquior, qui Belum non multo temporibus Troianis antiquiorem facit, lib. 1. ineunte? Quod si res sui temporis scriberet Abydenus, multum eius antiquitati tribuendum putarem, sed cùm res à sua memoria remotissimas attingat, eo mihi suspectior est eius fides, quo propter antiquitatem pauciores habere potuit, quorum comparatione deprehenderet veritatem. Sed quid diutiùs de scriptoris istius antiquitate velitamur? cùm ex eius fragmento constet non ipsum duntaxat, sed etiam quem laudat Megasthenem ducentis minimùm annis post Herodotum floruisse. Quippe qui à Nabuchodonosore constructam affirmat τὸ τεῖχος τὸ μέχρι τῆς Μακεδόνων ἀρχῆς διαμεῖναν, murum Babylonis, qui vsque ad Macedonum imperium permansit.

64. Quid? quod ipse locus Abydeni, quod præcipuum est caussæ firmamentum in Henriciana editione, ex qua cæteræ deinceps tum Græcæ, tum Latinæ tanquam è suo fonte manarunt, mancus est & asterisco notatus, quo litterarum aliquot, & fortasse sententiarum hiatus, & lacuna suppleatur. Sed esto: tam certa sit authoritas Abydeni, quàm quæ certissima; à nobis extorqueat Abydenus vt Belum primum Babyloniorum regem fuisse fateamur, an etiam necessum erit aut Belum hunc Babylonium eundem facere cum Nemrode, aut si Nemrodes fuit, eum Nini Regis Assyriæ patrem agnoscere? Belus enim vt suprà dictum est, nomen non proprium sed appellatiuum fuit, quod omnibus indigetibus conueniret. Suum Ægyptij Belum, suum Babylonij, vel potiùs suos, suum Assyrij, suum Phœnices, Indi suum habuerunt, & Eupolemus eo ipso loco qui nobis opponitur, duos Babyloniorum Belos agnoscit, quorum priorem Saturnum appellat.

65. Non igitur is Nemrodes fuit, sed potiùs Arphaxadus, Babyloniorum & Chaldæorum pater, & rex eorum primus postquam ea gens à cæteris distincta est, & proprio vocabulo nuncupata. Quanquã Eupolemus ibi multa conturbat, nec pauca refert Mosaicæ narrationi contraria, dum ait Βαβυλωνίους λέγειν πρῶτον γενέσθαι Βῆλον, ὃν εἶναι Κρόνον, ἐκ τούτου δὲ γενέσθαι Βῆλον καὶ Χαναάν· τοῦτον δὲ τὸν Χαναὰν γεννῆσαι τὸν πατέρα τῶν Φοινίκων. τούτου δὲ τὸν Χοὺμ υἱὸν γενέσθαι, ὃν ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων λέγεσθαι Ἄσβολον, πατέρα δ' Αἰθιόπων, ἀδελφὸν δὲ τοῦ Μεστραεὶμ, πατέρα Αἰγυπτίων. *Babylonios dicere primum fuisse Belum, & eundem esse Saturnum, ab eo genitum Belum & Chanaan, huius Chanaani filium fuisse patrem Phœnicum, ab isto vero genitum Chus, quem Græci Asbolum appellant, patrem Æthiopum, fratrem vero Mesraimi patrem Ægyptiorum.* Legendum opinor πατέρος *patris Ægyptiorum.* Quæ si farentur omnes stemmati Mosaico non quadrare, nihil est quòd eius authoritatem nobis opponant. Et si Belus Babylonius idem cum Saturno fuit, is profectò Nemrodes non fuit, quem Orionis nomine in astra retulerunt.

XIIX. *Probatur authoritate Diodori Siculi Ninum Beli Babylonici filium non fuisse.*

66. CErtè Beli siue domini Babylonici filium non fuisse Ninum Assyriacæ Monarchiæ conditorem etiam censuit Diodorus lib 2. vel, vt alij distinguunt, 3. ineunte. *Assyriorum Rex Ninus*, inquit, *allecto in societatem Arabum Rege*, ἐστράτευσε μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπὶ Βαβυλωνίους κατοικοῦντας ὅμορον χώραν. *cum ingenti exercitu expeditionem suscepit in Babylonios in vicino habitantes*: & paucis interiectis. *Iis autem propter armorum & rei militaris imperitiam facilè superatis annuum tributi modum imposuit*, τὸν δὲ βασιλέα τῶν καταπολεμηθέντων λαβὼν μετὰ τῶν τέκνων ἀπέκτεινε. *Eorum verò qui debellati fuerant Regem captum cum liberis interemit.* Sed hoc loco doctissimi veterum annalium scriptores dicent hallucinari Diodorum. Hoc enim verbum vterque vsurpat. Quanta iudiciorum diuersitas! Diodorus Iustino

Martyri oratione parænetica ὁ ἐνδοξότατος τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱστοριογράφων, *celeberrimus omnium historicorum qui in Græcia floruerunt*, Diodorus Eusebio lib. 1. περὶ παρ. ὡς ἔνι μάλιστα τὰ παρ' ἑκάστοις ἔθνεσιν ἀπηκριβωκώς, ἐπιφανὴς ἀνὴρ, καὶ δόξαν οὐ μικρὰν παιδείας παρὰ πᾶσι τοῖς φιλολόγοις κτησάμενος. *Quàm fieri potuit accuratissimè res singularum gentium executus, vir clarissimus & eruditionis gloriam non mediocrem apud omnes humaniores consecutus* : hic, inquam, Diodorus talis tantúsque vir hallucinari dicetur, quoties opinioni vel nouellæ, vel anticipatæ refragabitur.

XIX. *Vtrum tempus, habitatio, mores, & gesta Nemrodis Belo Nini patri conueniant.*

Basil. 67. Aiunt tam in Nemrodem quàm in Belum Nini patrem quadrare quæ de tempore, quæ de loco, quæ de tyrannide, quæ de prauis moribus vtriúsque Eusebius, Hieronymus, Augustinus, & alii prodiderunt. Equidem videre non possum, quî tandem vtriusque tempora conueniant, secundum Eusebium & alios antiquos, qui suam Chronologiam è septuaginta virorum rationibus texuerunt, vtiam aduertimus. Sed aduersarij Græcorum supputationi Latinorum & Hebræorum calculos anteponunt: meritò id quidem: negare non possumus. Sed interim argumentati non poterunt eundem esse Nemrodem cum Belo Nini patre, quia secûdum Eusebium Nemrodes, & Belus eodem tempore floruerunt, cùm secundùm Græcorum Chronologiam inter vtrumque anni quadringenti & plures effluxerint.

68. Quid? quòd ne calculis quidem Latinis aut Hebraicis probari potest, vtriusque tempora conuenire? Aduersariorum plerique omnes Abraham natum esse volunt anno Nini 43. ante quem Belus annos quinque & sexaginta regnauerit, ex quo sequitur annis centum duntaxat & octo ante ortum Patriarchæ fuisse Beli primordia: at inter Abrahami & Phalegi natiuitatem, circa quod tempus Nemrodes regni gubernacula susceperat, anni minimum centum & nonaginta numerantur; aut etiam si Salianum, Torniellum & alios recentiores audimus, anni ducenti quinquaginta. Imò, inquiunt, primordia Nemrodis non in primam Phalegi ætatem, sed in annum eius 144. inciderunt. Id autem qua ratione defendunt? si à 251. qui inter Phalegi & Abrahami ortum interfluunt, annos Beli & Nini 108. deduxeris, supererũt anni 144. ab ortu Phalegi, ad primum Beli siue Nemrodis annum euoluti. Quis hic non videt argumentationis circulum in semetipsam per sua vestigia reuolutæ? Nemrodem & Belum eundem esse dicunt, quia eodem tempore floruerunt. Volunt linguarum confusionem & Nemrodis initium anno ante ortum Abrahami 108. post natum Phalegum 144. contigisse, quia Belus Nini pater, quem eundem cum Nemrode esse statuunt, eo tempore regnare occœperat?

69. Quid? quod illi ipsi qui passim ortu Patriarchæ annum Nini tertium & quadragesimum insignem esse volunt, annos pene ducentos antiquitati Patriarcharum, & sacræ chronologiæ sustulerunt? volunt enim filios Israel annis duntaxat ducentis & quindecim à descensu Iacobi ad Mosis exitum in Ægypto esse versatos, cùm scriptura diuina conceptis verbis moram in Ægypto quadringentis annis & triginta definiat, Exod. 12. vers. 40. cuius initium validè demonstrat Philalethes priore parte somnij, quæ Genebrardus inscribitur, ab eo tempore dicendum, quo Iosephus ætatis anno decimo septimo ineunte, viginti tribus annis ante descensum patris, captiuus in Ægyptum abductus est: Cùm igitur isti annos centum & nonaginta duos, quibus ortum Abrahami scriptura submouendum docet, chronologiæ sacræ detraxerint, velíntque natum Patriarcham anno centesimo octauo postquam regnum auspicatus est Belus, si annos male sublatos restitueris, & illis 192. annos 108. Nini & Beli subduxeris, relinquentur anni quatuor & octoginta, quibus ortus Abrahæ præcedit Beli primordia.

70. Iam cùm Phalegus, sub cuius ortum generis humani tyrannidem inuasit Nemrodes, annis minimùm centum & nonaginta, aut etiam, vt volunt Torniellus, Salianus, aliique recentiores, ducentis & quinquaginta, lucem adspexerit, antequam Patriarcha nasceretur, & annis octoginta quatuor ante Beli regnum natus fuerit Abrahamus, si hos numeros coniunxeris, Nemrodis primordia ducentis saltem & septuaginta quatuor annis, ante Beli Regis initium deprehendes, aut etiam trecentis triginta quatuor, iuxta Saliani cæterorúmque calculos, qui natiuitatem Abrahæ anno Tharæi patris centesimo trigesimo primo consignant. Non possunt igitur Nemrodis & Beli tempora conuenire.

71. Ne locus quidem vbi vterque post linguarum diuisionem habitauit, vllum nobis coniecturæ vestigium subministrat. Ait quidem Augustinus in Assyria, cùm natus est Abraham, præualuisse dominatum impiæ ciuitatis. *Ibi*, inquit, *Ninus regnabat post mortem patris sui Beli, qui illic regnauerat sexaginta quinque annis*. Sed ij, qui Nemrodem eundem esse cum Belo defendunt, Belum non in Assyria propriè dicta, quam Tigris à Babylonia separat, & amnis Lycus interfluit, sed in terra Sennaar siue Babylonia regnasse volunt; vnde Ninus egressus post obitum patris Assyriam imperio suo subiecerit. Scio Nemrodem cœpisse esse potentem in terra: sed multos ante Belum Reges fuisse Eusebius aliíque tradunt, qui Abrahamum decima sexta Ægyptiorum Dynastia natum esse testantur, & Arabiæ Reges annis quadringentis & quadraginta Nino priores esse scribit Africanus, vt Iustinum omittam, qui Tanaim Scythiæ, Vexorem Ægypti Reges mille quingentis annis (fortasse Lunaribus, qui centum circiter & viginti solares efficerent) Nino antiquiores fuisse existimat lib. 2. Sed hæc, inquiunt, exsufflantur. Diceres hîc quæri sibilos plausúsve theatrales; at ego rationibus, quàm sibilis malim à sententia dimoueri.

Quod aiunt tam Nemrodi quàm Belo conuenire quæ Patres de prauis vtriúsque moribus rebúsque gestis memoriæ prodiderunt, altum apud omnes antiquos de moribus gestísque Beli silentium, vt ex iis nullo modo possit fidem orationi suæ corradere.

72. Maneat igitur illa lex enarrandæ scripturæ certissima, vt verba prout sonant, eóque sensu qui primus occurrit, quantum fieri potest, hoc loco capiamus, & cùm audimus de terra Sennaar egressum Assur, eum ipsum intelligamus qui paulo pòst inter filios Semi numeratur, non alium quempiam Nemrodis Babylonici filium, qui ab Assyria deuicta, Assur siue Assyrij nomen acceperit, & à patria victrice ad Assyriam Babyloniorum armis subactam victoriæ fructum, gloriam, ipsámque adeo totius Asiæ monarchiam transtulerit, vt contra natiuum scripturæ sensum, contra communem hominum patriæ suæ eiúsque dignitati consulentium consuetudinem, non pauci recentiores affirmant. Hæc habui, quæ, quoniam ita voluistis, ex indigentia mea depromerem & in commune conferrem.

δόσις δ' ὀλίγη τε, φίλη τε.

Pauca damus, sed mente bona,

inquit ille subulcus apud Homerum. Restat, vt, quæ vestra est humanitas, quicquid illud est, boni consulatis.

---

§. XX. *Appendicula de bello Deorum & gigantum.*

73. MEROPS. Enimuero, Basili, aiebas, opinor, restitutis illis centum nonaginta duobus annis, quos plerique moræ filiorum Israël in Ægypto male subduxerant, ad annum Abrahami quartum & octogesimum referenda Beli primordia. BASIL. Aiebam sanè. MEROPS. Hoc circiter anno vel superiori Patriarcha trecentis & octodecim vernaculis in aciem eductis, Reges quatuor qui Sodomos expilarant, & in his Amraphelem Babyloniorum Regem afflixit. BASIL. Equidem negare non possum, cùm & tempus è scriptura facilè colligatur, & omnes Chronologi consentiant. Sed quorsum ista? BAS. Quorsum, Basili? non vides hinc nobiscū Eupolemum & Abydenum conciliari posse qui Belum aiunt fuisse regni Babylonici conditorē? Tunc enim credibile est accisis Babyloniorum opibus, & Amraphele Nemrodis vel filio, vel nepote superato, factum fuisse vt Belus exortus à Semo regnum gigantis illius obtineret. Aiunt enim non pauci Belum torqueri cœpisse libidine regni longiùs proferendi, quamuis eum Ninus filius, victoriis & morum ferocia longè superarit; & hæc fortasse fuerit illa gigantomachia Poëtarum carminibus adeo celebrata. Cùm enim Assyrij Gigantas è Babylonia sustulissent, & inde sensim Imperium longiùs & longiùs protulissent, tandem rerum in Asia potiti eò prolapsi sunt impietatis, vt maioribus suis diuinitatem arrogarent. Quas equidem fabulas huic nostræ disputationi non verebor intexere. *Nam*, vt ait Ambrosius lib. 3. de fide cap. 1. *& gigantes & vallem Titanum prophetici sermonis series non refugit. Et Esaias Sirenas & filias passerum dixit, & Ieremias de Babylone memorauit, quòd habitabunt in eò filiæ Sirenum.*

74. BASIL. Equidem hæc concinnè dici posse non diffiteor, Merops. Sed cùm semel statuerimus Nemrodem inducta linguarum confusione, cessisse Babylone, & eo loci, qui terra Gigantum dictus est consedisse, mihi magis arridet, vt bellum illud Gigantum & Deorum fuisse dicamus, quod ab Amraphele filio vel nepote Arphaxadi, Rege, siue Ioue Babylonico, Regibúsque fœderatis gestum Genesis 14. Bellum Gigantum.

vers. 5. & 6. describitur. *Percusserúntque Raphaim & Astaroth Carnaim, & Luzim, cum eis, & Emin*, quos Gigantas fuisse & iam superiùs ostendimus, & LXX. seniores apertè testantur. Nonnulla tamen affinxerunt poëtæ, vt cùm rem fuisse gestam in Thracis fabulantur, Gigantasque,

conatos imponere Pelio Ossam.
Silicet, atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum.

Ne Deos à Græcia remotiores fuisse dicant, à quibus volunt originem suæ gentis accersere.

75. Quod tamen montes montibus coaceruatos aiunt, non ex toto confingunt: Gigantes enim regionem asperam incolebant, & contra Deos Cœli, id est Semi filios pugnaturi rupem Arnon, & iuga montium Seir & Pharam insederant.

Ter pater extructas disiecit fulmine montes.

Quia fortasse tunc temporis euenit illud, quod refert Moses è libro bellorum Domini, Num. 21. v. 14. *Scopuli torrentium* Arnon, *inclinati sunt vt requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.* Quibus dicere videtur rupes Arnon, quas illi gigantes insederant, inclinatas, disiectas, & in plana deuolutas ita fuisse, vt gigantas eadem ruina secum inuoluerint. Hieronymus de locis Hebraicis. *Arnon*, inquit, *rupes quædam in sublime porrecta in finibus Amorrhæorū inter Moab & Amorrhæos; Moab vero Arabiæ ciuitas est, quæ nunc Areopolis nominatur, ostendunt regionis illius accolæ locum vallis in prærupta demersæ satis horribilem & periculosum qui à plerisque vsque nunc Arnonas appellatur, extenditurque ad Septemtrionem Areopoleos: in quo & militum ex omni parte præsidia distributa plenum sanguinis & formidinis testantur ingressum. Hic quondam Moabitarum fuit, & postea Seon Rex Amorrhæorum iure belli eum obtinuit, &c.* Quoniam autem & Arne fuit in Thessalia, vt Thucydides & eius interpres lib. primo testantur, & Aristophanis Scholiastes in Nubibus, Ares autem siue Mars Thraciæ præsidere creditus est; hinc factum videtur vt Poëtæ propter nominum similitudinem bellum illud Gigantum ad Thraciæ Thessaliæque montes traduxerint.

Rupes Arnon.

76. Sed nihil hîc pronuncio, tum quia locus per se obscurus est, tum quia Paraphrastes Chaldæus, Græci interpretes, Pagninus, Vatablus, aliique passim ita dissident inter se, vix vt quicquam lucis affulgeat. Quare vt ad Amraphelem redeamus, fuit ille Rex Sennaar siue Babylonis ab Arphaxado Chaldæorum patre propagatus. Is anno Abrahami quadragesimo octauo diem obierat extremum, vt è Genes. 11. liquet. Quo tempore Amraphel, siue nepos Arphaxadi fuerit, siue quocunque gradu ipsum attigerit, potuit Chaldæi siue Babylonici regni gubernaculis admoueri. Atque is, opinor, Iupiter Belus Babyloniorum, Arphaxadus autem Saturni Babylonici siue Chaldæi nomine consecratus; etsi nolim somnia meráśque suspiciones pro veris pronuntiatis obtrudere.

Amraphel videtur fuisse Belus Babylonicus.

77. Certior ea videtur esse coniectura hunc ipsum Amraphelem fuisse qui sanctissimū Patriarcham superstitione ignisque latriâ fœdare conatus est, & sibi dictó nō audientem vexauit, & à facie deorum suorum eiecit, vel etiam, vt Hebræi volunt in flammas iniecit. Illud autem certissimum Gigantas ab eo reliquisque Regibus fœderatis internecione deletos, & ita deletos vt cùm Moses populum eduxit, in amplissimo Gigantum regno vix eorum reliquiæ superessent. *Solus quippe Og Rex Basan restiterat de stirpe Gigantum*, inquit Moses Deut. 3. v. 11. Caussas igitur habuit Abrahamus cur nocturnam in Amraphelem reliquósque socios impressionem faceret, non solùm vt Lotum fratris filium liberaret, sed etiam vt qui ab Amraphele pietatis caussa vexatus fuerat, illatam vlcisceretur iniuriam. Caussas item habuerunt Aner, Eschol & Mambre, cur Patriarchæ Martis aleam subituro vires suas adiungerent, non solùm quia *pepigerant fœdus cum Abram*, vt dicitur Genes. 14. vers. 5. sed etiam quia vrbem Hebron incolebant, ac proinde videntur fuisse filij Enoch de genere gigantæo. Vnde Genes. 23. v. 19. nu. 14. & Iosue 14. Meritò igitur consanguineorum necem vlturi Gigantum interfectoribus bellū intulerūt.



SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER SEXTVS.

NEARCHVS, SIVE DE REGNO ASSYRIORVM.

I. RECAPITVLATIO LIBRI SVPERIORIS.

1. MEROPS. Potésne, Eulogi, subductis omnibus rationibus summam facere disputationis hesternæ. EVLOG. Nihil, opinor, nocebit experiri. Ante gentium diuisionem Nemrod generis humani tyrannidem inuasit, cuius caput & principium voluit esse Babylonem. Inducta linguarum confusione, gentibus secundum sermonis diuersitatem coalescentibus, & cæteris aliò atque aliò dilabentibus, videtur Arphaxadus primogenitus Semi, natus altero post diluuium anno, Babylonem reuisse, & Chaldæam gentem in terra Sennaar condidisse, cùm Nemrodes, ad cuius maximè comprimendam superbiam, immissa fuerat linguarum confusio, paucos nactus eiusdem sermonis participes, regno Babylonis extrusus inter Ægyptum & Palæstinam eo consedit loco qui ab euentu terræ gigantum nomen sortitus est.

2. Assur Asyriam iam ante linguarum dissidium deductis colonis occupatam tenuit, & Niniuen Asyriæ Metropolim siue à pulchritudine & habitaculo, siue de Nini filij vel nepotis sui nomine nuncupauit. Quanquam fieri potest, vt cum ipsa quoque ciuitas Assur initio diceretur, multis pòst sæculis à Nino, qui vrbem vetustate collapsam instaurauerat, plateásque ciuitatis magnificis ædificiis implêrat, à secundo illo conditore Nini siue Niniues nomen acceperit. Arphaxado quis proximè successerit, incertum: Videtur tamen ab eo propagatus Amraphel, qui libertas rerum habenas adeptus ignis cultum inuexerit, & sanctissimum Patriarcham sibi dicto non audientem, & ab his superstitionibus abhorrentem vel in ignem coniecerit, vt Iudæi volunt, vel certè vexauerit, gigantibus bellum intulerit, eósque internecione delêrit, vnde fortasse illa gigantomachiæ fabula, tandémque fuerit armis Abrami superatus. An autem Belus Asyrius huius cladis occasione Babylonem inuaserit, primáque iecerit Asyriacæ Monarchiæ fundamenta, vt probabiliter diuinari potest, ita nemini, scriptura tacente, compertum est. Illud omnino certum videtur Belum Nini patrem neque Nemrodem

rodem esse, neque quemquam ex eius genere propagatum.

II. *Diluitur obiectio Chronologica.*

3. MEROPS. Tamen, Eulogi, in hac Epularum recordatione ferculum illud omisisti, quod omnium suauissimum videri possit. Credo ne vel tuam liberalitatem ipse iactares, vel meam parcitatem pudore suffunderes. EVLOGIVS. Ænigmata loqueris, Merops. Nihil enim exhibere me memini præter vinum nouellum de dolio vel potiùs de cupa, quo bonus senex permaduit imprudens. MER. Imò Deorum ambrosiam vel potiùs fructum arboris vitæ ex ipso paradiso decerptum exhibuisti. EVL. Eulogius sum, non Oedipus. MEROPS, Latinè loquar. Noëmi, Nemrodis aliorumque vitam septingentis minimùm annis longiùs quàm par erat, protulistis, dum tu Noëmum & Assur cum Iano & Saturno, Nearchus Nemrodem cum Orione, Basilius gigantomachiam cum Amraphelis bello confudit. Cùm liqueat Deos & gigantas Poëtarum fabulis celebratos paucis ætatibus bello Troiano superiores extitisse.

4. EVL. Non est, mihi crede, Merops, quòd nostras suspiciunculas idcirco minùs vero similes arbitreris, quòd poëtarum fabulis non vsquequaque consentiant. Bellum in Thracia cum gigantibus gestum esse volunt, sed, vt dictum est, Græci suam originem à dijs accersere, eósque sibi vicinos facere voluerunt. Saturnum qui regnante Iano Patre creditur in Italiam appulsus, Latini proauum esse putant.

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica.
Accipimus, Fauno Picus Pater, isque parentem,
Te Saturne refert, tu sanguinis vltimus author,

cùm inter Latinum & Iani Patris obitum, si modo idem fuit cum Noëmo, plures octingentis annis effluxerint; sed facile fuit in rebus tam antiquis plura generationum capita præterire, cum in ipsa serie maiorum Christi Domini quatuor Reges silentio prætermissos esse videamus.

5. EVL. Nihil iam restat, quam vt Basilium nostrum appellem, qui se de regnorum institutione dicturum esse receperat. BAS. Receperam equidem, Eulogi, sed heri longiùs, quàm initio rebamur, disputando prouecti sumus, & videtis quam infinita futura sit oratio; si singulorũ regnorum primordia coner, paulò diligentiùs sagaciúsque rimari, cùm præsertim hæc multis disputationum flexibus & mæandris implicata sint; neque sanè admodum intelligendæ scripturæ necessaria, cuius explanationi vel solùm, vel potissimùm incumbimus. EVLOG. Limites circumscribemus orationi tuæ, ne quòd ait, infinita sit & quæstionem proponemus enucleatiùs explicandam, ex qua pleræque scripturæ difficultates expediri posse videantur; & ne solus loquare, Nearchum hunc tibi dabimus optionem. BASIL. Tuo videlicet arbitratu. EVLOG. Age igitur, Basili, de regno Assyriorum quid censes?

III. *De Regno Assyriorum.*

6. NEque verò quærimus ad quem referenda sint illius regni primordia. E dictis enim liquet Assurem Semi filium gentis Assyriacæ & vrbis Niniuæ fuisse conditorem. Non quæritur vtrùm Reges in Assyria iam inde à gentium dispersione fuerint: cùm enim ea regio statim habitata fuerit, neque reperiatur in primis illis temporibus vllum Aristocratiæ, vel Democratiæ vestigium, constat eam Regibus paruisse, illud igitur vnum videtur in controuersiam venire quo tempore Ninus veterem & quasi auitum gentium morem, quo se suis quæque finibus continebant, noua imperij cupiditate mutauerit, & Assyriorum monarchiam fundarit, quo tempore Ninus euersa fuerit, & imperium ad Medos translatum.

IV. *Variæ antiquorum de regno Assyriorum opiniones.*

7. BASILIVS. Quæstionem proponis sanè difficilem, Eulogi, in qua videmus authores in sententias adeo diuersas esse distractos, vt qui certa ratione veritatem ex iis elicere velit,

nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione, modoque.

Ait Herodotus Assyrios ante Medorum defectionem annis quingentis & viginti superiorẽ Asiam tenuisse. Trogus Pompeius ab initio Nini ad Arbacem annos 1300. Eusebius 1240. Ctesias apud Diodorum Siculum lib. 3. vel vt alij digerunt 2. ineunte plures 1360. Diodorus ipse plures 1400. numerauit. Africanus annos 1480. sed à Belo Nini patre, quem annos 55. regnasse dicit, chronologiam auspicatur. Ne de numero quidem Regum inter se consentiunt; Ctesias triginta, Eusebius triginta quinque, vnum & quadraginta numerat Africanus. Lib. 1. Authorum de Assyriis & Nino dissensio.

8. Quid? quod nec inter authores conuenit quo loco Niniue siue Ninus fuerit con-

In contem- plantibus sub finem.

stituta? Eam Herodotus & alij plerique ponunt secus Tigrim. Ctesias & Diodorus secus Euphratem vt Mercurius ille Luciani sic meritò Charontem alloquatur, ἡ Νῖνος μὲν, ὦ πορθμεῦ, ἀπόλωλεν ἤδη, καὶ οὐδὲν ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς, οὐδ' ἂν εἴποις ὅπου ποτ' ἦν. *Ninus, ô portitor, interyt, nullumque superest amplius eius vestigium, neque dicere possis vbi fuerit aliquando.* Si Suidam audimus, Semiramis prima muros Niniuæ circumdedit, μετονομάσασα ταύτην Βαβυλῶνα, *Eam appellans Babylonem.* O funera rerum humanarum!

Locus Niniuæ.

9. Quid loquar de magnitudine imperij? Si Eusebio fidem habemus, totam Asiam, exceptis Indis, Ninus ditioni suæ subiecerat. Si Iustino: subegerat populos totius Orientis. Si Ctesiæ & Diodoro, etiam ad intimam Africam, duce Semiramide, Assyriorum arma penetrarunt. Si Herodoto: imperium habuerunt τῆς ἄνω Ἀσίης superioris Asiæ, neque videbuntur vllo modo citeriorem Asiam attigisse. Si Dionysio Halicarnasseo, Assyriorum principatus ὀλίγου τινὸς ἐκράτησε τῆς Ἀσίας μέρους. *paruam quandam Asiæ partem obtinuit.*

Magnitudo Imperij Assyriorũ.

In præfat. historiæ.

10. Nec certiora quidem sunt quæ de sublato Assyriorum imperio veteres prodiderunt. Id Eusebius putat anno præter propter quadragesimo quarto; Petauius autem vir eruditissimus è Ctesia colligit anno centesimo ante primam Olympiadem contigisse. Ex Herodoto & aliis facilè colligi possit anno post Olympiadas circiter trigesimo quinto defecisse Medos ab Assyriis, anno verò post easdem Olympiadas pene ducentesimo euersam esse Ninum Assyriæ Monarchiæ Metropolim. Quomodò verò regnum ab Assyriis ad Medos deuenit, explicari facilè non potest.

Quando Ninus euersa.

Lib. 1.

Sardanapalus.

11. Omnes pene consentiunt postremum apud Assyrios regnasse Sardanapalum virum muliere corruptiorem: *Ad hunc videndum,* inquit Iustinus, *quod nemini ante eum permissum fuerat, præfectus ipsius Medis præpositus nomine Arbactes cum admitti magna ambitione ægrè obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges, purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitia corporis & oculorum lasciuia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis indignatus tali fœminæ tantum virorum subiectum, tractantique lanam ferrum portantes parere, progressus ad socios quod viderit refert,* &c. *Multi,* inquit Athenæus libro 12. δῆπτος, *& inter cæteros Duris, cum præ indignatione tradunt* συγχωσθέντα ἀποθανεῖν *propria sibi manu necem intulisse. Ctesias verò dicit bellum Sardanapalo illatum, qui victus in regiam se recepit, & extructâ pyrâ se & diuitias in incendium misit, & semet concremauit.*

Quomodo Ninus euersa.

12. Diodorus tamen & Iustinus relictâ communi sententiâ, quam non solùm multi, sed vt ait Athenæus, οἱ πολλοὶ *plerique omnes* sequebantur, Ctesiæ vestigiis insistere maluerunt. Quamuis Diodorus cum gnauiter restitisse, & non semel victorem abiisse testatur; Iustinus eum primò latebras circumspexisse, mox deinde cum paucis & incompositis in pugnam progressum, nullo negotio fuisse superatum. Si Cedreno & Suidæ, vnde acceperint, fidem adhibendam putamus, Sardanapalus ἐσφάγη ὑπὸ Περσέως *à Perseo iugulatus est.* Clitarchus apud Athenæum γήρᾳ τελευτῆσαί φησι Σαρδανάπαλον μετὰ τὴν ἀπόπτωσιν τῆς Σύρων ἀρχῆς. *Mortuum esse senio deiectum Syria principatu.* Aristobulus in Anchiale sepultum refert, Ctesias eiúsque sequaces in vrbe Nino concrematum. Vrbem Ninum vnà conflagrasse, ciuésque diuersis pagis attributos author est idem Ctesias apud Diodorum, Athenæus eiusdẽ, vt videtur, authoritate scribit Sardanapalum rebus iam pene desperatis liberos suos præmisisse in vrbem Ninum, vt in ea receptum haberent.

Mors Sardanapali.

13. Herodotus nullam Arbacis, nullam Sardanapali facit mentionem. Sed Ἀσσυρίων, inquit, ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι, *cùm Assyrij annũ iam quingentesimum & vicesimum, superiorem Asiam tenerent, primi omnium ab ipsis Medi deficere cœperunt.* Non tamen, vt vulgus Chronologorum existimat, Imperium ad se statim transtulerunt, sed vt subdit Herodotus, Καί κως οὗτοι περὶ τῆς ἐλευθερίης μαχεσάμενοι τοῖσι Ἀσσυρίοισι, ἐγένοντο ἄνδρες ἀγαθοὶ, καὶ ἀπωσάμενοι τὴν δουλοσύνην ἠλευθερώθησαν. *Et ipsi cum Assyriis de libertate certantes, fortiter se gesserunt, & seruitute depulsa libertatem sunt consecuti.* Μετὰ δὲ τούτους, καὶ τὰ ἄλλα ἔθνεα ἐποίεε τὠυτὸ τοῖσι Μήδοισι. *Deinde verò cætera gentes Medos imitata pariter defecerunt, atque ita regnum Assyriorum multum pristina dignitatis amisit, ac paulatim pluribus & pluribus ab eo desciscentibus euersum est.* Ἐόντων δὲ αὐτονόμων πάντων ἀνὰ τὴν ἤπειρον. *Cum autem sui iuris essent omnes qui continentem incolebant, primus Deioces commendatione Iustitiæ Rex Medorum electus est, Deioce defuncto, qui annos tres & quinquaginta regnauit,* sequor Vallæ versionem,

filius eius Phraortes suscepit imperium, qui solo imperio Medorum non contentus, bellum ante omnes intulit Persis, eosque primos in potestatem Medorum redegit. Quibus nationibus potitus, valida vtraque, mox Asiam subegit, aliam deinceps atque aliam inuadendo gentem, donec ad Assyrios oppugnando peruenit, ad eos, inquam, Assyrios, qui Ninum incolebant, quondam omnium principes. τότε δ' ἦσαν μεμυνωμένοι μὲν συμμάχων, ἅτε ἀπεστεώτων, ἄλλως μὲν τοι ἑωυτῶν εὖ ἥκοντες. *tunc à socijs per defectionem erant deserti: alioqui per se bene habentes. Aduersus hos expeditione suscepta Phraortes secundo ac vigesimo quàm regno potitus est anno, cum pleraque exercitus parte periit.*

14. Phraorti successit filius Cyaxares, patremque rerum gestarum gloriâ superauit. Is anno regni sui circiter octauo τὴν Ἄλυος ποταμοῦ ἄνω Ἀσίην πᾶσαν συστήσας ἑωυτῷ, *cùm omnem Asiam trans Alym fluuium suæ subiecisset ditioni*, Assyrijs denique bellum indixit, eosque collatis signis profligatos in vrbem compegit, περικατημένῳ τὴν Νῖνον *Ninum obsidenti* magnus superuenit Scytharum exercitus. Medi prælio victi Scythis per annos duo triginta paruerunt. Tandem excusso seruitutis iugo anno Cyaxaris præter propter trigesimo sexto Niniuem imperio suo subdiderunt, vel potiùs funditus euerterunt, annis circiter quadraginta priusquam Babylon in Cyri ditionem concederet. Cyaxarem enim annis omnino quadraginta, Astyagem eius filium annis triginta quinque regnasse testis est Herodotus, Astyagis regnum Cyrus occupauit, & anno circiter regni sui vigesimo cepit Babylonem. Iam si quatuor qui post euersã Niniuem Cyaxari superfuerunt annis, Astyagis quinq. & triginta, Cyri viginti annos adieceris, 59. omnino colligetur.

15. Hæc fere ex Herodoto, quibus videtis inter excisam Niniuem & Cyri primordia quadraginta duntaxat annos intercipi. Eusebius tamen & Gregorius Monachus 259. Ctesias apud Diodorum trecentos & septemdecim, Iustinus trecentos & quinquaginta numerauit.

Alij passim Semiramidem in ipsis Assyriorum regni primordijs aiunt floruisse, adeóque Nini monarchiæ conditoris vxorem fuisse: Solus, quod notare potuerim, Herodotus Semiramidem ætatibus quinque duntaxat ante Nitocrim, quæ iam deleta Niniue muniuit Babylonem, vixisse testatur. Cæteri profani scriptores vltra Ninum progredi non solent, vt author est Tertullianus, Herodotus initio historiæ ab Hercule Nini stirpem accersit, Ἄγρων μὲν γὰρ, inquit, ὁ Νίνου τοῦ Βήλου, τοῦ Ἀλκαίου, πρῶτος Ἡρακλειδέων βασιλεὺς ἐγένετο Σαρδίων. Κανδαύλης δὲ ὁ Μύρσου ὕστατος. *Argon enim Nini filius, Beli nepos, pronepos Alcæi primus Heraclidarum Sardium Rex fuit, Candaulus vero Myrsi filius postremus.* Eos autem qui priùs Lydiam tenuerunt, à Lydo qui regioni nomen dedit, ait fuisse propagatos.

16. In hac sententiarum varietate fieri potest vt omnes profani scriptores, quique eorum vestigijs institerunt, errauerint, fieri potest vt vnus aliquis veritatem attigerit; vt autem omnes verum tradiderint, fieri omnino non potest. Neque is ego sum qui aut vnius contra ceteros patrocinium suscipere velim, aut tanquam honorarius arbiter controuersiam inter eos decidere. Tamen si in rebus antiquis authorum spectatur antiquitas, constat Herodotum Olympiade 77. Ctesiam olympiade circiter 104 suas historias edidisse. Si fides, multi quidem putant Herodotum ad lectorum vel delectationem vel admirationem aucupandam crebra suis narrationibus adspersisse mendacia. Cui vel illud non parum nocet apud nostros, quòd Herodotus Gallis idem pene quod delirus sonare videatur, Sed qui apud Phocium legerit excerpta rerum Indicarum, totum Ctesiam ex omnium mendaciorum colluuione concretum agnoscet.

Herodoti n Ctesiæ maior authoritas.

17. Iustinus quidem, vel potiùs Trogus Pompeius & Diodorus Siculus Ctesiam secuti putant Arbacis & Medorum defectione imperium Assyriorum funditus esse sublatum, à quorum authoritate recentiores omnes nefas esse ducunt vel latum, vt aiunt, vnguem discedere. Sed eùm, vt ait Athenæus οἱ πολλοὶ *plerique omnes* Trogo & Diodoro antiquiores Arbacem scribant non intulisse bellum Sardanapalo, sed ex indignatione violentas sibi manus attulisse, Herodoto qui Medos ab Assyriorum imperio defecisse narrat, videntur suffragari. Ctesias res Assyriorum compertas habere potuit: quas, vt refert Photius, tribus libris complexus est: Herodotus easdem se mandaturum esse litteris semel & iterum pollicetur. Quid igitur hoc loco faciemus? Duabus opinor viis poterimus ad aliquam veri notitiam deuenire, altera si, quoniam profani scriptores inter se dissentiunt, rem ipsam seclusis authoribus examinemus, & non tam authoritatum quàm rationum momenta ponderemus; altera, si hæc ipsa narrationis momenta, scripturæ sacræ lance trutinemus. De vtriusque narratione, quid censes, Nearche?

V. *Examinatur Herodoti & Ctesiæ narratio.*

18 NEARCHVS. In Herodoto multa sunt opinioni vulgari contraria: nihil tamen in hac narratione velad aurium delicias comparatum, vel à communibus Herodoti ratio. hominum moribus alienum. Regnant Assyrij, deficiunt, vicinæ gentes imitantur. Sui sunt iuris, quem iustissimum putant, sibi regem statuunt: paulatim vicinas nationes suæ subiiciunt ditioni: tandem nouarum in dies virium accessione firmiores Assyrios ipsos aggrediuntur, & ipsam denique Ninum euertunt. Nulla hic aucupia verborum, nullæ fabellarum offuciæ.

19. Quid autem Ctesias? Ninus Babyloniorum Regem interficit nondum condita Babylone: quam primam omnium ciuitatum conditam esse liquet; omnes Regis Ctesiæ narratio. Babylonici liberos extinguit, & quidem nulla lacessitus iniuria, conscribit innumerabiles exercitus, iam tum ab ipso regnorum & mundi, post generis humani cladem renascentis initio vicies centies centena millia sub signis habet. Decerto Dea nescio quem adolescentulum amat, ex eo grauida iuuenem è medio tollit, natam puellam alitibus & feris laniandam exponit, ipsa pudore suffusa in lacum nescio quem desilit, in monstrum conuertitur

-*atrum*

Desinit in piscem, mulier formosa superne.

ad puellam expositam aduolant columbæ, Semiramis. alis blandè circumfouent, lacè vicinis mulctralibus furtim oblatum in os infantis instillant, & cùm Semiramis annicula cibo solidiore iam indigeret, abrasa è caseis frustula deportabant. Quid plura? inuenitur à pastoribus, cuidam Satrapæ nuptum traditur, duos ei parit liberos, amatur à Nino, marito subducitur, ille iacturæ impatiens vitam finit suspendio. Semiramis anno ætatis vicesimo post Nini mortem, totius Asiæ gubernaculis admouetur maritúmque rerum gestarum gloria superat. Tandem videns insidias à Nino filio sibi comparari, regnum filio tradit, & repente disparet, aut etiam, si Superis placet, in columbam conuertitur, & auolat multis auibus stipata, quæ ad eam deducendam conuenerant.

20. Omitto quod ex eodem, vt videtur, Ctesia depromptum refert Iustinus lib. 1. ineunte, Semiramidi, cùm regnare occœpit, filium fuisse, impuberem illum quidem, sed iam grandiusculum,

Pariterque caput cum matre ferentem.

Hæc, inquit ille, *nec immaturo puero ausa tradere imperium, nec ipsa imperium palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fœminæ parituris, simulat se pro vxore Nini, filium, pro fœmina puerum. Nam & statura vtrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis, &c. Sic primis initiis sexum mentita puer credita est.* Quæ qui fieri potuerint, equidem non video, si, vt Ctesiæ placet, ætatis anno vicesimo regnum adepta est, & inter mortales esse desiit, βιώσασα μὲν ἔτη ἑξήκοντα καὶ δύο, βασιλεύσασα δὲ δύο πρὸς τεσσαράκοντα, *cùm annos duos & sexaginta vixisset, duos autē & quadraginta regnasset*, vt è Ctesia refert Diodorus pagina 76. Hactenus de Assyriacæ Monarchiæ primordiis.

21. De progressu nihil Herodotus, quia seorsum historiam Assyriorum edere decreuerat. Ctesias omnes post Ninum & Semiramidem Assyriæ Reges cum eunuchis & concubinis in gynecæum abstrusos, languidósque liquefactos voluptatibus, mille circiter & trecentis annis à Ninya ad Sardanapalum elapsis ait otio & ignauia marcuisse, adeóque nullum rerum ab iis gestarum extare vestigium, nisi quòd Teutamus eorum vicesimus Memnone Duce Progressus regni Assyriorum. Troianis auxilia submisit, nullam tot seculis rebellionem, nullam tot gentium defectionem fuisse, cùm interim noui quotannis crearentur singularum gentium duces, noui scriberentur, veteres dimitterentur exercitus, & vltrò citróq; à prouinciis in vrbem regiam, ab vrbe in prouincias commeantes totã Asiam in officio continerent. In quo, vt cętera dissimulem, incredibile est, vrbē quę vnquam fuerunt, omnium maximam, circumsidentibus assiduè tot hominum myriadibus habere potuisse tot seculis liberum rei frumentariæ commeatum.

22. In ipsa Nini subuersione quam multa congerūtur è Ctesia apud Diodorum, quæ planè cohærere non possunt? Sardanapalus ὑπερῇρε ἅπαντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ τρυφῇ καὶ ῥᾳθυμίᾳ. *Omnes suos præcessores luxu & ignauia superauit*, cerussatis buccis, madētibus cin- Nini subuersio. cinnorum fimbriis, stola, voce, coniectu oculorum muliebri vel potiùs meretricio, Sardanapali mollities. in vtramq; venerem effusus, purpuram fuso deuoluens, totam inter cōcubinas & effœminatos catamitorum greges in gynecæo vitam exegerat. Idem tamen longè fortissimus & vigilantissimus imperator γνοὺς τὴν ἀπόστασιν, εὐθὺς ἐξήγαγεν ἐπ' αὐτοὺς τὰς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐθνῶν δυνάμεις. *Vt primùm defectionem agnouit, in ipsos reliquarum gentium copias eduxit.* Semel, iterum, tertiò rebelles ingentibus præliis superauit.

23. Tādem nocturnis insidiis appetitus, ali-

quot suorũ amissis, salæmeni Leuiro suo reliquit exercitum, ipse ad vrbem profectus est, vt eius incolumitati prouideret. Absente Rege perduelles δυοὶ μάχαις ἐνίκησαν τοὺς Ἀσσυρίους, *duabus pugnis Assyrios superarunt.* Nec ideo tamen animos Sardanapalus abiecit, sed τοῖς ἐλπίσιν ἀντείχετο διαγινόμενος ὑπομένειν τὴν πολιορκίαν. *Spe resistebat statuens obsidionem sustinere,* dũ noui reparerentur exercitus. Quod præstitit adeo fortiter, vt aperta vi expugnari non posset, ita prudenter vt & liberorum, quos in Paphlagoniam præmisit, incolumitati, & omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis egregiè prouiderit, τῶν δ' ἐπιτηδείων, inquit, ἀπάντων οἱ κατὰ τὴν πόλιν εἶχον δαψίλειαν, προνοουμένου τοῦ βασιλέως τούτου τοῦ μέρους. *Qui in vrbe erant, rebus omnibus necessariis affluebant, Rege huic parti prouidente.* Donec tandem tertio obsidionis anno contigit Euphratem inflari, vrbis partem inundare, καὶ καταβαλεῖν τὸ τεῖχος ἐπὶ σταδίους εἴκοσιν, *& ad stadia viginti,* id est, milliaria duo cum semisse *murum deijcere*, cuius portenti, redditique hac de re oraculi magis quàm hostium terrore perculsus, ne viuus in hostium potestatem veniret, regiam, gazam, vestes, seipsum incendio concremauit.

Eius fortitudo

24. Hæc omnia, si vltimum fabulæ actum exceperis, quod tamen in Scipionibus, Brutis, Catonibus plerique laudarunt, magnitudinem redolent animi singularem, vt Ctesias eiúsque sequaces dum eundem quauis meretricula corruptiorem aiunt, eundem imperatorem fortissimum fuisse defendunt, non magis cum Herodoro negante primis illis gentium defectionibus Ninum esse deletam, quàm secum ipsi pugnare videantur. Vel illud quàm lepidum est quod Ctesias & Diodorus Euphratem Assyriæ contribuunt, eiúsque dicuntur inundationibus Nini muros esse deiectos, reclamantibus non solùm Geographis cum Herodoto, sed etiam ipsa scriptura, quæ ad Euphratis discrimen Tigrim Assyriæ consignat. Genes. 2. 14. *Nomen verò fluminis tertij Tigris, ipse vadit contra Assyrios, fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.*

25. Cùm igitur seclusa scriptorum authoritate longè similior vero sit Herodoti narratio fabulis illis Ctesianis, caussæ nihil est cur in supputandis Assyriorum annis Ctesiam Herodoto præferamus, aut prima illa Medorum defectione dicamus vrbem Ninum esse subuersam, cùm præsertim inter antiquos οἱ πολλοὶ *plerique omnes* significarint Sardanapalum haudquaquam ab Arbace fuisse superatum. MEROPS. Vnde igitur factum dicemus vt & lapsus fuerit Ctesias, & Diodorum, Trogum, omnes pene recentiores secum in fraudem induxerit? BASILIVS. Quid enim aliud caussæ fuisse putem, quàm quòd, vt notat Photius, Herodotum identidem reprehendere solebat, & fortasse cùm amantior contentionis esset quàm veritatis, frequenter extra limites progressus est.

26. Deinde, vt author est Suidas, Σαρδανάπαλος ἐν β' Περσικῶν, δύο φησὶ γεγονέναι Καλλισθένης, ἕνα μὲν δραστήριον καὶ γενναῖον, ἄλλον δὲ μαλακόν. *Sardanapalos duos fuisse tradit Callisthenes lib. 2. Persicorum, alterum fortem & generosum, alterum mollem & imbellem*, fierique proinde potest vt ab illo effœminato Medi cæteræque gentes eorum imitatione defecerint: & longè postea vicinis nationibus iam subactis, Phraortes fortem illum & magnanimum aggressus, & magnam exercitus partem, & ipsam vitam amiserit. Cuius filius Cyaxares Astyagis pater Assyriorum denique Regem subegit, Ninúmque deleuit, fierique potest, vt iunior hic & fortis Sardanapalus, rebus desperatis, ne viuus caperetur, vestem, gazam, semetipsum in flammas iniecerit. Hinc authores inter se facilè conciliari possunt. Qui enim Sardanapalum deiectum Asiæ principatu senio confectum obiisse dicunt, mollem illum siue priorem Sardanapalum intelligunt. Qui cùm suis thesauris eum conflagrasse narrant, loquuntur de forti illo & iuniore. Ctesias autem nominum similitudine deceptus, & Medorum defectionem cum Niniues euersione confudit, & è duobus Sardanapalis monstrum vnum è contrariis diuersisque, & inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibúsque conflauit. Restat vt videamus, Nearche, vtrum magis scripturæ consentanea sit Ctesiæ quàm Herodoti de rebus Assyriorum

Ctesias eo deceptus quod Sardanapalos duos in vnũ confuderit.

NARRATIO.

VI. *Status Quæstionis.*

27. NEARCHVS. Illud imprimis venit in quæstionem vtrùm commodiùs scripturæ conciliari possit Herodotus aiens res Assyriorum annis quingentis duntaxat & viginti ante Medorum rebellionem in superiori Asia floruisse, & anno post Medorum defectionem circiter centesimo Ninum esse subuersam, an Ctesias qui Nini cladem cum Medorum de-

Non ait expressè, sed ex eo colligitur.

fectione confundit, & inter Nini excidium, & initium Cyri annos amplius trecentos numerat, & Assyrios ait annos plures mille trecentis non solùm vlteriorem sed etiam citeriorem Asiam tenuisse.

VII. *Ratio temporis tum è Ctesia, tum ex Herodoto ad sacram Chronologiam reuocatur.*

28. IN omni Chronologia nihil adeo constat omnium antiquorum consensu, vt apud Eusebium lib. 9. παρασκευῆς. tradit Africanus, quàm Cyri regnum anno Iphiti 217°. siue Olympiadis 55ª. anno 1°. initium habuisse, quod initium non vt voluit Africanus à capta Babylone, sed, vt probat Petauius, à deuicto Astyage, & Imperio à Medis ad Persas translato, veteres illi Chronologi duxerunt. Post deletam Ninum ab Arbace ad primum Astyagis annum Ctesiæ calculis anni 282. numerantur, quibus si 35. quos Astyagi tribuit Herodotus, adieceris, ab excidio Niniues ad primum Cyri annum, anni 317. colligentur, vt optimè Petauius noster aduertit. Ex quo & illud sequitur è Ctesia Nini subuersionem in annum ante Olympiadas, centesimum incidisse. Assyriæ verò Monarchiæ primordia, in ipsam Patriarcharum ætatem, qui statim à diluuio floruerunt, quæ sanè communis est Chronologorum sententia.

Chronologia Assyriorum e Ctesia.

29 At si Herodotum audimus, Olympiade circiter 45ª. Ninus euersa est, annis videlicet quadraginta priùs quàm Cyrus imperium à Medis ad Persas transtulisset. Inter Cyrum & Medorum ab Assyriis defectionem anni centum quinquaginta sex, vt infrà probabimus, ab Herodo numerantur, vnde necessarium est vt anno Iphiti 61. siue Olympiade decima sexta ineunte Medi defecerint. Iam inter Troiæ excidium & primam Olympiadem anni 407. fluxerunt è communi veterum recentiorúmque sententia. E quibus efficitur anno post cladem Troianam 468. Medos excussisse iugum Assyriacæ seruituris Ante Medorum porro defectionem. Assyrij per annos 520. renuerant superioris Asiæ principatum, è quibus si 468. subduxeris, anno ante Troiæ calamitatem 52. Assyriacæ monarchiæ primordia calculis Herodoti deprehendes.

Chronologia Assyriorum ex Herodoto.

30. Cæterùm antequam ista cum diuinis scripturis confero, Mathematicorum more videntur esse quædam postulanda, ne si singulorum probationi velimus insistere, nox diem priùs eximat, quàm disputationis exitum inuenire possimus. Primum illud est, vt mihi cum Petauio liceat, cæterisque quos ille suæ sententiæ laudat authores, Babylonicæ transmigrationis initium à Ioachimi captiuitate deducere, de qua 2 Paralip. 36. vers. 6. *Contra hunc adscendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum & vinctum catenis duxit in Babylonem ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo.* Id autem factum fuisse anno Ioachimi tertio liquet ex ipso initio Propheriæ Danielis, sed tertio iam expleto, & quarto iam aliquot mensibus ineunte. Siquidem, vt constat è capite 25. Ieremiæ vers. 1. *In anno quarto Ioachim* (primis videlicet anni diebus) *filÿ Iosiæ Regis Iuda (ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis)* eam captiuitatem in hæc verba prædixerat. vers. 9. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum: & adducam eos super terram istam, &c.* vers. 12. *Et seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.* Etsi paulo pòst pueris *de semine regio & tyrannorum*, vt dicitur Danielis 1. vers. 3. & inter cæteros Daniele, obsidum loco retentis, Ioachimus in regnum redire permissus est.

Babylonicæ deportationis initium.

Hoc igitur esto transmigrationis initium; etsi nihil volumus in vtramque partem hoc loco præscribere. Sed si cui magis arriserit à Ioachim siue Iechoniæ translatione auspicari, quod multis eruditis placere video, sacram Chronologiam profanæ conferens annos septem adiiciet, si ab vndecimo Sedeciæ, annos octodecim. Quod etsi nostris rationibus incommodum est, non magni tamen refert ad eam, quæ versatur in manibus, quæstionem.

31. Alterum Postulatum est, quod paucos admodum negaturos esse confido, vt mihi iuxta communem latéque peruagatam Chronologorum omnium sententiam, anno Cyri primo post captam Babylonem, non autem Darij secundo, consignare liceat finem Babylonicæ seruitutis.

Finis captiuitatis.

31. Tertium denique Postulatum est, vt quoniam Herodoti narrationem ad scripturæ rationes exigendam suscepimus, liceat ex eius mente Cyro annos vndetriginta tribuere post debellatum Astyagem, & ex canone Mathematico, de quo suo loco dicendum est, annos nouem à capta Babylone, vt Cyrus anno regni Persici vicesimo Chaldæam occuparit: annuitis,

Cyri regnū in Perside.

Initium regni Babylonici.

opinor, quare, si placet, historiam profanam ad sacræ calculos reuocemus.

33. Anno primo Olympiadis 55. id est anno post Olympiades ab Iphito restitutas decimo septimo supra ducentesimum, Cyrus Persarum regnum exorsus est, annis deinde viginti præter propter euolutis potitus est Babylone. Eodem anno qui fuit Olympiadis sexagesimæ primus, finis imponitur Babylonicæ seruituti, à cuius initio iam anni septuaginta effluxerant, vnde sequitur annum Ioachimi quartum, eiusque transmigrationem in annum secundum quadragesimæ secundæ Olympiadis incidisse, qui fuit annus ante initium Cyri, quinquagesimus; post institutas autem Olympiadas, 167. A quo cùm tibi centum & sex annos, id est ab initio Cyri 156. pes retroactus impleuerit, apud Herodotum, vt infrà docebitur, Medorum ab Assyriis defectionem, apud Hebræos decimum quartum annum Ezechiæ, Assyriorum expeditione, & internecina clade, Sennacheribi nece, Assaradonis initio, parricidarum in Armeniam secessu, Ezechiæ morbo, redditáque per Isaiam diuinitùs sanitate, Merodach Baladan legatione, primaque mentione Regis Babylonij nobilem deprehendes.

Medorum defectio videtur anno Ezech. 14. contigisse.

34 Hinc rursum, si annos vnum & sexaginta numeres, habebis apud Græcos annum 217. ante Cyri primordia, & primæ Olympiadis initium, apud Hebræos annum Azariæ (qui & Osias) tricesimum quartum inuenies. Ab Azariæ tricesimo quatro ad initium Dauidis anni 280. numerantur. A prima Olympiade ad excidiū Troianum anni 407. è quibus si 280. deduxeris, comperies Dauidem anno post Ilij cladem septimo & vicesimo supra centesimum cœpisse regni gubernaculis admoueri. Ante hunc Saül annis quadraginta regnarat, & vt alibi probabitur, Samuel ante Saülem annos circiter triginta tres populum iudicarat. Heli autem annis quadraginta præfuerat Reip. Inuenies annos 113. ab Heli primordiis ad Dauidis inaugurationem euolutos. E quibus efficitur anno decimo quarto ante præfecturam Heli, anno 312. post egressionem filiorum Israel ex Ægypto & initam possessionem Chanaanitidis Troiam esse deletam. Quod secundum nostram Chronologiam commodiùs alibi digerendam videtur anno Iairi Hebræorum Iudicis quarto contigisse; quod secunda parte somnij fusè Memburgus ostendit.

Sacra Chronologia.

35. Ab hoc tempore ad annum illum Ezechiæ decimum quartum, & Sennacheribi necem, cuius occasione putamus Medos depulisse iugum Assyriacæ dominationis anni quadringenti sexaginta octo colliguntur. Assyrios autem ante Medorum rebellionem ait Herodotus annis quingentis & viginti tenuisse superioris Asiæ principatum. E quibus efficitur annis ante Troianam cladem 52. Monarchiam Assyriacam initium habuisse, quo tempore Gedeon Hebræorum administrabat Rempublicam. Et hoc est, opinor, quod ait Porphyrius apud Eusebium li. 10. πραπαρασκ. Sanchoniatonem antè bellum Troianum, Semiramidis ætate, non longè post Mosem tempore floruisse. Sed quid prohibet eius verba producere? Sanchoniaton, inquit, Berytius εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως θεοῦ Ἰευώ. *accepit commentarios à Ierobaal sacerdote Dei Ieuo.* Imo Ierobaal siue Gedeon Iudex populi fuit, non sacerdos, subdit Porphyrius. οἱ δὲ τούτων χρόνοι καὶ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν πίπτουσι χρόνων, καὶ σχεδὸν τοῖς Μωσέως πλησιάζουσιν, ὡς αἱ τῶν φοινίκης βασιλέων διαδοχαὶ μηνύουσι *Illorum verò* (Sanchoniatonis, Ierobaal, & Abelbali Berytiorum Regis) *tempora etiam ante Troiana tempora inciderunt, & pene ad Mosis ætatem accedunt, vt indicant successiones Regū Phœniciæ*, paucisque interiectis subdit, ἐπὶ Σεμιράμεως γέγονε τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος. *floruit ætate Semiramidis Assyriorum Reginæ.* Hæc Porphyrius.

Cum profana comparatur.

36. At si Eusebij Chronologiam amplectimur, dicendum est annis ante exodum pene quingentis, Semiramidem floruisse. Cùm nihilo seciùs ipse ex Manethone & Africano quindecim dynastias Ægyptiorum agnoscat, Africanus autem Chaldæorum & Arabum dynastias cum tredecim regibus qui antè Belum in Babylonia regnasse dicuntur annis 440. vide, si lubet, Salianum ad annum mundi 1932. n. 5. Quid? quod, vt notat Eustathius in Dionysij periegesim, sunt inter antiquos qui ἀρχαιοτέραν τὴν πόλιν ταύτην τῆς Σεμιράμιδος λέγουσιν ἔτεσι χιλίοις ὀκτακοσίοις, hanc vrbem Semiramide antiquiorem esse dicunt annis 1800. Quid quòd non paucis ante Ninum annis, vt author est Iustinus initio suarum historiarum Vexores Rex Ægypti & Scythiæ Tanais claruerunt? imò, vt idem ait lib. 2. Scythis ante Ninum *Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit, pendendi tributi finem Ninus Rex Assyriorum imposuit.*

37. Sed hæc, inquiunt, exsufflantur, vt fabulosa, scripturæ parum consentanea, & tum recentioribus, tum antiquis improbata doctoribus. Cur hæc potiùs fabulosa,

quàm Ctesiana de Nini & Semiramidis antiquitate narratio? Quidni enim hanc Assyriæ Monarchiæ annositatem è cœnoso illo fonte deriuatam esse dicamus, cùm Clemens Alexandrinus 1. Stromatum eam strictim & titubanter huius vnius authoritate confirmet? εἰ δὲ, inquit, τὰ Ἀσσύρια πολλοῖς ἔτεσι τῶν ἑλληνικῶν ἀρχαιότερα ἀφ᾽ ὧν Κτησίας λέγει. *Si res Assyriorum multis annis antiquiores sunt, quam Græcanicæ, ex iis quæ refert Ctesias.* Sed iam, si placet, Ctesiæ & Herodoti Chronologiam ad scripturæ amussim exigamus.

38. Probat eruditissimus Petauius lib. 9. de Doct. temp. cap. 13. si Medorum imperio annos 317. vt Ctesiæ placet, Assyriorum Monarchiæ mille trecentos tribuamus, ad annũ præterpropter à diluuio centesimum quinquagesimũ tertium referenda Monarchiæ illius primordia. Ctesias autem ait mille trecentos & sexaginta à Nino ad Sardanapalum numerari. Vnde sequeretur eiusdem Petauij calculo, anno circiter post diluuium nonagesimo tertio Ninum Assyrij regni capessiuisse gubernacula, sed ante hunc, vt Eusebio placet, Belus pater annis sexaginta quinque, aut vt ait Africanus, quinquaginta quinque regnauerat, vnde sequeretur vicesimo pene post diluuium anno, à Belo Assyriorum aut certè Babyloniorum imperium esse fundatum, annis circiter octoginta priusquã Phalegus nasceretur. Sed hoc esse contra scripturæ fidem omnes intelligunt, & plerique post Eusebium Chronologiam sacram ita profanę concinnant, vt anno Nini tertio supra quadragesimum natus fuerit Abrahamus, Petauius eius ortum reuocat ad annum Semiramidis tertium & vicesimum.

Refutatur Ctesiana Chronologia.

39. E quidem non is ego sum, qui quod omnibus pene Doctoribus persuasum esse video, id affirmem diuinis litteris esse contrarium, aut insitam penitus opinionem credam posse meis rationibus euelli. Cùm tamen omnia quæ de Assyriorum primordiis & fine iactantur è Ctesia, tanquam è suo fonte manauerint, libenter interrogem quî consentaneum sit scripturæ; quod è Ctesia refert Siculus Diodorus lib. 2. ineunte, cùm Ninus Babylonios aggressus est, nondum conditam fuisse Babylonem? cùm Nemrod cœperit esse potens in terra, principiúmque regni eius Babylon, vt expressis conceptisque verbis Gen 10. continetur. *Iis*, inquit, *temporibus, ea, quæ nunc est Babylon*, οὐκ ἦν ἐκτισμένη, *condita non erat, sed in Babylonia erant aliæ nobiles ciuitates.*

Ctesias scripturæ contrarius

Deinde, quod iam superiùs attigi, quæro quî tandem vel cum Geographia, vel etiam cum scriptura cohærere possit ille Niniues situs, qui à Ctesia & Diodoro describitur. ἐπὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν ἔκτισε πόλιν, *ad fluuium Euphratem vrbem condidit.*

40. Sed hoc loco suũ Ctesiam respuent, & fatebuntur hallucinatũ esse Diodorum. Quibus & ego libens suffragabor, neque tuas suspiciones, aut etiam conuicia, Basili, magnopere pertimescam, qui, pace tua dixerim impensiùs Diodoro, quàm caussæ patrocinari videbaris. Cùm enim in eos qui Diodorum hallucinari dicebant, paulò vehementiùs exarseris, in refellendis iis, qui Belum eundem esse atque Nemrodem Abydeni authoritate contendunt, ita finxisti, vt quasi vim argumenti metuens, asterisci cuiusdam occasione lectionem in dubium reuocares, vel duos Belos fuisse diceres, & Babylonium, quem ij Nemrodem esse volunt, ab Assyrio Nini patre distingueres: quod etsi verum arbitror, tamen necessarium non fuit, & elusio potiùs argumenti videri possit, quàm solida dilutio. Quanto compendiosiùs enim & neruosiùs negare potuisti è verbis Abydeni colligi posse Belum primum fuisse vrbis Babylonicæ conditorem? Ait enim duntaxat Belum detersis paludibus quæ regionem occupabant. Babylonem τείχει περιβαλῶν muro circumdedisse, quibus potiùs innuitur, priùs conditam fuisse Babylonem, quàm opera Beli muro circundatam.

41. NEARCHVS. Video quid velis, Basili. Aliò deriuare cupis orationem, sed

Verte omnes te te in facies, & [contrahe quicquid

Siue animis siue arte vales,

nusquam te elabi patiemur. Age igitur, in viam. BASIL. Certum est è Iudith 5. Thare & Abraham *deserentes ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant*, è terra Chaldæorum exiisse, siue Deus illis exire præceperit, vt legitur in Latina versione, siue illos Chaldæi à facie Deorum suorum eiecerint, vt in Græcis codicibus habetur, καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου τῶν θεῶν αὐτῶν; *& eiecerunt eos à facie Deorum suorum*, siue Abraham, qui ignem adorare nolebat, in ignem coniectus, & Babylonico vallatus incendio, inde fuerit auxilio Dei liberatus, vt iam diximus, constantem esse Iudæorum traditionẽ ipsa scripturæ authoritate firmatam, siue potiùs tres istæ profectionis caussæ concurrerint.

42. Quicquid sit, cùm eum omnes vitandæ vexationis caussa migrasse fateantur, non videtur diutiùs in Mesopotamia fuisse mansurus, si iam tum Chaldæis & Assyriis Mesopotamia paruisset. At vt habetur

Probatur à rebus gestis Abrahami, Assyrios eo tempore nondum imperasse

betur in Græco contextu Iudith 5. ἔφυγον εἰς Μεσοποταμίαν καὶ παρῴκησαν ἐκεῖ ἡμέρας πολλάς. *Et fugerunt in Meſopotamiam, & habitauerunt ibi dies multos*, quam interpretationem magnus quoque Doctor amplectitur, lib. 16. de Ciuit. cap. 13. Neque verò ſic ibi verſatus eſt vt Aſſyriorum metu ſe in latebras abſtruderet, ſed luce palam multa gerebat, multa contrahebat, rem familiarem augebat, animas in Haran faciebat, id eſt, ſeruitia ſibi comparabat, vel, vt Rabini quidam exponunt, multos à falſorum nouitiorúmque deorum cultu ad veri Dei cerimonias cultúſque reuocabat. Quæ ſanè palam facturus fuiſſe non videtur, ſi iam tum Aſſyrij Meſopotamiam tenuiſſent. E quibus liquet Ninum ea tempeſtate nondum monarchiam condidiſſe.

43. Quid? quòd, cùm vrgente fame Gen. 12. Patriarcha deſcendit in Ægyptum, ſuum habebant Ægyptij Pharaonem, quem nemo probabiliter dixerit Aſſyriis ſeruiſſe? At ſi Cteſiam audimus in Semiramidis & Nini ditionem conceſſerat. Eodem pene tempore quo Abramus è Chaldæa fugiebat, Codorlahomor Rex Perſarum Pentapolim redigebat in ſeruitutem. Gen. 14 v. 4. Nullum hîc apparet Aſſyriæ Monarchiæ veſtigium. Imò ſi iam tum imperitabant Aſſyrij, & totam Aſiam, exceptis Indis, vt dici ſolet, obtinebant, non Perſarum Regi, ſed Aſſyriorum Imperatori ſeruiſſe dicerentur. Decimo tertio pòſt anno Pentapolitani deficiunt: Ne hic quidem Aſſyriorum ſcriptura meminit, cùm vel eorum ſola commemoratio illos quinque ciuitatum regulos facilè potuiſſet in officio continere. Rebellibus quatuor Reges inter ſe fœderati bellum indicunt, & quidem, vt Genebrardus in annum mundi 3356. & Torniellus ad annum 2016. num. 6. prudenter aduertunt, tanquam ſui iuris in ſcriptura nominantur.

44. Sed vltrò fatentur huius imperij raram in profanis hiſtoriis, in ſacris autem ante Phulem quem Sardanapalo poſteriorem fuiſſe volunt, omnino nullam mentionem exiſtere: nihil tamen inde concludi. Quia negatiuum eſt argumentum, vt vocant; neque ſi ſcriptura nullam facit Angliæ, Franciæ, Germaniæ mentionem, hinc efficitur eas prouincias non fuiſſe. Quanquàm, vt optimè notat Loco proximè laudato Genebrardus, ſi tam potens & ampla fuiſſet iſta Monarchia, in tanto annorum ſpatio propter viciniam, illi commercium aliquod aut res alia fuiſſet cum Iudæis, cum Syris, cum finitimis aliis populis, quorum bella réſque geſtas ſcriptura ſolet attingere.

45. Sed aliam probationis viam ineamus. Nini ac Semiramidis temporibus ingenti mortalium copia iam orbis terrarum affluebat Hinc ingentes illi exercitus. Ninus Bactrianis bellum inferens, ſi Cteſiæ fidem habemus, πεζῶν μὲν ρό μυριάδας, ἱππέων μὲν μιᾷ πλείους τῶν εἰκόσι μυριάδων. *Peditum decies ſepties centena millia, equitũ ſupra ducenta dena millia numerauit*, vt ait Diodorus lib. 2. Pan. 66. Græcæ Edit & vt pag. 74. ſubnectitur, Semiramis exercitum altero tanto pene maiorem in Indiam infudit. Erant enim πεζῶν μὲν τριακόσιας μυριάδας, ἱππέων μὲν πεντήκοντα μυριάδας, *peditum quidem tricies centena millia, Equitum autem millia ducenta quinquaginta*. At qui Geneſis hiſtoriam legerit, is æuo Patriarcharum inueniet Syriam & Meſopotamiam adhuc pene vacuas fuiſſe cultoribus, vnde liceat de reliquis facere coniecturam. Hinc Moab & Ammon ſuam ſinguli gentem ampliſſimam, ſuam Iſmaël in Arabia, ſuas ſinguli Cethuræ filij partim in Troglodytide, partim in Arabia felice, partim etiam in India condiderunt, ſi Ioſepho l. 1. antiquit & Hieronymo in tradit. Hebraic. fidem adhibendam putamus. E quibus liquet ante Abrahamum eas regiones nondum fuiſſe coloniis occupatas.

46. Amraphel cum cæteris Regibus fœderatis Chorræos in montibus Seir deleuerat. Eam regionem Eſau ducenteſimo fere pòſt anno cultoribus adhuc inuenit exhauſtam, ibíque gentem Idumæorum à ſe propagauit. Labanus, vt dicitur Geneſ. 30. v. 35. ſeparauit capras, & oues, & hircos, & arietes varios & maculoſos. Cunctum autem gregem vnicolorem id eſt albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum, & poſuit ſpatium itineris inter ſe & generum trium dierum, qui paſcebat reliquos greges eius. Quod profectò tactum non diceretur, niſi *ſaltus longè latéque vacantes* habuiſſent ca p 34. verſ. 21. Sichem & Hemor aiunt terram ſuam latam eſſe & ſpatioſam, & cultoribus indigere. Iam ſi tanta fuit in Syria, Meſopotamia, cæteriſque Babyloniæ regionibus ſolitudo, vnde diſperſi fuerant mortales, quis non aduertit in cæteris mundi plagis maiore diſſitis interuallo maiorem etiam fuiſſe vaſtitatem? Vnde igitur Ninus & Semiramis, ſi ante hæc tempora floruiſſe dicantur, tam immanes exercitus contrahere potuerunt?

47. Merops. Meministine quid, superius dixeris? Basil. Quid tandem, Merops? Merops. Aiebas ab eruditissimo Petauio lib. 9. de Doct. Temp. c. 14. Arithmetica progressione demonstrari fieri potuisse vt iam tum incredibiles scriberentur exercitus. Basil. Aiebam sanè. Sed aliud est fieri potuisse, aliud reuera esse factum. Nam eadem numerorum progressione facilè demonstraueris fieri posse vt paucis admodum annis tota Europa leporibus aut cuniculis impleatur: neque tamen rectè collegeris id reapse contigisse, quod fieri potuisse concedimus. Fatemur qua tempestate natus est Abrahamus, iam tum fieri potuisse, vt omnes orbis antiquis cogniti plagæ frequentibus coloniis opplerentur, sed interim scriptura docet æuo Patriarcharum non remotas solùm, sed etiam vicinas Babyloniæ regiones cultoribus admodum paucis fuisse celebratas, vt proinde dici non possint Ninus & Semiramis eo tempore floruisse.

48. Evlog. Quid si responderint hos innumerabiles exercitus, fabularum quam verisimiliores videri? quid enim non Græcia mendax audet in historia? Basil. Vtinam id quidem respondeant, Eulogi, tum libenter ab iis sciscitabor quid causæ sit, cur cùm suum illum Ctesiam in tempore conditæ Babylonis, vrbis Nini ad Euphratem, vt ait, constitutæ, situ, Semiramidis parente, infantis educatione, rebus gestis & copiarum numero, eiusdem in columbam transmutatione fabulosum esse fateantur, cùm nihil huiusmodi fabularum, quod quidem ad res Assyriacas pertinet, in Herodoto deprehendant, nihilo tamē secius cùm ad illius Monarchiæ tum amplitudinem, tum antiquitatem ventum est, vni Ctesiæ mordicus hæreant, ab huius vnius nutu dependeant, & Assyrios non superioris duntaxat Asiæ cum Herodoto, sed è Ctesia totius Asiæ, exceptis Indis, dominatos esse defendant, non cùm Herodoto annos circiter septingentos à Nino ad Cyrum, sed cum Ctesia mille propè & septingentos numerandos putēt. Quam Ctesiæ Chronologiam tam anxiè sequuntur, vt plerisque annalibus

centesima pagina surgat.

dum vacua Regum Assyriorum omina, inaugurationes, obitus identidem inculcant, & quidem nulla penitus facta rerum ab iis tanto tempore gestarum mentione, quasi omnes ostrei vitam egerint, & scopulis affixi, solique saginæ inhiantes nusquam se promouerint.

49. Evlog. Quid si conceptis pene scripturæ verbis euicero Ninum vel Patriarcharum ætate, vel saltem ante Mosis tempora Niniuem Assyriæ Metropolim condidisse? Basil. Mihi quidem rem gratissimam feceris, Eulogi, si communem illam Chronologiam viris doctissimis probatam, omniúmque tritam sermonibus, etiam scripturæ consentaneam ostenderis. Neque enim si quando nouas opiniones amplector, id contentionis libidine facio, sed studio veritatis. Evlog. Ait Moses Genes. 10. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuem, & plateas ciuitatis, & Chale. Resen quoque inter Niniuem & Chale, hæc est ciuitas magna.* Non iam contendo Ninum fuisse primum vrbis illius conditorem, qui à deuictis Assyriis nomen Assur acceperit. Nearchus enim noster firmis, vt quidem iudico, rationibus ab ea nos opinione deduxit. Illud aio, cùm ciuitas magna κατ' ἐξοχὴν à Mose dicatur, hinc meritò colligi iam tum Assyriorum monarchiam floruisse; cúmque nomen ab ipso Nino siue conditore, siue instauratore sortita fuerit, dubium non videri quin Ninus Mose qui Niniuem appellat, fuerit antiquior.

50. Basil. Breuem sanè mihi lætitiam peperisti. Sperabam equidem fore vt disertis, quod aiebas, scripturæ verbis ad sententiam communem adduceret: sed nihil euincit oratio tua. Quid enim si dicamus Mosen Prophetico Spiritu afflatum hæc verba, *Hæc est ciuitas magna propter futuram vrbis amplitudinem subdidisse?* Quid si & iam magna ciuitas erat, & necdum Assyriorum stabat imperium? Iosue 11. v. 8. & iterum cap. 19. vers. 29. Sidon magna nuncupatur, an idcirco quatuor mundi Monarchiis quintam Sidoniorum eo tempore florentem debemus annectere? Quid si non Niniue à Nino, sed contra Ninus à Niniue nomen acceperit? Quid si tum vrbis nomen, tum ista verba adiecta fuerint à Sapientibus Synagogæ, qui longo post Mosen tempore floruerunt.

VIII. *Appendicula de quibusdam verbis scripturæ adiectis.*

51. Evlog. Bona verba, quæso, Basili noster. Quis enim non videt vacillare scripturas, vel potiùs earum authoritatem funditus interire, si semel admiserimus, fieri potuisse vt & in textum principem, & in omnes Græcas, Latinas, Chal-

daicas editiones, in omnia penitus exemplaria, iam inde ab Eccleſiæ naſcentis initio menda quædam irrepſerint? Quis non poterit, quoties ei commodum fuerit, dicere has vel illas voces in ſcripturam illapſas? Quis hoc pacto non poterit difficultates omnes expedire, vel potiùs perſpicuæ veritati tenebras offundere? conteſtatur Ioannes extremo cap. Apocalypſis, & quaſi toti ſcripturæ ſigillum apponit. (Verſ. 18. 19.) *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit, de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta.* An Apocalypſis ſola ſancti ſpiritus afflatu concepta eſt, cui nihil attexere liceat, nihil de eius authoritate libare?

52. Basilivs. Tamen, vt ſcias, Eulogi, Nemo fere dubitat quin multa verba multæ ſententiæ, quaſi plagulæ quædam aut emblemata ſcripturis acceſſerint, quis tamen hæc adiecerit, Samuélne, an alius Propheta, an Eſdras in magna illa Synodo, in qua canonem ſcripturarum digeſtum eſſe plerique credunt,

Hebræi certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

vt Serarius aduertit. Certè grauiſſimis authoribus placet Eſdram & exoletis Concilij ſententia pro vetuſtis & exoletis quibuſdam locorum vocabulis, repoſuiſſe notiora, & vel perſpicuitatis, vel continuationis hiſtoricæ cauſſâ quaſdam intexuiſſe ſententias.

53. Placet è multis exemplis paucula delibare. Geneſ. 35. v. 19. *Mortua eſt ergo Raphael, & ſepulta eſt in via quæ ducit Ephratam. Hæc eſt Bethlehem.* Nomen Ephrata pro veteri & iam ignoto vrbis vocabulo ſubiectum, & poſt obitum Moſis & aditam terræ poſſeſſionem impoſitum ab Ephrata Calebi vxore, de qua 1. Paralip. c. 2. v. 19. & 24 plerique ſentiunt, & probari poteſt è cap. 3. v. 4. *Iſti ſunt filij Hur primogeniti Ephrata patris Bethlehem*, & Rabbini quidam, Lyranus, Pererius, Cornelius in Geneſim, aliique non pauci, poſtremas illas voces, *Hæc eſt Bethlehem*, explicationis cauſſâ ſubnexas eſſe credunt, cùm vrbs illa non ante Ruth Moabitidis ætatem à frugum vbertate nomen accepe- (Ad annum mūdi 3610.) rit. Et, vt Tornielli verbis vtar, vrbs quæ (Num. 10.) tempore Moyſi vocabatur Cariath Arbe, Geneſis 13 & alibi non ſemel nuncupatur Hebron, quod nomen poſteà, mortuo iam Moyſe ab Hebron filio Caleb illi vrbi inditum fuiſſe graues authores tradiderunt. Item vrbs alia, quæ olim dicebatur Lais vel Leſem, appellatur Dan, & nihilominus longè poſt Moyſem defunctū nomen impoſitū fuit à Danitis, vt apertè traditur Ioſue c. 19. v. 47. & Iudicum c. 18. v. 29.

Sed hæc ipſa Ioſuæ clauſula nunquid aliena manu inſerta eſt? cùm liqueat è lib. Iudicum, idolum Michæ, cuius occaſione nomen vrbis mutatum eſt, poſt Ioſuæ mortem contigiſſe.

54. Evlog. Atenim Moſes & Ioſue diuino afflati Spiritu, longè ante quàm fierent, litteris mandare potuerunt. (Num. 32. v. 41. Deuter. 3. v 14. Ioſue 13. v. 30.) Basil. An etiam illud quod Moſes & Ioſue frequenter inculcant terram Galaad ſiue Baſan dictam fuiſſe Hauoth Iair, cùm è Iudicum 10. v. 4. liquidò pateat Iair Iudicem trecentis circiter annis ab obitu Moſis elapſis, nomen ſuum his ciuitatibus indidiſſe? quod ſi Moſes Spiritu Prophetico præuidiſſet, nunquam tamen his verbis ſuam Prophetiam edidiſſet Deuter. 3. v. 14. *Vocauitque ex nomine ſuo Baſan Hauoth Iair, id eſt villas Iair vſque in præſentem diem.* Qui loquendi modus Moſe viuente, qui eo ipſo anno mortuus eſt, quo Iſraelitæ terræ Baſan poſſeſſionem inierunt, non ſanè potuit vſurpari. Quid illi, *Erat autem Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes qui morabantur in terra?* (Num. 12. v. 3.) Quis non videt hunc verſiculum narrationi Moſis attextum? Si quidem, vt ait neſcio quis τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρέκει. *Gloriari intempeſtiue inſanijs conſonat.*

Quis extrema verba Deuteronomij, & (Pindarus Olymp. 9.) capitis 52. Ieremiæ non videt eſſe quaſdam appēdiculas, & velut lacinias Prophetarum verbis aſſutas? Niſi verò quis putarà Prophetis etiam hiſtoricè futura narrari.

55. Quòd ſi quid in tota ſcriptura videtur interpretationem & gloſſema redolere, contextus ipſe traiectióque verborum ſatis indicat, iſtam clauſulam, *hæc eſt ciuitas magna*, alteri potiùs quàm Moſi acceptam eſſe referendam. Quid igitur? ſcripturæ maieſtatem minuimus, aut eius labefactamus authoritatem? imò cùm hæc ſiue additamenta ſiue gloſſemata, ſiue quocunque nomine appelles, ex eodem Spiritu manarint, eandem, quam cæteris, authoritatem & venerationem tribuendam eſſe defendimus, neque veremur, vt ei qui ſancti Spiritus afflatu, perſpicuitatis cauſſa quicquam appoſuerit ſcripturæ conſentaneum, apponantur plagæ, aut is qui eiuſdem Spiritus inſtinctu verbum ſuſtulerit antiquum & exoletum, vt notius ſubſtituerit, de libro vitæ deleatur.

IX. *Explicatur Iſaiæ locus.*

56. Merops. Quid ſi ante natum Moſem, non ſolùm in Aſia flo-

ruerunt Assyrij, sed etiam ad Ægyptum vsque fines imperij protulerunt? Certè Caietanus ad illa verba Exodi 1. v. *Surrexit interea Rex nouus super Ægyptum qui ignorabat Ioseph.* Pharaonem illum qui primus vexauit Hebræos, fuisse putat Assyrium. Ex eo, inquit, quod ignorasse dicitur Ioseph, videtur quòd non Ægyptius fuerit; nam Ioseph notus fuerat familiis omnibus Ægyptiorum. Præferunt autem verba Isaię cap. 52. vers. 4. quod fuerit Assyrius. Nam dicit, *in Ægyptum descendit populus meus à principio, & Assur absque caussa calumniatus est eum.* Hic enim Rex nouus est qui oppressit absque vlla culpa populum Israel. Hæc ille. BASIL. Facilè, Merops, hanc nebulam quam Caietanus obtendit, & quidem vno verbo difflabimus. Duplicem significat populi seruitutem alteram in Ægypto illatam à Pharaone, quam disertè non expressit quidem: sed quia nemini fuit ignota, præcedenti descensu voluit intelligi, alteram ab Assyriis inflictam, siue cùm Theglat Phalassar & Salmanazar decem tribus abduxerunt, siue cùm Iudam & Benjamin Nabuchodonosor, qui etiam dominatus est Assyriæ, transtulit Babylonem. Quæ expositio planè certa est ex interpretatione LXX. seniorum. Εἰς Αἴγυπτον κατέβη ὁ λαός μου τὸ πρότερον παροικῆσαι ἐκεῖ, καὶ εἰς Ἀσσυρίους βίᾳ ἤχθησαν. *In Ægyptum descendit populus meus vt illic habitaret, & in Assyrios violentèr abducti sunt.*

Sed iam abs te percunctor, Nearche, de Assyriorum antiquitate quid sentias? Ecquod eius repereris vel in Pentateucho, vel in Iosue, Iudicumque libro vestigium?

X. *Quis fuerit Assyriorum status, Patriarcharum & primorum Iudicum Ætate.*

57. NEARCHVS. Tibi planè assentior, Basili: Nam si, post publicam generis humani cladem, eluuionémque terrarum, statim ab ipso mundi renascentis exordio, tantus fuit Assyriacæ Monarchiæ splendor, tanta maiestas, vt omnem longè latéque, cis & trans Euphratem Asiam exceptis Indis obtinerent, vt Eusebius & post eum Chronologi passim arbitrantur, quî factum est vt profligatis Abrami virtute quatuor Regibus Assyrij monarchæ beneficiariis, & inter eos Amraphele Babyloniorum Rege, tantus Assyriorum Imperator nusquam se commouerit, non conscripserit nouos exercitus, non suppleuerit copias quæ Abrami sanguine quatuor Regum manes expiaret? Ad solenne videlicet illud recurrent. *Cor Regis in manu Dei, & quocunque voluerit, inclinabit illud.* Prouer. 21. 1.

58. Si tanta maiestate pollebant quî factum, vt cùm Iosue tantam hominum multitudinem in Chananæam infunderet, nihilque propiùs videretur, quàm vt in prouincias vicinas longè latèque redũdarent, quî factum, inquam, non solùm vt bello supersederit Assyriorum, & totius Asiæ Monarcha, sed ne sciscitatum quidem miserit quorsum Iosue nullâ prouocatus iniuriâ tantam Chananæis & Assyrię vicinis, & imperio subditis cladem intulisset? *Cor Regis in manu Domini.* Si Mesopotamia iam tum in Assyriæ Regis ditionem concesserat, quî factum est vt Hebræi Chusano Rasathaim potiùs Mesopotamiæ Regi, quàm Assyriis seruisse dicantur Iudicum 3. v. 8? Si Mesopotamia tam vicina regio nondum parebat Assyriis, quî factum vt ad vltimas terrarum plagas imperium promouerint? si iam parebat, quî factum vt oppressis octauo pòst anno Mesopotamenis, Hebræi per annos quadraginta sub Othoniele quieuerint, & Asiæ totiùs Imperator non solùm suorum cladem vltus non fuerit, sed ne verbo quidem significarit Hebræis eorum rebellionem sibi non placere? Hîc etiam *cor regis in manu Dei.*

59. Quæ si nemo dixerit, ne in re tam seria ludere, & instar mali poëtæ, cùm fabulæ exitum inuenire non possit, Deum è machina producere videatur, profectò dicendum est cùm Genebrardo ea quæ de Assyriorum antiquitate vulgo iactantur, esse fabulosa, vel cum Dionysio Halicarnasseo eos partem exiguam Asiæ tenuisse, vel cum Herodoto superioris Asiæ dunraxat esse dominatos, vt eorum arma vix ante Regum Hebræorum tempora Euphratem traiecerint.

XI. *Explicatur prophetia Balaami.*

60. EVLOG. Credis igitur huius imperij nullum ante Regum libros in scriptura extare vestigium? NEARC. Planè sic mihi persuadeo. EVLOG. Vnde igitur Num. 24. v. 22. scribit Moses de Balaamo. *Vidit quoque Cinæum, & assumptâ parabolâ, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris Nidũ tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quãdiu poteris permanere? Assur enim capiet te.* Audis in

Mose Assyriacæ Monarchiæ mentionem? NEARC. Sanè futura prænuntiatur. Sed tu non prædictionem de futuro, sed Monarchiæ iam constitutæ vestigium te monstraturum esse promiseras. Et vt videas longè post futura prædici, non præsentia monstrari, statim subnectitur, vers. 23. *Assumptáque parabolá iterum locutus est. Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus?* Quasi multis pòst seculis hæc euentura præsagiat.

61. Aut si hinc efficitur iam tum Assyrios rerum potitos, esse dicamus annis ante Romulum circiter septingentis Romanum imperium floruisse, quia subditur v. 24. *Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabúntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* Sed iam au emus ex te scire, Basili,

XII. *Quis Assyriorum status fuerit tempore Saülis, Dauidis, & Salomonis.*

62 BASIL. Primo Regum cap. 14. v. 47. *Saül confirmato regno super Israel pugnabat per circuitum aduersus omnes inimicos eius: contra Moab & filios Ammon & Edom, & Reges Soba, & Philisthæos, & quocunque se verterat, superabat.* Hic, nisi per Reges Soba, Reges Assyriorum intelligit, mirum Assyrios tantis Saülis progressibus non obstitisse, cap. 15. v. 7. Idem Saül per regionem Heuila, Victricia signa circumtulit. Hanc Heuilam aduersariorum plerique circa Mesopotamiam & Babyloniam fuisse putant, quam Phison fluuius Paradisi Gen. 2. dicitur circuire, ex quorum sententia sequitur, vt aliquando Theophrastus ostendit, Saülem cum exercitu Babyloniam impune transiisse. Quod sanè mirum est, si Iam Assyrij omnia trans Euphratem, exceptis Indis, obtinebant.

De Paradiso.

63. Quo tempore Dauid regni gubernacula tractabat, Adarezer Rex Soba videtur in Asia longè latéque dominatus. Hunc Iosephus lib. 7. Antiquit. Sophenorum Regem appellat. Sophenem autem Ptolemæus tabula 3. Asiæ, & Strabo lib. 11. in Armenia maiore, trans Euphratem, in Assyriæ confinio posuerunt. Plinius lib. 6. cap. 13. clarissimè. Armeniæ maiori à frontibus, parte quæ vergit in Comagenem, Sophene copulatur, eique Adiabene Assyriorum initium. Videte, sultis, eodem lib. c. 9. & lib 5. cap. 12. Hunc Adarezer, ait scriptura & eduxisse Syros qui erant trans Euphratem, & adduxisse eorum exercitum, quibus Sabacum principem militiæ suæ præfecit. Eum autem fuisse Regem Assyriorum persuadet non solùm Sophenes & Assyriæ vicinitas, sed etiam regni ipsius amplitudo. Quippe qui iam dicere poterat, quod secutis temporibus alius Assyriorum Monarcha, Isaiæ 10. v. 9. *Nunquid non principes mei simul reges sunt?* Nec enim pauci reges in eius ditionem concesserant. Vt liquet è secundo Reg. cap. 10. exeunte. *Videntes autem vniuersi Reges qui erant in præsidio Adarezer*, imò si fontes Hebræos adimus, illius עבדים serui dicuntur, siue παῖδες, vt LXX. viri transtulerunt.

Sophene. 2. Reg. c. 8 & 10. 1. Paral. c. 18. & 19.

Adarezer an Rex Assyriæ.

Certè Eupolemus apud Eusebium lib. 9. προπαρασκ. inter cæteras gentes à Dauide subiugatas enumerat Σύρους τοὺς παρὰ τὸν Εὐφράτην οἰκοῦντας ποταμὸν, καὶ τὴν Κομμαγηνὴν, καὶ τοὺς ἐν Γαλαδηνῇ Ἀσσυρίους. *Syros ad Euphratem habitantes, & Commagenam, & Assyrios Galadenam incolentes.*

Assyrij à Dauide victi.

64. Quanquam quid opus est probationem ab authoribus profanis accersere? cùm verbis conceptis psal. 82. inter cæteros Israeliticinominis hostes Assyrij numerentur. *Et enim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filijs Loth.* Neque verò solùm totam Syriam cis Euphratem cùm à Thou Syriæ Emath siue Antiochenæ discesseris, Dauid sibi tributariam efecit, sed etiam Euphratem transgressus Sophenem & Mesopotamiam ferro flammáque vastauit, vt Psalmi 59. testatur inscriptio, *cùm succendit Mesopotamiam Syriæ & Sobal.* Sed aliqui, credo ne Assyriæ Regum in Gynecæo senescentium quietem interpellent, nescio quam Syriam Soba cis Euphratem, & Mesopotamiam nouam comminiscuntur, eámque sic appellatam volunt, quòd sit inter duos fluuios constituta. Si quæras huius opinionis authorem, qui vel annos tricenos exegerit, non habebunt. Si nomen duorum istorum fluuiorum nouam Mesopotamiam alluentiũ; tacebunt. Tanti videlicet illis fuit Ctesianas illas de Regum Assyriorum inertia fabellas defendere.

Dauid Euphratem trãsgressus.

65. Sed quorsum ista? profectò vt intelligatis vel Saülis Dauidisque tempore nondum stetisse Asyriorum Monarchiam, vel si iam stabat (vt veriùs puto) eundem Assyriæ Regem fuisse, qui Rex Soba, siue Sophenorum, interprete Iosepho lib. Regum & Paralip. nuncupatur, qui cùm Asia superiore non contentus cis Euphratem imperij fines proferre voluisset, primùm à Saule repressus est, deinde, vt dicitur Pa-

ralip. 1. cap. 18. v. 3. *Percussit Dauid etiam Adarezer Regem Soba, regionis Hemath, quando perrexit vt dilataret imperium suum vsque ad flumen Euphratem.*

68. M-rops. Hic te, Basili, teneo. Hemath est Antiochena Syria. Ea sine dubio cis Euphratem. Adarezer fuit Rex Soba regionis Hemath. Non igitur Assyriorum. Rex fuit, neque Soba trans Euphratem Basil. Si sola Hebræorum & Græcorum codicum authoritate staremus, faciles haberet explicatus obiectio. Diceremus enim secundum Hebræos Adarexer à Dauide percussum חמתה vsq; ad Hemath, in quam regionem fugatus profugerat vel secundũ Græcos ἐν Ἡμὰθ in Hemath, siue in regione Hemath, eam pugnam esse pugnatam. Quia tamen in communis editionis verba iurauimus, vt par est, & ipsi LXX. seniores in editione Sixtina suffragantur nostræ versioni, & textus omnes inter se facilè conciliari possunt, dicamus Regem Soba dictum etiam fuisse Regem regionis Hemath, quòd aliquam regionem Thoü Regi Antiochenæ Syriæ abstulisset.

67. Quidquid sit de verbis, de re ipsa constat. Nam eodem capite v. 9. subnectitur. *Quod cùm audisset Thoü Rex Hemath percussisse videlicet Dauid omnem exercitum Adarezer Regis Soba, misit Adoram filium suum ad Regem Dauid, vt postularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quod percussisset & expugnasset Adarezer; aduersarius quippe erat Thoü Adarezer.* E quibus liquet alium fuisse Regem Soba, alium Regem Hemath. Sed iam, si placet, pauca de Salomone.

Exercuit etiam ille *potestatē super cunctos Reges à flumine Euphrate, vsque ad terram Philistinorum, & vsque ad terminos Ægypti.* vt dicitur 2. Paralip. cap. 9. v. 26. Non igitur æuo Salomonis Assyrij citeriorem siam obtinebant.

XIII. *Quis fuerit Assyriorum status ab obitu Salomonis, ad Regem Azariam.*

68 Per annos ampliùs centum & sexaginta ab obitu Salomonis ad Azariæ siue Oziæ Regis initium euolutos nullum extat in scripturis Assyriacæ monarchiæ vestigium. Quia tamen Benadab Rex Syriæ adeo potens fuit cis Euphratem vt Iosaphato regnante Reges triginta duos in Israelem secum adduceret, (3. Reg. c. 20. v. 1.) & alij deinde Reges in Syria floruerunt, inde liquidò patet Assyrios post quam à Dauide repressi fuerant, Euphratem non esse transgressos.

Benadab Regis Syriæ potentia.

69. Porro qui à deleto Assyriorum imperio subuersaque Niniue ad primum Cyri annum, annos trecentos septemdecim cum Petauio numeraret, is annum excisæ Niniues anno Ioæ secundo consignare deberet. Qui autem cum Iustino lib. 1. annos trecentos & quinquaginta Medorum post Ninũ deletam imperio tribueret, vrbisque cladem annis tribus & triginta remoueret, is quartum Iosaphati annum Niniues interitu nobilem inueniret. Eusebius Sardanapali necem cum anno Azariæ sexto, Torniellus cum nono, Salianus cum decimo componit. Ex Herodoto facilè colligitur Medorum defectionem in annum Ezechię circiter quartum & decimum incidisse. quod enucleatiùs alio loco tractabitur. Sed *quod nunc instat, agamus.*

70. Ait Herodotus libro 1. Nitocrim Babylonis reginam, quam Nabuchodonozoris magni coniugem fuisse, suspicamur, & ex Herodoto Cyaxatis & Astyagis temporibus vixisse constat, ait, inquam Herodotus Nitocrim quinque generationibus, id est annis centum circiter & septuaginta post Semiramidem floruisse ἡ μὲν, inquit, πρότερον ἄρξασα τῆς ὕστερον, γενεῇσι πέντε πρότερον γενομένη, τῇ οὔνομα ἦν Σεμίραμις. *Quæ priùs quam posterior regnauit, generationibus quinque fuit antiquior, cui nomen Semiramis.* Iam, vt idem ait lib. 2. ad finem vergente γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἔτεά ἐστιν *Tres hominum ætates centum sunt anni.* Iam si à Nabuchodonozore retrogressi quinque ætates siue annos centum sexaginta septem numeremus, comperiemus extremum Semiramidis diem in annum Azariæ ferè trigesimum quintum, & primam Olympiadem incidisse. Florebat autẽ Ionas Propheta sub Amazia & Asaria Regibus Iuda, & Ieroboam secundo Rege Israel, vt è 4. Regum. cap. 14. v. 25. compertum est, vt Semiramidis vel pater vel maritus videri possit ille Rex Assyriorum qui ad pœnitentiam Ionæ prædicatione conuersus est. Et eiusdem Semiramidis, si qua fides Herodoto, Phul ille Rex Assyriorum filius fuerit qui Manahen regnum Israel obtinente (is anno Azariæ vndequadragesimo regnare cœperat) grandem ab Israelitis pecuniam exegit. 4. Reg. cap. 15. v. 19. *Veniebat Phul Rex Assyriorum in Thersa, & dabat Manahen Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium & firmaret regnum eius.*

Semiramidem Azariæ tempore floruisse colligitur ex Herodoto.

Ad Semiramidis patrem aut maritum missus Ionas.

XIV. *Quis fuerit Assyriorum status ab anno Azariæ quadragesimo, ad decimum quartum Ezechiæ.*

71. SEd quoniam nobis è scriptura lucis nihil affulget, nec ego me patronum Herodori profiteor, sed interpretandæ scripturæ cupidum (non enim audeo dicere interpretem) Semiramidis ætatem in medio relinquiamus; illud certè negari non debet, Phulem quem aliqui Phul Belochum appellant, potentissimũ fuisse, & superiores Reges, qui vel nunquam Euphratem traiecerant, vel id molientes hactenus à Regibus Hebræorum repressi fuerant, rerum gestarum gloria superasse. *In diebus Phacee Regis Israel* (qui anno Azariæ quinquagesimo secundo regnare cœperat) *venit Theglat-Phalassar Rex Assur, & cepit Ahion, & Abel domum, Maacha, & Ianoë, & Cedes, & Azor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephtalim, & transtulit eos in Assyrios*, vt dicitur 4. Reg. c. 15. v. 29. Tanta porro gloria floruerunt, vt Regum patres vltorésque dicerentur 4 Reg cap. 16. Phacee Rex Israël, & Rasin rex Syriæ Damasci, Achazo Regi Iuda bellum indixerant v 7. *Misit autē Achas nuntios ad Theglat-Phalassar Regem Assyriorum dicens: Seruus tuus & filius tuus ego sum: adscende & saluum me fac de manu Regis Syriæ & de manu Regis Israël* Subdit v. 9. *Ascendit autem Rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius in Cyrenem: Rasin autem interfecit.* Eodem certè tempore Osee Regem Assur vltorem vocabat. cap. 3. v. 13. *& abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem vltorem*, & rursum cap 10. v. 6. *Ipse in Assur delatus est, munus Regi vltori.* Quia videlicet Reges inferiores in fidem & clientelam susceperant.

Postremi Reges Assyriæ.

72. Anno sexto Regis Ezechiæ Salmanazar Rex Assyriorum cepit Samariam, Israelem trãstulitin Assyrios, & in Medorum ciuitatibus collocauit. Vide 4. Reg. cap. 17 & 18. *Rebellauit Ezechias, contra Regem Assyriorum, & non seruiuit* anno decimo quarto Ezechiæ, Sennacherib Ierosolymam obsedit, & eius exercitus ab angelo internecina clade noctu deletus est. Ipse centum octoginta quinque millibus hominum amissis, *reuersus est, & mansit in Niniue; cumque adoraret in templo Nesroch Deum suum, Aramelech & Sarazar filij eius percusserunt eum gladio, fugerúntque in terram Armeniorum, & regnauit Assaraddon filius eius pro eo.* Vix vlla deinceps Regum Assyriæ mentio, vllum Niniues ipsius in scriptura vestigium, nisi quòd eius interitus à Tobia seniore iam extremo spiritu prædicitur. Tobiæ 14. & Iudith 1. Nabuchodonozor Rex Assyriorum in Niniue ciuitate magna regnasse memoratur. Sed iam tempus est, Nearche, vt de tempore translati ad Medos imperij & Niniues excidio quid sentias, audiamus.

XV. *De translato ad Medos imperio, & Niniues subuersione.*

73. NEARCHVS. Multa Niniues excidia recentiores Chronologi tradiderunt. Eam Torniellus ad annum mundi 3371. num. 9. regnante Semiramide à Medis captam dirutámque scribit ex Diodoro Siculo lib. 3. de antiquorum gestis, quem his loquentem verbis inducit. *Post Ninum à Medis dirutam, Semiramis magni mulier animi cupiens virum rerum gloria excellere, vrbem in Babylonia condidit.* Sed nihil Diodorus huiusmodi sõniauit. Tantum ait Semiramidem defuncto marito tumulum ingentem stadijs nouem altum, latum decem excitasse, qui quo tempore ista scribebat, adhuc stare diceretur. Καίπερ τῆς Νίνου κατεσκαμμένης ὑπὸ τῶν Μήδων, ὅτε κατέλυσαν τὴν Ἀσσυρίων βασιλείαν. *Quamuis Nino à Medis euersa, cùm Assyriorum imperium sustulerunt.* Tum aliunde repetens narrationis initium ἡ δὲ Σεμίραμις, inquit, & cætera quæ Torniellus subtexuit.

74. Equidem cùm Latinus interpres mihi non sit in manibus, videre non possum quid eruditum virum in fraudem induxerit. Suspicor tamen eum insulsæ translationis authoritate deceptum, doleóque frequenter viros cætera doctissimos, dum latinis Græcorum interpretibus nimium confidunt, & errare ipsos, & lectores in errorem impellere. Hoc igitur omisso, frequentiùs exeisam aiunt, primùm ab Arbace Medo, quod Petauius regnante Ioa, cæteri passim regnante Azaria, siue Osia contigisse, quouis pignore contendunt. Tres alias eiusdem ciuitatis subuersiones affert eodem loco Torniellus, de quibus nos suo loco; nos in hac Medorum defectione & Arbacis rebus gestis paulisper hæreamus.

Plures Ninii subuersiones.

75. Is Nino capta, & Sardanapalo sponte cremato ne in manus hostium viuus veniret, ciuibus in vicinos pagos distributis, résque suas habere permissis τὴν πόλιν εἰς

ἔδαφος κατέσκαψεν. *Vrbem solo æquauit*, funditúsque subuertit. Hîc velim vt eruditi viri mihi respondeant: Si quod è Ctesia colligit Petauius, Ninus Ioa regnante subuersa est, & conuulsis etiam fundamentis in planum data, qui factum vt cùm Ionas, quem sub eius filio Amasia floruisse fatentur omnes, & è 4. Reg. cap. 14. v. 25. euincitur, qui factum, inquam, fuerit vt cùm Ionas Niniuem missus est, non solùm staret ciuitas, sed etiam iam העיר הגדולה *illa ciuitas illa magna*, & magna non tantùm in hominum oculis, sed etiam coram Domino diceretur, adeóque celebris esset, vt censerentur in ea plusquam centum viginti millia hominum qui nescirent quid esset inter dexteram & sinistram, vt dicitur Ionæ 4. exeunte.

76. Si sub decimum Azariæ annum deleta Ninus est, vt omnes pene recentiores arbitrantur, & imperium ab Assyriis ad Medos translatum, quæro vnde Reges illi potentissimi Assyriorum repente paucis pòst annis emerserint, Phul, Theglat-Phalasar, Salmanasar, Sennacherib.

Aiunt post Sardanapali necem nouum Assyriorum regnum ex antiqui vestigiis excitatum, & ex recentibus ac fumantibus adhuc ruinis vrbem illam maximam instauratam. Sed quid necesse fuit nouam vrbem, nouum imperium fabricari, si perinde explicari scriptura potest, stante vetere Assyriorum regno quàm nouo ex antiqui ruinis excitato? Non enim, inquiunt, ad illorum opinionem accedimus qui Niniuem aduersus historicam fidem ab Arbace solo æquatam negant. Putabam dicturos aduersus scripturæ fidem: sed tamen quæ sit ista fides historica videamus.

De nouo Assyriorum regno.

77. Scribit Athenæus lib. 12. Deipnos. qui certè Diodoro Siculo est antiquior & ab ipso laudatur pag. 76. Scribit, inquam, Athenæus ex communi veterum sententia, Arbacem viso Sardanapalo, indignatū quod tam impuræ belluæ seruiret, sibi necem intulisse; Ctesiam verò dicere bellum ab Arbace susceptum. Sed quid prohibet eius verba producere, οἱ μὲν πολλοὶ, ὧν ἐστὶ καὶ Δοῦρις, ἱστοροῦσιν ὑπὸ τούτου ἀγανακτήσαντος, εἰ τοιοῦτος αὐτῶν βασιλεύει, συγκεντηθέντα ἀποθανεῖν. Κτησίας δὲ λέγει εἰς πόλεμον αὐτὸν καταστῆναι, &c. *Plurimi quidem, in quibus est etiam Duris, narrant Arbacem ex indignatione, quod talis in ipsos regnum obtineret, ferro se confodisse, sibique necem consciuisse. Ctesias autem eum dicit armâ sumpsisse.* Hæccine est historica fides quæ vnius inter veteres authoritate fulcitur? & quidem vnius Ctesiæ, & Ctesiæ τῶν πολλῶν maximæ scriptorum parti refragantis. Herodotus certè, vt iam dictum est, author est Assyrios post illam Medorum cæterarúmque gentium defectionem, quanquàm à sociis desertos, annis centū & ampliùs validissimos perstitisse.

De Arbace defectionis Medorum authore.

78. Sed esto; Medorum defectione Ninum & pristinum Assyriorum imperium funditùs euersum esse faciamus: quid opus fuit eius excidium vel centum annis vltrà primam Olympiadem cum Petauio, vel saltem triginta cum cæteris submouere? Si verum quærimus, ille præter authoritatem Ctesiæ nihil habet, quod fatetur, cæteri nihil præter Eusebium. Legantur historiæ, replicentur annales: nulla reperiemus rediuiui huius Assyriorum regni vestigia. Quia tamen è Ctesia, & Eusebio colligimus ante institutas Olympiadas, & vrbem & regnum Assyriorum in Sardanapalo funditus corruisse, nouæ ciuitates instaurentur, nouum imperium efflorescat, noui Reges emergant, & quasi Phœnices è priorum cineribus exurgant. Quiduis denique priùs fingatur, quàm vel Ctesiæ vel Eusebij relinquatur authoritas. Et quidem eo loco, vbi mirâ planè oscitantiâ non solùm cum Ctesia, sed etiam secum pugnat Eusebius. *Arbaces*, inquit, *Assyriorum imperio destructo regnum in Medos transtulit, & interim sine principibus res agebatur, vsque ad Dioclem Regem Medorum. Medio autem tempore Chaldæi prope præualebant.* Nihilo tamen seciùs quatuor Reges euerso Assyriorum imperio Medis ante Dioclem ait præfuisse, & è scriptura constat medio illo tempore, quod inter deletam Niniuem & Dioclis initia ponit Eusebius, nondum præualuisse Chaldæos, sed Assyrios vt eùm maximè floruisse.

Nulla rediuiui Assyriorum imperij vestigia.

Eusebius secum pugnat.

79. Quid quòd Assyrij, sicut ex ipsa scriptura compertum est, ad annum Ezechiæ sextum ipsis etiam Medis & Babyloniis imperarunt? Hoc enim anno, vt dicitur 4. Reg. c. 18. v. 11. Salmanazar captâ Samariâ transtulit Israelem, & posuit *in ciuitatibus Medorum*, quod iam dixerat c. superiori v. 6. & v. 24. *Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone & de Cutha, & de Emath, & de Sapharnaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filijs Israel.* Chuthos autem in Carmania deserta trans Mediam & Persidem ponit Ptolemæus Asiæ tabula quinta. Non multis ante annis Theglat-Phal-Assar vastauit Damascum, & *transtulit habitatores eius Cyrenē*. c. 16. v. 9. Quam Cyrenem non illam Aphricæ, sed aliam quandam in Asia Mediæ contribu-

Assyrij Medis imperarunt vsque ad annum Ezechiæ XIV.

Cyrene.

tam

tam Sanctius, Serarius, aliique intelligunt, authore Iosepho, qui lib. 9. antiq. exeuntes, Damascenos ait in superiorem Mediam esse translatos. Nondum igitur ab Assyriis Medi & Babylonij ea tempestate defecerant.

80. Imò, inquiunt, longè ante hæc tempora priscum Assyriorum regnum in Sardanapalo penitus desiisse sentimus, sed aliquanto pòst interuallo, exolescentibus paulatim Medis, ad quos rerum summa peruenerat, & propter ignauiam & mollitiem inclinante fortuna, nonnullos defecisse, primùm quidem Assyrios, postea Babylonios. Sed quid necesse fuit ista confingere? quibus coniecturis, qua suspicione, cuius scriptoris antiqui testimonio proferuntur? si verum admittimus, nihil aliud caussæ subesse dicendum est, quam quod, nisi noua fingantur, vetera Ctesiæ figmenta cum historia sacra cohærere non possũt.

Quid si ne sic quidem cohærebunt nisi nouum figmentum accesserit, quo multis in partibus vitium faciens, *& tam iam lapsura, cadentique assimilis* eorum sententia quasi subiecto tibicine fulciatur? Non satis est Assyrios à Medis defecisse, etiam seruitutis iugum à se depulsum ad Medorum ceruices detulerunt: nam vt è scriptura iam ostendimus, anno Ezechiæ quarto, qui Azariæ siue Oziæ pronepos fuit, Medi seruiebant Assyriis. Hoc etiam fingatur vt cum scriptura cohæreat Ctesiana narratio.

81. Quid si necesse est ad tuendas fabulas istas Ctesianas aliud figmentum procudere? Manasses Ezechiæ filius fuit. Huius anno præter propter decimo rem à Iuditha gestam fuisse tradunt Bellarminus libro 1. de Verbo Dei cap. 12. Peterius in capite 1. Danielis, Serarius in c. 1. Iudith, quæstiuncula. 2. Tirinus ibidem, Gordonus in Chronologia, suisque scholiis in eundem lib. Iudithæ, Petauius lib. 12. de doctrina temp. cap. 26. Salianus in annum nonum Manassis, alijque quamplurimi. Rectè an secus nihil ad præsens institutum. Sed quoniam omnes isti consentiunt ante primam Olympiadem imperium ab Assyriis ad Medos esse translatum, mihi, quod ipsi largiuntur, assumo. *Anno igitur duodecimo regni sui Nabuchodonozor Rex Assyriorum qui regnabat in Niniue, ciuitate magna, pugnauit contra Arphaxad* Regem Medorum, *& obtinuit eum*, quem Deiocem fuisse passim existimant. Iam igitur tertiò Medi seruierunt Assyriis, secundò defecerunt, & iugum Assyriacæ seruitutis à suis ceruicibus depulerunt. Sequitur tertia, & decretoria Medorum defectio, qua Ninus euersa est, vt legitur extremis Tobiæ verbis, quæ velut lacinia quædam Græcis codicibus assuta sunt, vbi dicitur audiuisse Tobias Iunior, priusquam moreretur, τὴν ἀπώλειαν Νινευὶ, ἣν ᾐχμαλώτευσε Ναβυχοδονόζορ καὶ Ἀσούηρος. *Niniues interitum quam in captiuitatem cepit Nabuchodonozor & Assuerus*, qui videtur esse Cyaxares Herodoti, & Darij pater apud Danielem c. 9. v. 1. *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, &c.* Triplicem itaque fingere debemus Medorum seruitutem, nec pauciores defectiones, si scripturam conciliare volumus fabulis Ctesianis. Sed quanto compendiosius Ctesiam suum facessere iuberent, si semel statuerent Herodotum sequi, nec ad patrocinium Ctesiæ, figmenta figmentis inuoluerent. Quod pri usquam expono, paucis agendum videtur.

Iudith. 1. v. 5.

XVI. *De Prophetia Tobiæ senioris.*

82. Omnes qui veterem Ninum vsque ad annum Azariæ fere decimum stetisse dicunt (dicunt autem omnes præter Petauium) fateri debent stante vetere Nino missum esse Ionam qui Niniuitis pœnitentiam prædicaret. Hunc enim sub Ieroboamo Rege Israel floruisse colligitur ex iis verbis 4. Reg. c. 14. v. 25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi.* Huius autem *anno vicesimo septimo regnauit Azarias filius Amasiæ Regis Iuda*, vt capite sequenti ineunte subnectitur, vnde sequitur anno Ioathami tricesimo septimo Ninum esse subuersam, quæ proinde reuirescere non potuit, antequam Ionas diem obiret extremum, vt ad tediuiuam illam & iam opibus & deliciis affluẽtẽ Ninũ mitteretur.

Ionas ad veterem Niniuem missus.

Petauius qui Sardanapalum, Arbacis defectionem, Niniquе subuersionem non paucis annis antiquiorem facit, impunè potuit Ionam ad tercentiores illos Niniuitas legare, qui iam Ieroboami temporibus florere & deliciis affluere potuerunt. Id tamen facit titubanter & strictim l. 9. de doctrina temporum c. 35. *Ait fieri posse vt longè ante Ieroboam Israelis Regem, Ionas victoriam ac restituendos Israelitis terminos prædixerit, adeoque adhuc viuo Sardanapalo, vel etiam ante, Iosaphat regnante, Niniuem peruenerit.*

83. Hoc igitur posito, quod omnes vltro concedunt, ostendo veterem illam Ninũ,

cui Ionas pœnitentiam prædicauit, post annum Azariæ decimum annis centum & amplius stetisse incolumem. Post annum illum decimum regnauit Azarias annos duos & quadraginta. Ioathan & Achaz eiusdem Azariæ filius & Nepos annos saltem triginta, successit Ezechias cuius anno decimo quarto Sennacheribus deletus est, etsi nonnulli putent hoc decimo-septimo contigisse: horum summa si fiat ab anno decimo Azariæ ad Sennacheribi necem, anni sex & octoginta colligentur. Post mortem Sennacheribi Tobias lumen oculorum amisit, Tobiæ secundo. Esto, eodem anno Regis cædem, Tobiæ cæcitatem illatam esse faciamus. *Quinquaginta & sex annorum lumen oculorum amisit: sexagenarius verò recepit.* Tobiæ 14. vers. 3. *Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, vt versu primo præmittitur.* Colligantur anni ab Azariæ decimo ad obitum Tobiæ senioris euoluti: centum saltem & triginta duorum ὁμᾶς existet. Quo tempore stabat adhuc illa ipsa Ninus, ad quam Ionas Propheta legatus olim fuerat, cuius proximus interitus à Tobia moriente prædicitur, vers. 6. *Prope erit interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini.*

84. Evlogivs. Equidem videre non possum, mi Nearche, quo pacto Tobias potiùs veterem illam Ninum Ionæ prædicatione conuersam, quam recentiorem ex antiquæ ruinis excitatam paulò post perituram esse denuntiet. Nearchvs. Tibi Græcus interpres facem admouebit, Eulogi, qui Tobiam ita loquentē inducit. Ἄπελθε εἰς τὴν Μηδίαν, τέκνον, ὅτι πέπεισμαι ὅσα ἐλάλησεν Ἰωνᾶς ὁ προφήτης περὶ Νινευή, ὅτι καταστραφήσεται. *Vade in Mediā, fili, quia credidi quæcunque locutus est Ionas Propheta de Niniue, quòd subuertetur.* Iam si minis & denuntiationibus Ionæ perfuncta fuerat illa ciuitas, & cùm paulò pòst ad vomitum rediisset interitu suo Ionæ Prophetiam implerat, caussæ nihil fuit cur Tobias ex illa secundum Niniues interitum præuideret. Sed iam si placet, ad Herodotum veniamus.

Vetus Niniue stetit vsque ad mortem Tobiæ senioris.

XVII. *Herodoti narratio cum scriptura confertur.*

85. Si Diodoro Siculo lib. 3. fidem adhibendam putaremus, haud multo faciliùs Herodoto, quàm ipsi Ctesiæ cum sacris historiis conueniret. Ita enim refert Herodoti sententiam, quasi dixerit Assyrios, cùm annis quingentis Asiam tenuissent ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι, *à Medis esse subuersos.* Nullum deinde fuisse Regem qui de summa rerum contenderet, sed vrbes sui iuris fuisse, donec tandem ὑπὸ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων *post multos annos elapsos*, Cyaxares quidam nomine, vir iustitiæ singularis Rex Medorum electus est. Hunc primùm ait adiungendis Medorum regno vicinis gentibus animum adiecisse. Deinde successores additis nouis ditionibus auxisse regnum vsque ad Astyagem, qui à Cyro deuictus est. Hāc porrò Cyaxaris electionem ait secundum Herodotum anno secundo decimæ septimæ Olympiadis contigisse. Quæ si ab Herodoto dicta sunt, fateor habere difficillimos explicatus.

86. Sed bene habet quòd Herodotus in manibus versatur, ex quo quiuis intelligere possit Diodorum non accuratissimè veterum scriptorum protulisse sententias. Ait absolutè Diodorus Assyrios annis quingentis. Asiam tenuisse. Herodotus annis quingentis & viginti superiorem Asiam tenuisse: auditis *superiorem*, quod in hac disputatione magni debet esse momenti, ait Diodorus Assyrios à Medis καταλυθῆναι *esse subuersas.* Herodotus primos omnium Medos ab Assyriis ἀπίστασθαι, cæteras gentes eorum defectionem imitatas. Diodorus ait ex Herodoto Asiaticis ab Assyriorum iugo liberatis ἐπὶ πολλὰς γενεὰς *per multas hominum ætates* nullum fuisse Regem, donec ἐπὶ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων *multis annis elapsis*, Rex tandem electus est: Herodotus illud duntaxat ait ἐόντων αὐτονόμων πάντων *cùm omnes sui iuris essent*, regna esse constituta, Peiore præeunte. Omitto quòd Diodorus Cyaxarem cum Deioce, auum cum nepote confundit. Omitto quòd Olympiadē ex Herodoto definit, cuius nullam facit Herodotus mentionem. Iam si tam paucis verbis ille referens Herodoti sententiam se falsi toties alligauit, nostro iure poterimus, ni fallor, eidem Ctesiam laudanti diffidere.

Diodori Siculi errores.

87. Sed præstat ipsum fontem adire, & quoniam ex eo constat Deiocem vnius gentis imperio contentum annis tribus & quinquaginta Mediæ præfuisse, Phraortem filium, cùm imperij fines extra Mediam protulisset, anno regni secundo & vicesimo esse defunctum, cui filius Cyaxares successerit ὁ τὴν Ἅλυος ποταμοῦ ἄνω Ἀσίην πᾶσαν συστήσας ἑωϋτῷ, *qui sibi totam super Halym fluuium Asiam acquisiuit*, & annis quadraginta regnauit, cuius filius Astyages anno regni quinto supra tricesi-

mum deiectus est Asiæ principatu, è quibus manifestum est annos centum & quinquaginta Herodoti calculis ab anno primo Deiocis, ad Astyagis extremum euolutos. Restat vt ex eodem videamus quot anni à Medorum defectione ad initium Deiocis effluxerint. Enarrata Cyri de Astyage victoria. Μῆδοι δὲ, inquit, ὑπέκυψαν Πέρσῃσι διὰ τὴν τούτου πικρότητα, ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν, δυῶν δέοντα, πάρεξ, ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον. *Medi verò subiecti fuerunt Persis ob huius acerbitatem, cùm annis centum ac triginta duobus demptis supra fluuium Halym Asiæ præfuissent, excepto tempore quo Scythæ regnarunt.* Superiùs dixerat ἐπὶ μὲν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα ἦρχον τῆς Ἀσίης οἱ Σκύθαι. *Annis octo & viginti Scythæ Asiam tenuerunt*, qui anni duodetriginta ex illis quadraginta excerpi debent qui superius Cyaxari tribuuntur, vt Cyaxares liber à Scythica seruitute duodecim duntaxat annis imperarit, quo temporis spatio totam supra fluuium Halym Asiam suæ subiecit ditioni: quibus si triginta quinque annos Astyagis adiicias, inuenies Medos vix quadraginta septem annis imperium Asiæ tenuisse

Chronologia Medorum.

88. Quare cùm Medos annis duodetriginta supra centesimum Asiæ ἄρξαι *præfuisse* dicit, annos omnes quibus post suam ab Assyriis defectionem liberi fuerunt, computauit, cuius temporis initio non quidem potestate & imperio, sed authoritate, Asiæ præfuerunt. Hos enim cæteræ gentes sequebantur tanquam receptæ libertatis authores & vindices. Iam si annis illis 128. quibus Medi præfuerunt, annos duodetriginta Scythici dominatus adieceris, Medorum ab Assyriis defectionem anno ante Cyri primordia 156. deprehendes. E quibus sequitur Deiocem non multis hominum ætatibus post excussum Assyriacę dominationis iugũ, vt Herodoto Diodorus Siculus affingit, sed annis dũtaxat sex interlapsis regni gubernacula suscepisse

89. Cùm autem, vt è Mathematico Regum Babyloniorum canone liquet, qui nomine Ptolemæi circumfertur, & apud Scaligerum in Collectaneis. apud Petauium l. 9. de Doct. temp. c. 52. reperitur, Cyrus annis nouem Babylona tenuerit, qui secundum Herodotum à Massagetis occisus est βασιλεύσας τὰ πάντα ἔτεα δυῶν δέοντα τριήκοντα ἔτεα, *cùm annos vndetriginta regnasset*, necesse est vt anno regni circiter vicesimo Cyrus ceperit Babylonem.

90. Iam vt ad sacra veniamus, hoc anno, vt omnes pene sentiunt, finis impositus est Babylonicæ seruituti, quæ & annis septuaginta durauerat, & inchoata fuerat anno Ioachimi quarto, vt Petauius à me toties honoris caussa nominatus, egregiè demonstrat, & Hebræos omnes, Theodoretum, & Lyranum suæ sententiæ laudat authores. Vnde sequitur anno quinquagesimo post annum Ioachimi quartum, & Babylonicæ transmigrationis initium Astyagen, à Cyro deiectum Asiæ principatu. Quòd si annos tres Ioachimi ante captiuitatem exactos, Iosiæ vnum & triginta, Amonis duos, Manassis quinquaginta quinque, Ezechiæ quindecim in vnam summam collegeris, annum eiusdem Ezechiæ decimum quartum, secundum Herodoti calculos Medorum defectione, secundum sacram Chronologiam Assyriorum internecina clade, Sennacheribi nece, duorum eius filiorum in Armeniam secessione, prima Babyloniorum Regum mentione nobilem deprehendes. Summa igitur Herodoti cùm historia sacra consensio.

Lib. 12. c. 21.

Profana Chronologia sacræ accommodata.

91. Hoc anno scribit Herodotus multas gentes ab Assyriis defecisse, Adrameles & Sarazar Sennacheribi filius, cùm patrem nefariè sustulissent, fugisse in terram Armeniorum scriptura testatur. è quibus constat Armeniam tunc ab Assyriis fuisse diuisam, *In tempore illo misit Berodach Baladan filius Baladan Rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam.* Cur putamus? scio quidem duas legationis caussas adferri: *audierat enim quòd ægrotasset Ezechias, & misi fuerint ad eum, vt interrogarent eũ de portento quod acciderat super terram*, cum videlicet in signum restituendæ sanitatis, *reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Isaiæ 48. v. 8. Sed alia verior & grauior caussa fuit: Quia Merodachi (sic enim legitur apud Isaiam, quem Mardokempadum Claudius Ptolemæus appellat) recens ab Assyriorum Rege defecerat. & cum Ezechia Assyriorum hoste ferire fœdus, & recuperatam libertatem eius amicitia munire cupiebat.

4. Reg. 20. 12. Isaiæ 39. 2. Paral. 31.

Legatio Babyloniorum ad Ezechiam.

92. Quod huius fœderis, & Babylonicæ defectionis in scriptura vestigium? Certum est adhuc anno Ezechiæ sexto Babylonios Assyriis seruisse: nã, vt dicitur 4. Reg. c. 17. v. 24. translatis in ciuitates Medorum Israëlitis, *adduxit Rex Assyriorum viros de Babylone, & de Chuthu, &c. & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filijs Israel.* At eiusdem anno decimo quinto exeunte iam Babylonij iugum Assyriacæ seruitutis excusserant. Neque enim aliter statim post Assyrios in Iudæa deletos, Merodach honorificam Ezechiæ, postquam à morbo conualuerat, legationem, & Babylonio-

rum principes destinasset: Nec Ezechias, qui eorum aduentu lætatus est, thesauros ex Assyriorum præda redactos iis ostendens, insultare voluisset. Vnde enim nisi ex recentibus Assyriorum manubijs? Si quidem paulò antè ad redimendam, vt loquuntur, vexationem thesauros omnes, & sacros & profanos exhauserat. 4. Re. 18. v. 14. & 15. *Indixit itaque Rex Assyriorum Ezechiæ Regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris Regis, in tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum.*

93. Quòd autem Ezechias non sola diuitiarum ostentatione, sed quadam in Deum diffidentia, & inita cum impiis societate peccarit, & quamuis audisset à Deo: *De manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam,* nihilo seciùs ad humana confugerit auxilia, & exemplo Iosaphat impio præbuerit auxilium, & iis qui oderunt Dominum, amicitia iunctus fuerit, colligi potest tum ex pœna diuinitus inflicta, tum ex verbis, quibus scriptura sceleris atrocitatem exaggerat, Paral. 2. c. 32. v. 31. *Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius.*

Isaiæ 38. v. 7.

2. Paral. 19.

94. Collegit Genebrardus è litterarum vestigiis & quadam nominum similitudine Asaraddon Sennacheribi filiū eum ipsum esse qui Sardanapalus in profanis litteris nuncupatur. Eodem iure dicere possemus Baladan esse Belesin illum Babylonium, quem scribit Diodorus Arbaci Medo fuisse defectionis authorem: Rapsacem verò nefarium illum Sennacheribi Satrapam, fuisse Arbacem, qui cum Rege percussoris Angeli manum tetriori supplicio reseruatus euaserit, & Sennacheribo filiorum manu paulò pòst interempto, quibus fortasse cædis author fuerat, videns Asaradonem mollem & effœminatum patri suffectum, indignatus ei parere, vel scelerum conscientiâ territus sibi ipsi necem consciuerit, quam secuta fuerit Medorum & Babyloniorum defectio. Hæc, inquam, eodē iure dicere poteramus: sed interpretationes nostras, quantum possumus, à coniecturis & diuinationibus abstinemus. Hęc de tempore defectionis, restat vt paucis videatur,

XIIX. *Quando subuersa fuerit Niniue.*

95. NAm inde ab initio nostræ disputationis dicebatur ex Herodoto vrbem Ninum obsessam à Cyaxare anno regni circiter octauo, sed Scythis Asiā occupantibus solutam obsidionem, iisq; tandem post annos duodetriginta depulsis esse repetitam, vrbémq; à Cyaxare extremis regni temporibus esse deletam; quod necesse est Herodoti calculis anno ante Cyri primordia præter propter quadragesimo contigisse. *Non multa peccas, inquit ille fortissimo viro senior magister. Sed si peccas te regere possum.* Hoc scripturā Herodoto dicere putemus. Non multa quidē ille peccauit cùm hactenus ab eo dicta eum scripturæ narratione mirificè cōsentiant. Hìc duo peccat: quorum in altero leuiter inflectendus, in altero fortiter corrigēdus. Ait à Cyaxare Ninum esse subuersam, quem scriptura in calce Tobiæ secundum Græcos codices, vocat, opinor, Asuerum, & Daniel, c. 9. v. 1. Darij Medi patrem fuisse testatur. In eo leuiter inflectendus videtur, quòd nullam facit in excindenda Niniue Babyloniorum mentionem; quamuis, vt apud Græcos Tobiæ 14. legitur, eam iunctis viribus Nabuchodonosor & Asuerus euerterint.

Cicero pro Murena.

96. Sed cùm præfatus fuerit Herodotus Syennesim Ciliciæ, & Labynetum Babyloniæ reges pacis & affinitatis inter Cyaxarem, & Aliatthem Lydię Regem contrahendę sequestros & interpretes fuisse, & ex ipsa rerum gestarum serie sequatur continuò totā belli molem in Assyrios esse conuersam, facilè potuit intelligi Babiloniorum Regem Cyaxari Ninum expugnanti minimè defuisse. Cùm præsertim authore Beroso, Nabuchodonosoris Magni coniux Meda fuerit, vt eodem tempore quo Cyaxarem inter & Alyatthem contracta est affinitas, Nabuchodonosor siue Nabopolassarus Magni parer, quē Herodotus Labynetum appellat, & vxorem filio Cyaxaris filiam accepisse, & Darium Medum eiusdem Cyaxaris filium cum filio suo pariter educandum Babylonem duxisse videatur. Sed enim verendum est ne ad diuinationes nostra reuoluatur oratio.

Apud Iosephum lib. 1. contra Appionem.

97. In eo corrigēdus Herodotus quòd Niniues obsidionē per annos duodetriginta, quibus Scythę Asiam tenuerunt, intermissam, & extremis regni temporibus à Cyaxare repetitam, vrbémq; tum denique subuersam esse restatur: quod secundum Herodoti cōputationem anno pene quadragesimo ante Cyri primordia, decimo circiter anno trāsmigrationis Babylonicæ contigisset. Quæ Chronologia cum scripturæ rationibus cohęrere non potest: Tobias enim Iunior, vt liquet ex ea Græcorū lacinia extremo Tobiæ capiti assuta, cuius iā tertio meminimus, Tobias, inquam, iunior, ἤκουσε πρὶν

Herodotus corrigendus.

ἢ ἀποθανεῖν αὐτὸν τὴν ἀπώλειαν Νινευΐ, ἣν ᾐχμαλώτευσε Ναβουχοδονόζορ, καὶ Ἀσσύηρος, *audiuit antequam moreretur, interitum Niniuæ, quã expugnauit Nabuchodonosor & Assuerus.* Tobias autem in Assyrios à Salmanazare abductus est anno Ezechiæ sexto, vt è cap. 1. Tobiæ v. 11. colligitur, vbi in diebus Salmanazar Tobias senior per captiuitatem deuenisse dicitur cum vxore sua & filio in ciuitatem Niniuem, vixitque annos nonaginta nouem, vt capite 14. v. 19. subnectitur, quare vt eum hoc ipso, quo translatus est, anno, natum esse faciamus, non potest vltra nonum & decimum Iosiæ annum vitam propagasse: si enim annis Ezechiæ tribus & viginti post Israelis translationem euolutis anni Manassis quinquagita quinque, Amonis duo, Iosi nouemdecim accesserint, annorum nonaginta nouem summa colligetur, ab hoc autem vndeuicesimo Iosiæ anno ad quartum Ioachimi, vnde transmigrationis Babylonicæ caput accersimus quindecim anni fluxerunt, ac proinde necesse est Nini clades annis minimũ quindecim Ioachimi captiuitatẽ præcesserit; quod stare non potest, si illã ad extrema Cyaxaris tẽpora referamus.

98. Corrigendus igitur Herodotus, dicendumque Ninum sub nonum Cyaxaris annum esse deletam, priusquam Scythæ Asiam occuparent. Nonus porro Cyaxaris annus sextus & octogesimus est ante captam à Cyro Babylonem, adeoque decimus sextus ante Babylonicæ transmigrationis initium, ac proinde cum Iosiæ decimo nono debet concurrere, quo anno Tobias Iunior diem obiit extremum. Certè Eusebius ad annum Cyaxaris sextum qui eius calculis cum Iosiæ primo & vicesimo componitur: *Cyaxares, inquit, aduersum Assyrios dimicans Ninum ciuitatem capit.*

XIX. *Ctesias & Diodorus Siculus emendantur.*

99. **M**ÉROPS. Quid si Ctesiam & Diodorum leuiter emẽdamus? NEARC. Quo tandẽ pacto? MER. Communis est sentẽtia, cui nemo, quod sciam, refragatur, Naum Prophetã, post Azariæ tempora, quorũ fere initio Nini priorem interitum vulgo consignant, floruisse: siue is sub Ioathamo vixerit, vt Iosepho placet, & ante aduentum Salmanazaris Nini ruinam prædixerit, vt apud Hieronymum in prologo Hebræarum tradition. confirmatur: siue, vt ibidem subnectit: iam decẽ tribus ab Assyriis ductæ fuerant in captiuitatem sub Ezechia Rege Iuda, sub quo etiã nunc in consolatione populi transmigrati, aduersus Niniuem visio cernitur, nec erat parua consolatio tam iis qui iam Assyriis seruiebant, quàm reliquis qui sub Ezechia de tribu Iuda & Beniamin ab iisdem hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos. Imò Seder Olam recentiorem facit, eumque sub Manasse vaticinatum esse defendit. Non potuit igitur illa Nini clades, quam ille imminentem prædixit, Azariæ, qui Ezechiæ proauus, Manassis autem tritauus fuit, temporibus euenire. At vna & eadem est Nini calamitas quæ & à Naum prædicitur, & à Ctesia Diodoróque narratur. Quamuis vterque non sine Chronologiæ detrimento inter defectionem Medorum, & Deiocem, quẽ Eusebius Dioclem, ipsi Arsæem appellant, nescio quos Reges per annos amplius centum adiecerint, & defectionem ab Assyriis, cum Nini subuersione confuderint, eamque velint à Belesi Babylonio, & Arbace Medo defectionis authoribus esse subuersam, quam Nabuchodonosor Babylonius, & Assuerus Medus siue Cyaxares longo pòst tempore diruerunt.

100. Quo autẽ indicio constabit vnam eandemque rem & à Naum prædici gerendam, & gestam à Ctesia narrari? Diodorus pag. 80. Græcæ edit. ἦν δ' αὐτῷ, inquit, λόγιον παραδεδομένον ἐκ προγόνων, ὅτι τὴν Νίνον οὐδεὶς ἑλεῖ κατὰ κράτος, ἐὰν μὴ πρότερον ὁ ποταμὸς τῇ πόλει γένηται πολέμιος. *Erat autem Sardanapalo vaticinium ipsi à maioribus traditum Ninum vi à nemine capi unquam posse, nisi prius fluuius hostis fieret ciuitati.* Quid deinde? tertio tandem obsidionis anno fluuius exundauit, & murum ad viginti stadia disiecit. Sardanapalus videns impletum oraculum, animos abiecit, & ne viuus in hostium manus deueniret, seipsum, gazam & regiam incendio concremauit. Hanc ipsam fluminis eluuionem vrbis vastationi coniunctam Naum apertè prædixerat. c. 1. v. 8. *in diluuio prætereunte consummationem faciet loci eius*, & rursum c. 2. v. 6. *Portæ fluuiorum apertæ sunt: & templum ad solum dirutum* & alia quibus tota passim Prophetia ignem atque incendium identidem inculcat: E quibus liquet hoc ipsum esse Prophetæ Naum vaticinium cuius facit Diodorus Siculus mentionem, & illud Niniues excidium quod Naum prædixerat à Ctesia narrari, quamuis & personas & tempora confuderit.

XX. *Recapitulatio.*

101. **E**VLOG. Video constare omnia: Multa sũt apud Ctesiam fabulosa,

de Assyriacæ Monarchiæ primordiis: nihil in Herodoto à communibus hominum moribus alienum, facilè colligitur è Pentateucho & libro Iosue ficta esse quæ de Assyriorum imperio & antiquitate iactantur. Iudicum æuo nondum trans Euphratem imperij fines promouerant. Id paulo pòst aggressi, sed à Saüle primùm repressi, pòst à Dauide trans flumen reiecti, multis deinde annis imperium potiùs suum in Asia vlteriore firmare, quàm in citeriorem propagare conati sunt. Ab Azaria siue Ozia Iudæorum Rege, quo regnante Eusebius aliique complures eius authoritate decepti vrbem Ninum volunt esse deletam: ab Azaria, inquam, ad Ezechiam Reges Assyriorum, vt cùm maximè floruerunt. Huius anno decimo quarto, vel vt alij volunt, decimo sexto ineunte deletus ingens Assyriorum exercitus, Rex Sennacherib à filiis trucidatus. Huic succedit filius Assaradon-Pul, quem paucis mutatis Græci videntur Sardanapalum indigitasse: regnum dilaceratur, secedunt in Armeniam parricidæ, Medi desciscunt, cæteræ gentes imitantur, nouus Babyloniorum Rex sui iuris emergit: stat nihilo seciùs Niniue, donec anno circiter Iosiæ decimo nono à Cyaxare siue Assuero Medorum Rege, & Nabuchodonosoro siue Nabopolassaro Nabuchodonosori magni patre subuertitur, eamque ipsam cladem opperit, quam Ionas, Naum, & Tobias senior extremo spiritu prædixerat. Atque his omnibus adstipulatur Herodotus corrigendus duntaxat in eo quòd sub finem regni Cyaxaris, & post eiectos ex Asia Scythas, Ninum putat esse deletam, cùm scripturæ calculis ea clades ad octauum circiter eius annum referenda videatur: quare dicamus, si placet, Herodotum veritatem propius attigisse, Ctesiam verò feliciorem qui tam multos fabularum suarum patronos inuenerit.

XXI. *Authores qui propius ad Herodotum accedunt de regno Assyriorum.*

102. MEROPS. Imò verò, Basili grauissimi scriptores Herodoto suffragantur. Vt enim fatear, Augustinum aliósque complures Assyriorū Chronologiam è fabulis Ctesianis ab Eusebio concinnatam ratam habuisse, non pauci tamen veteres ad Herodoti rationes propiùs accedunt. Ostendimus ex eius mente Monarchiam Assyriorum excidio Troiano non multis seculis antiquiorem fuisse, quam Ctesiana narratio mille propemodū annis eo bello vetustiorem esse defendit. Lactantius lib. 1. Institutionum Christianarum exeunte. *Theophilus*, inquit *in libro de temporibus ad Autolycum scripto, ait in historia sua Talum dicere, quod Belus quē Babylonij & Assyrij colunt, antiquior Troiano bello fuisse inuenitur cccxxii. annis.* Sed quid prohibet Theophilum ipsum suis verbis loquentem audire? Κατὰ γὰρ Θάλλου ἱστορίαν ὁ Βῆλος προγενέστερος εὑρίσκεται τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου ἔτεσι τκβ΄. E quibus intelligas Bellum Mosi supparem fuisse, quem Ctesianorum familia quingentis minimùm annis, ante Mosen floruisse contendit.

103. Nec alia mens videtur esse Porphyrij apud Eusebium lib. 1. & 10. προπαρασκ. & lib. priore Chronicorum, dum Sanchoniathonem tempore Semiramidis vixisse dicit, & esse temporibus Troianis antiquiorem, & ad Mosis ætatem accedere. Quid Castor apud Eusebiū lib. 1. Chron. dum Ninum posteriorem τὸν διαδεξάμενον τὴν βασιλείαν παρὰ Σαρδαναπάλου, *cum qui Sardanapalo successit in regnū*, agnoscit? Quid omnes antiqui, præter vnū Ctesiam, cùm Arbacem ex indignatione sibi necem intulisse dicunt, ecquid non apertè cum Herodoto Medorum cæterarumque gentium defectionem à Niniues excidio volunt esse diuersam? Quid Dionysius Halicarnasseus num apertè adstipulatur Herodoto asserenti Medos annis duntaxat duodetriginta suprà centesimum, qui γενεὰς quatuor efficiunt, Asiæ præfuisse? *Medorum*, inquit, qui *Assyriorum monarchiam sustulerunt, imperium non diu perseuerauit*, ἀλλ' ἐπὶ τῆς τετάρτης γενεᾶς καταλύθη, *sed quarta generatione sublatum est.*

104. Certè Alexander Polyhistor, si qua fides adhibenda collectaneis Eusebianis à Scaligero primùm editis, arbitratus est Nabopolassarum Nabuchodonosori Magni patrem esse Sardanapalum. In quo quamuis à nobis circa personam dissentiat, sentit tamen nobiscum, vel potiùs cum ipsa scriptura circa tempus euersæ ciuitatis, hunc enim ostendimus esse Nabuchodonosorum illum qui cum Asuero siue Cyaxare Ninū euertit. Et si nullus dubito quin mendum aliquod irrepserit, vt pro καλεῖ legendū sit καταλύσαι φησί, vel aliquid eiusmodi. Cùm ex ipsa narratione non ipsi, sed Saraco Sardanapali nomē quadrare videatur, οὗτος, inquit, στρατηγὸς ὑπὸ Σαράκος τοῦ Χαλδαίων βασιλέως σταλεὶς, κατὰ τοῦ αὐτοῦ Σαράκος εἰς Νίνον ἐπιστρατεύει· οὗ τὴν ἔφοδον πτοηθεὶς ὁ Σάρακος ἑαυτὸν σὺν τοῖς βασιλείοις ἐνέπρησεν. *His*, inquit, *à Saraco Chaldæorū Rege* Sardanapali ætas.

Ninum bello aggressus est. At Saracus eius accessu perterritus cum Regia seipsum exussit. Scio non paucas hoc loco tricas implicari posse : sed id modò non agitur : id vnum quæritur vtrùm Polyhistor eodem quo Herodotus tempore Ninum putauerit esse deletam.

Omitto Africanum & alios qui plures ante Belum Ægypti, Arabiæ, Babyloniæ Reges agnoscunt ; omitto Tertullianum, qui Ninum multo, quàm vulgus existimat, recentiorem putauit lib. de pallio c. 2. *Si tamen*, inquit, *Ninus regnauit primus vt autumat superiorum prophanitas, ferme apud vos vltrà stylus non solet ab Assyriis si fortè æui historiæ patescunt.* Quibus verbis innuit Reges illos antiquiores Nino fuisse quos Patriarcharum æuo floruisse scriptura commemorat.

105. EVLOG. De cæteris tibi, Merops, assentior. Vnum est de Porphyrio quod abs te velim liquidiùs explicari. Vtar Eusebij verbis, prout ab Hieronymo latinitate donata sunt. *Impius*, inquit, *ille Porphyrius, in quarto sui operis libro quod aduersum nos casso labore contexuit, post Mosen Semiramim fuisse affirmat quæ apud Assyrios centum quinquaginta ante Inachum regnauit annis; itaque iuxta eum octingentis pene & quinquaginta annis Troiano bello Moses senior reperitur.* Vides iuxta Porphyrij mentem, Semiramidem annis minimùm octingentis ante Troiana tempora floruisse. MEROPS. Imò, Eulogi, Eusebij fidem hac in re desidero, qui cum Mosis antiquitatem è Porphyrio demonstrare vellet, tum loco abs te prolato ; tum 10. παρασκευῆς, ea verba suppressit, è quibus vnis liquere poterat Porphyrij de Semiramidis ætate sententia. Sed bene habet, quòd mendax non fuit memor, & libro præparationis primo cùm occasione quadam illud idem Porphyrij testimonium potulisset, hæc eiusdem verba subtexuit. ἢ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἢ κατ' αὐτούς γε τοὺς χρόνους γενέσθαι ἀναγέγραπται. *Quæ* videlicet Semiramis, *ante Troiana tempora vel iisdem temporibus fuisse scribitur.* Quare quod ait Eusebius Mosen annis octingentis & quinquaginta bello Troiano fuisse seniorem, id colligit non è Porphyrij testimonio, sed è fabulis Ctesianis. Certè Paulus Orosius lib. 1. historiæ quamuis cap. 4. Ninum Assyriæ Regem anno ante Vrbem conditam millesimo trecentesimo consignet, tamen cap. 14. bellum à Vexore Rege Ægypti Scythis illatum Iustini verbis narraturus id ait quadringentesimo anno ante vrbem Conditam contigisse: cùm tamen è Iustini lib. 1. ineunte constet, Vexorem multis ante Ninum annis floruisse.



ralip. 1. cap. 18. v. 3. *Percussit Dauid etiam Adarezer Regem Soba, regionis Hemath, quando perrexit vt dilataret imperium suum vsque ad flumen Euphratem.*

68. M-rops. Hic te, Basili, teneo. Hemath est Antiochena Syria. Ea sine dubio cis Euphratem. Adarezer fuit Rex Soba regionis Hemath. Non igitur Assyriorum. Rex fuit, neque Soba trans Euphratem Basil. Si sola Hebræorum & Græcorum codicum authoritate staremus, faciles haberet explicatus obiectio. Diceremus enim secundum Hebræos Adarexer à Dauide percussum חמתה vsq; ad Hemath, in quam regionem fugatus profugerat vel secundū Græcos ἐν Ἡμαθ in Hemath, siue in regione Hemath, eam pugnam esse pugnatam. Quia tamen in communis editionis verba iurauimus, vt par est, & ipsi LXX. seniores in editione Sixtina suffragantur nostræ versioni, & textus omnes inter se facilè conciliari possunt, dicamus Regem Soba dictum etiam fuisse Regem regionis Hemath, quòd aliquam regionem Thoū Regi Antiochenæ Syriæ abstulisset.

67. Quidquid sit de verbis, de re ipsa constat. Nam eodem capite v. 9. subnectitur. *Quod cùm audisset Thou Rex Hemath percussisse videlicet Dauid omnem exercitum Adarezer Regis Soba, misit Aduram filium suum ad Regem Dauid, vt postularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quod percussisset & expugnasset Adarezer; aduersarius quippe erat Thou Adarezer.* E quibus liquet alium fuisse Regem Soba, alium Regem Hemath. Sed iam, si placet, pauca de Salomone.

Exercuit etiam ille *potestatē super cunctos Reges à flumine Euphrate, vsque ad terram Philistinorum, & vsque ad terminos Ægypti.* vt dicitur 2. Paralip. cap. 9. v. 26. Non igitur æuo Salomonis Assyrij citeriorem Siam obtinebant.

XIII. *Quis fuerit Assyriorum status ab obitu Salomonis, ad Regem Azariam.*

68 Per annos ampliùs centum & sexaginta ab obitu Salomonis ad Azariæ siue Oziæ Regis initium euolutos nullum extat in scripturis Assyriacæ monarchiæ vestigium. Quia tamen Benadab Rex Syriæ adeo potens fuit cis Euphratem vt Iosaphato regnante Reges triginta duos in Israelem secum adduceret. (3. Reg. c. 20. v. 1.) & alij deinde Reges in Syria floruerunt, inde liquidò patet Assyrios post quam à Dauide repressi fuerant, Euphratem non esse transgressos.

Benadab Regis Syriæ potentia.

69. Porro qui à deleto Assyriorum imperio subuersaque Niniue ad primum Cyri annum, annos trecentos septemdecim cum Petauio numeraret, is annum excisæ Niniues anno Ioæ secundo consignare deberet. Qui autem cum Iustino lib. 1. annos trecentos & quinquaginta Medorum post Ninū deletam imperio tribueret, vrbisque cladem annis tribus & triginta remoueret, is quartum Iosaphati annum Niniues interitu nobilem inueniret. Eusebius Sardanapali necem cum anno Azariæ sexto, Tornielius cum nono, Salianus cum decimo componit. Ex Herodoto facilè colligitur Medorum defectionem in annum Ezechiæ circiter quartum & decimum incidisse. quod enucleatiùs alio loco tractabitur. Sed *quod nunc instat, agamus.*

70. Ait Herodotus libro 1. Nitocrim Babylonis reginam, quam Nabuchodonozoris magni coniugem fuisse, suspicamur, & ex Herodoto Cyaxaris & Astyagis temporibus vixisse constat; ait, inquam Herodotus Nitocrim quinque generationibus, id est annis centum circiter & septuaginta post Semiramidem floruisse ἡ μὲν, inquit, πρότερον ἄρξασα τῆς ὕστερον, γενεῇσι πέντε πρότερον γενομένη, τῇ οὔνομα ἦν Σεμίραμις. *Quæ priùs quam posterior regnauit, generationibus quinque fuit antiquior, cui nomen Semiramis.* Iam, vt idem ait lib. 2. ad finem vergente γενεαὶ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατόν ἔτεα ἐστι *Tres hominum ætates centum sunt anni.* Iam si à Nabuchodonozore retrogressi quinque ætates siue annos centum sexaginta septem numeremus, comperiemus extremum Semiramidis diem in annum Azariæ ferè trigesimum quintum, & primam Olympiadem incidisse. Florebat autē Ionas Propheta sub Amazia & Asaria Regibus Iuda, & Ieroboam secundo Rege Israel, vt è 4. Regum. cap. 14. v. 25. compertum est, vt Semiramidis vel pater vel maritus videri possit ille Rex Assyriorum qui ad pœnitentiam Ionæ prædicatione conuersus est. Et eiusdem Semiramidis, si qua fides Herodoto, Phul ille Rex Assyriorum filius fuerit qui Manahen regnum Israel obtinente (is anno Azariæ vndequadragesimo regnare cœperat) grandem ab Israelitis pecuniam exegit. 4. Reg. cap. 15. v. 19. *Veniebat Phul Rex Assyriorum in Thersa, & dabat Manahen Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium & firmaret regnum eius.*

Semiramidem Azariæ tempore floruisse colligitur ex Herodoto

Ad Semiramidis patrem aut maritum missus Ionas.

XIV. *Quis fuerit Aſſyriorum ſtatus ab anno Azariæ quadrageſimo, ad decimum quartum Ezechiæ.*

71. SEd quoniam nobis è ſcriptura lucis nihil affulget, nec ego me patronum Herodoti profiteor, ſed interpretandæ ſcripturæ cupidum (non enim audeo dicere interpretem) Semiramidis ætatem in medio relinquamus; illud certè negari non debet, Phulem quem aliqui Phul Belochum appellant, potentiſſimũ fuiſſe, & ſuperiores Reges, qui vel nunquam Euphratem traiecerant, vel id molientes hactenus à Regibus Hebræorum repreſſi fuerant, rerum geſtarum gloria ſuperaſſe. *In diebus Phacee Regis Iſrael* (qui anno Azariæ quinquageſimo ſecundo regnare cœperat) *venit Theglat-Phalaſſar Rex Aſſur, & cepit Ahion, & Abel domum, Maacha, & Ianoë, & Cedes, & Azor, & Galaad, & Galilæam, & vniuerſam terram Nephtalim, & tranſtulit eos in Aſſyrios*, vt dicitur 4. Reg. c. 15. v. 29. Tanta porro gloria floruerunt, vt Regum patres vltoréſque dicerentur 4. Reg. cap. 16. Phacee Rex Iſrael, & Raſin rex Syriæ Damaſci, Achazo Regi Iuda bellum indixerant v. 7. *Miſit autẽ Achas nuntios ad Theglat-Phalaſſar Regem Aſſyriorum dicens: Seruus tuus & filius tuus ego ſum: adſcende & ſaluum me fac de manu Regis Syriæ & de manu Regis Iſrael.* Subdit v. 9. *Aſcendit autem Rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtauit eam, & tranſtulit habitatores eius in Cyrenem: Raſin autem interfecit.* Eodem certè tempore Oſee Regem Aſſur vltorem vocabat. cap. 3. v. 13. *& abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem vltorem*, & rurſum cap. 10. v. 6. *Ipſe in Aſſur delatus eſt, munus Regi vltori.* Quia videlicet Reges inferiores in fidem & clientelam ſuſceperant.

Poſtremi Reges Aſſyrię.

72. Anno ſexto Regis Ezechiæ Salmanazar Rex Aſſyriorum cepit Samariam, Iſraelem trãſtulit in Aſſyrios, & in Medorum ciuitatibus collocauit. Vide 4. Reg. cap. 17 & 18. *Rebellauit* Ezechias, *contra Regem Aſſyriorum, & non ſeruiuit* anno decimo quarto Ezechiæ, Sennacherib Ieroſolymam obſedit, & eius exercitus ab angelo internecina clade noctu deletus eſt. Ipſe centum octoginta quinque millibus hominum amiſſis, *reuerſus eſt, & manſit in Niniue; cumque adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Aramelech & Sarazar filij eius percuſſerunt eum gladio, fugerúntque in terram Armeniorum, & regnauit Aſſaraddon filius eius pro eo.* Vix vlla deinceps Regum Aſſyriæ mentio, vllum Niniues ipſius in ſcriptura veſtigium, niſi quòd eius interitus à Tobia ſeniore iam extremo ſpiritu prædicitur. Tobiæ 14. & Iudith 1. Nabuchodonozor Rex Aſſyriorum in Niniue ciuitate magna regnaſſe memoratur. Sed iam tempus eſt, Nearche, vt de tempore tranſlati ad Medos imperij & Niniuẽs excidio quid ſentias, audiamus.

XV. *De tranſlato ad Medos imperio, & Niniues ſubuerſione.*

73. NEARCHVS. Multa Niniues excidia recentiores Chronologi tradiderunt. Eam Torniellus ad annum mundi 3371, num. 3. regnante Semiramide à Medis captam dirutámque ſcribit ex Diodoro Siculo lib. 3. de antiquorum geſtis, quem his loquentem verbis inducit. *Poſt Ninum à Medis dirutam, Semiramis magni mulier animi cupiens virum rerum gloria excellere, vrbem in Babylonia condidit.* Sed nihil Diodorus huiuſmodi ſõniauit. Tantum ait Semiramidem defuncto marito tumulum ingentem ſtadijs nouem altum, latum decem excitaſſe, qui quo tempore iſta ſcribebat, adhuc ſtare diceretur. Καίπερ τῆς Νίνου κατεσκαμμένης ὑπὸ τῶν Μήδων, ὅτε κατέλυσαν τὴν Ἀσσυρίων βασιλείαν. *Quamuis Nino à Medis euerſa, cùm Aſſyriorum imperium ſuſtulerunt.* Tum aliunde repetens narrationis initium ἡ δὲ Σεμίραμις, inquit, & cætera quæ Torniellus ſubtexuit.

74. Equidem cùm Latinus interpres mihi non ſit in manibus, videre non poſſum quid eruditum virum in fraudem induxerit. Suſpicor tamen eum inſulſæ tranſlationis authoritate deceptum, doleóque frequenter viros cætera doctiſſimos, dum latinis Græcorum interpretibus nimiùm confidunt, & errare ipſos, & lectores in errorem impellere. Hoc igitur omiſſo, frequentiùs exciſam aiunt, primùm ab Arbace Medo, quod Petauius regnante Ioa, cæteri paſſim regnante Azaria, ſiue Oſia contigiſſe, quouis pignore contendunt. Tres alias eiuſdem ciuitatis ſubuerſiones adfert eodem loco Torniellus, de quibus nos ſuo loco; nos in hac Medorum defectione & Arbacis rebus geſtis paulisper hæreamus.

Plures Nini ſubuerſiones.

75. Is Nino capta, & Sardanapalo ſponte cremato ne in manus hoſtium viuus veniret, ciuibus in vicinos pagos diſtributis, réſque ſuas habere permiſſis τὴν πόλιν εἰς

ἔδαφος κατέσκαψεν. *Vrbem solo æquauit*, fundituśque subuertit. Hîc velim vt eruditi viri mihi respondeant: Si quod è Ctesia colligit Petauius, Ninus Ioa regnante subuersa est, & conuulsis etiam fundamentis in planum data, quî factum vt cùm Ionas, quem sub eius filio Amasia floruisse fatentur omnes, & è 4. Reg. cap. 14. v. 25. euincitur, qui factum, inquam, fuerit vt cùm Ionas Niniuem missus est, non solùm staret ciuitas, sed etiam iam העיר הגדולה *illa ciuitas illa magna*, & magna non tantùm in hominum oculis, sed etiam coram Domino diceretur, adeóque celebris esset, vt censerentur in ea plusquam centum viginti millia hominum qui nescirent quid esset inter dexteram & sinistram, vt dicitur Ionæ 4. exeunte.

76. Si sub decimum Azariæ annum deleta Ninus est, vt omnes pene recentiores arbitrantur, & imperium ab Assyriis ad Medos translatum, quæro vnde Reges illi potentissimi Assyriorum repente paucis pòst annis emerserint, Phul, Theglat-Phalasar, Salmanasar, Sennacherib.

De nouo Assyriorum regno.

Aiunt post Sardanapali necem nouum Assyriorum regnum ex antiqui vestigiis excitatum, & ex recentibus ac fumantibus adhuc ruinis vrbem illam maximam instauratam. Sed quid necesse fuit nouam vrbem, nouum imperium fabricari, si perinde explicari scriptura potest, stante vetere Assyriorum regno quàm nouo ex antiqui ruinis excitato? Non enim, inquiunt, ad illorum opinionem accedimus qui Niniuem aduersus historicam fidem ab Arbace solo æquatam negant. Putabam dicturos aduersus scripturæ fidem: sed tamen quæ sit, ista fides historica videamus.

77. Scribit Athenæus lib. 12. Deipnos, qui certè Diodoro Siculo est antiquior & ab ipso laudatur pag. 76. Scribit, inquam, Athenæus ex communi veterum sententia, Arbacem viso Sardanapalo, indignatū quod tam impuræ belluæ seruiret, sibi necem intulisse; Ctesiam verò dicere bellum ab Arbace susceptum. Sed quid prohibet eius verba producere, οἱ μὲν πολλοὶ, ὧν ἐστὶ καὶ Δοῦρις, ἱστοροῦσιν ὑπὸ τούτου ἀγανακτήσαντος, εἰ τοιοῦτος αὐτῶν βασιλεύει, συγκεντηθέντα ἀποθανεῖν. Κτησίας δὲ λέγει εἰς πόλεμον αὐτὸν καταστῆναι, &c. *Plurimi quidem, in quibus est etiam Duris, narrant Arbacem ex indignatione, quod talis in ipsos regnum obtineret, ferro se confodisse, sibique necem consciuisse. Ctesias autem eum dicit armà sumpsisse.* Hæcceine est historica fides quæ vnius inter veteres authoritate

De Arbace defectionis Medorum authore.

sulcitur? & quidem vnius Ctesiæ, & Ctesiæ τοῖς πολλοῖς maximæ scriptorum parti refragantis. Herodotus certè, vt iam dictum est, author est Assyrios post illam Medorum cæterarúmque gentium defectionem, quanquàm à sociis desertos, annis centū & ampliùs validissimos perstitisse.

78. Sed esto; Medorum defectione Ninum & pristinum Assyriorum imperium funditùs euersum esse faciamus: quid opus fuit eius excidium vel centum annis vltrà primam Olympiadem cum Petauio, vel saltem triginta cum cæteris submouere? Si verum quærimus, ille præter authoritatem Ctesiæ nihil habet, quod fateatur, cæteri nihil præter Eusebium. Legantur historiæ, replicentur annales: nulla repetiemus rediuiui huius Assyriorum regni vestigia. Quia tamen è Ctesia, & Eusebio colligimus ante institutas Olympiadas, & vrbem & regnum Assyriorum in Sardanapalo funditus corruisse, nouæ ciuitates instaurentur, nouum imperium efflorescat, noui Reges emergant, & quasi Phœnices è priorum cineribus exurgant. Quiduis denique prius fingatur, quàm vel Ctesiæ vel Eusebij relinquatur authoritas. Et quidem eo loco, vbi mirâ planè oscitantiâ non solùm cum Ctesia, sed etiam secum pugnat Eusebius. *Arbaces*, inquit, *Assyriorum imperio destructo regnum in Medos transtulit, & interim sine principibus res agebatur, vsque ad Dioclem Regem Medorum. Medio autem tempore Chaldæi prope præualebant.* Nihilo tamen seciùs quatuor Reges euerso Assyriorum imperio Medis ante Dioclem ait præfuisse, & è scriptura constat medio illo tempore, quod inter deletam Niniuem & Dioclis initia ponit Eusebius, nondum præualuisse Chaldæos, sed Assyrios vt eùm maximè floruisse.

Nulla rediuiui Assyriorum imperij vestigia.

Eusebius secum pugnat.

79. Quid quòd Assyrij, sicut ex ipsa scriptura compertum est, ad annum Ezechiæ sextum ipsis etiam Medis & Babyloniis imperarunt? Hoc enim anno, vt dicitur 4. Reg. c. 18. v. 11. Salmanazar captâ Samariâ transtulit Israelem, & posuit *in ciuitatibus Medorum*, quod iam dixerat c. superiori v. 6. & v. 24. *Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone & de Cutha, & de Auath & de Emath, & de Sapharnaim, & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel.* Chuthos autem in Carmania deserta trans Mediam & Persidem ponit Ptolemæus Asiæ tabula quinta. Non multis ante annis Theglat-Phal-Assar vastauit Damascum, *& transtulit habitatores eius Cyrenē.* c. 16. v. 9. Quam Cyrenem non illam Aphricæ, sed aliam quandam in Asia Mediæ contributam

Assyrij Medis imperarunt vsque ad annum Ezechiæ XIV.

Cyrene.

tam Sanctius, Serarius, aliique intelligunt, authore Iosepho, qui lib. 9. antiq. exeunte, Damascenos ait in superiorem Mediam esse translatos. Nondum igitur ab Assyriis Medi & Babylonij ea tempestate defecerant.

80. Imò, inquiunt, longè ante hæc tempora priscum Assyriorum regnum in Sardanapalo penitus desiisse sentimus, sed aliquanto pòst interuallo, exolescentibus paulatim Medis, ad quos rerum summa peruenerat, & propter ignauiam & mollitiem inclinante fortuna, nonnullos defecisse, primùm quidem Assyrios, postea Babylonios Sed quid necesse fuit ista confingere? quibus coniecturis, qua suspicione, cuius scriptoris antiqui testimonio proferuntur? si verum admittimus, nihil aliud caussæ subesse dicendum est, quam quod, nisi noua fingantur, vetera Ctesiæ figmenta cum historia sacra cohærere non possūt.

Quid si ne sic quidem cohærebunt nisi nouum figmentum accesserit, quo multis in partibus vitium faciens, *& iam iam lapsura, cadentique assimilis* eorum sententia quasi subiecto tibicine fulciatur? Non satis est Assyrios à Medis defecisse, etiam seruitutis iugum à se depulsum ad Medorum ceruices detulerunt: nam vt è scriptura iam ostendimus, anno Ezechiæ quarto, qui Azariæ siue Oziæ pronepos fuit, Medi seruiebant Assyriis. Hoc etiam fingatur vt cum scriptura cohæreat Ctesiana narratio.

81. Quid si necesse est ad tuendas fabulas istas Ctesianas aliud figmentum procudere? Manasses Ezechiæ filius fuit. Huius anno præter propter decimo rem à Iuditha gestam fuisse tradunt Bellarminus libro 1. de Verbo Dei cap. 12. Pererius in capite 1. Danielis, Serarius in c. 1. Iudith, quæstiuncula. 2. Tirinus ibidem, Gordonus in Chronologia, suisque scholiis in eundem lib. Iudithæ, Petauius lib. 12. de doctrina temp. cap. 26. Salianus in annum nonum Manassis, alijque quam plurimi. Rectè an secus nihil ad præsens instituitur. Sed quoniam omnes isti consentiunt ante primam Olympiadem imperium ab Assyriis ad Medos esse translatum, mihi, quod ipsi largiuntur, assumo. *Anno igitur duodecimo regni sui Nabuchodonozor Rex Assyriorum qui regnabat in Niniue, ciuitate magna, pugnauit contra Arphaxad* Regem Medorum, *& obtinuit eum*, quem Deiocem fuisse passim existimant. Iam igitur tertiò Medi seruierunt Assyriis, secundò defecerunt, & iugum Assyriacæ seruitutis à suis ceruicibus depu-

Iudith. 1. v. 5.

lerunt. Sequitur tertia, & decteroria Medorum defectio, qua Ninus euersa est, vt legitur extremis Tobiæ verbis, quæ velut lacinia quædam Græcis codicibus assuta sunt, vbi dicitur audiuisse Tobias Iunior, priusquam moreretur, τὴν ἀπώλειαν Νινευὶ, ἣν ᾐχμαλώτευσε Ναβουχοδονόζορ καὶ Ἀσσούηρος. *Niniues interitum quam in captiuitatem cepit Nabuchodonozor & Assuerus*, qui videtur esse Cyaxares Herodoti, & Darij pater apud Danielem c. 9. v. 1. *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, &c.* Triplicem itaque fingere debemus Medorum seruitutem, nec pauciores defectiones, si scripturam conciliare volumus fabulis Ctesianis. Sed quanto compendiosius Ctesiam suum facessere iuberent, si semel statuerent Herodorum sequi, nec ad patrocinium Ctesiæ, figmenta figmentis inuoluerent Quod priusquam expono, paucis agendum videtur,

XVI. *De Prophetia Tobiæ senioris.*

82. OMnes qui veterem Ninum vsque ad annum Azariæ fere decimum stetisse dicunt (dicunt autem omnes præter Petauium) fateri debent stante vetere Nino missum esse Ionam qui Niniuitis pœnitentiam prædicaret. Hunc enim sub Ieroboamo Rege Israel floruisse colligitur ex iis verbis 4. Reg. c. 14. v. 25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi.* Huius autem *anno vicesimo septimo regnauit Azarias filius Amasiæ Regis Iuda*, vt capite sequenti ineunte subnectitur, vnde sequitur anno Ioathami tricesimo septimo Ninum esse subuersam, quæ proinde reuirescere non potuit, antequam Ionas diem obiret extremum, vt ad rediuiuam illam & iam opibus & deliciis affluētē Ninū mitteretur.

Ionas ad veterem Niniuem missus.

Petauius qui Sardanapalum, Arbacis defectionem, Niniqüe subuersionem non paucis annis antiquiorem facit, impunè potuit Ionam ad recentiores illos Niniuitas legare, qui iam Ieroboami temporibus florere & deliciis affluere potuerunt. Id tamen facit titubanter & strictim l. 9. de doctrina temporum c. 35. *Ait fieri posse vt longè ante Ieroboam Israelis Regem, Ionas victoriam ac restituendos Israelitis terminos prædixerit, adeoque adhuc viuo Sardanapalo, vel etiam ante, Iosaphat regnante, Niniuem peruenerit.*

83. Hoc igitur posito, quod omnes vltro concedunt, ostendo veterem illam Ninū,

cui Ionas pœnitentiam prædicauit, post annum Azariæ decimum annis centum & amplius stetisse incolumem. Post annum illum decimum regnauit Azarias annos duos & quadraginta. Ioathan & Achaz eiusdem Azariæ filius & Nepos annos saltem triginta, successit Ezechias cuius anno decimo quarto Sennacheribus deletus est, etsi nonnulli putent hoc decimo-septimo contigisse: horum summa si fiat ab anno decimo Azariæ ad Sennacheribi necem, anni sex & octoginta colligentur. Post mortem Sennacheribi Tobias lumen oculorum amisit, Tobiæ secundo. Esto, eodem anno Regis cædem, Tobiæ cæcitatem illatam esse faciamus. *Quinquaginta & sex annorum lumen oculorum amisit: sexagenarius vero recepit.* Tobiæ 14. vers. 3. *Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, vt versu primo præmittitur.* Colligantur anni ab Azariæ decimo ad obitum Tobiæ senioris euoluti: centum saltem & triginta duorum ὁμᾶς existet. Quo tempore stabat adhuc illa ipsa Ninus, ad quam Ionas Propheta legatus olim fuerat, cuius proximus interitus à Tobia moriente prædicitur, vers. 6. *Prope erit interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini.*

84. EVLOGIVS. E quidem videre non possum, mi Nearche, quo pacto Tobias potiùs veterem illam Ninum Ionæ prædicatione conuersam, quam recentiorem ex antiquæ ruinis excitatam paulò post perituram esse denuntiet. NEARCHVS. Tibi Græcus interpres facem admouebit, Eulogi, qui Tobiam ita loquentē inducit. Ἄπελθε εἰς τὴν Μηδίαν, τέκνον, ὅτι πέπεισμαι ὅσα ἐλάλησεν Ἰωνᾶς ὁ προφήτης περὶ Νινευὴ, ὅτι καταστραφήσεται. *Vade in Mediā, fili, quia credidi quæcunque locutus est Ionas Propheta de Niniue, quòd subuertetur.* Iam si minis & denuntiationibus Ionæ perfuncta fuerat illa ciuitas, & cùm paulo pòst ad vomitum rediisset interitu suo Ionæ Prophetiam implerat, caussæ nihil fuit cur Tobias ex illa secundum Niniues interitum præuideret. Sed iam si placet, ad Herodotum veniamus.

Vetus Niniue stetit vsque ad mortem Tobiæ senioris.

XVII. *Herodoti narratio cum scriptura confertur.*

85. SI Diodoro Siculo lib. 3. fidem adhibendam putaremus, haud multo faciliùs Herodoto, quàm ipsi Ctesiæ cum sacris historiis conueniret. Ita enim refert Herodoti sententiam, quasi dixerit Assyrios, cùm annis quingentis Asiam tenuissent ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι, *à Medis esse subuersos.* Nullum deinde fuisse Regem qui de summa rerum contenderet, sed vrbes sui iuris fuisse, donec tandem ὑπὸ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων *post multos annos elapsos*, Cyaxares quidam nomine, vir iustitiæ singularis Rex Medorum electus est. Hunc primùm ait adiungendis Medorum regno vicinis gentibus animum adiecisse. Deinde successores additis nouis ditionibus auxisse regnum vsque ad Astyagem, qui à Cyro deuictus est. Hāc porrò Cyaxaris electionem ait secundum Herodotum anno secundo decimæ septimæ Olympiadis contigisse. Quæ si ab Herodoto dicta sunt, fateor habere difficillimos explicatus.

86. Sed bene habet quòd Herodotus in manibus versatur, ex quo quiuis intelligere possit Diodorum non accuratissimè veterum scriptorum protulisse sententias. Ait absolutè Diodorus Assyrios annis quingentis Asiam tenuisse. Herodotus annis quingentis & viginti superiorem Asiam tenuisse: auditis *Superiorem*, quod in hac disputatione magni debet esse momenti, ait Diodorus Assyrios à Medis καταλυθῆναι *esse subuersos.* Herodotus primos omnium Medos ab Assyriis ἀποστῆναι, cæteras gentes eorum defectionem imitaras. Diodorus ait ex Herodoto Asiaticis ab Assyriorum iugo liberatis ἐπὶ πολλὰς γενεὰς *per multas hominum ætates* nullum fuisse Regem, donec ἐπὶ πολλῶν ἐτῶν διελθόντων *multis annis elapsis*, Rex tandem electus est: Herodotus illud duntaxat ait ἐόντων αὐτονόμων πάντων *cùm omnes sui iuris essent*, regna esse constituta, Peiore præeunte. Omitto quòd Diodorus Cyaxarem cum Deioce, auum cum nepote confundit. Omitto quòd Olympiadē ex Herodoto definit, cuius nullam facit Herodotus mentionem. Iam si tam paucis verbis ille referens Herodoti sententiam se falsi toties alligauit, nostro iure poterimus, ni fallor, eidem Ctesiam laudanti diffidere.

Diodori Siculi errores.

87. Sed præstat ipsum fontem adire, & quoniam ex eo constat Deiocem vnius gentis imperio contentum annis tribus & quinquaginta Mediæ præfuisse, Phraortem filium, cùm imperij fines extra Mediam protulisset, anno regni secundo & vicesimo esse defunctum, cui filius Cyaxares successerit ὁ τὴν Ἅλυος ποταμοῦ ἄνω Ἀσίην πᾶσαν συστήσας ἑωυτῷ, *qui sibi totam super Halym fluuium Asiam acquisiuit*, & annis quadraginta regnauit, cuius filius Astyages anno regni quinto supra tricesi-

mum deiectus est Asiæ principatu, è quibus manifestum est annos centum & quinquaginta Herodoti calculis ab anno primo Deiocis, ad Astyagis extremum euolutos. Restat vt ex eodem videamus quot anni à Medorum defectione ad initium Deiocis effluxerint. Enarrata Cyri de Astyage victoria. Μῆδοι δὲ, inquit, ὑπέκυψαν Πέρσῃσι διὰ τὴν τούτου πικρότητα ἄρξαντες τῆς ἄνω Ἅλυος ποταμοῦ Ἀσίης ἐπ' ἔτεα τριήκοντα καὶ ἑκατὸν, δυῶν δέοντα, πάρεξ, ἢ ὅσον οἱ Σκύθαι ἦρχον. *Medi verò subiecti fuerunt Persis ob huius acerbitatem, cùm annis centum ac triginta duobus demptis supra fluuium Halym Asiæ præfuissent, excepto tempore quo Scythæ regnarunt.* Superiùs dixerat ἐπὶ μὲν νυν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἔτεα ἦρχον τῆς Ἀσίης οἱ Σκύθαι. *Annis octo & viginti Scythæ Asiam tenuerunt*, qui anni duodetriginta ex illis quadraginta excerpi debent qui superiùs Cyaxari tribuuntur, vt Cyaxares liber à Scythica seruitute duodecim duntaxat annis imperarit, quo temporis spatio totam supra fluuium Halym Asiam suæ subiecit ditioni: quibus si triginta quinque annos Astyagis adiicias, inuenies Medos vix quadraginta septem annis imperium Asiæ tenuisse. (Chronologia Medorum.)

88. Quare cùm Medos annis duodetriginta supra centesimum Asiæ ἄρξασθαι *præfuisse* dicit, annos omnes quibus post suam ab Assyriis defectionem liberi fuerunt, computauit, cuius temporis initio non quidem potestate & imperio, sed authoritate, Asiæ præfuerunt. Hos enim cæteræ gentes sequebantur tanquam receptæ libertatis authores, & vindices. Iam si annis illis 128. quibus Medi præfuerunt, annos duodetriginta Scythici dominatus adieceris, Medorum ab Assyriis defectionem anno ante Cyri primordia 156. deprehendes. E quibus sequitur Deiocem non multis hominum ætatibus post excussum Assyriacę dominationis iugū, vt Herodoto Diodorus Siculus affingit, sed annis dūtaxat sex interlapsis regni gubernacula suscepisse.

89. Cùm autem, vt è Mathematico Regum Babyloniorum canone liquet, qui nomine Ptolemæi circumfertur, & apud Scaligerum in Collectaneis. apud Petauium l. 9. de Doct. temp. c. 52. reperitur, Cyrus annis nouem Babylona tenuerit, qui secundum Herodotum à Messagetis occisus est βασιλεύσας δὲ πάντα ἑνὸς δέοντα τριήκοντα ἔτεα, *cùm annos vndetriginta regnasset*, necesse est vt anno regni circiter vicesimo Cyrus ceperit Babylonem.

90. Iam vt ad sacra veniamus, hoc anno, vt omnes pene sentiunt, finis impositus est Babylonicæ seruituti, quæ & annis septuaginta durauerat, & inchoata fuerat anno Ioachimi quarto, vt Petauius à me toties honoris caussa nominatus, egregiè demonstrat, & Hebræos omnes, Theodoretum, & Lyranum suæ sententiæ laudat authores. (Lib. 12. c. 23.) Vnde sequitur anno quinquagesimo post annum Ioachimi quartum, & Babylonicæ transmigrationis initium Astyagen, à Cyro deiectum Asiæ principatu. Quòd si annos tres Ioachimi ante captiuitatem exactos, Iosiæ vnum & triginta, Amonis duos, Manassis quinquaginta quinque, Ezechiæ quindecim in vnam summam collegeris, annum eiusdem Ezechiæ decimum quartum, secundum Herodoti calculos Medorum defectione, secundum sacram Chronologiam Assyriorum internecina clade, Sennacheribi nece, duorum eius filiorum in Armeniam secessione, prima Babyloniorum Regum mentione nobilem deprehendes. Summa igitur Herodoti cùm historia sacra consensio. (Profana Chronologia sacræ accommodata.)

91. Hoc anno scribit Herodotus multas gentes ab Assyriis defecisse, Adrametes & Sarazar Sennacheribi filius, cùm patrem nefariè sustulissent, fugisse in terram Armeniorum scriptura testatur, è quibus constat Armeniam tunc ab Assyriis fuisse diuisam. *In tempore illo misit Berodach Baladan filius Baladan Rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam.* Cur putamus? scio quidem duas legationis caussas adferri: *audierat enim quòd ægrotasset Ezechias*, & *missi fuerint ad eum, vt interrogarent eū de portento quod acciderat super terram*, cum videlicet in signum restituendæ sanitatis, *reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Isaiæ 48. v. 8. Sed alia verior & grauior caussa fuit: Quia Merodachi (sic enim legitur apud Isaiam, quem Mardokempadum Claudius Ptolemæus appellat) recens ab Assyriorum Rege defecerat, & cum Ezechia Assyriorum hoste ferire fœdus, & recuperatam libertatem eius amicitia munire cupiebat. (4. Reg. 20. 12. Isaiæ 39. 2. Paral. 31.) (Legatio Babyloniorum ad Ezechiam.)

92. Quod huius fœderis, & Babylonicæ defectionis in scriptura vestigium? Certum est adhuc anno Ezechiæ sexto Babylonios Assyriis seruisse: nā, vt dicitur 4. Reg. c. 17. v. 24. translatis in ciuitates Medorum Israëlitis, *adduxit Rex Assyriorum viros de Babylone, & de Chuthu, &c. & collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filijs Israel.* At eiusdem anno decimo quinto exeunte iam Babylonij iugum Assyriacæ seruitutis excusserant. Neque enim aliter statim post Assyrios in Iudæa deletos, Merodach honorificam Ezechiæ, postquam à morbo conualuerat, legationem, & Babylonio-

rum principes destinasset: Nec Ezechias, qui eorum aduentu lætatus est, thesauros ex Assyriorum præda redactos iis ostendens, insultare voluisset. Vnde enim nisi ex recentibus Assyriorum manubijs? Si quidem paulò antè ad redimendam, vt loquuntur, vexationem thesauros omnes, & sacros & profanos exhauserat. 4. Re. 18. v. 14. & 15. *Indixit itaque Rex Assyriorum Ezechiæ Regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris Regis, in tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum.*

Isaiæ 38. v. 7.

93. Quòd autem Ezechias non sola diuitiarum ostentatione, sed quadam in Deum diffidentia, & inita cum impiis societate peccarit, & quamuis audisset à Deo: *De manu Regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam*, nihilo seciùs ad humana confugerit auxilia, & exemplo Iosaphat impio præbuerit auxilium, & iis qui oderunt Dominum, amicitia iunctus fuerit, colligi potest tum ex pœna diuinitus inflicta, tum ex verbis, quibus scriptura sceleris atrocitatem exaggerat, Paral. 2. c. 32. v. 31. *Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius.*

2. Paral. 19

94. Collegit Genebrardus è litterarum vestigiis & quadam nominum similitudine Asaraddon Sennacheribi filiū eum ipsum esse qui Sardanapalus in profanis litteris nuncuparur. Eodem iure dicere possemus Baladan esse Belesin illum Babylonium, quem scribit Diodorus Arbaci Medo fuisse defectionis authorem; Rapsacem verò nefarium illum Sennacheribi Satrapam, fuisse Arbacem, qui cum Rege percussoris Angeli manum tetriori supplicio reseruatus euaserit, & Sennacheribo filiorum manu paulò pòst interempto, quibus fortasse cædis author fuerat, videns Asaradonem mollem & effœminatum patri suffectum, indignatus ei parere, vel scelerum conscientiâ territus sibi ipsi necem consciuerit, quam secuta fuerit Medorum & Babyloniorum defectio. Hæc, inquam, eodē iure dicere poteramus: sed interpretationes nostras, quantum possumus, à coniecturis & diuinationibus abstinemus. Hęc de tempore defectionis, restat vt paucis videatur,

XIIX. *Quando subuersa fuerit Niniue.*

95. NAm inde ab initio nostræ disputationis dicebatur ex Herodoto vrbem Ninum obsessam à Cyaxare anno regni circiter octauo, sed Scythis Asiā occupantibus solutam obsidionem, iisq; tandem post annos duodetriginta depulsis esse repetitam, vrbémq; à Cyaxare extremis regni temporibus esse deletam; quod necesse est Herodoti calculis anno ante Cyri primordia præter propter quadragesimo contigisse. *Non multa peccas, inquit ille fortissimo vestro senior magister. Sed si peccas te regere possum.* Hoc scripturā Herodoto dicere putemus. Non multa quidē ille peccauit cùm hactenus ab eo dicta cum scripturæ narratione mirificè cōsentiant. Hîc duo peccat: quorum in altero leuiter inflectendus, in altero fortiter corrigēdus. Ait à Cyaxare Ninum esse subuersam, quem scriptura in calce Tobiæ secundum Græcos codices, vocat, opinor, Asuerum, & Daniel, c. 9. v. 1. Darij Medi patrem fuisse testatur. In eo leuiter inflectendus videtur, quòd nullam facit in excindenda Niniue Babyloniorum mentionem, quamuis, vt apud Gręcos Tobiæ 14. legitur, eam iunctis viribus Nabuchodonosor & Asuerus euerterint.

Cicero pro M. Cæl.

96. Sed cùm præfatus fuerit Herodotus Syennesim Cilicię, & Labynetum Babyloniæ reges pacis & affinitatis inter Cyaxarem, & Aliatthem Lydię Regem contrahendę sequestros & interpretes fuisse, & ex ipsa rerum gestarum serie sequatur continuò totā belli molem in Assyrios esse conuersam, facilè potuit intelligi Babiloniorum Regem Cyaxari Ninum expugnanti minimè defuisse. Cùm præsertim authore Beroso, Nabuchodonosoris Magni coniux Meda fuerit, vt eodem tempore quo Cyaxarem inter & Alyatthem contracta est affinitas, Nabuchodonosor siue Nabopolasarus Magni pater, quē Herodotus Labynetum appellat, & vxorem filio Cyaxaris filiam accepisse, & Darium Medum eiusdem Cyaxaris filium cum filio suo pariter educandum Babylonem duxisse videatur. Sed enim verendum est ne ad diuinationes nostra reuoluatur oratio.

Apud Iosephum lib. 1. contra Apionem.

97. In eo corrigēdus Herodotus quòd Niniues obsidionē per annos duodetriginta, quibus Scythę Asiam tenuerunt, intermissam, & extremis regni temporibus à Cyaxare repetitam, vrbémq; tum denique subuersam esse testatur: quod secundum Herodoti cōputationem anno pene quadragesimo ante Cyri primordia, decimo circiter anno trāsmigrationis Babylonicæ contigisset. Quæ Chronologia cum scripturæ rationibus cohęrere non potest: Tobias enim Iunior, vt liquet ex ea Græcorū lacinia extremo Tobiæ capiti assuta, cuius iā tertio meminimus, Tobias, inquam, iunior, ἤκουσε πρὶν

Herodotus corrigendus.

ἢ ἀποθανεῖν αὐτὸν τὴν ἀπώλειαν Νινευὶ, ἣν ᾐχμαλώτευσε Ναβουχοδονόσορ, καὶ Ἀσσούηρος, *audiuit antequam moreretur, interitum Niniuæ, quã expugnauit Nabuchodonosor & Assuerus.* Tobias autem in Assyrios à Salmanazare abductus est anno Ezechiæ sexto, vt è cap. 1. Tobiæ v. 11. colligitur, vbi in diebus Salmanazar Tobias senior per captiuitatem deuenisse dicitur cum vxore sua & filio in ciuitatem Niniuem, vixitque annos nonaginta nouem, vt capite 14. v. 19. subnectitur, quare vt eum hoc ipso, quo translatus est, anno, natum esse faciamus, non potest vltra nonum & decimum Iosiæ annum vitam propagasse: si enim annis Ezechiæ tribus & viginti post Israelis translationem euolutis anni Manassis quinquaginta quinque, Amonis duo, Iosi nouemdecim accesserint, annorum nonaginta nouem summa colligetur, ab hoc autem vndeuicesimo Iosiæ anno ad quartum Ioachimi, vnde transmigrationis Babylonicæ caput accersimus quindecim anni fluxerunt, ac proinde necesse est Nini clades annis minimũ quindecim Ioachimi captiuitatẽ præcesserit; quod stare non potest, si illã ad extrema Cyaxaris tẽpora referamus.

98. Corrigendus igitur Herodotus, dicendumque Ninum sub nonum Cyaxaris annum esse deletam, priúsquam Scythæ Asiam occuparent. Nonus porro Cyaxaris annus sextus & octogesimus est ante captam à Cyro Babylonem, adeoque decimus sextus ante Babylonicæ transmigrationis initium, ac proinde cum Iosiæ decimo nono debet concurrere, quo anno Tobias Iunior diem obiit extremum. Certè Eusebius ad annum Cyaxaris sextum qui eius calculis cum Iosiæ primo & vicesimo componitur: *Cyaxares, inquit, aduersum Assyrios dimicans Ninum ciuitatem capit.*

XIX. *Ctesias & Diodorus Siculus emendantur.*

99. MEROPS. Quid si Ctesiam & Diodorum leuiter emẽdamus? NEARC. Quo tandẽ pacto? MER. Communis est sentẽtia, cui nemo, quod sciam, refragatur, Naum Prophetã, post Azariæ tempora, quorũ fere initio Nini priorem interitum vulgo consignant, floruisse: siue is sub Ioathamo vixerit, vt Iosepho placet, & ante aduentum Salmanazaris Nini ruinam prædixerit, vt apud Hieronymum in prologo Hebræarum tradition. confirmatur: siue, vt ibidem subnectitur: iam decẽ tribus ab Assyriis ductæ fuerant in captiuitatem sub Ezechia Rege Iuda, sub quo etiã nunc in consolatione populi transmigrati, aduersus Niniuem visio cernitur, nec erat parua consolatio tam iis qui iam Assyriis seruiebant, quàm reliquis qui sub Ezechia de tribu Iuda & Beniamin ab iisdem hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos. Imò Seder Olam recentiorem facit, eumque sub Manasse vaticinatum esse defendit. Non potuit igitur illa Nini clades, quam ille imminentem prædixit, Azariæ, qui Ezechiæ proauus, Manassis autem tritauus fuit, temporibus euenire. At vna & eadem est Nini calamitas quæ & à Naum prædicitur, & à Ctesia Diodoróque narrarur. Quamuis vterque non sine Chronologiæ detrimento inter defectionem Medorum, & Deiocem, quẽ Eusebius Dioclem, ipsi Arsæem appellant, nescio quos Reges per annos amplius centum adiecerint, & defectionem ab Assyriis, cum Nini subuersione confuderint, eamque velint à Belesi Babylonio, & Arbace Medo defectionis authoribus esse subuersam, quam Nabuchodonosor Babylonius, & Assuerus Medus siue Cyaxares longo pòst tempore diruerunt.

100. Quo autẽ indicio constabit vnam eandemque rem & à Naum prædici gerendam, & gestam à Ctesia narrari? Diodorus pag. 80. Græcæ edit. ἦν δ' αὐτῷ, inquit, λόγιον παραδεδομένον ἐκ προγόνων, ὅτι τὴν Νίνον οὐδεὶς ἑλεῖ κατὰ κράτος, ἐὰν μὴ πρότερον ὁ ποταμὸς τῇ πόλει γένηται πολέμιος. *Erat autem Sardanapalo vaticinium ipsi à maioribus traditum Ninum vi à nemine captum iri, nisi priùs fluuius hostis fieret ciuitati.* Quid deinde? tertio tandem obsidionis anno fluuius exundauit, & murum ad viginti stadia disiecit. Sardanapalus videns impletum oraculum, animos abiecit, & ne viuus in hostium manus deueniret, seipsum, gazam & regiam incendio concremauit. Hanc ipsam fluminis eluuionem vrbis vastationi coniunctam Naum apertè prædixerat. c. 1. v. 8. *in diluuio prætereunte consummationem faciet loci eius*, & rursum c. 2. v. 6. *Portæ fluuiorum apertæ sunt: & templum ad solum dirutum* & alia quibus tota passim Prophetia ignem atque incendium identidem inculcat; E quibus liquet hoc ipsum esse Prophetæ Naum vaticinium cuius facit Diodorus Siculus mentionem, & illud Niniues excidium quod Naum prædixerat à Ctesia narrari, quamuis & personas & tempora confuderit.

XX. *Recapitulatio.*

101. EVLOG. Video constare omnia: Multa sũt apud Ctesiam fabulosa,

Ninum bello aggressus est. At Saracus eius accessu perterritus cum Regia seipsum exussit. Scio non paucas hoc loco tricas implicari posse : sed id modò non agitur : id vnum quæritur vtrùm Polyhistor eodem quo Herodotus tempore Ninum putauerit esse deletam.

Omitto Africanum & alios qui plures ante Belum Ægypti, Arabiæ, Babyloniæ Reges agnoscunt ; omitto Tertullianum, qui Ninum multo, quàm vulgus existimat, recentiorem putauit lib. de pallio c. 2. *Si tamen*, inquit, *Ninus regnauit primus vt autumat superiorum prophanitas, ferme apud vos vltrà stylus non solet ab Assyriis si fortè aut historiæ patescunt.* Quibus verbis innuit Reges illos antiquiores Nino fuisse quos Patriarcharum æuo floruisse scriptura commemorat.

105. Evlog. De cæteris tibi, Merops, assentior. Vnum est de Porphyrio quod abs te velim liquidiùs explicari. Vtar Eusebij verbis, prout ab Hieronymo latinitate donata sunt. *Impius*, inquit, *ille Porphyrius, in quarto sui operis libro quod aduersum nos casso labore contexuit, post Mosen Semiramim fuisse affirmat quæ apud Assyrios centum quinquaginta ante Inachum regnauit annis ; itaque iuxta eum octingentis pene & quinquaginta annis Troiano bello Moses senior reperitur.* Vides iuxta Porphyrij mentem, Semiramidem annis minimùm octingentis ante Troiana tempora floruisse. Merops. Imò, Eulogi, Eusebij fidem hac in re desidero, qui cum Mosis antiquitatem è Porphyrio demonstrare vellet, tum loco abs te prolato, tum 10. προπαρασκευῆς, ea verba suppressit, è quibus vnis liquere poterat Porphyrij de Semiramidis ætate sententia. Sed bene habet, quòd mendax non fuit memor, & libro præparationis primo cùm occasione quadam illud idem Porphyrij testimonium protulisset, hæc eiusdem verba subtexuit. ἢ πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἢ κατ' αὐτούς γε τοὺς χρόνους γενέσθαι ἀναγέγραπται. *Quæ* videlicet Semiramis, *ante Troiana tempora vel iisdem temporibus fuisse scribitur.* Quare quod ait Eusebius Mosen annis octingentis & quinquaginta bello Troiano fuisse seniorem, id colligit non è Porphyrij testimonio, sed è fabulis Ctesianis. Certè Paulus Orosius lib. 1. historiæ quamuis cap. 4. Ninum Assyriæ Regem anno ante Vrbem conditam millesimo trecentesimo consignet, tamen cap. 14. bellum à Vexore Rege Ægypti Scythis illatum Iustini verbis narraturus id ait quadringentesimo anno ante vrbem Conditam contigisse: cùm tamen è Iustini lib. 1. ineunte constet, Vexorem multis ante Ninum annis floruisse.





SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER SEPTIMVS.

ABRAHAM,

SIVE DE ABRAHAM PATRIARCHA.

LEONARDVS, BLANCVS, ABRAMVS.

I. PRÆFATIO.

1. LEON. Vnde & quò noster Abramus? ABR. Non est mihi tempus tecum agendi, mi Leonarde, nouas quasdam & mira subtilitate limatas Rabbinorum obseruationes, priusquam è memoria fluxerint, in aduersaria referre cupienti. LEON. Equidem me peccasse confiteor, qui te grauioribus curis intentum sic interpellarim. Tamen, vt scias, te, quæ didiceris, docendi, quàm chartis & aduersariis consignandi cupidiorem esse velim. Sic enim & altiùs in animum descendent tuum, profundiorésque radices agent, & postmodum, si videbitur, in literas maiori cum ordine digesta referentur. Adde quòd hæc aduersariorum fiducia multos in fraudem induxit, & vereor vt aliunde, quàm tu reris, aduersaria nomen acceperint. Dici enim fortasse putas quòd quæ legendo vel audiendo obseruaueris aduerterísque, scripto consignentur ad memoriam futuri temporis diuturnam. Sed vide, quæso, vtrùm potiùs ex eo quòd memoriæ & scientiis aduersentur, aduersariorum nomen sortita sint. ABRA. Quid ita verò?

2. LEON. Ait Socrates in Phædro, quemdam siue Deum, siue diuinum hominem nomine Theut, cui sacra fuit auis quam Ibin appellant, apud Ægyptios floruisse, qui numerum & computationem, Geometriam, Astrologiam, talorum, alearúmque ludos, ipsásque adeo literas inuenerit; eúmque tunc temporis Rex Thamus Ægypti regnum obtineret, artes ab se repertas ad Regem eo consilio detulisse, vt eas cæteris impertiret Ægyptiis: rogasse illum quid vtilitatis singulæ continerent. Longum fuerit, neque fortasse necessarium verbis explicare quid Theut ad singula responderit, quid Thamus in vnaquaque laudant, reprehenderítve. Postquam autem ad literas peruenit, Hoc, inquit, commentum, ô Rex, & sapientiores & promptiore memoria præditos reddet Ægyptios, μνήμης τε γὰρ καὶ σοφίας φάρμακον

μακον εὑρέθη, memoriæ enim ac sapientiæ remedium inuentum est. Tum ille, ô solertissime Theut, inquit, alterius est artes parere, alterius de artium emolumentis damnisque sincerè iudicare. Tu quidem, cùm pater sis literarum, eas fers in sinu, vel potiùs in oculis, atque vt filiolas suauissimas oscularis, & propter beneuolentiam non vt iudex æquus, sed vt indulgens pater contrariam fers veritati sententiam. Hoc enim, in quo te pulchrum & beatum putas, discentium animis obliuionem infundet memoriæ incuria, quippe qui scripturæ notarúmque fiducia exteriùs alienis simulacris, non interiùs propriis rerum imaginibus memoriam exercebunt. Non igitur memoriæ, quòd putas, sed submonitionis cuiusdam remedium reperisti. Discipulis autem sapientiæ potiùs adumbratam imaginem opinionémque fucatam tradis quàm ipsam veritatem. Nam cùm absque doctore multa didicerint, multarum rerum periti, cùm ignari sint, videbuntur, καὶ χαλεποὶ ξυνεῖναι, δοξόσοφοι γεγονότες ἀντὶ σοφῶν, consuetudine quoque molestiores erunt, vt pote non verâ sapientiâ, sed ementitâ sapientiæ specie subornati. Hæc ille.'

E quibus author tibi fuerim, vt animo scientiis, & multarum rerum obseruationibus expoliendo, quàm carthis linendis aduersariísque referendis impensiùs incumbas. Hoc autem nullâ viâ compendiosiùs assequêris, quàm si quæ vel ipse obseruasti, vel aliunde dedicisti, aliis sine inuidia subinde communices. Nosti versus rudes quidem illos, atque, vt superiora secula ferebant, infacetos, commodâ tamen & Philosophâ sententiâ.

Sæpe rogare, rogata tenere, retenta docere,

Hæc tria Discipulum faciunt superare Magistrum.

AB. Ego verò, mi Leonarde, authoritati tuæ libens acquiescam, non quòd me quicquam doctorum esse profitear, apud eum præsertim quem meum tum in humanis tum in diuinis literis Doctorem ac Magistrum semper agnoui, sed vt tamquam discipulus reddam prælectionis acceptæ rationem.

4. Eramus in proximo suburbio, cùm ego & Blancus noster vir Latinè, Græcè, Hebraicè, Syriacè, Chaldaicè, Arabicè peritissimus, vt nosti, liberioris auræ captandæ, studiorúmque contentionis tantisper relaxandæ caussa in agros vicinos successimus, atque ille de more, ne vel in ipsa remissione temporis iactura fieret, aliquid è Scripturis Hebraicis me audiente recitabat. Iámque ad illum Genesis capitis decimi septimi, versus quinti, locum veneramus. *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham* כי אב המון גוים *ki ab hamon goiim, quia patrem multitudinis gentium constitui te:* cùm ille. Tuæ sunt partes, inquit Abrame, mutati nominis rationes enucleatiùs exponere. Imò, inquam, mi Blance, quia res è linguarum Orientalium peritia dependet, tu autem eos in huiusmodi linguarum cognitione progressus iam inde ab adolescentia fecisti, vt cùm Theologiam audires, magistris latina dictantibus eadem ex tempore frequenter Hebraicis, interdum etiam Syriacis non solùm litteris, sed etiam vocibus repræsentares, ex te audire cupio quid circa nominum *Abram* & *Saraı* mutationem, vel tu ipse obseruaueris, vel ex aliorum lectione collegeris.

Et ne tergiuerseris, excusationúmque prætextus diutiùs obtendas, ita rem inter nos partiemur: vt ego de primo illo nomine *Abram*, nonnihil tanquam è symbolo in commune conferam, tu quod circa nominis mutationem, ipsúmque adeo nomen posteriùs in mentem venerit, candidus, vt nomen tuum sonat, impertias.

II. *De Cabbala Hebræorum.*

5. EQuidem fatuas & ineptas Cabbalistarum argutias semper esse duxi; quippe qui circa litteras & apices inutiliter occupentur, & magnum operæ se pretium fecisse putent, cùm vel singularum vocularum numeros anxie subduxerint, vel singulas litteras quodam scripturæ compendio singulis substituentes vocibus vnam ex omnibus sententiam conflatint, vel denique quadam transpositione litterarum, siue anagramatismo dictionem dictioni suffecerint.

6. Ad hæc enim tria capita, vt notat Genebrardus in Chronico, omnia vanitatis, non enim dicam artis illius mysteria reuocantur, quæ Rabbini hac dictiuncula גנת *ganath* indicarunt, vt ג Geometriam (quam insulsè quidem & imperitè cum Arithmetica confundunt) designet, eámque tum demum adhiberi putent, cùm litterarum numerus ex- Cabbalæ partes. Geometria

Noteriacon. penditur: noteriacon littera נ expressum, quando vt Notarii facere solent, ad scripturæ compendium littera dictionis princeps ponitur pro integra dictione; vnde & barbarè à Notariorum apicibus noteriacon appellant Themuram siue permutationem litterarum, cùm vel litteræ litteris, quæ soni sunt eiusdem, succedunt, vel anagrammate duntaxat ex vno loco in alium transferuntur.

Themura.

7. Quas Rabbinorum argutias etsi futiles, ac penè superstitiosas semper putaui, res tamen à nobis extorquet, vt magna nonnunquam mysteria tum numeris dictionum, tum notis illis compendiariis subesse fateamur. Quorsum enim nisi numerus insigne mysterium contineret? Apocalypsis capite decimo tertio, vers. decimo octauo legeretur: *Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Quorsum Christus Dominus ΙΧΘΥΣ à Sybilla nominatur, nisi quia singulæ dictionis illius litteræ totidem dictionum sunt principes Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ. IESVS CHRISTVS *Dei Filius Saluator*? De quibus luculentum habetur acrostichon Græcè in Sibyllinis oraculis, Latinè apud Augustinum libro decimo octauo de Ciuitate Dei, capite vigesimo tertio. Quorsum Iudæ illi heroum fortissimo Macabæi nomen adiectum est, nisi quia litteræ מכבי principem locū sortitæ sunt in Psalmistæ sententia מי כמכה באלים יהוה *mi-kamoka baelim Iehoua?* id est: *Quis similis tui in fortibus Domine?* vt Rabbi Isaac Ben Hole, Reuclinus, Mercerus, Sixtus Senensis, Genebrardus, Serarius, & alii passim annotarunt.

Numerus in sacris litteris.

Notariaci exempla.

III. *Noteriaticon nominis Abram.*

8. Ecquis igitur nos iure reprehendat si dixerimus quatuor hisce litteris totidem dictionum principibus אברם sanctissima duo nostræ fidei mysteria contineri אב בן רוח משיח ab *Pater*, ben *Filius*, Ruah *Spiritus*, Messchiah *Christus*, sic enim prima littera Patrem æternum, secunda Filium, tertia Spiritum sanctum, quarta denique Christum, siue Messiam apertissimè denotabit.

Trinitas & Incarnatio in nomine Abram.

Quòd si Capnioni libro secundo de verbo mirifico visa res est insignis plena mysterii quòd duæ primæ Geneseos dictiones inchoarentur à litteris quæ principem in nominandis personis diuinis locum obtinerent. בראשית ברא, vbi ב בן *ben* siue *Filium*, ר autem רוח *Ruah* siue *Spiritum*: denique א אב *ab* siue *Patrem* repræsentat, quamuis ordo personarum præposterè digeratur: si Rabbini plerique Psalmo centesimo vigesimo octauo, prima dictione רבת *rabbat*, multùm. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea,* Romanos, Babylonios, Turcos Synagogæ expugnatores, si Psalmus tertius, רבים *rabbim*, *multi insurgunt aduersum me*, primâ litterâ Romanos, secundâ Babylonios, tertiâ Iauanos, siue Græcos, quartâ denique Medos Israelitarum vexatores denotari putant, cur non liceat & nobis in nominis huiusce literis, Sanctæ Triados atque humanæ carnis assumptæ mysteria venerari? cùm præsertim idem sit penitus literarum ordo, qui personarum, & primùm Pater, deinde Filius, post vtrumque Spiritus indicetur, subnectatur denique litera מ, quæ in nomine Messiæ tenet principatum. Neque me fugit alias quoque reperiri dictiones è primis diuinarum personarum litteris conflatas, siue ordine præpostero atque peruerso, vt ארב *arab*, *insidiatus est*. באר *beer*; *puteus*, siue secundùm naturalem processionum rationem, vt אבר *penna eber*, nullam tamen reperiemus præter hanc vnam, quæ carnis assumptæ mysterium Sanctissimæ connectat Trinitati.

Alia noteriaci exempla.

9. Iam si Cypriano, Ambrosio, aliisque Patribus grauissimis visum est, non sine grandi mysterio contigisse, vt primus omnium mortalium μικρόκοσμος, & quoddam maioris mundi compendium quatuor mundi plagas primis litteris expressas nomine suo contineret, ΑΔΑΜ. & primum illud Α ἀνατολὴν, *Orientem*, Δ δύσιν, *occasum*, Α ἄρκτον *vrsam* siue *Septentrionem*, Μ denique μεσημβρίαν siue *Meridiem* indicaret, non video cur obseruatiunculam hanc nostram in Abrahami nomine, vt puerilem & ludicram respuamus, cùm præsertim illi mysterium in aliena lingua rimantes coactè satis vocabulum ad Græcum riuulum ab Hebræo fonte detorserint. nos autem in sacra lingua, è qua nomen accersitur, hæreamus. Hæc ferè erant, quæ circa voculamentum hoc de noteriaco dicenda nobis impræsentiarum occurrerent,

Quatuor mundi partes in nomine Adam.

superetat vt tum de permutatione literarum, tum de numero literis hisce contento pauca diceremus, sed quamuis de anagramatismo non pauca nec illepida fortasse congeri possent, res tamen exemplo carer in nostris scripturis, neque vllum reperias apud graues & probatos Ecclesiæ Doctores, huius, vt Rabbini vocant *Temuræ* vestigium, vt merito nobis totum hoc genus prætermittendum esse videatur.

IV. *De numero quibusdam vocibus ac sententiis comprehenso.*

10. AD numerum quod attinet, cum Augustinus in diuinis literis frequenter magnis mysteriis plenum esse testatur, atque, vt iam dixi in nominis bestiæ supputatione iampridem authoritas diuina consecrauit, & ingeniosi viri quasdam vel in scripturis, vel in profanis authoribus frequenter obseruarunt sententias quæ computatis literarum numeris rei cuiuspiam gestæ Chronologiam indicarent.

11. Fauetneium oppidulum est non inelegans in Burgundiæ Comitatu. In eo nobile Benedictinæ familiæ Cœnobium. Ibi dum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publico solemnique cultu adorandum exponitur, sacellum cum sacris iconibus, velis, cæteróque apparatu, repente fortuito, an hominum quorumdam improbitate oblato incendio conflagrauit. Sola Eucharistia flammarum victrix inter medios ignis exundantis vortices, succollantibus vt videtur, Angelis in aëre suspensa, cum sua pyxide, siue vt vocant, ciborio sustineri. Vnus dies, alter, tertius; illa sublimis, diuinísque quibusdam nutibus librata retineri. Interim è tota Burgundia vicinísque regionibus ingens hominum confluere multitudo. Opinio fuit illo triduo ducenta conuenarum tum Catholicorum, tum etiam Heterodoxorum millia potuisse facilè numerari. Tandem sacerdote quodam pio rite sacris operante, illa cibi cœlestis Hierotheca mulris spectantibus & rei euentum expectantibus ita paulatim in subiectum linteum, quod corporale vocant, demissa est vt in medio descensu interiungeret, & aliquantisper nullis adminiculis suffulta quiesceret, quo præsentes admonerentur, & ad miraculum mentes oculósque conuerterent. Hostia gemina fuit. Placuit alteram indictâ publicæ supplicationis pompâ Dolam deferri, vt quemadmodum Diuionensis ciuitas vicina Ducatus Burgundiæ Metropolis hostiâ sanctâ sanguinis guttis diuinitus ex ea manantibus nobili gloriatur, ita Dolana ciuitas Comitatus Burgundiæ princeps Regióque Senatu perinde celebris sacrum hoc pignus hostiæ flammis intactæ seruaret. Hic Ioannes Boiuinus, tum causarum Patronus, nune dignissimus eo Senatu Præses, vir omnibus virtutis, eruditionis, ingenij partibus absolutus non solùm Hostiam vtrámque egregio cohonestauit elogio:

Fauerneiēsis hostiæ miraculum.

Impie, quid dubitas hominémque, Deúmque fateri?
Se probat esse hominem sanguine, & igne Deum.

Sed etiam in quodam scripturæ sacræ versiculo posterioris huiusce Chronologiam feliciter deprehendit. *Ignis ante ipsum præcedet.* Psal. 96. 3. Si enim subductis literis ad compurandum inutilibus, cæteras, quas numerales appellant, in vnam summam collegeris, inuenies hoc cœleste prodignum anno reparatæ salutis, MDCVIII. contigisse.

12. Quid? quòd annus quo D. Carolus in patrem optimum Philippum. II. Regem Catholicum conspirauerat, in quodam versu Nasonis (Prophetico diceres instinctum Spiritu) non ingeniosiùs, quàm feliciùs inuentus est.

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos.

Subduc literas ad numerum otiosas, in reliquis annum MDLXVIII. deprehendes. Quid? quod Teruana Morinorū ciuitas eo ipso anno deleta est qui duabus hisce voculis connectitur? DeLetI MorInI. Quid quòd ex co colligunt Hebræi patres suos ducentis & decem annis in Ægypto fuisse commoratos, quòd Iacob filios suos ad petendam Ægyptum excitans, verbo רדו *descendite*, hunc ipsum numerum expressit: Genes. 42. vers. 2. ר 200. ד 4 ו 6 210.

13. Atque hæc & alia numerorum mysteria persuadebant vt latentem in hoc Abrami nomine numerum sagaciùs indagarem, & omnibus odorarer vestigiis: omnia tamen curiosiùs circumspectanti, circa numerum 243 qui literis Hebraicis continetur, vel 140. qui Græcis signatur elementis nihil occurrit mi Blance, quod dignum tuis auribus esse videatur. Quare cùm scriptura θεόπνευστος hic sapientiā esse doceat, nec nisi ab eo qui habet intellectum, computari velit, ego qui in vtróq; mihi sum mediocritatis meæ, vel potiùs egestatis conscius, non ausim ad enucleandum tanti Patriarchæ numerum accedere, adeóque tibi & sapienti, & harum rerum cumprimis intelligenti computationem hanc ad tuos

calculos exigendam relinquo, vt tibi non solùm de nominis mutatione (quod initio tibi munus iniunxeram) sed etiam de priore Patriarchæ nomine dicendum intelligas.

V. *Cur Deus nomen Abram mutarit.*

14. HÆc ego cùm dixissem, tum ille suauiter arridens, video, inquit, mi Abrame, quid velis. A meis laudibus exorsus in easdem desinere voluisti. Mihi videlicet assentaris, vt non dicam *scabant mutua muli*, (ab hoc enim mulino genere te longe abesse video) sed certè vt cùm mihi laudatiunculam leuiter adsperseris, ego vicissim tibi palpum obtrudã, noménque tuum cæteris nominibus anteponam, ne tamen tibi nimiùm de tuo cognomine blandiaris, sic habeto inesse quidem illi quasi semina diuinæ cuiusdam excellentię, nondum tamen esse perfectum. Sed vt exactè tanto Patriarchæ conueniret ab ipso Deo, literæ vnius adiectione debuisse suppleri. Nam cùm in hoc nomine, vt & in cæteris, materia siue literæ, quasi corpus, & forma siue significatio quæ est velut anima dictionis, in vtroque video nonnullum esse defectum. De quibus antequàm dico videtur esse reddenda ratio cur Deus appellationem mutauerit.

15. Abramum ad virtutem omnibus numeris absolutam inuitarat, *ambula coram me, & esto perfectus.* Hebraicè התהלך לפני *hitthallek lepanai.* Fac te ipsum ambulare coram facie mea, id est, vt exponunt LXX. seniores: εὐαρέστει ἐναντίον μου, καὶ γίνου ἄμεμπτος. *Cõplace coram me, & esto irreprehensibilis.* Nunc mercedem proponit, *& multiplicabo te vehementer nimis*, id est, faciam te patrem multarum gentium. Ex te enim per Isaac orientur Israëlitæ, per Ismael Ismaëlitæ, Saraceni & Agareni per filios Ceturæ: item aliæ nationes, de quibus infrà cap. 25. & ita quidem multiplicatus est Abram secundum carnem vehementer nimis: secundum spiritum longè magis, quia factus est pater omnium credentium. Nomen igitur ei nouum Deus imposuit, non solùm vt eius se dominum ostenderet, quemadmodum vt primos parentes sibi peculiariter manciparet, seque eorum dominum indicaret, *vocauit nomen eorum Adam in die quo creati sunt*: Genes. 5. v. 2. & Adam brutas animantes suis nominibus appellauit, in quas ei Deus dominationem concesserat: Gen. 2. 19. Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quòd esset mater omnium viuentium. Gen. 3. 20. Sed iam rum Adamus in vxorem suam dominatum acceperat, vnde brutis in Paradiso, Euæ extra Paradisum nomen imponitur: non solùm, inquam, dominij testandi causâ nouum Patriarchæ nomen inditum, sed etiam vt virtutis, ad quam inuitabatur, perfectionem, & futuram ex eo generis propagationem indicaret. Perfectio materiã numeris incluso, generis multiplicatio formâ, siue nominis significatione continetur, de quibus singillatim pauca dicenda sunt.

16. Ac primùm quod ais quatuor hisce literis אברם *Abram*, sanctissima duo nostræ fidei mysteria contineri, verissimum id quidem. Sed vide quæso an non perfectiùs Spiritus sanctus qui per spirationem à Patre filióque procedit adspirationis vnius adiectione denotetur; cùm præserrim audito Spiritus nomine, nisi vel Spiritum Dei, vel Spiritum sanctum, vel quid eiusmodi dixeris, nemo personam diuinam intelligat. Quare pristino Patriarchæ nomini Deus adspirationis notam inseruit, vt meliùs ac perfectiùs diuinas personas adumbraret, אברהם fac singulas literas singularum esse capita dictionum, habebis משיח אב בן רוח הקדוש *ab, ben, ruah, hakkadosch, Messciach, Pater, Filius, Spiritus sanctus, Christus.* Et quidem quòd appellatio pristina Sancti Patriarchæ tres nobis Sanctæ Triados personas, quamuis sine sanctitatis mentione repræsentet, est ea quidem laus præclara, tamen aliis quoque vocibus communis est. Quòd autem nomen posterius etiam sanctitatem adiciat, nulla dictio sibi quicquam ex ista laude decerpit, vt meritò pristini defectus litteræ vnius adiectione suppletus esse videatur.

17. Adde quòd hac adspiratione designari potest dictio הוא *is ipse*, quod nomen diuinitatis esse primariũ, maximè proprium, cæterarúmque adeo nuncupationum fontem Capnio, Faber, & alij viri doctissimi litteris prodiderunt. *De verbo mirifico. De diuinis nominibus.*

Nam quod ais circa numerum pristini nominis apicibus contentum tibi nihil occurrere in quo penitus acquiescas, meritò nihil occurrit. Hic enim numerus imperfectus erat; sed eum Deus ad perfectionem adduxit additione quinarij, qui littera ה denotatur. Sed expendamus, si placet, vim & naturam quinarij, priusquam summam quæ posteriore nomine continetur, è primo numero & quinario faciamus.

VI. *Vis quinarij in rebus naturalibus.*

Lib. 1. in somn. Scip.

18. EAm quinarij proprietatem miratur & obseruat Macrobius *quòd solus omnia quæque sunt, quæque videntur esse, complexus est. Esse autem,* inquit, *dicimus intelligibilia, videri esse corporalia omnia, seu diuinum corpus habeant, seu caducum. Hic ergo numerus omnia & supera, & subiecta designat, aut enim Deus summus est, aut mens ex eo nata, in qua species rerum continentur, aut mundi anima, quæ animarum omnium fons est, aut cælestia sunt vsque ad nos, aut terrena natura est, & sic quinarius rerum omnium numerus impletur.* Hæc ille cæcus & palpitans, & quasi per nebulam indicans mysterium sanctissimæ Trinitatis.

19. Et sanè si rerum vniuersitatem lustremus, vbique videbimus vim elucere quinarij. Quinque sunt corpota simplicia, ignis, aer, aqua, terra, natuta cœlestis, quam Petipatetici passim appellant quintam essentiam. Quinque sunt in tetra zonæ, totidem in cœlo citculi paralleli. Quinque animantium genera inter se primò diuersa. Homo, quadrupedes, volucres, pisces, serpentes, aut si placet, alia corio solo, pilis alia, alia squamis, alia plumis, conchis alia vestiuntur. Quinque sunt externi corporis sensus; totidem facultates & organa quibus ad intellectionē peruenitur. *Sensus externi*, quibus materiales rerum corporatarum species hauriuntur: *sensus internus*, quem alij communem appellant qui cùm has retum species à sensibus externis acceperit, eas tenuat, & subtilius elimatas imaginationi transmittit: *imaginatio*, siue, *phantasia*, quæ rerum externarum imagines quibusdam quasi coloribus à sensu communi susceptis interiùs ita sibi delineat, vt res ipsas etiam absentes, præteritas, aut futuras circumferre videatur. *Intellectus*, quem, *agentem* appellant, qui oblatas ab imaginatione species magis & magis ab omnis materiæ concretione secernit, iamque spiritales penitus effectas intellectui, quem patientem vocant, transfundit: *intellectus*, ipse, *patiens*, qui his imaginibus imbutus sibi ipsi cognitionem effingit, quam speciem rerum expressam passim appellant. Quinque sunt igitur intellectionis organa, quæ Petipatetici si non omnia re, saltem ratiocinatione discriminant.

20. Quid? quòd ipsius intelligentiæ virtutes à Philosophò quinque numerantur? *intellectus*, quem habitum principiorum appellant, *sapientia*, *scientia*, *ars*, & *prudentia*, Quid? quòd si Platonicos audimus, in animæ compositione per quinarium opportunè proceditur, & Proclus, & Marcilius Ficinus, vterque suis in Timæum commentariis annotarunt? Quid denique, quòd vt iidem aduertunt, *essentia*, *idem*, *alterum*, *status*, *motus*, quinque genera sunt, quibus à Deo omnia componuntur? Adderem quinque digitos, & alia non pauca. Sed iampridem vereor ne ambitiosiùs videar ista conquirere, quæ selegisse præstabat; quare, nisi tibi secus videtur, vela contraham orationis meæ, & ad ipsum hominis significatum, tanquam ad portum properabo. Et ego: Mihi verò non videtur, inquam Blance. Vereris, opinor, ne sermo noster in vulgus emanet. Atqui soli sumus: nullus dictorum arbiter: nemo te velut κωμῳδοποιὸν reprehendet; mihi canes & Musis, cui nihil, quod ad meum nomen attineat, erit ingratum. Tum ille:

VIII. *Quinarij vis in omnibus scientiis.*

21. NE, igitur, inquit, in natura semper hæreamus, in omnibus disciplinis apparet eius numeri vestigium. Scientiarum aliæ sunt, quas humaniores siue mansuetiores, aliæ quas seueriores & quodam modo diuiniores appellant. Humaniores litteræ in quinque genera diuiduntur: *Grammaticam*, *Criticen*, *Historiam*, *Poësim*, *Rhetoricam*. Vereor ne puerilia sectatus videar, si ostendero quinarium passim in Grammatica dominari: illud certè sine piaculo præterire non possum, quòd circa quinque litteras, quas vocales appellant, præcipuè versatur: in quibus illud mirū est quòd ipsæ solæ seorsū vocem efficiant, cæteræ litteræ sine ipsis mutæ sint, & otiosæ. illud autē non modò mirum, sed etiam planè stupendum quòd cùm innumeræ sint *μερόπων ἀνθρώπων hominum diuisim & articulatè loquentium* dialecti, innumeræ tot belluarum, tot auium intimos affectus exprimentium voces; omnes tamen in vnam vocalium ita conspirant, vt omnes omnino sonorum inflexiones earum vna moderetur.

Quinarius in Grammatica dominatur.

22. Iam Criticen in quinque genera non incommodè partiuntur, aut enim è variis veterum scriptorum codicibus varias Lectiones indagat, aut è coniectura men-

das in scripturam illapsas abstergit, aut [In Critica.] scriptores classicos commentariis illustrat: aut è nummorum, lapidum, statuarum inscriptionibus hominum consuetudines, facta, chronologiámque rimatur: aut inter authores arbiter honoratius sedet, opera eorum legitima à nothis spuriisque secernit, singulorum merita, puritatem, & elegantiam iudicij sui momentis examinat. Historiam in totidem partes distributam esse quis ignorat? Vel enim res ab hominibus gestas, [In historia.] vel eorum mores & instituta describit, vel locorum, vrbium & regionum situm exponit vel plantarum, gemmarum, animantium naturam exequitur, vel euenta rerum humanarum & siderum obseruationes suis annis assignat. [In Poësi.] Taceo Poesim, cuius genera quinque omnes intelligunt. Epicum, Dramaticum, Elegiacum, Lyricum, Epigrammaticum. [In Rhetoricis.] Quid Rhetorica? Num etiam pueri sciunt vim omnem oratoris quinque maximè partibus contineri?

23. Seueriores disciplinæ in quinque potissimùm genera Logicam Ethicam, Mathematicam, Physicam, Metaphysicam diuiduntur. Logica quinque voces expendit Ethicæ (cui Iurisprudentiam annecto) [Item in seuerioribus disciplinis.] virtutes quatuor, quibus si vltimum finem adiunxeris, habebis in ea quinarium dominari. Quid ipsa Iurisprudentia? Num *leges, consuetudines, Imperatorum responsa, res iudicatas, æquum bonumque considerat*: Mathematicas disciplinas in quinque partes & quasi membra vulgo partiuntur. Arithmeticam, siue communem, siue quam Algebram appellant, Geometriam, Astronomiam Musicam Perspectiuam. Arithmetica vel in quatuor operationibus, vel in speculandis numerorum naturis tota versatur. Geometria quinque quadratorum genera ἰσόπλευρον, ἑτερόμηκες, ῥόμβον, ῥομβοειδὴς, ἐπιτραπέζιον, item corpora regularia quinque, Astronomia, siderum ortus, occasus, accessus, recessus, eclipses. Musica quinque harmonias, Perspectiua lucem, vmbram, tectam radiorum proiectionem, reflexionem, refractionemque considerat. Physica quinque caussarum genera, materiam, formam, finem, efficientem, exemplar imprimis examinat Huic suppar est Medicina, cuius vis omnis bolorum vt vocant, potionumq sumptione, sanguinis emissione, fomētis & emplastrorum applicatione, sectione, cauteriis & vstione spectatur. Metaphysica quinque entia prædicata, item vniuersalia quinque diligenter [In Theologia.] expendit. Et si fas est humanis diuina coniungere, illa ipsa Theologia scientiarum Regina *scripturá, traditione, responsis Pontificum, Conciliorum decretis, Patrum authoritate* continetur.

[27]

VIII. *Eiusdem quinarij celebritas in scripturis.*

24 Fluuius irrigās Paradisum quatuor flumina producit: cum iisdem quinque Paradisi fluuiis diuina sapientia comparatur. Iacobo quinque stolæ optimæ mittuntur ab Ægypti Prorege. Tota lex quinq; Mosis voluminibus continetur. [Vide Aug. tomo 10. serm. 31. de tempore.] Dauid eligit de torrente quinq limpidissimos lapides in Goliath pugnaturus Nota sunt in Euangelio quinq talenta, quinque prudentes virgines, panes hordeacei quinque, quibus hominum quinque millia saturantur. Eundem numerum Christus ipse quinque vulneribus consectauit. [1 Corinth. c. 14. v. 19.] Paulus in Ecclesia quinque verba suo sensu loqui desiderat.

Sed quorsum ista Mi Abrame? Profecto vt intelligas non temeratium esse quòd Deus pristino Patriatchæ nomini litteram quinarij notam intexuit Cùm enim Abramum ad virtutem, & tum in diuinis tum in humanis veritatis contemplationem omnibus numeris absolutam atq; perfectam inuitaret, par omnino fuit vt ei numerum largiretur, cuius vis in rebus naturalibus, in scientiis, in scripturis supra cæteros emineret, vt vel omnino perfectus esset, vel proximè ad omnium perfectissimum accederet.

25. Ad hæc ego: multa, inquam hactenus abs te, mi Blance, in quinarij laudem congesta sunt sed ea non tam huius numeri laus est, quàm eorum quæ tum in natura, tum in scientiis, tum etiam in diuinis literis quinario continentur: Nunc autem, quoniam & ab interpellatoribus aliquando liberi sumus, & viæ temporisque plurimùm restat ipsam quinarij naturam velim paulò diligentius enuclees.

IX. *Vis Quinarij secundum se spectati.*

26. TVm ille, Est, inquit, quinarius vt Marcilius Ficinus in Timæum Platonis obseruat, perfectum denarij medium. Nam cum quinquies rite denarium diuidamus, medium est æquè distans in qualibet diuisione quinarius. Nam si 10. in 6. & 4. diuiseris, senatius vno quina-

rium superat, quaternarius vno superatur: si in 3. & 7. quinarius ternarium duobus excedit, à septenario duobus exceditur: si in 2. & 8. quinarius est, vtraq; parte à ternario distabit. Sed quoniam res hæc est potiùs oculorum quàm aurium, age sanè figuram in puluere descriptam videamus. His dictis quinque denarii partitiones radio, quem manu forte gerebat, in area delineat hoc pacto.



Et vides, inquit, quintuplicem denarii diuisionem: cuiuslibet autem diuisionis vtramque partem, si quinarii non sunt, à quinario, qui medium est, distare æqualiter. Quod et si cæteris quoque numeris quemlibet numerum parem in partes æquales secantibus commune est, (nã verbi caussâ, senarii medium est ternarius, duodenarii senarius, & senarii triplex, duodenarii sextuplex est partitio, & si singulas cuiusque diuisionis partes, eo, quo superiùs, ordine digesseris, æquale facies interuallum inter has & numerum ex æquo diuidentem) hęc tamen quinarii priuata laus est, quòd denarium perfectè partitur, qui numerorum omnium apex est & summa perfectio. Ad quem cùm numerando perueneris, redeundum est ad vnitatem: ac proinde numerus hic quandam numerorum vniuersitatem amplectitur, & quinarius in eius medio positus nescio quo pacto videtur in vniuersi meditullio constitutus, eúmque meritò Patriarcha magnus accepit iussus ad vitæ perfectionem eniti, res omnes creatas animo transcendere, & velut inter has & creatorem, id est, in rerum vniuersitatis medio positus coram Deo, vel, vt legitur apud Hebræos, ante Dei faciem ambulare.

X. *Cur nomini Abrami adiectus quinarius.*

27 QVid si dicamus accessisse nomini quinarium ad demonstrandum matrimonium, magnúmque illud sacramentum, in Christo dico & Ecclesia, aut etiam diuinæ humanæque naturæ coniunctionem, & quasi coniugium in vnitate personæ, per quem redundatura erat in omnes gentes ea benedictio, quam illi Deus multo antè promiserat? Pulchrè Plutarchus opusculo de inscriptione Delphica, cùm binarium primum parem, ternarium primum imparem esse dixisset. *Quinarius*, inquit, *ex his duobus compositus mixtúsque constatus meritò in honore est* ἅτε ὢν ἐκ πρώτων, *primus è primis constitutus*: καὶ γάμος ὠνόμασται, *& coniugium nominatur ob paris cum fœmina, imparis tum mare similitudinem.* Qua similitudine paucis ostensa subnectit: ὡς τὸν ἄρρενα τῷ πρώτῳ, καὶ θηλεῖ ὁμοιότητι τὰ πέντε γινόμενα γάμον οἱ Πυθαγόρειοι προσεῖπον. Proinde quinarium Pithagorei similitudine quadam primi maris ac fœminæ collectum matrimonium vocitarunt. Et eam ob caussam, vt idem testatur in Quæstionibus Romanis qu. 1. quinque faces, non plures non pauciores in nuptiis præferebant. *Quinarius matrimonii Hieroglyphicũ.*

28. Quid si adiectus fuit perfectionis absolutæque virtutis, ad quam vocabatur, designandæ caussa? Nam, vt ibidem notat Plutarchus. *Quinarij ea natura est, vt tam seipso congressus nihil imperfectum aut alienum procreare possit: sed definitas habet mutationes; aut enim sese aut denarium creat: id est aut aliquid suæ naturæ, aut numerum vndecúnque perfectum.* Neque solùm id præstat ἡ τοῦ πεντάδος πρὸς ἑαυτὴν σύνοδος, *quinarij ad seipsum congressio*, sed etiam quantumlibet in infinitum multiplicatus in seipsum redit à denario, & rursus à seipso regreditur in denarium, *sequitúrque sequentem*, verbi caussa. Bis quinque sunt decem, ter quinque quindecim, quater quinque viginti, quinquies quinque viginti quinque: & ita quamtumlibet multiplicando processeris. Vnde Plutarchus eodem loco. Ἔστι δὲ ἡ καὶ φύσις λέλεκται, τῶν περὶ αὐτὸν πολυπλασιασμῶν πάλιν ὡς ἑαυτὸν περαίνειν. *Quadamtenus etiam natura dicitur quod sui. mul-* *Multiplicatus aut seipsum aut denarium creat.*

tiplicatione in se redit. In quo, inquit, idem numerus imitatur, τὴν τὰ ὅλα διακοσμοῦσαν ἀρχὴν, *vim quæ temperat vniuersa.* Sed nos dicemus vt quinarius in infinitum multiplicatus, vel à denario in seipsum redit, vel à seipso in denarium, itâ qui sedulò diuinæ gratiæ cooperatur, perfectioníque diligenter incumbit, orbe quodam & bonis operibus è præueniente gratia pendentibus, nouæ gratiæ meretur augmentum, & infusione nouæ gratiæ bona facit opera, & bonis operibus nouam iterum gratiam promeretur.

Quinarius Harmonicus.

29. Iam diximus harmonias in Musica quinque numerari: inde non mediocrem huic numero commendationem Plutarchus accersit. *Harmonica*, inquit, *maximè circa concentus symphoniásque versatur. At quinque non plures esse symphonias ipsa ratio conuincit. Nonne cùm multa adeóque innumera sint vocum interualla*, τὰ μελῳδούμενα πέντε μόνα εἰσί, *quinque duntaxat melodiis inseruiunt? Diesis, inquam, semitonium, tonus, trisemitonium, ditonus?* ἄλλο δὲ οὐδὲν οὔτε μικρότερον, οὔτε μεῖζον ἐν φωνῇ χωρίον, ὀξύτητι καὶ βαρύτητι περατούμενον, μελῳδητόν ἐστιν. *Nullum aliud interuallum graui acutáne vocis inflexione definitum in cantum venit.* Cur igitur existimare non liceat additum fuisse nomini priori quinarium, quòd eo significatur perfectio concentúsque virtutum, & harmonia quædam animæ partium quæ virtutibus paratur; dum cupiditas obedit rationi, ratio diuinis nutibus obsecundat, quòd demum est perfectæ cumulatæque virtutis ad quam inuitatur Patriarcha. Certè Nicomachus apud Photium cùm pleráque superiora confirmat tum πεντάδα vocat ἀνεικίαν, *quietem à rixis*, φάος *lucem*, δικαιοσύνην, *iustitiam*, Ζανὸς πύργον, *turrim Iouis*, μέσων μέσον, *mediam mediorum*, ἀκρότητα γονίμων, *fæcundorum culmen*, aut etiam *genitalium extremitatem & præputium.* Quare facilè possunt institutæ disputationi quadrare.

Quinque vocum interualla sunt Harmonica.

XI. *De numero qui nomine Abrahām continetur.*

30. HActenus quinarii seorsum sumpti vim & naturam, quantum per ingenii tenuitatem fieri potuit, expendimus, restat vt summam ex eo, & pristini nominis numero faciamus, vel potiùs persedeamus hoc labore, & Franciscum Georgium Venetum non obscurè loquentem audiamus, tom. 1. prob. in sacram scripturam §. 30. Probl. 121. An inquit per nomen renouatum denotatur renouatus homo? Nam literæ huius nominis אברהם *Abraham* de nouo impositi tot reddunt in numero, quot reddunt literæ huius sententiæ ברא אדם *bara Adam, creauit hominem* ducenta videlicet & quadringenta octo. An deduxit nomen Abrahæ ad hunc numerum vt innueret quòd dedisset ei virtutem obseruandi ducenta quadraginta octo præcepta affirmatiua? hinc præmisit: *ambula coram me & esto perfectus*, quia videlicet dabo tibi omnimodam virtutem qua omnia præcepta seruare possis. Quæ virtus denotatur per totidem ossa quæ sunt in corpore humano, ducenta videlicet quadraginta octo.

ר	ב	א
200	2	1
	ם	ה
	40	3

248.

א	ר	ב
1	200	2
ם	ד	א
40	4	1

248.

248. Præcepta affirmatiua.

31. Quòd si fortè hæc Cabbalistarum ad calculos omnia reuocantium atque in tenebris, vt dicitur, micantium argutia minùs arridet, dicamus sanè compendiosiùs litteram ה vnam esse vtriusque diuini nominis quod magis exprimit non perfectiones & attributa diuina, sed ipsum ἄπειρον πέλαγος τῆς οὐσίας, *immensum pelagus essentiæ* diuinæ. Horum autem alterum esse יהוה nemo nescit, alterum & quidem omnium princeps, הוא *hu, is ipse*, vt paulò ante me post Capnionem & fabrum, viros sanè doctissimos, dicere meministi. Hanc igitur primariam vtriusque nominis sui litteram amicissimo Patriarchæ Deus impertiit, vt qui se mercedem magnam nimis fore promiserat, cum quodammodo faceret nominis sui participem.

Totidem ossa corporis humani.

XII. *De nomine Sarai & Sara.*

32. QVod ad Sarai & Sara nomen attinet, notat laudatus suprà Georgius detractum esse י iod, quod denarium significat, & eius loco positum esse ה notam quinarii. Quibus, inquit, innuit Deus quòd illum quinarium quem viro addiderat, à muliere abstulerit: & sicut à primo parente, aliquid acceperat, ex quo mulierem formaret, ita hîc à muliere aliquid accepit, quod viro renouato tradidit. Et hoc, vt pars animalis & fœminea diminueretur, & virilis ac spiritualis augeretur. Hæc ille. Quibus addi potest detractū esse mulieri, additum viro quinarium, vt significetur rationi superioriq; animæ parti tantum accedere, quantum ab inferiore sine cupiditate decesserit. Adde quod Deus viro nomen

nomen auxit, cuius carnem circumcisione minuebat; mulieris nomen vna literula minuit, cuius carnem in circumcisione relinquebat intactam, vt se non viri solùm, sed etiam mulieris dominum exhiberet. Quid si præcipuam quoque nominis sui literam ה ei mulieri dare voluit Deus, è qua futurum erat vt Christus nasceretur?

Ne tamen illa nimium sibi placeret, ac præ vito gloriari posset, quòd maritus vnicam duntaxat nominis illius tetragrammati literam, ipsa duas, adeóque illas ipsas, è quibus יה vnum è diuinis nominibus conflatum est, nomine suo contineret, ei literam ה ea conditione concessit, vt י amitteret.

33. Ac nisi temuram (quod artis Cabbalisticæ genus non solùm transpositionem, sed etiam permutationem inter se literarum idem sonantium continet) iam inde ab initio repudiasses, permutarem hoc loco literas vt figura diuersas ita sono penitus affines, & ס pro ש, סרה pro שרה facili mutatione rescriberem. Sic enim Saræ nomine CCCLXV. colligentur. ר, CCC. ס LX. ה

365. præcepta negatiua.

V. qui numerus non solùm vertentis anni dies, sed etiam præcepta legis, quæ vocant negatiua, complectitur. Sic enim quemadmodum nomen אברהם ducenta quadraginta octo præcepta Mosaicæ legis aientia, ita vocabulum סרה trecenta sexaginta quinque negantia siue prohibentia continebit. Sed quid ego te renidentem, & fortasse renitentem, ipsóque renutu, quæ dicuntur repudiantem video?

XIII. *Ridiculæ traditiones Hebræorum.*

34. AD hæc ego, non sanè, inquam, Blance, renutus iste ridentis est,

Multitudo præceptorum Iudæorum.

aut respuentis orationem tuam (quid enim ea mihi potest accidere iucundius?) Sed illud imprimis admiror tantam esse Iudæis præceptorum tum iubentium tum etiam verantium multitudinem, vt si ex vtrísque summam vnam effeceris, possint sexcenta tredecim facile numerari, vix vt potuerint efferre pedem, quin aliquod ex eiusmodi mandatis continuò calcarent.

Non est, inquit ille, quod rideas præceptorum legis Mosaicæ multitudinem adeo copiosam. Hæc enim, si substantiam spectes, è Mosis Pentateucho deprompta sunt. Sed risu, vel potiùs miseratione dignissimam iudicare possis superstitiosam illam Rabbinorum expositionem, ac tradi-

Traditiones Hebræorum.

tiones humanas, per quas *verè irrita fecerunt mandata Dei*, quas tum apud R. Mosen Ægyptium inuenies, tum libro singulari, qui de præceptis affirmatiuis & negatiuis Hebraicè circumfertur: quémque Paulus Riccius eleganter explanat.

35. Et verò quis non rideat, vt pauca de præceptis negatiuis, (quæ illi מצות לא תעשה *masvoth lo thaasch, præcepta non facies*: sicut affirmatiua *masvoth thaasch præcepta facies* appellant) obiter excerpam: quis, inquam, non miretur, & verò derideat illam præcepti decimi noni, quo idolum adorari prohibetur, expositionem? *Si cupiam*, ita transtulit Munsterus, *spina pedem transfieris, non incuruet se ante imaginem, vt illam extrahat, ne imaginem adorare videatur. Sic si pecunia è manibus tuis lapsa fuerit, non incuruabis te ante imaginem, vt idolum venerari videaris, sed sedebis in terra, & leuabis pecuniam.* Vides interpretem hunc vel impiè, vel imperitè imaginem cum idolo confundere.

36. Quàm lepida præcepti quadragesimi quinti explanatio! Etiamsi arbor sit plantata iuxta idolum, non est sedendum sub vmbra eius, nec transeundum sub ea, si alia patet via, sin transeundum sit, curren-

dum est. Quid? quòd secundum explica- Ridiculæ expositiones præceptorum.

tionem sexagesimi quinti, nefas sabbato super herbam ambulare, ne fortè pedibus atteratur, aut arborem sabbato conscendere, quicquámve ex ea suspendere, ne ramus distringatur. Quàm festiuum illud! *Sunt tamen qui dicunt priuatim posse lutum radi à veste*, die videlicet sabbati, *& quòd vnguibus te fricare possis, sed non in propatulo.* Quid? quòd eodem die *non venandus pulex, quando hinc inde saltat, & vno in loco non quiescit*? quòd ne finxisse videar, audi verba Rabbinorum ipsissima אסור לצוד פרעש שעוקצת מכאן לכאן ולא יושב במקום אחד *asur lasod pargosch scheokeseth mecan lacan, velo ioscheb bemakom echad*, & alia in hanc sententiam. Quàm ridiculum quod eodem die prohibitum est legere ad lucernam, nisi duo simul legant? verùm hæc pauca de multis speciminis & exempli caussa libasse suffecerit. E quibus videas hæc præcepta CCCLXV. prohibentia, quorum numerus nomine סרה continetur, multis nugis, anilibus superstitionibus, deliramentísque vetularum esse permixta.

XIV. *De significatione nominum Abram, Abraham, Sarai, Sara.*

37. SEd iam omissis literis quas initio nominum materiam & corpus vocabamus, ad ipsam significationem, id est, formam & animam vtriusque nominis aliquando veniamus. Abram est אב רם *ab ram pater excelsus.* Dictus Abraham perinde ac si dicatur אב רם המון *ab ram hamon, pater excelsus turbæ*, vel potiùs, *pater excelsi tumultus aut fremitus*, qualis solet à turbis tumultuantibus excitari. Sublatis vltimis literis per apocopen, fit אב רם הם *ab ram-ham.* Deinde ob euphoniam ם è medio exteritur, & fit אברהם *Abraham* Philo tum libro de Gigantibus, tum libro de mutatione nominum, ait Abram initio fuisse dictum, id est patrem excelsum, quia erat Astrologiæ deditus & contemplationi rerum cœlestium. Deinde vocatum fuisse Abraham, quasi אב בר המון *ab bar hamon: patrem electum vocis*, quia factus est reuera pater vocis & concentus quo Dei personamus laudes, eique dictis factisque nostris in omni vita consonamus. Non est igitur המון *hamon* ex Hebræorum eloquentissimi sapientissimique sententia conuicium, strepitus, atque inconditus clamor, qui solet à turbis tumultuantibus excitari, vt passim aiunt glossographi, sed potiùs symphonia quædam, & plurimarum vocum inter se conspirantium concentus.

Abram pater excelsus.

Abraham pater excelsus turbæ.

Pater electus vocis.

38. Et sanè si rerum potiùs quàm verborum momenta ponderamus, futurus erat Abraham pater omnium credentium, qui cùm priùs in diuersas de dijs opiniones distracti fuissent, conspiraturi erant in vnam de Christi fide ac religione sententiam. Vt interdum mihi veniat in mentem tantum non in eos stomachari, qui cùm voces hebraicas à Philone & Iosepho viderint aliter explicatas, quàm ipsi suis in glossarijs ac thesauris inuenerint, ijs vadimonium dicunt, & quasi maternæ linguæ ignaros accusare non verentur. Sed nos in viam redeamus.

39. Abraham Philoni dicitur πατὴρ ἐκλεκτὸς ἠχοῦς. *Pater electus vocis*, neque vocis cuiuslibet, sed eius quæ à Græcis ἠχὼ, à Latinis vocis imago nominatur. Nimirum diuinitus electus erat Abrahamus, vt Messias euoluta plenitudine temporum ex eius semine nasceretur, per quem in omnes gentes benedictio redundaret. Vt enim Echo nihil est aliud quàm imago siue species quædam vocis, vel potius vox ipsa primitùs emissa, quæ cùm locis concauis & confragosis excepta fuerit, & scopulis offensa, ipso repercussu duplicatur, & cùm naturâ sit eadem, tamen resultationis modo diuersa est, ita Dei filius ex Abraham suo tempore nasciturus, *vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis, candor lucis æternæ & speculum sine macula* (Sap. 7. vers. 25. 26.) *splendor gloriæ & figura substantiæ eius*, siue character subsistentiæ eius (Hebr. 1. v. 2.) ita resultans à Patre vt subsistentia personalitásque diuersa sit, eadem omnino natura siue substantia. Cur igitur verbum diuinum similitudine quadam Echo dici non possit, vt Abraham secundum carnem illius pater olim futurus electus huius vocis à Patre tanquam primaria voce resultantis & secundum hypostasim duplicatæ pater nuncupetur? Aut si mauis, Abraham electus pater credentium, & Ecclesiæ ex omnibus gentibus conuocandæ. Quid autem est aliud Ecclesia quàm Echo quædam, quæ nihil aliud loquitur, quàm quod à Deo per reuelationem acceperit!

Echo.

Echo quid?

Verbum diuinum cum Echo comparatum.

Item Ecclesia.

40. De nomine Sarai in Sara mutato Hieronymus lib. de traditionib. Hebr. *Caussa autem*, inquit, *ita nominis immutati, hæc est, quod antea dicebatur princeps mea, vnius tantùm domus materfamilias, postea verò dicitur absolutè princeps, id est*, ἄρχουσα & paucis interiectis. *Non vocabis nomen eius Sarai, id est, non dices ei; princeps mea es: omnium quippe gentium futura iam princeps est.* Addit Philo virtutem ænigmaticè significari. *Sarai* autem, id est, *virtus mea* singularis ac determinata virtus in subiecto corruptibilis est mutationíque obnoxia: virtus autem absolutè & generatim sumpta, siue idea virtutis immortalis est, & æterna, quæ nomine Sara denotatur. Sed quoniam iam ante pronuntiauimus viro superiorem, fœmina sequiorem animæ partem siue concupiscentiam adumbrari, quid prohibet eandem interpretandi viam insistere? Ratio, quamdiu terrenis & caducis inhæret, nec ad absolutam virtutum perfectionem assurgit, cupiditati voluptatique

Sarai princeps mea.

Sara princeps.

blandissimis dominis obtemperat, vt verè dicere possit inferiori animæ portioni, *Sarai, princeps mea*, cui videlicet omnibus in rebus, tanquam vile mancipium obsecundat. Cum autem cœperit ad perfectam cumulatámque virtutem eniti, &, contemptis voluptatum illecebris ambulare coram Deo, tum demum à cupiditatibus cæterarúmque perturbationum dominio liberata in veram filiorum Dei libertatem adspirat, vt iam dicere possit *non Sarai, domina mea, sed Sara, Domina*, rerum videlicet caducarum, quibus tamen illa non fruetur, sed vel ad necessitatem explendam, vel ad honestam delectationem vtetur, quantùm ipsa ratio præscripserit.

41 Atque hæc sunt, mi Leonarde, quæ à Blanco nostro nunc primùm audita nisi tu interuenisses, aduersariis consignare, & ne memoriam fugerent, litteris alligare primo quoque tempore cupiebam. Nunc, quoniam te, quod me sic interpellaueris, iam inde ab initio peccasse confessus; es hanc tibi mulctam dico, vt id quod maioris videtur esse momenti, ex quo videlicet tota pene Chronologiæ sacræ ratio dependet, edisseras, explicésque.

XV. *Quoto post diluuium anno natus fuerit Abrahamus.*

42. LEONARDVS. Mihi verò nihil potest esse iucundius, nihil antiquius, quàm vt inter nos de sacrarum litterarum studiis, non solùm frequentissimè, sed, etiam diurissimè conferamus. Rem quæris oppidò facilem si puris putis historici sacri verbis hærere statuas: si hæc verba Genes. 11. v. 12. *Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale*: item illa vers. 26. *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram*: Si inquam, hæc verba nudè capias, vt sonant, & eo sensu qui legenti primus solet occurrere. Collectis enim in vnam summam omnium annorum numeris, quibus 11. Genes. generationum ordo contexitur, inuenies anno post publicam generis humani cladem ducentesimo nonagesimo secundo genitum esse Patriarcham: Sin autem cum aliis scripturæ testimoniis conferre velis, quæstionem habes sanè difficilem, & bene multis doctorum virorum altercationibus ventilatam.

D. Geclras in ortu Abrahæ.

43. Huius autem difficultatis capita sunt duo. Alterum est quòd tum LXX. seniores 10 & 11. Geneseos, tum Lucas cap. 3. Euangelij, vers. 36. Cainanum iuniorem inter Arphaxadum, & Salæum in seriem Patriarcharum intexunt, cuius neque Hebræi neque Latini codices aut Chaldaica Paraphrasis vllam faciunt mentionem, in cuius gratiam Salianus, Torniellus, aliique viri doctissimi annos triginta suis annalibus addiderunt. Alterum difficultatis caput ex oratione Stephani. Act. 7. accersitur, aientis Abram post mortem patris in Chanaanitidem semigrasse. Quo factum est vt iidem Abrami natalem annis sexaginta differrent, eámque non anno patris septuagesimo, vt scripturæ verba præseferunt, sed centesimo trigesimo natum esse defenderent: adeóque suam à diluuio ad ortum Abrami Chronologiam annis sexaginta mactarent. Sed primùm,

XVI. *De Cainan iuniore.*

44. NON pauci respondent fidem habendam solis Græcis codicibus, quibus Lucæ Cainanum interserentis suffragatur authoritas, argumento certissimo, inquit Mariana, Hebræos codices interdum esse vitiosos. Verùm quia valdè durum est & in textu principe, & in Latina versione post Concilium Tridentinum, emendationémque Sixtinam mendum aut lacunam agnoscere, respondent alij Mosen ita reuera scripsisse, vt nunc habemus tum in Hebræo, tum in editione communi, & certo consilio Cainanum, cui cognominem alterum in priori Patriarcharum serie nominarat, omisisse, quia propter mysterium, quod ignoramus, statuerat à Noë ad Abrahamū, decem duntaxat Genealogias numerare; quemadmodum Noë decimus erat ab Adamo: vt Matthæo licuit citra dispendium euangelicæ veritatis, aliquot generationes preterire, quia quatuordecim in singulis ordinibus capita numerare decreuerat. Addunt LXX. viros peculiari sancti Spiritus afflatu, & diuina reuelatione Cainanum hunc à Mose prætermissum tum Genesi, tum libro Paralipomenon addidisse.

45. Alij Græcos codices, vt alibi, frequēter, hic quoq; putant esse mendosos librariorū vel temeritate vel incuria, & ab Hellenistis Christianis in Lucæ contextum eadem inculcatum esse licentiâ Cainanum, qua in LXX seniorum interpretationem priùs irrepserat. Ita Petauius l. 9. de Doct. tem. c. 17. Cornelius à lapide, aliique viri doctissimi.

46. Alij vt Genebrardus in Chronico, Caietanus & Iansenius in Lucā probabilissimè respondent, Lucam quidem ita scripsisse vt nunc habemus, sed cū Græcorū præcipuè

in gratiam Euangelium ſcriberet, non debuiſſe aliunde, quàm ex ipſorum libris, prout legebantur, Patriarcharum ſeriem, & ſucceſſiones accerſere. Quemadmodum Iudas Apoſtolus epiſtola Catholica v. 24. citans librum apocryphum, qui nomine Henochi circumferebatur, præſtare non debuit Henochum verè illius authorem libri fuiſſe, nihilque penitus ei ſubeſſe falſitatis: ita neque præſtare debuit Lucas Græcorum codicum veritatem. Non igitur culpandus quòd è codicibus adulteratis origines Patriarcharum exſcripſerit, ſed laudanda prudentia, quòd ſe ad eorum, quorum in gratiam ſcribebat, vſum captúmque demiſerit.

47. Quòd ſi propter Lucæ teſtimonium omnino pertendas inſerendum eſſe Patriarcharum ſtirpi Cainanum hunc iuniorem Arphaxadi filium, patrem Salæi, equidem contrà non magnopere contendam, dummodo textus Hebraici ab eodem Spiritu, quo Euangelium, dictati, Latinæque Verſionis Concilij Tridentini decreto munitæ ſarta tecta ſeruetur authoritas, & Salæus trigeſimo quinto Arphaxadi, ſeu aui, ſeu patris anno natus eſſe ſtatuatur. Et pro eo quod habent LXX. Seniores, Καὶ Ἀρφαξὰδ ἔζησεν ἑκατὸν τριάκοντα πέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνάν, καὶ ἔζησε Καϊνὰν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλαί. Et Arphaxad *vixit centum triginta quinque annis, & genuit Cainan, & vixit Cainan centum & triginta annis & genuit Sale*, ita legatur, vt anni illi ducenti ſexagintaquinque qui inter natiuitatem Arphaxad & Sale numerantur, in codicibus Græcis ad triginta quinque contrahantur, vt legitur tum in Hebraico contextu, tum in Latina verſione, itaque diſtribuantur, vt Arphaxadus, verbi cauſa, decimo ſeptimo, ætatis anno Cainanum, Cainanus octauo decimo Salæum ſuſceperit.

11. Gen. 12. 48. *Porro Arphaxad*, inquit editio communis textui principi Chaldaicæque Paraphraſi conſentiens, *vixit triginta quinque annis & genuit Sale*. Quid autem aiunt Torniellus, Salianus, Tirinus, aliique ſanè viri docti qui propter inſititium hunc, Cainam annos triginta ſuis annalibus addiderunt. *Porro vixit Arphaxad triginta quinque annis & genuit Cainam. Cainam autem triginta vixit annis, & genuit Sale.* E quibus efficitur non trigeſimo quinto, ſed ſexageſimo quinto Arphaxadi anno genitum eſſe Salæum contra verbis conceptiſſimis expreſſam ſcripturæ ſententiam.

49. Quòd autem in numerandis Arphaxadi annis à LXX. virorum calculo diſcedunt, habent nobiſcum quod ſequantur; eos ex Hebræis Chaldæis, Latinis codicibus emendant, cur autem eos etiam in computandis annis Cainani deferant, quid tandem poſſunt rationis adferre? Si Prophetæ fuerunt afflatu diuino incitati, Apoſtolis penè ſuppares, cur quoties ipſis commodum eſt, etiam hoc ipſo loco quem nobis opponunt, ab eorum authoritate diſcedunt. Si licet ab iis aliquando diſcedere, cur eorum authoritatem nobis obtendunt? An ſe in iſta numerorum emendatione vel ex aliis linguis, vel ex Euangelio Lucæ dicent adſperſos LXX. Interpretum lectioni næuos abolere? At in aliis linguis Cainani minoris nulla mentio: Huius meminit quidem Lucas, ſed quoto ætatis anno Salæum genuerit, omnino tacet.

50. Immò, inquiunt, quia LXX. Seniores cētenarium frequenter rationibus Hebraicis addiderunt, ideo meritò ſuſpicamur eundem numerum hoc etiam loco redundare, ac proinde centum annos ante genitum Salæum Cainano patri ſubducimus. Quid igitur? an propter ſuſpiciunculam leuémque coniecturam nulla veterum authoritate ſubnixam, fas erit nouas lectiones, nouos numeros, nouas ſententias cùm ſcriptura ſacra pugnantes in ſcripturam ipſam obtrudere? Quod ſi quicquam in Græcorum codicum numeris emendamus, eam certè debemus adhibere cautionem, nihil, vt de communis editionis authoritate libetur. Ea autem prorſus intercidit, ſi Arphaxado anni triginta quinque ante genitum Cainanum, Cainano ante genitum Salæum triginta tribuantur.

51. Quare ſi auderem in LXX. interpretum editionem noua lectione graſſari, ita fere reſcriberem. *Et Arphaxad vixit annis decem & octo, & genuit Cainam*, &c. *Cainam autem vixit annis ſeptemdecim & genuit Sale*. Sic enim ſeruatur tum textus primarij, tum Chaldææ Paraphraſis, tum, quod caput eſt, communis Latinæ Verſionis authoritas, & Euangelicæ conſulitur veritati, cùm inter Arphaxadum & Salæum Cainanus huius pater, illius filius inſeritur, vt inſerunt Lucas & LXX. ſeniores, & verum eſt quod in Hebræis, Chaldæis, Latinis dicitur, *Arphaxad triginta quinque annis, & genuit Sale*. Hunc enim genuit non immediatè, vt loquuntur, ſed mediatè, interueniēte Cainano, ſicut Matthæi primo tribus generationibus è medio ſublatis dicitur Ioramus Oſiam abnepotem ſuum genuiſſe. Ni-

hil igitur caussæ est cur in gratiam Caïnani minoris, siue is verus & germanus Patriarcha fuerit, siue aliunde in Patriarcharũ censum irrepserit, annis triginta, Chronologorum rationes augeantur. Restat celebris illa quæstio quam Hieronymus in quæstionibus Hebraicis & Augustinus lib. 16 de ciuitate Dei cap. 16. insolubilem appellant.

XVII. *Quoto Tharæi patris anno, natus fuerit Abram Patriarcha.*

Antilogia apparens in scriptura.

52. QVamuis enim expressa videtur scripturæ sententia, Genes. 11. v. 26. *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aram*; Nihilo tamen seciùs superest illa famosissima quæstio, vt Hieronymi verbis vtar, & in omnibus ecclesiis ventilata. Nam infrà versu 31. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran*, & cap. sequenti v. 4. *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egressus est de Haran.* E quibus locis efficitur Abram centesimo quadragesimo quinto Tharæi patris anno de Haran exiisse: si
70. enim annos septuaginta, quos ante ortum
75. Abrami Tharæus pater exegerat, illis septuaginta quinque annis adieceris, efficies
145. centũ quadraginta quinque. Quos CXLV.
205. si à summa totiùs vitæ Tharæi. i. à ducen-
145. tis quinque subduxeris, inuenies, Abra-
60. mum sexagesimo ante mortem patris anno
de Haran egressum. At ex Actis Apostolorum cap. 7. v 4. constat Abramum ex Charan siue Haran, postquàm mortuus est pater eius, in Chananitidem se trãstulisse. Ergo scripturæ inter se comparatæ manifestam contradictionem inuoluunt.

XVIII. *Prima difficultatis solutio.*

53. HVius nodi sanè difficilis quintuplex adfertur solutio. Prima est Melchioris Cani lib. 2. de locis Theologicis c. 18. exeunte, quam ille Bedæ & Rabani authoritate confirmat. Ait itaque Stephano id, quod vulgo solet, accidisse, vt in longa videlicet narratione, eademque subita confuderit nonnulla & miscuerit, in quibusdam etiam memoria lapsus fuerit, in his duntaxat, quæ ad rẽm parum, aut nihil omnino attinerent. Nam caussæ, quæ potissimùm agebatur, erat intentus, Lucas verò historiæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutauit, sed rem vt à Stephano narrata fuerat, exposuit. Nos autem, inquit, non Stephanum ab omni lapsu, sed Euangelistam vindicare debemus. Hæc ille.

54. Verùm quia Stephanus, vt ibidem subditur v. 55. plenus erat spiritu sancto, durum est in eo vel tenuem memoriæ lapsum agnoscere. Et quia superiori capite, proximè antequam eius oratio referatur, non solùm testatur Lucas v. 5. Stephanum fuisse *virum plenum fide & spiritu sancto*, sed etiam versu 10. subnectit Iudæos non potuisse *resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur* in Stephano. Ego certè impietatis alligare me putarem, si vel modicum eius narrationi dicerem falsitatis subesse, & non tam Stephanum, quàm ipsum spiritum veritatis in eo loquentem viderer arguere mendacij.

XIX. *Secunda difficultatis solutio.*

55. ALtera igitur expositio est Hieronymi in quæstionibus Hebraicis, quam Augustinus obiter quidem attingit, sed tamen approbat lib. 16 de ciuit. Dei cap. 16. *Vera est igitur*, inquit Hieronymus, *illa Hebræorum traditio, quòd egressus sit Thare cum filijs suis de igne Chaldæorum, & quòd Abram Babylonico vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis, ex quo confessus est dominum, spernens idola Chaldæorum.* Sic igitur hi Doctores Lucam Mosi conciliare se putant, si dicant Abramum de Haran exiisse post mortem quidem patris, vt Lucas, aut saltem Stephanus apud Lucam testatur, & annorum non quidem vitæ, sed cõfessionis & liberationis ab igne fuisse septuaginta quinque, cùm ex Haran egressus est, mortuo iam patre, ipse agens ætatis annum centesimum quadragesimum quintum.

56. Sed tantorum Patrum authoritati ipsa scripturæ sacræ refragari videtur authoritas. Esto enim, quod facilè non concessero, sed esto tamen: potuerit ipse Moses annos Abrami nõ ab initio vitæ, sed à professione fidei numerare, quo tempore ille perfectè Deo viuere incœpit. Certè c. 17. v. 17. cùm multis pòst annis *cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo dicens: Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* non de annis exitus è Chaldæa, sed de annis ætatis cogita-

bat, hoc enim ad rem maximè pertinebat, longeque efficacior fuisset eius oratio si verè dicere potuisset. Putasne, seni annorum centum & sexaginta nascetur filius?

XX. *Tertia solutio.*

47. TErtia solutio est Abram natum esse Tharæi patris anno trigesimo suprà centesimum Sic enim fiet vt sub eius obitum, ad annũ septuagesimũ quintum peruenerit, Nam si ex annis *130.* & *75.* summam feceris, *205.* quos Tharæus vixerat, priusquam filius ex Haran discederet, colligentur. Ac proinde his verbis *Vixitque Thare septuaginta annis & genuit Abram & Nachor & Aram.* Abram primo loco commemoratum putant, non quòd ætate anteiret cæteros, sed quòd dignitate præstaret Ita Lyranus, Torniellus, Salianus, aliique complures. Itaque scripturam sic interpretantur, vt Tharæus vixisse dicatur annis septuaginta, & genuisse Abram, Nachor & Aran, non quòd Abramum anno circiter septuagesimo genuerit, sed quod neminem ex his tribus fratribus antè genuerit, quàm annum vitæ septuagesimum attigisset.

48. Quemadmodum inquiunt Genes. 5. v. vltimo, cùm dicitur *Noe verò cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet*, sensus non est eos quingentesimo Noemi patris anno genitos fuisse, sed non priùs fuisse genitos quàm pater ad quingentesimum annum peruenerat. Cõstat enim Semum biennio seriùs vitam inisse, siue fuerit natu maximus, vt nostra versio commodè ad mentem Mosis interpretatur Genes. 10. v. 21. siue Iapheto minor, vt LXX. transferre maluerunt. Nam vt dicitur cap. 7. v. 7. *Erat Noë sexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt super terram*, & rursum cap. 11. v. 10. *Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluuium.* E quibus efficitur annum Semi centesimum cum patris sexcentesimo secundo concurrere, ac proinde eum genitum fuisse non cùm Noe quingentorum esset annorum, vt verba scripturæ præse ferunt, sed Mosen illud duntaxat indicare, Noe quingentorum fuisse annorum, priusquam Sem ex eo nasceretur.

49. Vnde planè persuasum habere se dicit vir eruditus, si Hieronymo & Augustino venisset in mentẽ scripturam non cogere, nos ortum Abrahę anno Tharæi septuagesimo consignare, dicturos vtique eum natum anno patris centesimo tricesimo, septuaginta quinque duntaxat annis priusquàm pater è vita discederet Verùm vt transispet huius sententiæ plenior confutatio proferatur, hæc difficultatis expediendæ ratio cùm sacræ Chronologiæ rationes conturbet, cùm non verba nudè ac simpliciter accipiat. scripturamque nonnihil à genuino sensu qui primus obuius esse solet, in historia sacra detorquear, recipienda non videtur, quamdiu seruata verborum proprietate, vel minimum probabilitatis affulsent.

XXI. *Quarta solutio.*

50. QVarta solutio est Augustini tum 25. quæst. in Genesim, tum loco proximè laudato, ea quæ Gen. 12. narrantur ante patris obitum contigisse. Itaque conciliat Stephanum Mosi. *Non ait Stephanus*, inquit, *postquàm mortuus est pater eius, exiit de Charra, sed inde postquam mortuus est pater eius, hîc eum collocauit.* Habet editio communis. *transtulit illum in terram istam in qua nunc vos habitatis.* Eadem planè sententiã; sed pergit Augustinus. *Intelligendum est igitur locutum Deum fuisse cum Abraham, cùm esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra, sed eum in Charran peruenisse cũ parte retento apud se præcepto Dei, & inde exisse septuagesimo & quinto suo, patris autem sui centesimo quadragesimo quinto anno. Collocationem vero eius in terra Chanaan, non profectionem, de Charra post mortem patris eius factam esse dixit, quia iam mortuus erat pater eius, quando emit terram cuius ibi iam suæ rei cœpit esse possessor.* Hæc ille & alia plura in hanc sententiam. E quibus, paucis admodum mutatis, totam rei gestę historiam partim à Mose, partim à Stephano petitam ita non incommode digeremus.

51. Deus gloriæ apparuit Abrahæ cùm esset in Chaldæa, quam Mesopotamiæ nomine significatam credunt interpretes Act. 7. v. 2. & fuisse quondam Mesopotamiæ attributam è Plinio noster Petauius annotauit Deus igitur apparuit Abrahæ, cùm esset in Chaldæa, priusquam moraretur in Charan (quam Latinus interpres in veteri testamento Haran appellat, authores ptophani Charras dixerunt, vrbem M. Crassi clade memorabilem) *& dixit ad illum, Exi de terra tua*, videlicet Chaldæa, *& de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi, Tunc exiuit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charran*, non tan-

quam ſtabilem in ea ſedem fixurus, ſed præſtolaturus ibi alteram reuelationem diuinam, qua Deus illi terram poſſidendam monſtraret, vti ſe monſtraturum eſſe promiſerat. Et, vt dicitur ad Hebræos 11. v. 8. *Fide, qui vocatur, Abraham obediuit in locum exire quem accepturus erat, in hereditatem, neſciens quò iret.*

52. Ei ſe Tharæus pater, & Lotus fratris iam demortui filius comites addiderunt, & cum eo aliquantiſper in Haran habitarunt (Auguſtinus videtur moram paucis menſibus circumſcribere, Hebræi quinquennio definiunt) ibi Abram, qui iam antè quamuis neſciens quò iret, ſed Deo ſimpliciter obtemperans à Chaldæa diſceſſerat, iterato diuinæ vocis oraculo, monſtratáque ſibi terra Chanaan, in eam profectus eſt diuinis ſibi promiſſionibus deſtinatam. Ibique manſit non tanquam μέτοικος & inquilinus, quaſi rerum ſuarum domicilium eò tranſtuliſſet, ſed potiùs tanquam hoſpes & peregrinus, &, vt dicitur ad Hebræos 11. v. 9. *Fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis,* vel vt in Græco habetur ἐν σκηναῖς *in tabernaculis habitando*, vnde patrem grandæuum identidem officij cauſſa reuiſebat, donec tandem, poſtquam mortuus eſt pater eius, ſexageſimo poſt primam à patre profectionem anno, Deus illum μετῴκισεν, vt ait Stephanus in Actis, id eſt eum tranſtulit, ibique collocauit, &, ſi verbum hoc nouare liceat, *tranſdomauit*. Duobus enim annis, poſt mortem Thare, Sara quoque filia communi naturæ neceſſitati conceſſit; & Abraham agrum quadringentis ſiclis argenti ab Ephron Hethæo ſibi comparauit in quo mortuum ſepeliret, vt legitur Geneſ. 23. & ita dici potuit tum primum in Chanaanitide fortunarum ſuarum domicilium collocaſſe. Hæc paucis mutatis ex Auguſtini ſententia.

53. Abramvs, At at, mi Leonarde, tibi videlicet id faciendum, quod Haterio ſuo dicebat Auguſtus. Leon. Quid illud autem. Ab. Sufflaminandus mihi videris. Leon. Quamobrem? Ab. Ne progrediaris vlteriùs, & dubia pro cōceſſis aſſumens ipſo diſputationis impetu rapiatur oratio tua. Leon. Quo tandem pacto? Ab. Aiebas Abraham e Chaldæa neſcientem quò iret in Meſopotamiam ſemigraſſe: idque Pauli teſtimonio confirmabas. Sed hoc Apoſtoli pronuntiatum videtur Moſis ipſius authoritate conuelli. Leon. Ain'tu? Ab. Aio verò. Vndecimo Geneſis, commate 31. *Tulit itaque*, inquit, *Thare Abram filium ſuum, & Lot filium Aran, filium filij ſui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntque vſque Haran, & habitauerunt ibi.* vbi verba, *vt irent in terram Chanaan*, planè ſignificant iis animo deſtinatum fuiſſe petere Chanaanitidem regionem. Leon Huius obiectionis, Abrame, facilis eſt explicatus, ſi aduerteris particulam *vt* non cauſſam, & intentionem hoc loco, ſed duntaxat euentum rei, vt alibi frequenter, denotare. Verbi cauſſa, *malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Perinde atque ſi diceret, eduxit eos de Vr Chaldæorum, quo factum eſt vt in terram Chanaan peruenirent. Quapropter niſi tibi ſecus videtur, cauſſæ nihil eſt cur diutiùs mea ſufflaminetur oratio. Ab. Mihi verò non videtur, quare perge porro.

Dictio *vt* non ſemper cauſſalis.

XXII. *Quinta difficultatis ſolutio.*

54 Leon. Quinta difficultatis enodandæ ratio eſt eorū qui Stephani verba, *poſtquam mortuus eſt pater eius*, μεταφορικῶς interpretantur, poſtquam pater eius in idololatriam prolapſus eſt. Etſi enim, vt ait Achior Ammonites, Iudith 5. v. 7. & 8. *Hic primùm in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deſerentes itaque cerimonias patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cæli coluerunt.* Et veroſimilis eſt Hebræorum illa traditio quam Hieronymus vt veram agnoſcit in quæſtionibus Hebraicis, & Auguſtinus non contemnendam eſſe confitetur quæſt. 25. in Geneſ. *Quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignē adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugerit, &c. & quod Aran ignem nolens adorare, igne conſumptus ſit.* Nemini tamen dubium eſſe poteſt quin Tharæus in Meſopotamia vel nouæ vexationis metu, vel Nachoris hortatu, vel ſua ſponte animíque inductione ad idola deſciuerit. Ioſuæ 24. v. 2. *Hæc dicit Dominus: trans fluuium habitauerunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor. Seruierúntque dijs alienis.*

Nachor & Thare idola coluerunt.

55. Cedo, quid poſtea? *Tuli ergo*, inquit, *patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan.* trans fluuium, inquit, בעבר הנהר in tranſitu fluminis, quibus verbis non ipſam Chaldæam, ſed Haran, ſiue Charras Meſopotamiæ ciuitatem in Eufratis tranſitu poſitam intelligit. Siquidem ſtatim hæc verba מעבר הנהר è tranſitu fluminis, *de Meſopota-*

miæ finibus exponit Latinus interpres, neque temerarium est, quòd *ergo* particulam caussalem adiecit. Significat enim Abraham ideo non solùm de terra sua, sed etiam de domo patris exiisse, séque Dei iussu in Chanaanin dem transtulisse, quia pater Tharæus mortuus erat spiritu, Deum veram animæ vitam abiecerat, séque penitus alienorum Deorum cultui mancipatat. Iussus est itaque à patre discedere, sineréque vt Nachor Deo mortuus patrem mortuum sepeliret.

56. Quòd si semel Stephanum μεταφορικῶς locutum fuisse admittimus, de quo paulo pòst videbitur, omnis videtur exhausta difficultas. Dicemus enim Tharæum anno ætatis centesimo quadragesimo quinto, annis ipsis sexaginta, priusquam è naturali vita discederet, Deum vitam animæ perdidisse, quo tempore Abraham annum agens quintum & septuagesimum, iussus est à patre secundum spiritum mortuo semigrare. Sed plura non addo, ne tibi videar in vllam partem præscribere: tuum est eligere quam præ cæteris amplectendam putas.

XXIII. *Probatur Abraham natum anno patris trigesimo supra centesimum.*

57. ABRAMVS. Videò, Leonarde, has quinq; conciliandæ Scripturæ rationes in genera duo esse distributas. Harum vna verbis Stephani mordicùs inhæret. vnam magni Patriarchæ profectionem agnoscit, eámque anno ætatis septuagesimo quinto post Tharæi patris obitum contigisse non dubitat, eumque proinde anno patris centesimo trigesimo natum esse defendit: Cæteræ quatuor eò confluunt, vt Abramum anno patris septuagesimo, vel proximè sequenti natum esse confirment, sed in aliquot explicationum diuortia distrahuntur. Vna Stephanum arguit falsitatis: altera receptum habet ad fabulas Hebræorum; tertia duplicem Abrahæ profectionem obtrudit: Postrema denique Stephanum non propriè, sed figuratè locutum esse coniectat.

58. Quæris ex me quam harum opinionum cæteris omnibus anteponam? Quasi verò cuiquam dubium esse possit, aut ego vel in Stephano memoriæ lapsum agnoscere, vel ad Iudæorum commenta confugere, vel sine vlla scripturarum auctoritate geminam à patre secessionem fabricari, vel denique Stephani concionem nouo translationis nuper excogitatæ fuco debeam colorare. Nos vnam eum Mose profectionem, eámque cum Stephano, postquam mortuus est Tharæus Abrahami pater, susceptam agnoscimus, cum Abraham annum ætatis quintum & septuagesimum, vt auctor est Moses, attigisset: quos annos Abrahami, si è summa totius vitæ Tharæi, quæ fuit annorum ducentorum & quinque, deduxeris, inuenies eum anno patris tricesimo supra centesimum vitam iniisse.

59. Quid enim nobis adferunt ij qui alias explicandæ conciliandæque scripturæ rationes nobis obtrudunt? quod scripturæ testimonium, quam probabilem coniecturã proferunt? Mosis videlicet authoritate labantem & multis in partibus vitium facientem opinionem suam, quasi subiecto tibicine vel columna suffulciunt. Gen. 11. comm. 28 *Vixitq; Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor & Aran.* Quid tum? hinc, inquiunt, liquet Abraham anno patris septuagesimo, vel saltem proximè sequenti, lucem iniisse.

60. Sed Augustinus quæst 29. in Genesim præclarè Mosem explanat: *Non vtique*, inquit, *hoc intelligi voluit, quia hoc eodem anno septuagesimo ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum commemorauit scriptura. Fieri autem potuit vt posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ qua in scripturis valdè commẽdatur, prior fuerit nominatus.* Quam magni Augustini sententiam secuti doctissimi diligentissimique scriptores annalium annos filiorum ortu patris ita consignant, vt Saliano Aranus primogenitus anno Tharæi primo & septuagesimo, Nachor primo & nonagesimo, Abram trigesimo primo supra centesimum nati fuisse videantur: Torniellus Nachorem anno Tharæi septuagesimo natum putet, de Aran habere se dicat incompertum, natalem Abrami referat ad annum centesimum ac tricesimum.

61. Simile quid habetur in calce capitis 5. Geneseos, *Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet.* de quo plura dicerem, nisi tu iam locum occupasses. Sed nimirum aduersarij ea se deiectos arce dissimulant, quare rationes quærendæ sunt. quibus sanctum Patriarcham, quamuis honoris caussa, priore loco nominetur, tamen Arano fratre minorem natu fuisse constet.

Et sanè si Abrahamo iunior fuisset Aranus, anno vitæ circiter octauo liberos sustulisset. Cùm enim Sara cognomento Iescha Arani filia, vt communis est sanctorum

Patrum opinio, decem duntaxat annis minor fuerit Abrahamo, vt è cap. 17. Genes. vers. 17. liquet, si Aran pater Ieschæ iunior fuit, necesse est filiam anno vitæ suæ præter propter octauo susceperit: quod quamuis Hebræi, & ex iis Genebrardus vltrò concedunt, tamen sic abhorret ab ipsa natura, vt vbi primùm φύγω ἔρχ☉ ὀδόντων, statim auribus respuatur.

62. Quid? quòd si natus est Abram anno patris septuagesimo, cùm pater expletis quinque supra ducentos annis diem obiit extremum, iam filius, vt dictum est, ad annum vitæ centesimum tricesimum quintum peruenerat. Iam igitur genuerat Ismaelem, genuerat Isaacum. At D. Stephanus ait ipsum in terram Chanaan esse translatum, eique promissionem diuinitus esse factam de ea possidenda, *cùm nondum haberet filium.*

Quid? quòd si duplicem illam profectionem difficultatis expediendæ causâ confingimus, multa sunt quæ facilè non possint explicari. Quæro enim de priore illa profectione, quæ inuitis & tantum non reclamantibus scripturis obtruditur, solúsne è Mesopotamia profectus fuerit Abraham, an cum vxore, Loto, familia? Si solus, quo tandem modo filium ex Sara in Chananitide procrearit? Si cum omnibus suis à patre secessit, cùm patrem identidem reuisebat, vbi familiã deserebat? apud quem? quid illi interea agitabant? profectò fingenda sunt omnia. Debuit igitur circumducere totam familiam, vt Nomades Hamaxobii, ne Chananæis male crederet vxorem, Lotum, famulos, ancillas, greges, supellectilem? Quòd si tot Patriarchæ profectiones. si tot itus & reditus annis sexaginta contigerunt, nónne prodigii instar est de iis Mosen, qui omnia vestigia eius assectatus est in historia sua, & omnia pene loca notauit in quibus castra metabatur, penitus silere?

63. Quid? quòd quinquagesimo post discessum ex Haran anno de natis Nachori fratri suo liberis duodecim nuntium accepit? Genesis 22. v. 20. Si frequenter, vt volunt aduersarii, patrem inuisebat, quid ei necesse fuit per nuntium non vnius, sed duodecim liberorum sobolem simul nuntiare? Denique si attentè legimus Apostolum, docet ille Hebræos Abrahamum cum suis in terra Chanaan habitasse, vt peregrinum, & cùm haberet tempus reuertendi ad suos, nunquam reuersum esse, imò ne de patria quidem, ex qua semel exierat, cogitasse, aut eius memorem fuisse. Quis possit hic sine peruicacia repugnare? aut quis pati possit sacram chronologiam ipsis sexaginta annis hoc loco miserè iniustéque mutilari?

XXIV. *Constitutio quæstionis.*

64 LEONARD. Animaduerti, Abrame, te in exponenda sentẽtia tam pressè virorum eruditorum vestigiis institisse, vt non solùm eorum sensum, sed etiam verba frequenter expresseris. Et mihi quidem hæc explicandæ scripturæ facilitas iampridem satis non faciebat, sed ea quæ dicebantur à viris doctissimis refellere cupientem pudor, vel potiùs reuerentia quædam ab instituto reuocabat. Nunc, quoniam tecum mihi res est, non solùm amicè, sed etiam familiariter agam, & dicam sine cunctatione quod sentio. Quæritur inter nos quoto Tharæi patris anno natus fuerit Abrahamus, tu trigesimo supra centesimum, ego septuagesimo natum existimo. tu Stephani, ego Mosis ipsius authoritatem obtendo.

65. Non quæritur vtri potiùs adhibenda fides: ambo enim maluimus nostram inscitiam confiteri, quàm vel in Mose mendacium cum Manichæis, vel in Stephani concione cum Melchiore memoriæ lapsum agnoscere. Hoc igitur in quæstione positum est vtrum Mosi Stephanum, an Stephano Mosem accommodare debeamus, & cùm, si verba Mosis eo sensu qui primus obuius est, capiantur, natalis Abrahami dies septuagesimo patris anno consignetur, verùm propter authoritatem Stephani, necesse sit eum diem ad patris annũ centesimum ac trigesimum submouere. Tu submouendum putas: ego contrà suo loco retinendum esse defendo, atque adeo annis ipsis septuaginta discrepant vtriusque chronologiæ rationes. Duplicem insistis probationis viam: alteram ex interpretatione verborum Mosis, è quibus negas colligi posse septuagesimo patris anno natum fuisse Patriarcham: alteram ex absurdis quæ nostram sententiam consequuntur. De quibus singulis pauca dicenda sunt.

XXV. *Expenduntur verba Scripturæ de ortu Abrahami.*

66 AD verba Mosis quòd attinet, fieri potuisse dicis *vt posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ qua in scripturis valdè commendatur, prior fuerit nominatus.* Et ego tibi planè assentior.

concedóque fieri potuisse vt posterior fuerit generatus: vt autem anno patris septuagesimo generatus non fuerit, salua scripturæ maiestate nego fieri potuisse. Nam si quis verbi caussa faciat anno Tharæi septuagesimo ineunte gemellos Aranum & Nachorem eodem partu fuisse susceptos, & eodem ipso anno sed iam exeunte natum Patriarcham, diuinabit ille quidem, vt annalium scriptores sæpe diuinant, nihil tamen scripturæ dicet contrarium. Vt autem his verbis: *Vixitque Thare septuaginta annos, & genuit Abram*, eum centesimo & trigesimo patris anno natum interpretetere, quis tibi nisi præiudicatis opinionibus occupatus facilè concesserit?

67. Quid si dicamus hanc fuisse Mosis mentem, vt vnius Abrahæ diem natalem anno certo notaret, de cæteris, quorum ortus ad stabiliendam Patriarchatum, totiusque gentis Israeliticæ Chronologiam non pertinebat, nihil omnino definiret; quasi diceret, vixit Tharæus annos septuaginta, & septuagesimo ætatis anno genuit Abramum, idem etiam genuit Nachorem & Aranum, sed quoto ætatis anno eos genuerit, nihil definio, quia eorum ortus nihil iuuat Israeliticæ Chronologiæ rationes. Atque ita fieri voluit, vt aliquid exempli caussa dicamus, vt Tharæus Aranum anno vitæ quinquagesimo, Nachorem sexagesimo, Abramum septuagesimo procrearit.

XVI. *Respondetur authoritati Augustini, & scripturæ.*

68. ATenim ex quo generare cœpit, eum annum in scriptura commemorari scribit eminentissimus Theologorũ August. Nihil est caussæ, mihi crede, cur de tanti Doctoris authoritate tibi magnopere blandiaris? tum quod hæc authoritas, quam nobis obtendis, ex iis libris deprompta est, de quibus ita loquitur libro 2. Retractat. cap. 55. *Ea quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quàm quæsita dissolui*: tum maximè quòd eo ipso loco hanc quidem expositionem proponit, & non contemnendam esse testatur, aliam tamen sequitur & eleganter explanat de recapitulatione & duplici ex Haran profectione sententiam: & in hæc verba concludit: *Soluta quæstio est secundum recapitulationem, quamuis & aliæ solutiones non sint contemnendæ.* Non contemnantur sanè, dum tamen ista tua quæstionis extricandæ ratio eodem apud Augustinum numero quo traditio Iudæorum habeatur. Quamuis in opere magis absoluto lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 15. eandem quæstionem tractans duplicem illam magni Patriarchæ profectionem amplectitur, traditionem Hebraicam vt probabilem obiter attingit, tuam istam solutionem omittit, vt eam si non contempsisse, saltem neglexisse videatur.

69. Sed video quid te in fraudem induxerit: non ipsum Augustinum adietas, opinor, Abrame: Torniellum legeras ita scribentem: *Quare præferamus Pererio, si placet expositionem beati Augustini, & cum ipso dicamus*, & alia eiusmodi, quibus sanè confideret tanti doctoris authoritate suam videtur probare velle sententiam. Sed si me audies, ipsos in posterum Patres adibis: nec alienis oculis nimiùm confides. Mihi crede, purior & limpidior latex è fonte, quàm è riuulis haurietur.

70. At enim Noë legitur cùm quingentorum esset annorum, Sem, Cham, & Iaphet genuisse, cùm nihilo seciùs Semum natu maximum anno post quingentesimum secundo susceperit: eodem pacto dicetur Thareus annos vixisse septuaginta, & Abram, Nachor, & Aram genuisse, quamuis eos non eodem anno, sed postea procrearit. Enimuerò, vt prudenter monet Petauius libro 9. de doctrina temporum cap. 17. nimis interdum anxia est Chronologorum industria, & in aridis istis atque exilibus quæstionum tricis morosè confligtari solet, ac verborum omnium, imò & literarum captare minutias, in re præsertim nihil admodum profutura. Quid enim si vt de Abramo diximus, ita de Semo dicamus, eum natum esse anno patris quingentesimo vertente, vt primus eius annus cum quingentesimo primo Noëmi concurrerit? Iam faciamus inceptum esse diluuium anno Noëmi sexcentesimo non impleto, sed duntaxat ineunte: is erit Semi nonus & nonagesimus inchoatus, & Semus ex arca dicetur egressus anno vitæ 100. itidem ineunte, quo euoluto Arphaxadum susceperit, ipse centesimum ætatis annum agens, biennio post diluuium, vtique inchoatum. Quid si dicamus huius vnius natalem suo tempore notari, cæterorum fratrum tempus in medio relinqui?

71. Quanquam quid opus est hoc loco tricari diutius, cùm impunè possimus vnum vel alterum annum vel detrahere, vel admetiri, & scriptura soleat istas numerorum qui vel desunt, vel supersunt, minutias præterire. Quænam autem ista consecutio vel similitudinis ratio? scriptura dicit. *Noe cum esset quingentorum annorũ, genuit Sem, Cham & Iaphet*, tamen diem Semi natalem bien-

Scriptura sæpe negligit minutias numerorum.

nio ſummouemus : ergo quamuis eadem ſcriptura dicat : *Vixit Thare ſeptuaginta annos, & genuit Abram, Nachor, & Aram,* poterimus nihilo ſeciùs Abrami natalem ipſis ſexaginta annis ad annum patris centeſimum & trigeſimum ſubmouere ? eadémne ratio duorum ad quingentos quæ ſexaginta ad ſeptuaginta ? An ſi Moſes quingentos pro quingentis duobus vſurpat, vſurpabit etiam ſeptuaginta pro centum & triginta ? Quare nihil eſt, mihi crede, cur nos hoc argumento ex arce ſcripturæ deiectos magnopere glorieris.

XXVII. *Incommoda quæ ex aduerſariorum interpretatione ſequerentur.*

72 QVòd ſi ſcripturam ſic interpretari licet, omnis Chronologiæ non profana ſolùm, quod fortaſſe cuipiam tolerabile videri poſſet, ſed etiam, quo nihil minùs eſt ferendum, ſacræ vacillabit authoritas. *Vixitque Seth centum quinque annis & genuit Enos.* Gen. 5 v 6. Senſus non eſt Enoſum anno Sethi quinto & centeſimo genitũ fuiſſe, ſed priùs genitum non fuiſſe, quàm pater hunc annum ætatis attigiſſet. *Vixit verò Enos nonaginta annis & genuit Cainan.* Poſſumus & centum annos admetiri, itaque, ſi placet, centum annorum fiat acceſſio, & ne diutius morer, anni totidem ante ſingulas generationes addantur, quia cùm Moſes ait quempiam tot vel tot annis vixiſſe, & filios genuiſſe, ſenſus non eſt filium eo definitè patris anno genitum fuiſſe, ſed genitum non fuiſſe priùs, quàm pater ad id ætatis peruenerat.

73. Cauſſam, inquies, habemus ſubmouendi natalem Abrahami diem, verba videlicet Stephani, quæ à nobis extorquent, vt eum anno patris centeſimo trigeſimo natum eſſe fateamur : cur autem cæteris generationibus, quarum ſeries Geneſis 5. & 11. bene longa contexitur, anni aliquot ingerantur, cauſſam non habemus. Imò verò Stephanus, ſaluâ ſcripturæ veneratiâ, poteſt aliter explicari : ad illud autem vrget & impellit interpretatio LXX. ſeniorum, qui quoties cum textu primario & editione vulgata conciliari poſſunt, non ſunt vllo modo deſerendi. Conciliantur autem facilè, ſi cùm dicitur quiſpiam tot annis vixiſſe & genuiſſe filium, poſſumus multis annis natalem eiuſdem filij diem ſubmouere. Quod ſi admittimus, quis non videt hoc pacto planè conturbari ſacræ Chronologiæ rationes.

74. Video quid ſis dicturus : cæterorum ortus diligenter expreſſit, & ad Chronologiæ calculos exegit : ideo nefas quicquam ad eorum annos adiungere : tempus natalis Abrami minus expreſſit, ſed quod in Moſe deſideratur, facilè poteſt ex Stephani concione ſuppleri. Quid eſt, quod vulgo dicitur, in portu naufragium, ſi hoc non eſt ? Quis enim non intelligit Moſem duplicem illam Patriarcharum ſeriem, notatis diligenter, quibus ſinguli nati ſunt, tēporibus eo conſilio texuiſſe vt ab Adamo ad diluuium ; à diluuio ad ortum Abrahæ deueniret ? Si de ſtabilienda Chronologia non cogitabat quorſum ad nauſeam vicies tempus quo ſinguli filios genuerunt, inculcat ? Quid enim exempli cauſſa, notatu dignum, quòd vel Sale liberos triceſimo, vel Heber triceſimo quarto ætatis anno ſuſceperit ? Si Chronologia Moſaica.
de Chronologia cogitabat, quid illo fuit infantius, qui cùm in cæteris tempora diligenter enucleaſſet, & quidem niſi ſpes aliqua ſubeſſet inueniendæ Chronologicæ veritatis, non ſine lectoris faſtidio, repente cùm ad eum ventum eſt propter quem cætera moliebatur, ita confudit Chronologiæ rationes, vt ex eius verbis, niſi è Stephani concione habita poſt annorum millia duo, lucem acceperint, diuinare non poſſis quo tempore natus fuerit Abrahamus cùm nihilominus ab ea temporum epocha, omnis ſequentis Chronologiæ ratio dependeat.

75. Sed diſputationis cauſſâ faciamus (liberæ ſunt enim cogitationes hominum) faciamus, inquam, concionem hanc vel habitam à Stephano, vel à Luca litteris mandatam non fuiſſe, quorum quiſq; Moſem aliter interpretatus eſſet, quàm vt Abramũ illo qui notatur, ſeptuageſimo patris anno, natum eſſe defenderet ? an omnes in temporum inſcitia iacuiſſent ? an omnis retrò antiquitas ante Stephanum certi nihil habuit quo ſacram poſſet Iſraelitici populi Chronologiam ſtabilire ? Id autem quomodo reſciuit Stephanus ? reuelatione diuina, an traditione maiorum ? Noua reuelatione quid opus fuit, qua Spiritus ſanctus illuſtraret Chronographiam omnibus antè ſeculis obſcuram illius populi quem recens in perpetuum abiecerat ? Si traditione maiorum, vnde illam Hebræi neſcierunt, & cùm horum occaſione verborum Geneſ. 15. verſ. 7. *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum,* multa confinxerint, nemo tamen vnus repertus eſt qui Abramum anno patris centeſimo triceſimo natum eſſe ſomniaret ?

76. Quid ſi ne ex verbis quidem Stephani, eo ſenſu, qui tibi maximè placet, acceperis quicquam ad illuſtrandam Chronologiam lucis affulget etiamne ad Stephani calculos Moſis ſupputationem exigendã putabis ?

Septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Haran, Genes.12. v.4. verissimè dictum est. *Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit eum Deus.* Actor.7.vers.4. Ne id quidem negari potest, sed quid tum? Hinc, inquis, efficitur Thare diem extremum obiisse anno Abrahami septuagesimo quinto. Quam summam si à summa vitæ Tharæi, quæ ducentorum quinq; fuit annorum, detraxeris, inuenies Abrahamum anno patris centesimo tricesimo primos radios lucis hausisse. Cætera concedo: sed illud vnum non placet, quòd eum annum Tharæo fuisse dicis extremum, qui Abramo septuagesimus quintus illuxit. Hæc enim quibus ratiociniis, quibus auctoribus, quo Scripturæ testimonio proferuntur? Quid enim si cùm Abram translatus est, iam anni duo, vel potiùs anni viginti quinque iam ab obitu patris fluxerant? Num ideirco minùs verum erit quod ait Stephanus, *postquam mortuus est pater eius, transtulit eum.*

77. Hæc, inquies, ridicula sunt: hæc enim Stephani verba eundem planè designant annum, quo Tharæus ex hac vita subtractus est. At ridicula non putauit non pessimus talium rerum æstimator Augustinus, qui lib.16. de ciuit. Dei, cap.15. hanc Abrahæ μετοίκησιν factam esse putat cùm Abraham biennio post patris obitum emit agrum & speluncam duplicem, in qua Saram demortuam sepeliret: *Collocationem verò*, inquit, *in terra Chanaan non profectionem de Charran post mortem patris eius factam esse dixit, quia iam mortuus erat pater eius, quando emit terram, cuius ibi iam suæ rei cœpit esse possessor.* Et quæst. 25. in Genesim sententiam exponens quam & cæteris anteponit, tempus his verbis significatum, *postquam mortuus est pater eius*, ad annum vigesimum quintum ab obitu patris, & ad Iacobi natalem non dubitat extendere. *Tunc intelligamus*, inquit, *collocatum vel constitutum Abraham in terra Chanaan, quando illic eum nepotem suscepit, cuius vniuersum semen illic fuerat regnaturum ex promisso Dei hereditate donata. Nam ex ipso Abraham natus est Ismael de Agar, nati & alij ex Cethura, ad quos illius terræ non pertinet hereditas. Et ex Isaac natus est Esau, qui similiter ab illa hereditate alienatus est. Ex Iacob autem filio Isaac, quotquot filij nati sunt, id est semen eius, ad illam hereditatem pertinuit. Sic ergo collocatus & constitutus est in illa terra Abraham, quoniam vixit usque ad natiuitatem Iacob.* Hæc ille. Constat autem ex nostra, vel potiùs ipsius Augustini sententia, ortum Iacobi anno ab obitu Tharæi quinto & vigesimo. ex tua autem & aliorum quos sequeris, quinto & octogesimo contigisse.

XXVIII. *Moses in Historico sensu capiendus. Stephanus explicari potest figuratè.*

78. QVOD si Moses & Stephanus conciliari non possunt, nisi alteruter leui & benigna, vt loquuntur, interpretatione trahatur in alterius sententiam, viderit æquus arbiter æquiúsne sit Mosem an Stephanum ad tropos & figuras à propria verborum significatione deflectere. Moses historiam Chronologiámque ex professo contexit, cuius virium vel maximum est obscuritas. Stephanus aliud agens & obiter temporis rationem attingit, & loquitur apud virorum doctorum concionem, qui facilè figuratam locutionem intelligunt. Lex est interpretandi scripturæ certissima, quam magno plausu scholæ Theologorum excepit, vt in historica narratione, quoad eius fieri potest, eo sensu qui primus obuius esse solet, verba capiantur, in concionibus, prophetiis & sermone familiari, cùm aliquis loquens inducitur, licet interdum à propria verborum significatione discedere. Ait Moses Genes.25.v.8. *Et deficiens mortuus est in senectute bona.* Quid eo faceres interprere qui diceret Abraham deficientem à lege diuina, mortuum esse Deo siue Deum veram animæ vitam perdidisse, in senectute mala, quam Moses εἰρωνικῶς bonam appellat: vix opinor hunc nebulonem hominis loco duceres. Ait Dominus Matthæi 8. v.22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Nemo dubitat interpretari priore loco mortuos, peccatores qui Deum animæ suæ vitam amiserint. Narrat Ioannes Lazarum mortuum reuixisse. Qui aliter interpretetur ac verba sonant, vix homo, nedum Christianus habeatur. Ait pater reuerso ad se filio, postquam omne suum patrimonium in suas libidines profuderat. *Hic filius meus mortuus erat & reuixit.* Luc.15. v.24. omnes sine cunctatione per allegoriam dictum intelligunt. Quæ discriminis ratio? nimirum aliud est rem historicè narrare; aliud personam loquentem inducere.

Verba in proprio sensu capienda in historia magis quã in prophetiis.

79. In hac ipsa Stephani concione, quàm multa sunt quæ nisi diligenter attendas, videantur narrationi Mosis esse contraria. Moses frequenter Haran siue Charras cum omnibus Geographis in Mesopo-

Satius eſt Moſi Stephanum accommodare quàm Moſen Stephano.

tamia conſtituit : eam videtur Stephanus alibi collocare. Ait Moſes Abraham plantaſſe nemus in Berſabee. Geneſeos 21. v. 33. & cap. 23. fusè narratur agrum & ſpeluncam duplicem ſibi comparaſſe. Negat Stephanus Deum ei dediſſe vel paſſum pedis. Narrat Moſes Abraham emiſſe agrum ab Ephron filio Seor in Hebron contra faciem Mambre. Stephanus, *tranſlati ſunt*, inquit, *in Sichem, & poſiti in ſepulchro quod emit Abraham pretio argenti, à filiis Hemor filij Sichem.* verſ. 16. vbi multa ſunt quæ cum Moſis narratione pugnare videantur, præterquam quod quæ narrat Stephanus, ea paucis mutatis non Abrahamo, ſed eius nepoti Iacobo tribuuntur, Geneſ. 33. commat. 19. *Emitque partem agri in quo fixerat tabernacula, à filiis Hemor, patris Sichem centum agnis.* Frequenter inculcat

Gen 46.27 Exod. 1.5. Deut. 10.22

Moſes *omnes animas domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuiſſe ſeptuaginta.* At ſi Stephanum audimus verſ. 14. *Ioſeph accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus ſeptuaginta quinque.* Hactenus tamen inuentus eſt nemo qui propter authoritatem Stephani, conciliandæ ſcripturæ cauſſa, verba Moſis à genuino ſenſu ad figuratum deflecteret.

80. Fatentur omnes Stephanum in illa concione dixiſſe quædam obſcurius: nemo dubitat hiſtoriam Moſis, vt verba ſonant, amplecti. Itaque quidam in illis Stephani verbis hyperbolen agnoſcunt, *Et non dedit illi hereditatem in ea nec paſſum pedis.* Alij metonymiam, quaſi nomen Abrahæ pro nomine Iacob vſurpet, vt cum Iſraëlis poſteà Iſrael, aut etiam apud profanos Æneas à Dardano & Troe progenitus Tros & Dardanus nominatur. Alij mendum amanuenſium negligentia putant in ſcripturam illapſum, vt Eugubinus: alij, vt Melchior Canus irrepſiſſe ipſi Stephano μνημονικὸν ἁμάρτημα. Nemo tamen hactenus, vt dixi, & ne illi ipſi quidem qui hoc vno loco ab hiſtorica propriſque concepta verbis Moſis authoritate diſcedunt, eiuſque chronologiam ex Stephano ſupplere ſe dicunt: ne illi quidem, inquam, ipſi audent in tot aliis tantiſque difficultatibus vel minimùm in Moſis hiſtoria de natiua genuinàque verborum ſignificatione libare: ſed Stephani concionem, quoad eius fieri poteſt, leni benignáque interpretatione narrationi Moſis accommodant. Cur igitur hoc vno loco dubitemus Stephanum potiùs conciliare Moſi, quàm Moſem obtorto collo rapere in Stephani ſententiam? Quæ, malum! hæc interpretandæ ſcripturæ ratio eſt ex obſcura perplexáque Stephani concione, malle perſpicuæ Moſis narrationi tenebras offundere, quàm è perſpicua narratione Moſis obſcuram illuſtrare Stephani concionem.

XXIX. *De loco Apoſtoli ad Hebræos*

81. Poſtremo loco quaſi certiſſimum cauſſæ tuæ firmamentum attuliſti authoritatem Apoſtoli, docentis Hebræos Abrahamum cum ſuis in terra Chanaan habitaſſe, & cùm tempus haberet reuertendi ad ſuos, nunquam reuerſum eſſe, imò ne de patria quidem, ex qua exierat, cogitaſſe, aut eius memorem fuiſſe. Sed vellem Apoſtoli verba protuliſſes, ſi placet, ſuis verbis loquentem audiamus, ad Hebr. 11. verſ. 8. *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exiit neſciens quò iret.* E quibus verbis colligis, eum cùm haberet tempus reuertendi ad ſuos, nunquam reuerſum eſſe? Pergit: *Fide demoratus eſt in terra repromiſſionis, tanquam in aliena, in caſulis*, vel vt iam vidimus, *ἐν σκηναῖς in tabernaculis habitando cum Iſaac & Iacob coheredibus repromiſſionis eiuſdem.* Quod hîc verbum indicat eum ne de patria quidem, ex qua exierat, cogitaſſe? imò, niſi grauiora ſuppeterent argumenta, hinc etiam concludere potuiſſem eum de patria cogitaſſe. Quorſum enim in Chanaanitide morabatur, tanquam in aliena, niſi quia ſe peregrinum & hoſpitem eſſe ſentiebat? ſi peregrinus & hoſpes, citra controuerſiam de patria cogitabat? Hoccine eſt Pauli teſtimonium, cuius authoritate munitus in hæc verba tandem erumperes. Quis poſſit his ſine pertinacia repugnare?

XXX. *Vtrùm ex Auguſtini ſententia aliquod abſurdum conſequatur, ac primùm de Ieſcha.*

82. Hactenus de ſcriptura: venio nunc ad abſurda, quæ vt ais noſtram de recapitulatione geminàque Abrami profectione ſententiam conſequuntur. Ieſcham eandem cum Sara eſſe defendis, vt videlicet nos interrogationum tuarum laqueis inuoluas, eóque tandem adigas vt Saram anno patris circiter octauo natam eſſe fateamur. Sed hoc, quod tanquam principium ἀναπόδεικτον aſſumis, referri poteſt inter fabulas Hebræorum. Quod ſi negauero qua me Moſis authoritate conuinces? Niſi fortè tibi magis credere debemus, quàm ipſi Abrahamo qui Saram ſuam fratre ſuo Ara-

no genitam esse nesciuit: sed *reuera*, inquit, Genes.20. ver.12. *Soror mea est, filia patris mei, non autem matris meæ.* Et ita vndè accipit Hieronymus in tradition. Hebraicis, &, *In excusationem eius*, inquit, *dicimus needum illo tempore tales nuptias lege prohibitas.* Ad quòd alludens Ambr. ep. 48. *Illud tamen*, inquit, *licet inveteri testamento legimus, vt aliquis vxorem suam sororem duceret, istud inauditum vt quisquam neptem suam in vxorem accipiat, & coniugem dicat.* Adstipulator Clemens Alexandrinus 2. Stromatum exeunte, cui hæc dixisse videtur Abrahamus, τὰς ὁμομητρίους μὴ δεῖν ἄγεσθαι πρὸς γάμον διδάσκων. *Docens eas quæ ex eadem matre natæ sunt, non esse ducendas vxores.*

Sara an verè soror Abram?

83. Sed quoniam anceps fuisse videtur Hieronymus, & Augustinus lib.22. contra Faustum cap.35. Saram Abrahami non germanam, sed fratris filiam agnoscit, esto sanè fratris filiam esse faciamus. Num etiam Arani? ecquid fieri non potuit vt Tharæus alios liberos ante septuagesimum ætatis annum susceperit? Plus etiam, si placet, largiamur: demus Saram eandem esse cum Iescha: demus eam Arani filiam fuisse. Quid tum? Sequetur, inquis, eam octauo præter propter patris anno fuisse susceptam. Sed quid si Aranum Abramo fratre solidis annis viginti prouectiorem esse dicamus, vt filiam tricesimo circiter ætatis anno susceperit, decem annis Abramo iuniorem? cuius nos authoritate conuinces? Mosisne? At ortum Abrahæ suo tempori consignat in aliorum ortu Nachoris videlicet & Arani, de stabilienda Chronologia ne cogitauit quidem. Hoc, inquies, gratis dicitur, Quid tu? cùm Aranum Abramo, si modò is natus est anno patris septuagesimo, iuniorem esse dicis, quo pretio id affirmas? Nescis actori non reo probationem incumbere? Ait scriptura, *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram.* Ego sto in antiqua possessione: Tu meex iure manu consertum vocas. Tu actor, ergo reus. Aut igitur proba, quod dicis, aut patere me in veteri possessione consistere.

An filia Arani?

XXXI. *Vtrùm ex liberis ab Abrahamo ante annum centesimum susceptis quicquam colligatur contra Augustini sententiam.*

84. Sed huc alias machinas admoliris, quibus geminam hanc Abrahæ profectionem labefactes, & funditus euertas. Ais ex hac opinione sequi Ismaelem & Isaacum ante Tharæi mortem, quam anno Abrahami 135 0. contigisse volumus, natos fuisse; hoc autem repugnare Stephano, qui Abrahamum ait fuisse translatum, postquam mortuus est pater eius, cùm ipse liberos non haberet. Quasi verò Stephanus insinuet Tharæum priùs obiisse, Abrahamúmque suarum rerum domicilium in terra promissa, cum certo non reuertendi consilio collocasse, priusquam Ismael & Isaac in lucem ederentur. Ait Stephanus: *Repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.* Quis infitiari potest hanc promissionem anno Abrahami septuagesimo quinto conceptam fuisse, priusquam ex eo liberi nascerentur? Sed hoc probandum erat ex authoritate Stephani, quod negamus, hanc ei promissionem esse factam; postquam Tharæus pater diem obierat extremum.

XXXII. *Respondetur aliquot interrogationibus.*

85. Quæris de priore illa migratione, solusne profectus fuerit Abraham, an cum omnibus suis? Expecto dilemma cornutum: sed nescio quis Hercules hunc Acheloum altero cornu mutilabit. Si solus, relictis vxore, Loto, totáque familia apud patrem, per annos sexaginta, quomodo ex Sara in terra Chanaan Isaacum suscepit? Quasi verò quisquam in dubium reuocarit, eum cum Sara, Loto, bonis omnibus in Chanaanitidem anno vitæ quinto & septuagesimo semigrasse. Si cum omnibus suis profectus est, cùm patrem reuisebat, vbi familiam deserebat? apud quem? quid illi intereà agitabant? cui credebat vxorem, Lotum, famulos, ancillas? fingenda sunt omnia, Sed ab his curiosis indagatoribus libenter ego sciscitarer, quomodo Abraham Euphratem transierit? vado, ponte, natatione, nauigio? Si vado, pedibus an equo, an asino, an camelo flumen traiecerit? Si ponte, ligneóne an lapideo? quantis impensis flumen adeo latum ponte commiserit? restagnauerit tum temporis, an ripâ se continuerit Euphrates? Si natatione, solísne lacertorum viribus; an vtribus vento inflatis ad vlteriorem ripam enatarit? Nudúsne omnino, an subligaribus & campestribus pudenda velarit? cui denique Nesso vxorem tradiderit deportandam? Si nauigio, lembóne, an lintre, velis an remis nauigarit?

86. Hæc ridicularia sunt, inquies, neque digna quibus respondeatur, meritóque prudentibus ludibrium esse debent. Nec

ego magnopere diffitebor. Sed illud vicissim abs te rogo, vt nos etiam aliquid nescire patiaris, aut doceas tuas illas quæstiuneulas magis ad rem, qua de nunc agitur, pertinere. Vereor equidem ne si diligentiùs ad ista respondero, quod de duobus Philosophis inter se futiliter altercātibus aiebat Demonax, alter hœdum mulgere, alter cribrum supponere videatur. Quia tamen qui huiusmodi percunctationes nimis enucleatæ diligentiæ præposteræque curiositatis accusant, eos vir sanè doctus ait verborum lenocíniis putare se viris eruditis fucum esse facturos, additq; aduersarios his tam facilè respondere posse, ac flare simul atque sorbere paucis & quidem sine fuco respondeo. quibus non solùm difficultas omnis exorbeatur, sed etiam argumenta tua difflentur.

Lucianus in eius vita.

87. *Septuaginta quinque annorum erat Abram*, vt disertis verbis Genes 12. vers. 4. scriptura testatur, *cùm egrederetur de Haran, tulitque Sarai vxorem suam & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran.* Hoc scio, sed non video, quid, si hoc ante patris obitum factum fuisse statuatur, ex eo sequatur incommodi: imò si iam mortuus erat pater, & Nachor adhuc in Chaldæa substiterat sequitur illud sanè perincommodum vt sanctissimus Patriarcha nihil penitus in Haran reliquerit, cùm de cognatione sua & domo patris sui exire iuberetur. Eum anno patris septuagesimo natum scio, patrem annis quinque supra ducentos vixisse scio: scio proinde annum Tharæi patris extremum cum Abrahami centesimo trigesimo concurrere. E quibus dubitare non possum Abraham ante patris obitum, annis omnino sexaginta in Chanaanitidem à patre semigrasse. Eum tamen ait Stephanus è Charris in terram Chanaanitidem esse translatum, siue, vt legit Augustinus in Chanaanitide collocatum & constitutum, *postquam mortuus est pater eius*: Et hoc scio fieri non posse vt & ante & post patris obitum egressus fuerit, nisi gemina statuatur egressio, aut egressus à translatione siue collocatione distinguatur. Neque verò duplicem hanc à patre secessionem sine scripturæ authoritate, imò contra scripturam excogito: sed ad conciliandas inter se scripturas necessariam esse video.

88. An autem solus an eum vxore cæteràque familia patrem reuiseret, nec scio, *nec scire fas est omnia*, nec piget hîc inscitiam meam confiteri. Hoc scio, si solus iter faciebat, modestiæ frugalitatique suæ consulebat: si eum magno seruorum comitatu suæ dignitatis habebat rationem. Si secum ducebat vxorem, vt maritus indulgens obsecundabat honestæ mulieris cupiditati suos ex interuallo reuisere cupientis. Si relinquebat in terra Chanaan, habebat quibus eam cum tota familia rèque familiari tutò committeret. Seruum seniorem domus suæ, cúmque fidelissimum Damascum Eliezer, Lotum qui potuit ad tempus vtrique familiæ prouidere: Melchisedech, Escol, Aner & Mambre, qui *pepigerant fœdus cum Abram*: Abimelec Regem Gerarææ socium item & fœderatum. Gen. 14. v. 13.

Neque verò si totam secum familiam ducebat, magis erat Nomadibus Hamaxobiis comparandus, quàm cùm, ex quo ex Haran egressus est, centum ipsos annos, sine tecto, sine certa & stabili sede, vagus & peregrinus in tabernaculis habitauit.

89. Vel cùm se pauidum & pro Loto sollicitum ostendit noster Abramus, veretùrque ne si Lotus tantisper à Patriarcha relictus fuerit, male credatur Chananæis. Quasi verò sic ei semper affixus & agglutinatus fuerit Abraham, vt propter nocturnos & inanes metus nusquam pullum & pusionem à suo gremio complexúque dimitteret. Cur igitur eum abs se dimissum passus est seorsum in medio nationis prauæ, atque adeo in ipsis Sodomis habitare?

XXXIII. *Si Abraham patrem identidem reuiserat, cur Moses nullam tot profectionum facit mentionem?*

90. VEnio nunc ad prodigium illud tuum. Si toties, inquis, Abraham ad patrem suum profectus est, quî factum est vt Moses qui omnia propemodum assectatus est magni Patriarchæ vestigia, nullam huius rei fecerit in historia sua mentionem? Equid prodigij loco duci non debet tam altum de tot profectionibus silentium?

O Proceres, Censore opus est an aruspice nobis.

Sed libet paucis hoc prodigium expiare.

Hebræis scribebat Moses, quibus Deus terram Chanaan dare destinarat. Videbat illis nihil olim antiquius fore, quàm vt historiæ sacræ monumentis eruditi relegerent Patriarchæ sui vestigia, eáque loca religiosè viserent, quæ ipse præsentiâ suâ consectasset. Nam si nescio quis Imperatorem suum sic affatur. *Veniet ergo tempus quo posteri visere, visendúmque tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hau-* Plinius Panegyrico.

ferit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa protexerint, quod denique tectum magnus hospes impleueris, vt tunc ipsi tibi ingenitum ducum sacra vestigia ipsi dem in locis monstrabantur. Si alium *ipsæ illæ Athenæ non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione summorum virorum, vbi quisque eorum habitare, vbi sedere, vbi disputare sit solitus.* Si Romani casam Romuli stramineam gemmis auróque coopertam tanta religione coluerunt: quid putas animi Iudæos habuisse cùm longo pòst tempore viderent, & indicante Mose recognoscerent loca Patriarchæ non tam pedum, quàm virtutum impressa vestigijs? Hic tabernaculum fixit, hîc altare erexit, hîc sacrificauit, hîc diuinas promissiones accepit, hîc fœdus cum Deo pepigit, hîc hospitum specie tres Angelos excepit, hîc dilectum Isaacum immolare voluit pater noster Abrahamus.

Atticus apud Cic. l. de legibus

91. Hoc vidit Moses, voluit suorum fouere pietatem, historiam scribens omnia Patriarchæ sui in terra Chanaan affectatus est vestigia, & singula propemodum loca stylo notauit, in quibus ille tabernacula posuisset. Cur autem in describendis profectionibus ad patrem, & Mesopotamiæ locis eius illustratis præsentia eandem adhiberet diligentiam, caussæ nihil habebat, tum quòd sciret Mesopotamiam Hebræis non esse promissam, tum quòd ipso tacente res facilè posset intelligi. Non videtur enim credibile, vt Tornielli tui verbis vtar, quòd Abraham vir piissimus ad inuisendum patrem tamdiu proficisci neglexerit. Quid? quòd alia multa silentio Moses inuoluit, *quæ si omnia commemorentur, nimis longum fieret* (verba sunt Augustini 16. de ciuitate Dei, cap. 2. exeunte) *& hoc esset magis historica diligentia, quàm prophetica prouidentia.* Quàm multa bella gesserunt gigantes illi *potentes à seculo viri famosi?* quot vrbes, quot regna condiderunt? de his apud Mosem nulla mentio. Sed vereor ne si diutiùs hîc immorari voluero, meus in expedito labor & ipse prodigij loco ducatur. Quare si placet, ad alia transeamus.

XXXIV. *An ex eo quòd Abraham post immolationē Isaaci de natis Nachori liberis nuntium accepit, sequatur eum nunquam ad patrem rediisse.*

92. Nam quòd è scriptura subodoraris Abraham per annos circiter quinquaginta ne literarum quidem cum suis habuisse commercium, vereor vt sagacioribus veritatis indagatoribus persuadere non possis; id autem ex eo colligis quòd post immolationem Isaaci anno post primam è Mesopotamia profectionem plùs minùs quinquagesimo, nuntiatum ei tum primùm fuerit de liberis duodecim à Nachore fratre susceptis. Genesis 22. v. 20. Verùm etiamsi nuntiatum ei fuisse dicatur, necesse non est ei tum primò fuisse nuntiatum. Quid enim si frater vnius aut alterius occasione recèns nati, seriem liberûm suorum quamuis fratri non ignotorum contexuit? siue vt eum faceret certiorem omnes adhuc esse superstites, siue vt sibi ipsi apud fratrem, quod fieri solet, de multitudine & incolumitate filiorum applauderet, siue vt fratri familiariter exprobraret, quòd ille Deo cæli mancipatus vnum duntaxat, & alterum filium, ipse dijs & idolis addictus duodecim liberos obtineret? Quid si ne scripsit quidem Nachor Abrahamo [Atqui iam enim multis post Abrahamum seculis vsum epistolarum repetisse tum Clemens Alexandrinus, tum alij viri doctissimi memoriæ prodiderunt] Quid si, inquam, ne scripsit quidem Nachor Abrahamo, nuntius autem iussus vnius aut alterius ortum nuntiare, de suo reliquos adiecit, quamuis Abrahæ non incognitos?

93. Hoc est, inquies, diuinare. Ego verò nihil diuino, sed cùm è scriptura necessarium esse velit, vt Abraham per annos circiter quinquaginta nullum à fratre nuntium acceperit, instituto meo satis est vt ostendam aliter atque aliter fieri potuisse. Quid? (vt hoc etiam tibi largiamur) quòd etiamsi patrem in Mesopotamia residentem officij caussa frequenter inuiseret, ignorare tamen potuit, quid cum fratre Nachore (quem in Chaldæa substitisse vel ex ipsa scriptura colligit Augustinus) ageretur. *Quid putamus*, inquit caussam eius migrationis, cùm initio substitisset, inquirens, *nisi forte quòd à paterna & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum, & postea inde siue pœnitendo siue persecutionem passus, quòd suspectus haberetur, & ipse emigrauit.* Quam Nachoris transmigrationem si vel ad hæc, vel ad paulo superiora tempora referamus, caussam habebimus, cur Nachor qui se hactenus nuntijs ad fratrem destinandis abstinuerat, tum primùm eum de natis sibi liberis fecerit certiorem, omniúmque numerum inierit, non eorum solùm qui digresso iam Abrahamo nati fuerant, sed

etiam

etiam quos ante profectionem iam olim in Chaldæa viderat Abrahamus. Par enim fuit ei simul de omnibus eadem opera nuntiari, tum vt primorum in memoriam tanto post temporis interuallo rediret, tum vt postremos natos esse cognosceret. Et sanè dubium esse potest nemini, quin Nachor ante Patriarchæ discessum iam aliquot liberos è Meseha susceperit. Eum Torniellus vult Abrahamo seniorem fuisse annis omnino sexaginta, Salianus annis quadraginta contentus est.

94. Roges meam de Nachoris ætate sententiam: Me nescire profitebor, quia scriptura non definit maiórne an minor fuerit Abrahamo. Iis igitur qui rem diligentiùs examinarunt, adhibeamus fidem, & Nachorem annis saltem quadraginta prouectiorem fuisse credamus. Si fuit Abrahamo prouectior, nulla probabili ratione negari potest Melcham Nachoris vxorem Sarâ sorore sua & Abrahami coniuge non paucis annis fuisse seniorem. Quæ proinde si relinquente Chaldæam Abrahamo nullos adhuc liberos ediderat, porò ri iure quàm Sara, sterilis diceretur. Sed Mosem audiamus 11. Genes. vers. 29. *Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Ieschæ: erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaque, &c.* Sequitur Tharæi cum suis in Mesopotamiam profectio. E quibus quis non intelligit Melcham sterilem non fuisse, sed iam tum liberos habuisse? cùm ad discrimen Saræ sterilis fuisse memoretur.

XXXV. *Respondetur argumento Tirini.*

95. Neque verò est quòd argumenti non absimilis ab erudito viro prolati solutionem expectes, quod equidem abs re qui rationes vndevnde libasti, quibus fidem orationi tuæ corraderes, prætermissum admiror. Inde diuersas in Mesopotamiam Abrahami profectiones repudiar, quòd seruus ad quærendam Isaaco coniugem eò missus multa de domini sui diuitiis, tanquam ignota Batueli & Labano narrauerit. Qui, si ad ipsos Abraham profectus est, ex ipso rescire potuerunt? Quasi verò aut magnus facultarum suarum iactator fuerit Abrahamus, aut non ita fieri soleat, vt cùm quæruntur conditiones, plenis buccis etiam apud gnaros procantium opes & diuitiæ prædicentur.

96. Sed heus tu: Abrame. Enimvero metuendum est, ne quod iam tenere videbamur, derepente necopinantibus nobis è manibus fuerit elapsum: ABRAM. Quid illud, quæso? LEON. Meisne iam rationibus acquiescis, an etiamnum hæres in illa priore sententia? ABR. Planè iam dubitare non possum, quin anno patris sept. tuagesimo vel proximè sequenti natus fuerit Abrahamus. LEON. Hanc igitur Chronologiæ veritatem apprehendisse te putas? ABR. Planè sic existimo LEON. Sed quid Stephano facies qui illum ait, *postquam mortuus est pater eius*, in Chanaanitidem esse translatum? ABR. Eum facilè conciliabo Mosi. LEON. Quo pacto autem? ABR. Dicam fuisse profectiones duas: alteram, cuius meminit Moses, nudam ac simplicem profectionem fuisse sine certo manendi proposito; alteram translationem siue collocationem & μετοικεσίαν, qua certam & stabilem in Chanaanitide sedem posuit, cuius Stephanus facit mentionem: hanc post obitum patris anno Patriar. hæ nostri centesimo trigesimo quinto, alteram annis sexaginta ante patris obitum, Abrahami quinto & septuagesimo contigisse. Profectio. collocatio.

XXXVI. *Noua obiectio è verbis Stephani, eiusque dilutio.*

97. LEON Rectè meministi. Sed quid si tibi hanc collocationem à prima illa profectione distinctam gratis excogitaram è manibus excussero? ABR. Quomodo? LEON. Translatum & collocatum fuisse putas, cùm secundo ab obitu patris anno emit agellum & speluncam duplicem in terra Chanaan cuius ibi tum suæ rei cœpit esse possessor? An aliud tibi videtur? ABRAM. Tibi planè vel Augustino potiùs assentior. LEON. Sed quid quòd negat eodem loco Stephanus eum in terra Chanaan vel passum pedis habuisse? Quod citra controuersiam ne ὑπερβολικῶς quidem dixisset, si putasset in declaranda translatione siue collocatione Abrahami emptionis illius habendam esse rationem. Obiectio.

98. ABRAM. Equidem hoc argumento me fateor aliquantulùm commoueri, non iam vt Patriarcham anno patris centesimo trigesimo natum putem, sed vt alium conciliandi cum Mose Stephani modum inquiram. Videor tamen posse duobus modis, & quidem ipsis Augustini verbis quæstionis illius tricas explicare. LEON Quî tandem? ABR. ait Stephanus Actor 7. v. 5. *Et non dedit illi hereditatem in ea;* vide-

Solutio. licet in terra Chanaan, *nec passum pedis*: sed vt loquitur Augustinus q. 56. in Genesin. *Ea est intelligenda hereditas, quam Deus munere suo fuerat daturus, non empta pretio.* Quare dici potuit Abraham in Chanaanitidem esse translatus, ibiq; collocatus cùm illius agelli, *tanquam suæ rei cœpit esse possessor*, quamuis eum non hereditatis nomine, sed emptionis pretio possideret. Aut, si placet, in terra Chanaan tum primùm collocatus & constitutus est Abraham, cùm ei longo post obitum patris, temporis interuallo natus est Iacob, ad cuius vniuersum semen terræ illius hereditas pertinebat. LEON. Argumento satis videris fecisse. Tamen aueo scire, nisi fortasse tibi molestum est, quæ sit illa conciliandi Stephani ratio quam, nisi tibi subuenisset Augustinus, iucundam putabas. ABR. Quid enim aliud putem, quàm

XXXVII. *Stephanum non proprie sed metaphorice locutum videri.*

99. VT Tharæus intelligatur mortuus fuisse, cùm à veri Dei cultu propter quem è Chaldæa fuerat eiectus, in idololatriam prolapsus est. Et quidem de Iudith.5. v.7. reipsa liquet, si, quod antè fecisti, mi Leonarde, Achioris Ammonitæ narrationem Iosue 24.2. cum verbis Iosuæ conferamus. De verbis, si loquẽdi modus insolens est in scriptura, si nusquam alibi repetitur, nihil habeo quod defendam: sin autem pro peccato, & idololatria præsertim in epistolis, aut cùm loquentes inducit, identidem vsurpat, non video quod sit operæpretium cum infinitis obiectionum tricis assiduè malle confligtari, quàm ad translationem ipso scripturarum vsu mollitam Stephani verba deflectere.

100. Nam, vt exemplis vtar abs te iam alia occasione prolatis, cùm ait Dominus, Matth.8.vers.22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, quid aliud quàm peccatores mors peccatum. & rebus caducis addictos intelligit? Quid ille luxuriosus & prodigus adolescens, qui accepta portione substantiæ quæ ipsum contingebat, cum meretricibus paterna bona lancinauit? Ecquid omnes ad vnum Ecclesiæ Patres, vt fratrem natu maiorem mors idololatria. Synagogæ, sic minorem hunc gentium, cum idolis. vt scriptura loquitur, fornicantium figuram esse consentiunt? Omnino. At de isto pater semel atque iterum Lucæ 15.v.24.& 32. *His*, inquit, *filius meus mortuus erat & reuixit.* Quid illi, quos futiles & intermortuæ carnis deliciæ, languidis, vt ait nescio quis, liquefaciunt voluptatibus: num inter mortuos iure censentur? Ad Rom.8.vers.13. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* 1 ad Timoth.c.5. v.6. *Quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Cur idem Apostolus Colossenses ita compellat, cap.2.v.13. *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ?* Ecquid aliud intelligi voluit, quàm ipsam idololatriæ mortem, & cæcas illas auitæ gentilitatis tenebras, quibus Colossenses, antequam Deus eos vocaret in admirabile lumen suum, fuerant inuoluti? Dies me profectò deficiat, si omnia velim è scripturis translationis huius exempla corradere.

101. Vnus itaque sufficiat Augustinus lib.2 de Genes contra Manichæos cap 21. *Vita quæ in peccatis est*, inquit, *mors appellari in scripturis solet, sicut Apostolus dicit mortuam esse viduam, quæ in deliciis viuit, & mortui nomine peccatum ipsum significari legimus, ubi dictum est, qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit illum quid proficit in lauacro suo, &c.* Eccl.34. v. 31. mortuum, i. peccatũ. Idem lib. de vera Religione cap.11. *Nulla vita est, quæ non sit ex Deo, quia Deus vtique summa vita est, & ipse fons vitæ: nec aliqua vita, in quantum vita est, malum est, sed in quantum vergit ad mortem: mors autem vitæ non est nisi nequitia, quæ ab eo quòd nequicquam sit, sic dicta est, & ideo nequissimi homines nihili homines appellantur.* Deus, vita Quis autem magis vergit ad mortem & nihilum, quàm qui à Deo totius, vt ait Nazianzenus, essentiæ pelago ad idola desciuerit? *Scimus*, inquit Apostolus 1.Corinth.cap.8.vers.4. *quia nihil est idolum in mundo.* LEON. Quis prohibet Augustino, Gregorium Romanum adiungere? *Vmbra*, inquit, *mortis mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est qua anima separatur à Deo, ita vmbra mortis est qua caro separatur ab anima. Vnde rectè voce Martyrum per Prophetam dicitur: Humiliasti nos in loco afflictionis, & operuit nos vmbra mortis. Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed vmbra mortis dicunt operiri.* Lib 4 Moral. in Iob cap. 17 Psal. 43. E quibus constat Thare cùm per idololatriam separatus est à Deo, veriùs esse mortuum è mente Gregorij, quàm cùm eius anima fuit à corpore separata.

102. ABRAM. Iam, vt eorum quæ tum à te, mi Leonarde, tum à me circa hanc solutionem dicta sunt, summam faciamus, constat ex Achioris narratione Iudith 5. vers. 8. qui Chaldæa relictâ in Mesopotamiam transierunt, ideo Chaldæam reliquisse, quia Deos & cerimonias paternas, quæ in multitudine Deorum erant, sequi

noluerunt, & Deum cæli coluerunt: constat ex Iosue 24. Thare & Nachor diis alienis in Mesopotamia seruiisse: illud etiam liquet vel ex ipsius Dei testimonio Abramum ideo de Mesopotamiæ finibus in Chanaanitidem esse translatum, quia Tharæus & Nachor ad idola defecerant: liquet è 12. Genes. Abramum septuaginta quinque fuisse annorum, cùm egrederetur ex Haran: iam illi ipsi aduersarij qui Patriarchæ natalem annis sexaginta differendum putant, cum Augustino multisque viris sanè doctissimis Abrahæ mansionem in Mesopotamia paucis mensibus circumscribunt. E quibus costat Tharæum, siue Nachoris, qui paulo pòst secutus fuerat, suasu, siue nouæ vexationis metu, sub idem tempus in idololatriam incidisse, Deúmque veram animæ suæ vitam abiecisse quo Abrahamus ex Haran egressus est, iustâ numinis irati vindictâ, vt qui Deum patrem suum reliquerat, ab optimo filio relinqueretur. Cùm igitur ipsa scripturæ consuetudine, non indecoro genere translationis idolorum cultores mortui dicantur, cùm ex hac metaphorica locutione nihil absurdi consequatur, imò vel obijci possit omnino nihil, vel si quid obiicitur, facillimos explicatus habeat, non sanè video cur expositionem hanc aspernari debeamus.

Thare in idololatriā prolapsus.

103. Quid enim opponent aduersarii præter opinionis nouitatem? at quæ nunc veteres habentur, aliquando nouæ fuerunt. Et qui Patriarcham anno patris centesimo trigesimo natum esse defendunt, velim suæ sententiæ producant authorem qui vel tertium seculum exegerit. Nefas esse dicent in explicanda Stephani concione ab historico natiuóque verborum sensu discedere? Id si negauerimus qua nos ratione vel idonei testis authoritate conuincent? Et cùm tam disertis verbis scripserit Moses historiam Chronologiámque non obiter & quasi per transennam, sed ex professo tractans, scripserit, inquam, Moses: *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram*: velim vti mihi respondeant, cur Abrami natalem annis ipsis sexaginta submouerint, & tam perspicuam narrationem ab historica genuináque verborum significatione detorserint. Quid præterea? profectò hiscere non habebunt.

104. Vnum tamen, vt verum fatear, in hac sententia mihi non arridet, quod nullum authorem habeo, & religioni duco in explicanda scriptura vel minimam inducere nouitatem. LEON.

O Tite, si quid ego adiuro, curámque leuasso,
Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa,
Ecquid erit pretij?

Quid si grauem Theologum linguarum cognitione, doctrina & ingenio singularem huius expositionis authorem fundúmque produxero? Ecquid, inquam, erit pretii? ABR. Illud videlicet tibi mercedis erit, Leonarde, discipulum habebis solito doctiorem. LEON. Ne te diutiùs teneam expectatione suspensum, Andreas Mazius, vir & doctissimus & ab asserendi temeritate cum primis alienus, hanc ipsam iniit conciliandi cum Mose Stephani rationem. ABR. Iam planè nihil est quod reformidem. Transtulit igitur Deus Abramum annis ante patris obitum sexaginta, vt è Mosis narratione colligitur, quamuis per figuram, quam recapitulationem Augustinus appellat, post mortem patris hanc translationem exponit, quæ ante patris mortem euenerat, & transtulit eum, vt Stephanus affirmat, *postquam mortuus est pater eius*, non vtique morte corporis, sed animæ, cùm seruiens diis alienis Deum veram animæ vitam, omnísque adeo vitæ fontem amisit. Quam conciliandæ scripturæ rationem eo libentiùs amplector, quòd illa quam initio secutus sum imprudens, & sola virorum doctorum authoritate compulsus, cum scriptura pugnare, illa verò quam ei meritò prætulisti, subtilior (pace tua velim dixisse) quàm solidior esse videatur. Cæterùm antequam è dictis Chronologiam contexo, demonstróque anno post diluuium ducentesimo nonagesimo secundo vertente, vel tertio ineunte natum esse Patriarcham, paucis ex te scire velim, vtrùm, quod vulgo iactatur, Tharæus omnium mortalium primus idola fabricarit.

In Iose c 24

XXXVIII. *An Thare primus Idolorum cultum inuexerit.*

105. LEON. Ante linguarum gentiúmque diuisionem, quamuis iam à Chamo eiúsque filijs impietatis semina iacerentur, nulla fuisse videtur inter mortales de religione dissensio, siue quòd recens adhuc diluuij memoria vigebat, siue quòd Noëmi duorúmque filiorum eius authoritas homines nondum à se diuulsos, & in diuersa terrarum loca distractos in officio continebat: vt autem inducta linguarum confusione in varias orbis terrarum partes distributi suas sibi res habere & seorsum à primogenitoribus habitare cœperunt, obliuione Dei paulatim obrepente,

Ante diuisionem linguarum nulla idololatria.

primùm quidem ſolem, lunam & aſtra coluerunt, deinde gliſcente ſenſim impietate alios ſibi Deos ſuo quiſque finxerunt arbitratu.

106 Nondum tamen iis animalia mactabant, aut ſanguinem libabant vt libro de abſtinentia carnium Porphyrius probat è Theophraſto, ſed iis duntaxat herbarum, frugum, & fructuum primitias offerebant. Quam deorum multitudinem Epiphanius initio Panarij putat inuectam tempore Sarugi, qui anno poſt publicam generis humani cladem centeſimo ſexageſimo tertio vitam exorſus eſt. Sed vt auctor eſt Clem. Alexandr. 1. Stromatum cetras excitabant columnas, quibus vt Deorum ſtatuis, honorem deferebant. Quod probat eius authoritate qui Phoronida conſcripſit.

Columnæ pro ſtatuis cultæ.

Καλλιθόη κλειδοῦχος ὀλυμπιάδος βασιλείης

Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι καὶ θυσάνοισι

Πρώτη ἐκόσμησεν καὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Callithoe Argiua clauem Iunonis Olympi
Reginæ geſtans, quæ vittis atque corollis
Ornauit Dominæ ſublimem prima columnam.

Et alterius qui ſcripſit Europiam, authorque eſt imaginem priſcam Apollinis apud Delphos columnam fuiſſe.

Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμεν

Σταθμῶν ἐκ ζαθέων, καὶ κίονος ὑψηλοῖο.

Vt decimas primóſq; Deo ſuſpēdere fructus
Poſtibus è ſacris liceat, celſáque columna.

107. Quis autem primus huiuſmodi columnas diis erexerit ignorare nos non patitur Sanchoniathon Berytius interprete Philone Byblio apud Euſebium libro 1. de de præparar. Euang. cuius eo maior eſſe debet authoritas, quòd eum tradunt temporibus Troianis antiquiorem, ipſique adeo Moſi ſupparem fuiſſe, & ipſe quæ ſcribit ex Ierombaalis (Gedeonis, opinor, qui & Ierobaal dictus eſt, quamuis allucinatur eum non Iſraelitici populi iudicem, ſed Dei Ieuo ſacerdotem appellans) ex Ierombaalis, inquam, commentariis ſe deprompſiſſe teſtatur. Ait igitur Sanchoniathon, Vſoum Semi opinor ex Aramo nepotem, quem Moſes Vs appellat, ἀνιερῶσαι δύο στήλας πυρί τε καὶ πνεύματι, καὶ προσκυνῆσαι, αἷμά τε σπένδειν αὐταῖς ἐξ ὧν ἤγρευε θηρίων, τούτου δὲ τελευτήσαντος, τοὺς ἀπολειφθέντας φησὶ ῥάβδους αὐτοῖς ἀφιερῶσαι, καὶ τὰς στήλας προσκυνεῖν, καὶ ἑορτὰς ἄγειν κατ' ἔτος, *columnas duas igni & ſpiritui conſecraſſe, eas adoraſſe, iiſque libaſſe ex feris quas venatione capiebat, his autem,* quos ſuprà nominarat, *vitâ defunctis, ſuperſtites virgas conſecraſſe, columnas adoraſſe, & iis annua feſta celebraſſe*, & ſanè ſcribit Epiphanius initio Panarij à Sarugi tempore, quo πολυθεΐα, ſiue multitudo deorum irrepſit, vſque ad Tharæum penitùs idola non fuiſſe. Ἐντεῦθεν γέγονεν ἀνδριαντοπλασία ἀπὸ πηλουργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης διὰ τῆς τοῦ Θαῤῥᾶ τέχνης. *Hinc extitit ſimulacrorum efficłio per figlinam artem Tharæi huius induſtriâ.* Adſtipulatur Philo Iudæus à Suida laudatus, qui & eum ait ab Abramo filio decimum quartum ætatis annum agente monitum fuiſſe vt ab impietate deſiſteret.

Quis primus columnas conſecrarit.

Quando primùm ſtatuæ diis excitatæ.

108 Verùm perſuadere mihi non poſſum Tharæum primum idola fabricaſſe, tum quòd Petrus apud Clementem Romanum libro Recogn. idololatriam Chami poſteris referat acceptam, tum quòd ſine graui cauſſa religioni ducam Abrahami Chriſtique adeo progenitoribus hanc infamiæ labem adſpergere. Neque ſanè cohærere poteſt quod ſubdit Epiphanius in huius ſceleris pœnam Aranum Tharæi filium, patre ſuperſtite, morte fuiſſe ſublatum, cùm ad id tempus, excepto Abele qui violenta morte fuerat abreptus, patres ante filios è vita decederent. Hoc, inquam, cohærere non poteſt, tum quòd iam ante diluuium Mathuſa pater Lamecho filio non paucis annis ſuperſtes fuerat, tum quòd ſequeretur trecentis & ampliùs annis qui à publica terrarum eluuione ad mortem Arani fluxerunt, Noëmo adhuc ſuperſtite, neminem vnum mortuum fuiſſe, quod & per ſe incredibile videtur, & haud ſcio an iis intrudi poſſit qui res à Nino geſtas ortu Abrahami & Arani morte antiquiores eſſe putant, quæ communis eſt tum Euſebij tum aliorum Chronologorum ſententia.

An Thare primus idola finxerit?

109. Adde quòd ſi ob idolorum fictionem præmatura filij morte mulctatus fuiſſet Tharæus, obitum filij præceſſiſſet idolorum effictio (præterita enim non futura ſcelera puniuntur) at e ſcriptura manifeſtum eſt ex acerbo luctu & dolore, quem patet ex immatura filij morte perceperat, idololatriam, non luctum ex idololatria manaſſe. Sapientiæ 14. *Acerbo enim luctu dolens pater cito rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſuos ſacra & ſacrificia.* Fateamur igitur quod fatendum eſt, Tharæum diis alienis in Meſopotamia ſeruiſſe: an autem etiam idola coluerit, multo magis an idola finxerit, è ſcriptura nemini compertum eſſe poteſt, cùm idoli veſtigium

nullum extet ante annum Iacobi ſeptimum & nonageſimum. Gen. 31. v. 19.

110. Quòd ſi propter authoritatem Epiphanij & Philonis eum fateri neceſſe eſt primum idolorum fuiſſe fictorem, planè dicendum eſt id poſt obitum Arani contigiſſe, vt delirus ſenex à religione veráque in Deum fide, cuius tuendæ cauſſa ſolum verterat, & in Meſopotamiam emigrarat, exorbitans, vel, vt modò dicebas, nouæ vexationis metu, vel Nachoris ad eum è Chaldæa venientis hortatu, vel luctu & deſiderio Arani filij in Chaldæa demortui, non ſolùm Deos coluerit alienos, ſed etiam filium, qui tanquam homo mortuus fuerat, quaſi Deum conſecrarit, eius ſimulacrum finxerit, & idololatriam primus inuexerit. Quod ſi factum eſt, eum citra controuerſiam de relinquenda deorum & idolorum vanitate monuit Abrahamus, & obdurata mente ſuis idolis inhærentem deſeruit, rurſúſque vocantem Deum ſequens in terram cum Chanaan vxore, Loto, familia commigrauit.

111. Quanquam, vt modò dictum eſt, probabilius videtur ſuperſtitionem idolorum à maledicta Chami familia eſſe propagatam, niſi ſi quid Poëtarum fabulis indulgendum putamus, dicimúſque Prometheum Iapheti filium hominis è luto finxiſſe ſimulacrum, eique cœleſtem ignem, id eſt, quandam diuinitatis ſimilitudinem opinione hominum indidiſſe, vnde idololatria profluxerit. Hæc habui quæ de præſenti quæſtione dicerem: nunc operæ mihi pretium facturus videris, ſi Patriarcharum annis in vnam homadem collectis, oſtenderis ortum Abrahami anno poſt publicam generis humani calamitatem ducenteſimo nonageſimo tertio contigiſſe, vel potiùs annorum ſeriem à diluuio ad obitum eiuſdem Patriarchæ perduxeris.





SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER OCTAVVS.

ÆGYPTIVS, SIVE DE PHARAONE.

EVSTOCHIVS, PHILARCHÆVS, POLYPRAGMON.

II. *PRÆFATIO.*

1. EVST. Vis, ô Philarchæe, vt Polypragmonem hunc, quem fors vltro nobis obtulit, nostræ disputationis arbitrum faciamus? PHILARCH. Mihi verò nihil poterit esse gratius, Eustochi, quàm virum humanissimum, & vel docendi, vel discendi cupidissimum nostris sermonibus interesse. Mihi, crede, nihil intactum relinquet, omnia curiosè rimabitur, omnes suspicionum latebras indagabit. Ehodum, Polypragmon, Polypragmon, paucis ambo te volumus. POLYPRAGMON. Auete, viri optimi. Vnde? quo? Ecquid nouorum habetis nuntiorum? Ecquid de profligato à Persis, Turcorum exercitu? De recrudescente inter Moscouitas & Polonos bello? De fluuiis cruentas vndas in Lotharingia voluentibus? De visis in cœlo portentis? Quid Pasquinus Romanus cum suo Marsporio? Quid Francicæ gazettæ? Quid proximi Flandrorum tabellarij retulerunt? In Batauia quàm prosperè res geruntur? Quid Croatæ, Poloni, Sueci, Hungari, Tartari moliuntur? Quid denique iste libellus, quem in manibus habes, Eustochi.

2. PHILARCH. O Polypragmon: Eustochius hic noster ex isto libello mihi mira & sanè noua recitabat. POLYP. Hui! noua! PHILARC. Sermo nobis de tuis maioribus inciderat: quorum seriem in hac charta memoriæ causâ contexu. POLYPRAG. Meis? PHIL. Tuis, inquam, POLYP. Quibus quæro: EVSTOCH. A quibus oriundum esse Cecropem, & cur διφυῆ dictum fuisse arbitraris. POLYP. Ægypto fuit oriundus, vt aiunt, dictus διφυὴς quòd Ægyptiacè & Atticè loqueretur. Sed quid ad maiores meos. EVSTOCHIVS. Coniecto te nobilissimum esse, Atheniensium patriâ familiâ Cecropidem, origine Ægyptium, nihil ad aliud vacas, ni-

ſi aut dicere, aut audire aliquid noui.
Ἀττίδος ἀρχαίης φιλοπευθέες εἰσὶ πολῖται.
POLYP. Equidem habeo quod reponam, mi Euſtochi, ſed nolo tibi bilem ciere, quo faciliùs hunc à te libellum eblandiar. Quæſo ſine te exorari. EVST. Eccùm, vide.

ÆGYPTIORVM REGVM SERIES.

	Ex Manethone.	anni	menſ.	Ex Theophilo.	anni	menſ.	Ex Euſebio.	
1	Themoſis.	25	4	Amoſes.	25	4	Amaſis.	25
2	Chebron.	13		Chebron.	13		Chebron.	13
3	Amenophis.	20	7	Amenophis.	20	7	Amenophis.	21
4	Ameſſes ſoror.	21	9	Ameſses ſoror.	21	1	o	0
5	Mephres.	12	9	Mephres.	12	9	Mephres.	12
6	Mephramuthoſis.	25	10	Methrammethoſis.	20	10	Miſpharmuthoſis.	26
7	Thenoſis.	9	8	Tychmoſis.	9	8	Tuthemoſis.	9
8	Amenophis.	30	10	Damphenophis.	30	10	Amenoptes.	31
9	Orus.	36	5	Orus.	35	5	Orus.	38
10	Acenchres Ori filia.	12	1	Ori filia.	10	3	Acengee	12
11	Rathotis.	9	0	o	0	0	Achoris.	9
12	Acencheres.	12	5	Mercheris.	12	3	Cenchres.	16
13	Acencheres alter.	12	3	o	0	0	Acherres.	18
14	o	0	0	o	0	0	Cheores.	15
15	Armais.	4	1	Armais.	30	1	Danaus.	5
16	Armeſis.	1	4	o	0	0	o	0
17	Armeſeſmiamom.	66	2	Meſſes: Miamini F.	6	0	Ægyptus.	68
18	F. o	0	0	Rameuſis.	1	4	o	0
19	Amenophis.	19	6	Amenophis.	19	6	Menophis.	40
20	Sethon, ſiue Sethoſis, qui & Ægyptus.	59	0	Thoiſſus & Ramſes.	10	0	Zethus.	55
21	Ramſes.	66					Ramſes.	66
22	Amenophis.						Amenophis.	40

II. *Proponuntur variæ Quæſtiones.*

3. POLYP. Pauca ſunt, Philarchæ, quæ ex te ſcire deſiderem. Primum, vt Theophilum omittam, qui videtur in multis eſſe corruptus amanuenſium incuria, quid cauſſæ ſit cur cùm Euſebius Manethonem eorum quæ à ſe dicuntur, laudet authorem, nihilo tamen ſeciùs frequenter ab eo diſſentiat. Deinde quatenus fides adhibenda ſit Manethoni, eiúſne an Euſebij debeat eſſe maior authoritas. Denique quoniam neceſſe eſt Hebræorum exitum in horum Regum ætatem incidiſſe, quis eorum fuerit ille Pharao, qui tam dirè, tam atrociter vexauit Hebræos, quis ille qui fugientibus imminens mari Rubro demerſus eſt. PHILARC. Nimirum ex eorum me genere eſſe iubes, Polypragmon:

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt, Plautus.
Quod quiſque in animo habeat, aut habiturus eſt, ſciunt,
Id quod in aurem Rex Reginæ dixerit
Sciunt, quod Iuno fabulata eſt cum Ioue,
Quæ neque futura ſunt, neque facta ſunt, tamen ij ſciunt.

Quis enim poſſit omnium etiam quæ præter rationem ab aliis dicuntur, præſtare rationes? Tamen ne tuo ſtudio defuiſſe videar, Polypragmon, paucis exponam quod ſentio.

III. *Sinceriorem antiquitatis notitiam è Phœnicum, Ægyptiorum & Assyriorum, quàm è Græcorum scriptis hauriri.*

4. ÆGyptijs & Assyrijs ab ipso sui generis exortu, cùm Græci necdum haberent vllam notitiam litterarum, semper impendio curæ fuit rerum gestarum memoriam publicis consignatam tabulis ad posteritatem transmittere. *Primi*, inquit Cornelius Tacitus XI. annalium, *Per figuras animalium Ægypty sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur, & litterarum inuentores semet perhibent. Inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intulisse Græciæ, gloriámque adeptos tanquam repererint, quæ acceperant. Quippe fama est Cadmum classe Phœnicum vectum rudibus adhuc Græcorum populis artis eius authorem fuisse. Quidam Cecropem Atheniensem vel Linum Thebanum, & temporibus Troianis Palamedem Argiuum memorant sexdecim litterarum formas, mox alios ac præcipuum Simonidem cæteras reperisse. At in Italia Ethrusci ab Corinthio Demarato, Aborigenes Arcade ab Euandro didicerunt.*

Inuentores literarum.

5. Imo, vt aduertit Iosephus lib. I. in Appionem, nulla extat in Græcia Troiana clade superior templorum aut donariorum inscriptio. Quando etiam de iis qui tanto post Cadmum tempore ad Troiam militarunt, valdè dubium est & controuersum an iamtum litteris vterentur. Καὶ τὸ ἀληθὲς ἐπικρατεῖ μᾶλλον περὶ τῆς τῶν νῦν οὐσῶν τῶν γραμμάτων χρήσεως ἐκείνους ἀγνοεῖν. *Et magis veritas obtinuit vsum litterarum, quibus nunc vtimur, ys fuisse incognitum.* ὅλως δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. *Omnino enim apud Græcos nulla scriptio, de qua certò constet, Homeri poesi reperitur antiquior.* Καὶ φασὶν οὐδὲ τοῦτον ἐν γράμμασι τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν γραμμάτων ὕστερον συντεθῆναι. *Et aiunt ne ipsum quidem litteris poesim suam consignatam reliquisse, sed eam, cùm prius in hominum memoria seruata fuisset, postea litteris esse mandatam.* Etsi apud Poëtam reperiuntur aliqua scripturæ vestigia, vt cùm Iliade sexta Prætus in Lyciam Bellerophontem mittens

Literæ an tempore belli Troiani.

---ἔπορεν δ' ὅ γε σήματα λυγρὰ
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

---*Dedit illi tristia signa*
Lethifera inscribens replicata multa tabellæ.

6. Quicquid sit, vt scribit idem Iosephus, qui apud Græcos historias scribere aggressi sunt, Cadmum dico Milesium, & Acusilaum Argiuum, & si qui cum iis dicuntur fuisse, ii modico tempore ante Persarum in Græciam expeditionem floruerunt. Quare quicquid in Græcia gestum ante Olympiadas, id vel innumeris fabulis inuolutum, vel penitus obliuione deletum est; vt Varro non iniuria omnem antiquitatem in tempora tria distinxerit, quorum vnum ἄδηλον obscurum, alterum μυθικὸν fabulosum, tertium ἱστορικὸν appellat.

Historiarum primi scriptores.

POLYPRAG. Sed quorsum ista, mi Philarchæ? PHIL. Eò collineat oratio mea, vt intelligamus sinceriorem antiquitatis notitiam è Phœnicum, Assyriorum, Ægyptiorum fontibus, quàm è Græcorum, (quos meritò Solonem alloquens semper pueros vocat nescio quis Sacerdos Ægyptius) riuulis hauriri. Quamuis etiam illi non infrequenter, vel dum antiquitatis opinionem affectant, vel dum sibi ipsis nimiùm indulgent, vel dum aliarum gentium odio vel inuidia tabescunt, apertissimè mentiantur.

Certior historia Barbarorum quàm Græcorum.

7. Nam, vt alios taceam, Ægyptii res Hebræorum, à quibus in suam gentem non mediocris redundabat infamia, si non penitus abolere potuerunt, saltem fabulis & mendacijs obscurare conati sunt. Quoniam igitur sine sui generis infamia fateri non poterant Hebræos, quorum maiores & Ægyptum fame laborantem ab interitu vindicarant, & ipsos Ægypti Reges ad summas opes Iosephi sapientiâ prouexerant, à posteris iniustissimè redactos in seruitutem fuisse, totúmque adeo nomen Ægyptiorum vlciscente numine illatam Hebræis iniuriam, vatijs afflictum cladibus, & tantumnon internecione deletum, ne vel inimici Deo, vel à seruis vilibúsque mancipijs profligati fuisse crederentur, eam ob caussam varijs fabularum offuciis conati sunt fucum facere tam perspicuæ veritati.

Ægyptiorum vanitas, & inuidia in Iudæos.

Quare cùm inficiari non possent pastores è Syria profectos aliquandiu regno præfuisse, & ad eandem Syriam postliminiò rediisse, nec fateri vellent Iosephum virtute potiùs & beneficiis quàm vi & iniuria vicariam in Ægypto Regis adeptum esse dignitatem, Ægyptum à pastoribus quibusdam obscurissimis vexatam & occupatam fuisse commenti sunt, cósque tandem erectis ad recuperandam libertatem Ægyptiorum

ptiorum animis coactos Ægypti finibus excedere, in Palæstinam Syriam commigrasse, ibi Hierosolymam condidisse, vnde postea à leprosis quibusdam Ægyptiis & pollutis, ad lapidicinas damnatis, & Mose duce rebellantibus in auxilium euocati magnis cladibus Ægyptum afflixerint, tandémque ab Aegyptiis expulsi retrocesserint, & Aegyptios illos leprosos in suam ciuitatem admiserint.

8. Duas igitur illi profectiones finxerunt, alteram post obitum Iosephi finitâ Pastorum dynastiâ, quòd videlicet eo pene tempore Ephraïmitæ à Iosepho propagati in Chananæam ex Aegypto profecti fines Gethæorum armis inuaserant. *Occiderunt autem eos*, vt dicitur Paralip. 1. cap. 7. v. 21. *Viri Geth indigenæ, quia descenderant, vt inuaderent possessiones eorum.* Ex qua Ephraïmitarum expeditione color mendacio videtur esse quæsitus. Alteram profectionem nō iam pastorum, sed leprosorum, quorum Dux fuerit Moses, eiectionem esse voluerunt, vafro sanè commento, non solùm vt Mosem sibi vēdicarent, sed etiam, vt quemadmodum Itali veneream luem eo tempore exortam, quo Galli Neapolim obtinebant, morbum Gallicum, Galli econtrà morbum Neapolitanum appellant, ita primam lepræ originem non à seipsis, vnde exorta fuerat, sed ab Hebræis, quorum in gratiam, vlciscente Deo factam ab Ægyptijs iniuriam, immissa fuerat, accerserent. Author est enim Artapanus antiquissimus scriptor apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euangelica, Pharaonem illum à quo Moses ad necem quæsitus est, primum omnium mortalium elephantiasi siue lepra correptum infelicem animam exhalasse. Quod supplicium etiam ad posteros redundauit. Nam vt scribit Plinius lib. 26. c. 1. *Ægypti peculiare hoc malum, & cùm in Reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis solis temperabantur humano sanguine ad medicinam.* Et quidem sanguine infantium, vt patet ex actis Syluestri, vt qui necem tot Hebræorum infantulis moliti fuerant, ipsi ad expiandam luem ea de caussa primùm immissam, suorum liberorum sanguinem effunderent, sed iam propiùs ad Manethonem.

Ephraimitæ ante tempus in Palestinam redire voluerunt.

Pharao primus Leprosus.

IV. *Cur Eusebius circa Reges Pastores à Manethone dissentiat.*

9. AIt Manetho sacerdos Ægyptius apud Iosephum libro 1. aduersus Appionem Pastores, quos ipse *Hicsos*, id est, *Reges pastores*, vel vt aliis exemplaribus legi testatur idem Iosephus, *captiuos pastores*, Ægyptum annis quingentis vndecim tenuisse, deinde per desertum in Syriam venisse, Hierosolymam condidisse, quo tempore Themosis Ægypti regnum obtinebat: enumerat deinde Reges septemdecim vsque ad Sethosim siue Ægyptum, quibus annos fere trecentos triginta tres assignat, additque Sethosim annos vndesexaginta, Ramsem sexaginta sex imperium tenuisse, cuius filius Amenophis leprosos & pollutos ex omni regno collectos, qui Mose duce, accitis Hierosolymitanorum pastorum auxiliis Ægyptum lacerabant, è regni finibus extruserit.

Hycsi.

Pastorum dominatus in Ægypto.

10. E quibus manifestè colligitur è mente Manethonis mille propemodum annis post inchoatam Pastorum dynastiam Mosen floruisse: ac proinde, si, vt putat Eusebius, Israëlitæ fuerunt ij pastores, habitationem filiorum Israel in Ægypto fuisse mille circiter annorum. Vidit hoc Eusebius, & Pastorum dynastiam annis centum & tribus definiendam, eiectionem filiorum Israel ex Ægypto non Amenophi Sethosis nepoti, sed Cenchri longè antiquiori putauit acceptam esse referendam. Et quidem, quod ad Pastorum dynastiam attinet, aliquid videtur habere rationis. Nam cùm nono ante descensum Iacobi anno Iosephus vicariam totius Ægypti præfecturam acceperit, Leui, qui, vt habet Sedar Olam, omnium Patriarcharum postremus obiit, annos quatuor & nonaginta vixerit in Ægypto, si nouem illis superioribus ante Iacobi descensum exactis hos nonaginta quatuor adieceris, inter exortum dynastiæ Iosephi pastoris, & obitum Leui reperies annos tres supra centesimū interesse. Quamuis commodiùs fortasse dixisset non Leui, sed Iosephi morte finitum esse Pastorum principatum, anno primo & septuagesimo post descensum Iacobi, octogesimo postquam Iosephus proregiam in Ægypto potestatem acceperat.

11. Imò Eusebius dum Manethonem ad (suos, dicam?, an scripturæ?) calculos exigere contendit, secum ipse pugnat, quippe qui & Pastorum dynastiam propter Iosephum & fratres eius dictam esse confitetur, vt debuit, &, quod non debuit, ad nonagesimum Isaaci annum reuocat eius primordia, vt centum ipsis annis priùs inchoata fuerit, quàm Iacob in Ægyptum descenderet: nonaginta priùs quàm Ioseph Ægypti teneret principatum. Habes igitur caussam cur Eusebius à Manethone dissentiat, cur autem etiam à seipso dissi-

Eusebij à Manethone dissensio.

deat alia proferri ratio non potest, nisi quòd falsitas secum ipsa confligit. & ille pugnantia loqui coactus est, quia cùm dixisset primo decimæ sextæ dynastiæ anno natum Abrahamum, moram filiorum Israel in Ægypto non annis quadringentis & triginta, quod disertis verbis scriptura testatur Exodi 12. v. 40. sed ducentis duntaxat & quindecim annis definire statuerat.

V. *Quanta esse debeat Manethonis authoritas.*

12 CÆterum etsi negari non potest Manethonem vel antiquitatis affectandæ caussa multos interdum annos suis rationibus addidisse, vt cùm annos quingentos Pastoribus assignat, qui octoginta duntaxat annis ab initio fertilitatis ad Iosephi mortem, Ægypto præfuerunt, vel amore suæ nationis & odio Iudæorum multa finxisse, aut ab aliis ficta protulisse, vt cùm leprosos fuisse scribit, ipsúmque adeo Mosen genere quidem Ægyptium, sed calamitate leprosum, qui diu post extinctam Pastorum dynastiam egressi sunt ex Ægypto, cum tamen neque manifesta ratio refragatur, neque scripturæ reclamat authoritas, non video cur Eusebium illi præferre debeamus, nisi si quis fortasse laticem è riuulo quàm è fonte putat hauriri puriorem.

VI. *Diuersæ veterum de Mosis ætate sententiæ.*

13. ATque vtinam tam facilè expedire possemus quinam fuerint illi Pharaones, à quibus populus Hebræorum vexatus est: sed authores videmus non solùm circa Pharaonem, sed etiam circa Mosis ætatem, in tam diuersas dissidentésque sententias esse distractos, nihil vt mihi lucis affulgeat, neque quicquam aliud præstare possim, quàm vt ipsissima scriptorum verba producam: tu, Polypragmon, vel iis contentus eris, vel quia certò scio te contentum non fore, rem sagaciùs indagabis, & cum Eustochio nostro diligentiùs expendes.

14. Circa Mosis ætatem duæ fuerant extremæ sententiæ: Porphyrius lib. 4. contra Christianos Mosem antiquiorem Semiramide censebat, Sanchoniathonem Berytium aiens Semiramidis æuo floruisse, ἐπὶ Σεμιράμεως, inquit, Γέγονε τῆς Ἀσσυρίων βασιλίδος qui tamē ex Ierobaali annalibus Berytiorum Regi dicatus historiam Iudæorum excerpserat. οἱ δὲ τούτων χρόνοι, καὶ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν πίπτουσι χρόνων, καὶ σχεδὸν τοῖς Μωσέως πλησιάζουσιν, ὡς αἱ τῶν φοινίκης βασιλέων διαδοχαὶ μηνύουσι. *Horum autem tempora ante Troianum bellum extiterant, & pene accesserunt ad Mosis ætatem, vt successiones Regum Phœnicię declarant.* Hæc Porphyrij verba extant apud Eusebium lib. 10. de præpar. Euang. & initio Chronicorum. Semiramis autem, vt ibidem Eusebius aduertit, octingentis saltem annis bello Troiano fuit antiquior.

15. Contrà Lysimachus apud Iosephum lib. 1. & 2. aduersus Appionem ad Bocchoris ætatem refert exitum Hebræorum, quæ videtur Appionis fuisse sententia. *At verò Appion*, (inquit idem Iosephus, quanquam parco Græcis latina translarione contentus) *cæteris fide dignior exactè illum exitum definiuit, septima Olympiade & huius anno primo, quo vt ait Pœni Carthaginem condiderunt.* Olympias autem septima Bocchoris anno præterpropter trigesimo celebrata est annis quadringentis triginta quinque, post excidium Troianum. Quibus adstipulatur Tacitus Histor. 5. *Plurimi*, inquit, *authores consentiunt, orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim adito Amonis oraculo remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum, vt inuisum diis, alias in terras auchere iussum*, & alia multa, quæ consultius fuisset tacitum prætertire.

16. Quid enim absurdius quàm Mosem ad tempora reuocare, quibus Reges Iuda iam propemodum desinebant? cùm ex omnium planè Chronologorum sententia constet primum annum Cyri, sub quo finita est Babylonica seruitus, in quinquagesimam quintam Olympiadem incidisse. Quanquam, vt aduertit Lipsius in vetustioribus Taciti codicibus Occhoris legitur, vt illum Achorim interpretari possimus, qui proximè ante Cenchrem per nouennium regnauerat: & quod Porphyrius Semiramidem Mose recentiorem facit, id fortasse de Semiramide secunda possit intelligi, quàm alio nomine Atosam Eusebius appellat, & cum Belocho patre regnasse scribit quo tempore Othoniel Hebræos iudicabat.

17. POLYPR. Atqui, mi Philarchæe, ne sic quidem cum Eusebii Chronologia concinunt Porphyrii rationes. Cum enim Sanchoniathon Semiramidis æuo floruerit, & è Ierobaali commentariis historiam Iudęorum acceperit. Cis est Gedeon quem Porphyrius ἱερέα θεοῦ Ἰευὼ *Sacerdotem Dei Ieuo* perperam vocauit (cùm Hebræi populi Iu-

dicem dicere debuisset) necesse est Semiramidem annis post Othonielem penè ducentis Assyriorum imperium tenuisse. Quid igitur prohibet dicere Porphyrium in supputandis Assyriorum annis, Herodoti potiùs quàm Ctesiæ sectatum esse vestigia? Si Ctesiam audimus, annis centum ante primam Olympiadem Assyriorum imperium finem accepit, quod incolume steterat annis facilè trecentis supra millesimum, vnde sequitur Abrahamo vix primam pueritiam ingresso, Semiramidem floruisse. Si Herodotum: ab Assyriacæ monarchiæ primordiis ad Medorum defectionem, quā Nearchus noster in annum Ezechiæ decimum quartum, & Olympiadem decimam sextam incidisse demonstrat, anni duntaxat viginti supra quingentesimum numerantur. E quibus efficitur exortam esse Assyriorum Monarchiam, qua tempestate Gedeon siue Ierobaal Hebræorum administrabat Rempub. annis ante bellum Troianum circiter quinquaginta.

Iosephus Appioni videtur imposuere.

18 Quod ad Appionem attinet, vereor vt Iosephus eius refellendi studio paulo secus eius mentem acceperit, quàm veritas ipsa patiatur. ait enim Iustinus Martyr exhortatione ad Græcos Appionem Possidonij filium, tum libro contra Iudæos edito, tum quarto historiarum libro scriptum reliquisse, κατὰ Ἴναχον Ἄργους βασιλέα, Ἀμάσιδος Αἰγυπτίων βασιλεύοντος ἀποστῆναι Ἰουδαίους, ὧν ἡγεῖσθαι Μωϋσέα. *Temporibus Inachi Regis Argiuorum, regnante apud Aegyptios Amaside, defecisse Iudæos, iisque Mosem ducem fuisse.* Suffraganrur Iulius Africanus lib. 3. Chronologiæ; Tatianus ad Græcos, & Clemens Alexandrinus libr. 1. Stromat. de Appione, vt quas extremas duas opiniones dixisti meritò, quòd sine authore manauerit in vulgus, repudiandæ videantur.

19. PHILARC. Iam igitur ad medias veterum scriptorum de Mosis ætate sententias veniamus, & Iustinum martyrem hortatione ad Græcos loquentem audiamus. *Temporibus*, inquit, *Ogygis & Inachi, quos etiam* γηγενεῖς *è terra editos quidam vestrum crediderunt, Mosis faciunt mentionem vt ducis & principis Iudæorum. sic enim Polemon primo Græcarum historiarum meminit, & Appion, &c.* & ἅπασι τούτοις συμβαίνει, *his omnibus adstipulatur Ptolemæus Mendesius, & qui res gestas Atheniensium scripserunt, Hellanicus, Philocorus, Castor, Thallus, Alexander Polyhistor.* Hæc Martyr ille sanctissimus: cui de cæteris planè consentit Iulius Africanus lib. 3. Chronographiæ: hæc tamen Polemonis ipsius verba refert, quæ cum Iustino non vsquequaque consentiant. Ἐπὶ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως μοῖρα τοῦ Αἰγυπτίων στρατοῦ ἐξέπεσεν Αἰγύπτου, οἳ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καλουμένῃ Συρίᾳ οὐ πόρρω Ἀραβίας ᾤκησαν, *Regnante Apisitio Phoronei, pars Ægyptiorum exercitus ex Ægypti finibus egressa in Palæstina Syria non longe ab Arabia consedit.* Quæ subtexuntur, αὐτοὶ δηλονότι οἱ μετὰ Μωσέως, *illi videlicet qui cum Mose exierunt*, non videntur esse verba Polemonis, sed glossema quoddam ipsius Africani.

Apud Eusebium lib. 9. ✝ροπαρ.

20. Artapanus apud Eusebium Pharaonem qui filios Israel primus afflixit eorúmque liberos in flumen abiici iussit, Palmanothem, huius generum à quo Moses ad necem quæsitus est, Chenephren vocat: Philo lib. 1. de vita Mosis eundem fuisse commemorat qui & Hebræos vexare occœperit, & multis pòst annis Mosi mortē fuerit machinatus. Eusebius Cenchrem, Manethon, vt iam dictum est, nuncupat Amenophim, Pharaonem illum qui mari Rubro submersus est. Videtis igitur, Polypragmon & Eustochi, quàm incerta sint omnia, quàm lubricus hic locus, quàm nihil in antiquorum librorum monumentis inueniri possit, in quo ponamus vestigium. *ibid.*

VII. *Causæ cur Ægyptiorum historia obscura sit.*

Plura nomina singulis Ægyptiis.

21. Accedit ad cæteras difficultatis caussas, quòd vt de omnibus Ægyptiis ait Pausanias in Heliacis prioribus, singuli Reges plura nomina videntur habuisse. & ne longiùs exempla ducamus, quem Themosin Manethon appellat, idem Amasis à Iustino & Eusebio nuncupatur. Vnum & eundem Manetho Sethosim, vel etiā Sethonem, Herodotus Sesostrim Diodorus Sesoosim indigitat. Sed fieri potest, quod in barbaris huiusmodi vocibus euenire solet, vt hæc appellationum varietas per amanuensium errorē in scripturam irrepserit, illud tamen sine mendi suspicione constat authoritate Manethonis eundem Sethosim Ægypti cognomen habuisse, quem nisi me omnia fallunt, Tacitus Ramsen, Eusebius Ramesem appellant.

22 Quid? quòd cùm Eusebius in fine exordij Chronicorum agens de sexta & decima Ægyptiorum dynastia, cuius anno primo natum voluit Abrahamum, Manethonem laudasset, dynastiarum chronologiam ita conclusit, *Ægyptiorum regnum destructum est, huc vsque Manetho.* E quibus apertè liquet quicquid ab ortu Abrahami, ad eius-

dem annum millesimum sexcentesimum sexagesimum quintum de Ægyptiis dixit Eusebius, id eum ex vnius Manethonis testimonio protulisse. Quid igitur caussæ fuisse putamus cur non solùm in aliquot Regum nominibus à Manethone dissenserit, sed etiam in hac Regum serie nonnullos adiecerit, detraxerit nonnullos, aliorum annos auxerit, minuerit aliorum, seriem etiam Regum turbauerit, & Ægyptum decimum quintum ab Amasi siue Themosi recenseat, cùm decimus octauus à Manethone numeretur.

23. Hæ sunt igitur tricæ, hi difficultatum nodi quos equidem explicare non possum, & iam vereor ne vobis ingrata fuerit orationis meæ prolixitas. POLYP. Vtinam, mi Philarchæe, quas nebulas excitasti, eas dissipare voluisses: nihil profectò mihi tua fuisset oratione iucundius, & disputationis tuæ longitudinem vtilitate compensasses. Sed quoniam has Eustochij nostri partes esse voluisti, age sanè, communi studio sciscitemur cur in texenda Regum Ægyptiorum serie frequenter Eusebius à suo Manethone dissentiat: cur Amessem Amenophis primi sororem, cui Manetho annos vnum & viginti tribuit, ex isto Regum numero subduxerit, cur Armaim & Armesim confuderit quos Manetho disiungit; cur denique Ramessem, siue Ægyptum centum & octo annis priùs regni gubernaculis admotum fuisse dicat, quàm secundum Manethonem Ægyptus regnare occœperit.

VIII. *Cur Eusebius seriem Regum Ægyptiorum à Manethone digestam turbauerit.*

24. EVSTOCH. Difficile est, mi Polypragmon, neque sanè necessarium singulorum reddere rationes. Pretium tamen operæ fuerit, ea quæ magis ad propositam controuersiam pertinent, oratione libare. Videbat Eusebius extricari non posse chronologiæ suæ rationes nisi Ægyptum Danai fratrem non solùm Ægyptiorum historiis quæ facilius obscurari poterant, sed etiam Græcorum fabulis celebrē Mosis temporibus admoueret. Cùm igitur Cenchrem vndecimum ab Amasi siue Themosi Pharaonem illum esse dixisset qui mari Rubro submersus est, eum quem Manetho Armesesmiamon appellat, Ægyptum nuncupauit. Quia tamen negari non poterat Ægyptiorum regnum, vt cùm maximè sub Aegypto Rege, à quo & regio nomen accepit, opibus, hominum multitudine, rerum gestarum gloria floruisse; neque vero similis esset oratio, si statim post plagas Ægyptias deletumque propè nomen Aegyptiorum ad summum gloriæ & felicitatis apicem venisse diceretur, Acherri, qui proximè Cenchri successerat, annos sex adiecit, eumque annis octodecim post Aegyptiorum cladem Aegypto præfuisse dixit, quem Manetho duodecim duntaxat annis regnasse testatur, & inter hunc & Armaim, quem ipse Danaum appellat, nescio quem nomine Chetrem obtrusit, eiusque caussa quindecim annos adiecit. Quo factum est vt Aegyptus viuente quidem adhuc Mose, sed tamen tricesimo & octauo post plagas Aegyptiacas anno regni gubernaculis admotus fuisse crederetur: quo temporis interstitio res Aegyptiorum tantumnon radicitus excisæ reuirescere facilè potuerunt.

IX. *Pharaones qui primi vexarunt Hebræos diu regnasse, postremum vix biennio.*

25. NOndum dico quis ille Pharao fuerit qui filios Israel emisit, & eùm fugientibus instaret maris Rubri fluctibus inuolutus obduratæ peruicaciæ pœnas exoluit. Illud aio, quisquis ille fuit, eum videri vix vltra biennium imperium prorogasse, cùm duo superiores centum minimùm annis regni gubernacula tenuissent. *Fide Moyses*, inquit Apostolus ad Hebr. cap. 11. vers. 24. *grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Anno videlicet ætatis suæ quadragesimo. Nam vt ait Stephanus Act 7. vers. 23. res à Mose gestas summatim exponens, *cùm impleretur ei quadraginta annorum tempus, in cor eius adscendit vt visitaret fratres suos filios Israel.* E quibus satis intelligitis vel eum Pharaonem qui iusserat infantes in fluuium abiici, vt Philo testatur, vel potiùs, vt maluit Artapanus, eius generum maritum filiæ Pharaonis quæ Mosen ex aquis extraxerit, adhuc Aegypto præfuisse, cùm iam Moses annum vitæ quadragesimum attigisset.

26. Eum porro, cuius tempore natus est Moses, ad eum Mosis annum non fuisse superstitem liquet ex eo quòd is qui tum florebat, cùm Moses interfecit Ægyptum, multis deinde annis vitam propagauit, vt pene ad octogesimum Mosis annum peruenerit. Exod. 2. vers. 23. *Post multum verò*

temporis, mortuus est Rex Ægypti. Quibus verbis quis non eundem Regem intelligit, de quo dixerat vers. 15. *Audiuit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem qui fugiens è conspectu eius, moratus est in terra Madian?* Quis, inquam, non intelligit vnius & eiusdem Pharaonis fieri mentionem? *Post multum vero temporis mortuus est Rex Ægypti:* is ipse qui necem Mosi molitus fuerat; *& ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt, adscenditque clamor eorum ab operibus.* vers. 24. *Et audiuit gemitum eorum, & recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob, & respexit Dominus filios Israel, & cognouit eos.* Mosis deinde vocationem eodem narrationis contextu subnectit, vbi & ait Deus cap. 3. vers. 9. *Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.* Quibus verbis qui nullis præiudicatis opinionibus occupatus ad exponendam scripturam accesserit, is planè sentiet Pharaonis illius, qui, quo tempore Moses occidit Ægyptium, rerum potiebatur, obitum paulo ante Mosis vocationem contigisse.

27. Quod si, vt volunt Eusebius & plerique omnes post eum Chronologi, filij Israel Cenchris decimosexto, Mosis octogesimo mare transierūt, cùm ante Cenchrem Achoris nouem, Acenchris siue Acengee Ori filia duodecim duntaxat annos regnauerit, Orus mortuus est tertio pòst anno quàm Moses iam quadragenarius ob interfectum Ægyptium ad necem quæsitus ex Aegypto profugerat. Quonam igitur sensu scriptura dicit; *Post multum vero temporis mortuus est Rex Aegypti?* Et cùm sub idem tempus significet Deum audiuisse gemitū filiorum Israel, videndo vidisse afflictionem populi sui, adspexisse, cognouisse, recordatum fœderis sui, qua tandem ratione triginta septē annis supersedit Deus populo suo tot cladibus afflicto subuenire? Profecto dici aliud nihil potest, quàm eum Pharaonem qui Mosi molitus est insidias, ad eiusdem Mosis annum pene octogesimum vitam propagasse, eumque proinde qui decem illis plagis afflictus & tandem mari submersus est, vix vltra biennium Ægypti gubernacula tenuisse.

28. Neque enim Deus aliter afflictorum recordati dicitur, quàm cùm incipit eos à miseriis liberare, quos ad tempus affligi permiserat. *Qui enim obliuisci non potest* (Quomodo Deus dicatur recordari & obliuisci.) Gregorium Magnum loqui putatore 17. Moral. cap. 2.) *quo pacto recordari potest? sed quia eos nos, quorum recordamur, amplectimur; ab his autem, quorum obliuiscimur,* *elongamur, humano vsu & recordari Deus dicitur, cùm dona tribuit, & obliuisci, cùm in culpa derelinquit.* valeat igitur, valeat quantum est Chronologorum, qui contra scripturam Eusebij solius authoritate persuasi Cenchrem Hebreis, fugientibus instantem anno regni sui decimo sexto, maris Erythræi gurgitibus absorptum esse voluerunt.

29. Iam quòd idem ille Pharao qui Mosē ad necem quæsiuit, cum suo siue patre, siue potiùs socero centum aut etiam plures annos regnando impleuit, liquidò potest inde cognosci, quòd vt res ipsa declarat, vnus & idem fuit qui redegit Hebræos in seruitutem, oneribus oppressit, masculos ab obstetricibus iussit elidi, & vndis aboleri, cuius denique filia seruauit Mosem infantulum, & quasi filium educauit; & is qui ob Ægyptij cædem extremum supplicium inferre Mosi conatus est, penè ad eiusdem Mosis annum octogesimum, vitam propagauit: vt sub tribus duntaxat Regibus Hebræi seruisse videantur. Porro si Eusebium audiamus, *Hebræi Aegyptiis seruierunt annis centum quadraginta quatuor.* Quamuis quod ait statim ab obitu Iosephi calamitatem hanc obtigisse, non obscurè scriptura refragatur Exod. 1. v. 6. 7. quod ne ipsi quidem diffiteri possunt qui Eusebij nobis authoritatem idētidem inculcant. cùm enim annis duntaxat ducentis quindecim moram Hebræorum in Aegypto definiat, certumque sit non ante mortem Leui Hebræorum cœpisse seruitutem, is autem annos quatuor & nonaginta vixerit in Aegypto, liquet hanc Eusebij Chronologiam scripturæ calculis esse contrariam. si enim ex annis nonaginta quatuor vitæ Leui, & centum quadraginta quatuor Aegyptiacæ seruitutis vnam summam conflaueris, non ducenti quindecim, sed ducenti triginta octo colligentur.

30. Salianus, Bonfrerius, Cornelius, Tirinus, aliique non pauci annos duntaxat duos & nonaginta tribuunt huic Hebræorum vexationi. Sed qui quæ primo & secundo Exodi capite narrantur, diligenter expenderit, is profecto videbit ea quæ ab initio seruitutis, ad Mosis exortum gesta referuntur, non potuisse duodecim annorum spatio contineri, vt mihi Tornellus hac quidem in parte cæteris anteferendus esse videatur, qui annos præter propter septem & viginti inter calamitatis exordium, & Mosis natalem euolutos esse defendit.

Quòd si in illa Aegyptiorum Regum serie duos quærimus qui Manethonis & Eusebij consensu centum annorum tempus excesserint, nullos reperiemus præter

Aegyptum; eiusque successorem: hi enim ambo, vtriusque calculis annos ampliùs centum Aegypto præfuerunt.cùm in cæteris pene omnibus Eusebius à Manerhone dissentiat.

X. *Quinam Pharaones Israelitas afflixerint.*

31. IAm vt paucis tuæ quæstioni respondeam, mi Polypragmon, quamuis nihil hîc certius esse video, quàm nihil esse certi, communémque Chronologorum sententiam, qui Eusebii authoritare permoti Cenchrem putant Mosi testitisse, & mari fuisse demersum, à scripturæ rationibus dissidere, quæ Regem Ægypti qui Mosis sanguinem expetiuit, multo post tempore extremum vitæ diem obiisse testatur, vt iam superiùs ostendimus; vero tamen nihil similius mihi videtur, quàm Pharaonem illum qui Hebræos primus oppressit, & in flumen abiici iussit infantes, fuisse Ramessem siue Sethosim aut etiam Sesostrim, quem Græcorum fabulæ Ægyptum Danai fratrem fuisse prodiderunt: eum qui Mosi necem machinatus est, fuisse Ramessem eius nominis secundum: eum porro qui mari Rubro submersus est, Amenophim huius nominis quartum, qui apud Manethonem vicesimus à Themosi, siue, vt Eusebius appellat, Amasi numeratur.

32. Polypragmon. Multa quidem dicis, Eustochi, sed vereor vt argumenti nihil adferre possis prærer inanem suspicionem. Quo enim authore? quo testimonio? quo facti vestigio? quibus rationibus ista proferuntur? Quibus, inquam, vestigiis hanc odoratus es veritatem? Evstochivs. Equidem certam mihi veritatem non arrogo, Polypragmon, neque mea pronuntiata videri velim *Credenda magis quàm*

Pythia quæ tripode è sacro laurúque profatur.

Neque mihi concessum puto, quod Homerus Tiresiæ

Οἷῳ πεπνῦσθαι· τοὶ δ' σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Vt solus sapiam: reliqui, velut vmbra, vagentur.

Multa tamen occurrunt, quæ si non certam, saltem quauis opposita probabiliorem efficiant sententiam Publicæ Ægyptiorum tabulæ, nomen Ramessis, monumentorum inscriptiones, Palæstina domita Ægyptiorum armis, antequam Hebræi Chananitidem obtinerent; denique Monarchiæ Ægyptiorum euersio.

XI. *De Hycsis siue captiuis, Pastoribus in Ægypto regnantibus: iidémne fuerint cum Hebræis, an diuersi?*

33 ET vt tabulis consignatis agamus, scribit Manetho sacerdos Aegyptius è publicis & sacris Aegyptiorum monumentis sub Themosi filio Misphramuthosis Pastorum dynastiam desiisse, cuius verba extant apud Iosephum lib. 1. aduersus Appionem: huic adstipulantur Polemon, Ptolemæus Mendesius, aliique non pauci apud Iustinum exhortatione, ad Græcos, Clementem 1. Stromarum, Tatianum exhortatione item ad Græcos, Africanum 3. Chronographiæ, & Eusebium 10. προπαρ. quamuis eorum plerique non Themosim, sed Amasim vel Amosim appellent. Hic autem Themosis Misphramuthosis filius septimus fuit à primo illo Themosi à quo Eusebius decimæ octauæ dynastiæ sumit exordium. Sed Manethon dum antiquitatis opinionem affectar, multos annos seiungit & explicat, qui sibi potiùs inuolui & implicari debuerunt. Vt igitur rebus Aegyptiacis maioris antiquitatis speciem accerseret, putauit omnes Aegyptiorum dynastias, quarum plures eodem tempore, singulis ciuitatibus principatum sibi vendicantibus floruerunt, eas, inquam, putauit in diuersa tempora separandas. Adeo, vt Eusebius ex Manethone crediderit initium decimæ sextæ potestatis Aegyptiorum in annum Nini tertium & quadragesimum incidisse, qui vt est communis recentiorum Chronologorum sententia, anno post diuisionem linguarum sexagesimo sexto regnare occœperat.

34. Cùm igitur in omnem captandæ antiquitatis occasionem immineret, Pastorum dynastiam, quos sub Regibus Aegypto præfuisse constat, à cæterorum Regum temporibus secreuit, & huius potestatis initium, non, vt debuit, à vicaria Iosephi præfectura, sed à prima profectione Abrahami voluit accersere. Et quoniam, vt dicitur Genesis 12. v. 16. & 17. *Abram bene vsi sunt propter illam*, videlicet Saram, quæ sublata fuerat in domum Pharaonis, *fuerúntque ei oues & boues & asini & serui & asinæ & cameli; flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem eius*: hinc factum est vt Manethon ista confingeret. Fuit nobis Rex Timaus nomine. *Sub hoc nescio quomodo* ὁ θεὸς ἀντέπνευσεν *Deus resflauit, fuitque contrarius, & præter opinionem*, ἐκ τ

πρὸς ἀνατολῶν μερῶν ἄνθρωποι τὸ γένος ἄσημοι καταθαῤῥήσαντες ἐπὶ τὴν χώραν ἐστράτευσαν, καὶ ῥᾳδίως ἀμαχητὶ ταύτης κατὰ κράτος εἷλον: è partibus Orientalibus homines genere ignobiles audacter prouinciæ bellum intulerunt & facilè ac sine bello ea potiti sunt, & principes eius alligantes de cætero ciuitates crudeliter incendere, & deorum templa euertere. Erga omnes verò prouinciales inimicissimè se gesserunt, & alia non pauca quibus eorum crudelitatem exaggerat. Deinde quibusdam nominibus interiectis eosdem Pastores ait in certam regionem cui nomen Auaris, fuisse compulsos, τὸν δὲ Μισφράμ κθώσεως υἱὸν Θμούθωσιν, aliàs & quidem emendatiùs, vt videtur, τὸν δὲ Μισφραμμουθώσεως τὸν Θέμωσιν ἐπιχειρῆσαι μὲν αὐτοὺς διὰ πολιορκίας ἑλεῖν: Themosim Misphramuthosis filium conatum eos obsidione capere, cum quadringentis octoginta millibus armatorum eos obsidentem, ἐπεὶ δὲ πολιορκίας ἀπέγνω ποιήσασθαι συμβάσεις, ἵνα τὴν Αἴγυπτον ἐκλιπόντες ὅποι βούλονται πάντες ἀβλαβεῖς ἀπέλθωσι, obsidione desperata cum iis pepigisse, vt Aegypto relicta quo vellent, innoxij abirent, &c. adiicit eos in Syriam profectos ibi Hierosolymam condidisse.

35. Sed quoniam insanire me & præsagire cogit noster hic Polypragmon, age sanè, sed eamus ad vmbram huius lauri, & tanquam è tripode nostra proferamus oracula *Facta est autem fames in terra: descendítque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra.* Genesis 12. v. 10. Cuiquámne dubium esse potest pluribus etiam Chananæis in mentem venisse vt ad propulsandam famem in Ægyptum cum Abrahamo descenderent? Certè Iosephus libro 6. de bello Iudaïco c. 11. Abrahamum cum infinita propè hominum multitudine venisse testatur præter illos trecentos & octodecim vernaculos. Quæ quamuis τὰς τῶν ῥητόρων ληκύθους, redoleant, non dicerentur tamen si solus Abraham cum sua familia descendisset, Addit Polyhistor ex Artapano τῶν τούτῳ συνελθόντων πολλοὺς ἐν Αἰγύπτῳ καταμεῖναι διὰ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας. *Eorum qui cum ipso descenderant non paucos vbertate regionis allectos in Aegypto substitisse.* E quibus videtis Manethonem multis quidem figmentis obscurare veritatem, non ita tamen quin interdum quasi per nebulas radij quidam veritatis intermicent. Ait pastores quosdam obscuros & ignobiles è partibus Orientalibus in Aegyptum se contulisse, & eam armis inuasisse mentitur. Et ῥᾳδίως καὶ ἀμαχητὶ *facilè & sine pugna* potitos pastores confitetur. Aegypto facilè & sine pugna potitus videri potuit Abrahamus, dum & in Saræ gratiam, vt ait scriptura, & propter singularem sapientiæ opinionem, impertitâ Aegyptiis tum Arithmeticâ, tum Astrologiâ, vt apud Eusebium Nicolaus Damascenus, Eupolemus, Artapanus aliique testantur, ad tantas opes euectus, est vt dici potuerit Ægyptum quodammodo spoliasse.

Multi Chananæi secuti Abraham in Ægyptum

Apud Euseb. lib. 9. de præpar. Euang.

Quorum multi in Ægypto substiterũt.

36. Magnas, inquit, clades Aegyptiis intulerunt. Non quidem tota re, sed quibusdam facti circunstantiis errauit. Non enim id aliorum iniuriæ: sed Pharaonis intemperantiæ referri debuit acceptum. Nec Abram caussa fuit, sed illatæ diuinitus calamitatis occasio; vt meritò cum Ioue Homerico queri potuerit.

Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι ἀλλὰ
καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε'
ἔχουσιν.

A nobis mala se perhibent tolerare. sed ipsi
Præter fata suo soluunt pro crimine pœnas.

Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis & domum eius propter Sarai vxorem Abraham, videlicet peste & seditione populari, vt author est Iosephus, morbis insolentibus & horrendis cruciatibus, vt Phylostratus: Συνέβη δὲ, inquit Polyhistor ex Eupolemo φθείρεσθαι αὐτοῦ τὸν οἶκον, καὶ τὸν λαόν, *accidit autem vt & familia Pharaonis, & populus interiret.* Iam ex Artapano vidimus multos eorum qui cum Abrahamo descenderant in Aegypto substitisse. Qui sanè lapsu temporis, & propagare sobolem, & in ciuitatem coire, & Regem sibi constituere, & suis latrociniis Aegyptum vexare potuerunt. Quibus Hycsorum siue Pastorum captiuorum Regibus anni præter propter sexaginta supra ducentos à Manethone tribuuntur. Hos autem Reges non statim ab initio constitutos fuisse significat. Quare cùm à profectione Abrahami ad Iosephi obitum anni ducenti octoginta sex numerentur, probabile fuerit hos Reges anno ferè post Abrahami reditum vigesimo sexto duxisse primordia.

37. Porro sub Misphramutosi aut certè sub eius filio Themoh mortuus est Iosephus, vt in animo est paulo post certis argumentis ostendere, sub quibus Manetho victos dicit esse pastores, & aliam quidem vniuersam Aegyptum perdidisse: inclusos autem in locum habentem mensuram iugerum decem millium, cui loco nomen est Auaris. Auaris autem, vt iam dixerat, fuit in præfectura Saite, quam au-

thore Strabone etiam Tanym appellant, ad Orientem Bubastis fluminis, è quibus intelligas nihil aliud significari, quàm terram Gessen iam inde à profectionis initio Hebræorum domicilio destinatam. Et sanè cùm Hebræi Iosepho superstite, totam, vt sic loquar, sub Regibus Ægyptum obtinerent, eo defuncto quasi reliqua Ægypto depulsi, in terram Gessen receptum habuerunt, quibus prouinciæ pascuæ quidem & fertilis, sed peranguslæ se limitibus continerent. E quibus aduertitis, Polypragmon & Philarchæ, Manethonem vel nationis suæ studio, vel Hebræorum odio fucum oblinere veritati, Pastores illos Chananæos qui multis annis Ægyptum latrociniis, direptionibusque vexarant, cum Hebræis confundere, & quoniam ob memoriam cladis adeo diuturnæ detestabantur Ægyptii pastores. hinc inuidiæ faces Israelitarum nomini submittere, vt planè difficile sit & arduum verum à falso separare, cùm præsertim ipse Manetho frequenter à seipso dissentiat. Ait à Themosi primo eiectos esse pastores: sed idem ait pastores à Mispharmuthosi qui proximè antè regnauerat, ex cætera depulsos Ægypto in Auarim fuisse contrusos: obsessos ab eius filio Themosi, & ex fœdere dimissos in Syriam rerum suarum domicilium transtulisse. Quæ nisi Themosi secundo, qui Mispharmuthosi successit, quadrare non videntur.

38. POLYPRAG. Imò, Eustochi, ne tibi solus hariolari videare, quis nos iure reprehendat si dixerimus Iosephum fuisse qui Pastores illos Chananæos, qui olim cum Abrahamo descenderant, eóque digresso substiterant, latrociniisque diuturnis expilauerant Aegyptum, è terra Gessen extruserit? Eos enim significat Eusebius ex Aegypto fuisse depulsos paucis admodum annis, postquam Iosephus vicariam Aegypti præfecturam acceperat, quod sub Themosi primo contigisse difficile nõ est ostendere. Certè huc allusisse videtur Iosephus ipse Genes. 46. dum fratres monet vt Pharaoni se pastores ouium esse respondeant. *Hac autem*, inquit vers. 34. *dicetis vt habitare possitis in terra Gessen quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium.* Cur detestantur? opinor ob memoriam calamitatum quas Aegypto Pastores superioribus annis inuexerant. Cur ex eo quòd Aegyptij detestabantur pastores ouium, facile fuit terram Gessen impetrare? Nimirum illi congressum pastorum familiaritatémque fugiebant: terra verò Gessen non solùm pascuis abundabat, sed eiectis recèspastoribus vacua erat & pastoribus destituta.

39. Quare, quantum in rebus obscurissimis diuinare fas est, alij fuerunt Hebræi pastores, alij pastores Chananæi, quanquã non pauca fuerunt vtrisque communia. Vtrique pastores, vtrique in Aegyptum migrarunt è Chananæa, vtrique in Aegypto principatum aliquem habuerunt, vtrique in terra Gessen habitarunt, vtrique magnas Aegypto calamitates intulerunt, vtrique ex Aegypto regressi sunt in Chananæam. Neque tempora quidem admodum diuersa fuerunt, cùm Hebræi paucis annis post eiectos pastores Chananæos terram Gessen occuparint. Adde quòd eadem fuit vtrisq; migrationis in Aegyptum caussa. Nam Chananæi eodem tempore quo Abram Hebræus ad propulsandam famem in Aegyptum descenderant, & Ioseph Hebræus Aegypti Pro-rex eadem de caussa patrem & fratres suos in Aegyptum euocarat. Illud tamen inter eos discrimen fuit quòd etsi Abram & Lot pastores Hebræi, & Hycsi siue pastores Chananæi in Aegyptum migrauerant, non tamen Hebræi cum Chananæis eodem tẽpore morati sunt in Aegypto. Auctor est enim Artapanus à Polyhistore laudatus apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang. Abrahamum *μείναντα ἔτη ἐκεῖ εἴκοσι πάλιν εἰς τοὺς κατὰ Συρίαν ἀπαλλαγῆναι τόπους. τῶν δὲ τούτῳ συνελθόντων πολλοὶ ἐν Αἰγύπτῳ καταμεῖναι διὰ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας. Cùm ibi mansisset annis viginti ad Syriam rediisse; eorum autem qui cum illo accesserant, non paucos, propter regionis vbertatem in Aegypto substitisse.* Imo paucis mensibus Abraham in Aegypto versatum esse liquidò patet è decimo sexto Geneseos, vers. 3.

Pastoribus Chananæis & Hebræis multa cõmunia.

Multa etiã diuersa.

40. Hebræi pastores in Aegyptum vrgente fame redierunt: sed iam vel exacti penitus fuerant Chananæi, vel, si qui supererant, ij sub Themosi secundo Mispharmuthosis filio in Chanaanitide translati sunt. Magnas vtrique clades intulerunt Aegyptiis. Sed Hycsi siue Chananæi Pastores Aegyptum suis latrociniis & direptionibus miserè lacerabant. Aegyptij contrà Hebræis faciebant iniuriam, vt in Saræ raptu & Israëlitarum seruitute, & vlciscente numine iustissimas iniustitiæ suæ pœnas exoluebant. Vtrique adepti sunt aliquem in Aegypto principatum: sed Hycsi quos Chananæos putamus, sibi Regem ad vexandam penitusque delendam Aegyptum elegerant: Ioseph ad Aegypti præfecturam euectus est, vt totam gentem ab interitu vindicaret. Cùm igitur tam multa sint vtrisque communia, tam multa singulis peculiaria, minùs mirum est eos ab autho-

ribus

ribus interdum confundi, interdum separari.

41. Eos confundit Eusebius, aiens: *Reges Aegyptiorum se conuicere pastores fuisse nuncupatos propter Ioseph & fratres eius qui in principio pastores in Aegyptum descendisse comprobantur.* Discriminat & apertè secernit ad nonagesimum annum Isaaci referens eius dynastiæ primordia: aiensque nonagesimo primo Regum pastorum anno Ioseph stetisse in conspectu Pharaonis, & accepisse totius Aegypti principatum: finemque dynastiæ Pastorum consignans annò tertio postquam Iacob in Aegyptum descenderat. Confundit Manetho Hycsorum nefarias prædationes in Hebræorum inuidiam deriuans: apertè discriminat eos qui Mose duce profecti sunt ex Aegypto multis annis post Hycsorum profectionem aiens ex Aegypti finibus exiisse. Confundunt plerique veterum rati Mosem sub Themosi siue Amosi, temporibus Inachi vel Phoronei floruisse: discriminant alii qui Mosis ætatem ad Cecropis tempora retulerunt. Sed quoniam non satis liquidò constat, iidémne fuerint an diuersi ab Hebræis ii pastores quos Manethon Hycsos appellat, & scribit in Aegypto longè latéque fuisse dominatos, nullus autem dubitare potest Hebræos fuisse qui Mose duce Aegyptum reliquerunt, quantumuis eos & genere Aegyptios & calamitate leprosos fuisse Manethon & Chæremon impudentissimè mentiantur: superest, Eustochi, & de Mosis egressu tuam probes sententiam.

XII. *Probatur authoritate Manethonis & Chæremonis tempus Exodi.*

42. EVSTOCHIVS. Meam autem? imò potiùs Manethonis & Chæremonis: Qui licet in multis inter se plerumque dissentiant, & frequenter Iudæorum odio mentiantur, in eo tamen conueniunt, quòd sub Amenophi quarto, qui Ramsis filius fuit, nepos Ægypti, Mosem aiunt, multos mortales ex Ægypti finibus eductos in Syriam transtulisse, & magnas Ægyptiis calamitates intulisse, quod equidem non video cur repudiare debeamus. Iosephus libr. 1. in Appionem de Manethone. Liceat bonâ vestrâ veniâ supersedere Græcis. *Quasdam*, inquit, *annectit fabulas pene oblitus quòd egressum Pastorum ad Ierosolyma, ante quingentos decem & octo annos factum esse protulerat. Themosis enim erat Rex quando egressi sunt.* Videtis Iosephum Reges Pastores cum Hebræis confundere, & erroris sui culpam in Manethonem transfundere. sed pergit, *& ab hoc tempore Regum qui postea fuere, anni sunt trecenti nonaginta tres, vsque ad fratres nomine Sethonem & Hermæum* (superiùs vocauerat Sethosim & Armaim) *quorum Sethonem Aegyptum, Hermaum verò Danaum denominatum dicit. quem expellens*, inquit, *Sethon regnauit annis quinquaginta & nouem: & post hunc senior è filiis Ramses annis sexaginta sex.* Amenophim deinde Regem adiecit Manethon, quod nomen Iosephus ideo videri vult esse confictum, quòd ille *tempus regni eius nequaquam definire præsumpsit, cùm aliorum Regum annos perfectè protulisset.*

Sed profectò Iosephum calculus fefellit, vel error amanuensium negligentia in eius textum illapsus est. Non enim à primo Themosis anno ad primum Sethonis, anni trecenti nonaginta tres, sed trecenti triginta tres à Manethone numerantur, quibus si annos Sethonis quinquaginta nouem, Ramsis sexaginta sex adieceris, à primo Themosis anno ad Ramsis obitum anni quadringenti quinquaginta octo, ad secundum verò Amenophis, quo anno putamus Hebræos mare Rubrum esse transgressos, quadringenti sexaginta colligentur.

42. Neque verò dictorum oblitus est Manethon, vt caussatur Iosephus, sed prudens & sciens Hycsos ab iis qui Mose duce profecti sunt, discriminat. Neq; ex eo quòd Amenophis annos tacuit, sequitur aut personam, aut nomen esse confictum. Sed vel quòd Ægyptii sibi persuadere non poterant Amenophim mari Rubro fuisse submersum, vel quòd eos tam insolentis & diræ vindictæ pudebat, Manethon eius annos silentio velauit, vt aliquem fucum posset facere veritati. *Ipse*, inquit, *transiens cum aliis Aegyptiis vsque ad trecenta millia virorum, bellatoribus viris occurrens*, leprosis videlicet, qui vt superiùs dixerat ad sectiones lapidum in partem. Nili orientalem missi Mose Duce, defecerant ab Amenophi & Aegyptum miserè lacerabant. Palam est autem partem fluminis orientalem esse terram Gessen, siue campum Taneos, vbi Israelitæ Ramesses, Socoth, Python & alias vrbes condiderunt: sed pergit Manetho. μέλλειν θεομαχεῖν νομίσας παλινδρομήσας ἧκεν εἰς Μέμφιν, ἀναλαβὼν τὸν Ἆπιν, &c. *Putans semetipsum contra Deum pugnare, retrorsum reuersus venit ad Memphim & sumens Apim & alia sacra, mox fugit in Aethiopiam cum vniuersis nauibus & multitudine Aegyptiorum.* Quo fugiente & ibi fatale tredecim annorum exilium exigente, scri-

Manethon multa vera miscuit suis mendaciis.

μεμόχθηκε. Omnibus templis inscripsit neminem vnum indigenam ad has substructiones operam contulisse.

48. Quòd autem iidem captiui Regis eiusdem imperiò Nilum in fossas deduxerint, iidem authores disertè cõfitentur. Herodotus in Euterpe. τοὺς τε οἱ λίθους τοὺς ἐπὶ τούτου τοῦ βασιλέως κομισθέντας ἐς τοῦ Ἡφαίστου τὸ ἱρὸν, ἐόντας μεγάθεϊ περιμήκεας, οὗτοι ἦσαν οἱ ἑλκύσαντες· καὶ τὰς διώρυχας τὰς νῦν ἐούσας ἐν Αἰγύπτῳ, πάσας οὗτοι ἀναγκαζόμενοι ὤρυξαν. *Ii sunt qui immanes illos lapides traxerunt, qui sub hoc Rege delati sunt ad templum Vulcani, omnésque illas fossas, quæ nunc in Aegypto visuntur ijdem coacti sunt ducere.* Diodorus. κατὰ πᾶσαν δὲ τὴν χώραν ὤρυξε πυκνὰς ἐκ τοῦ ποταμοῦ διώρυχας. *Per omnem regionem à Memphi ad mare fossas frequentes è flumine deduxit.* Ad coercendas, inquit Iosephus, fluminis eluuiones, Hebræi iussi sunt aggeres excitare. Quo id authore factum putatis? Sesosis, inquit Diodorus, χώματα πολλὰ καὶ μεγάλα κατασκευάσας, *cùm multos & magnos aggeres excitasset, in eos vrbes transtulit, quæ situm naturalem satis editum non habebant,* ὥστε κατὰ πληρώσεις τοῦ ποταμοῦ καταφυγὰς ἔχειν ἀκινδύνους, *vt flumine redundante tum homines tum iumenta securum receptum haberent.* E quibus intelligitis cur septuaginta Seniores Exodi primo Heliopolin inter vrbes ab Hebræis conditas numerarint, quam ex Genesis 41. v. 45. & 50. liquet Iosephi tempore iam floruisse. Eam enim Israelitæ condidisse dicuntur; non quòd primò condiderint, sed quòd eam è planitie in aggeres transtulerint.

Nili fossæ à Sesostri perductæ.

49. Vbi autem potissimùm Hebræorum desudauit industria? circa illam Aegypti plagam quæ maximè vergit ad orientem, vbi terra Gessen Hebræorum habitationi destinata, vbi Pelusium, Socoth, Ramesse, Pithon & Memphis. Nam & Socoth siue vrbem tabernaculorum & Pithon & Ramessen ab Israelitis conditas, diuina scriptura prodidit, & vt iam diximus, septuaginta Seniores Heliopolin addiderunt. Quid Sesostris? Ἐτείχισε δὲ, inquit Diodorus, τὴν πρὸς ἀνατολὰς νεύουσαν πλευρὰν τῆς Αἰγύπτου πρὸς τὰς ἀπὸ τῆς Συρίας καὶ τῆς Ἀραβίας ἐμβολὰς ἀπὸ Πηλουσίου μέχρις Ἡλιουπόλεως διὰ τῆς ἐρήμου τὸ μῆκος ἐπὶ σταδίους χιλίους καὶ πεντακοσίους. *Muro cinxit latus Ægypti quod vergit ad orientem contra Syrorum & Arabum irruptiones, à Pelusio ad Heliopolin per desertum mille & quingentûm stadiorum interuallo.* Adeo vt ille murus à mari Mediterraneo ad sinum Arabis cum cui secundum tabulas geographica

Murus ab eodem extructus inter Ægyptum & Arabiam.

Heliopolis respondet, pertineret, & dispositis ad portas Aegyptiorum militum stationibus, integrum non esset, Hebræis Pharaonis iniussu versus Palæstinam discedere, ac proinde necesse fuerit vt Deus discedentibus hinc inde fluctibus iter per medios sinus Arabici vortices fugientibus aperiret. Sed hæc viderint eruditi: nos ad reliqua veniamus. Equidem si diuinare fas esset, iisdem Hebræis labyrinthum illum mirabilem, vel portentosissimum, vt Plinius vocat, humani ingenij opus, illa barbara pyramidum miracula, lacum illum Mœrim, illos obeliscos, saltem eorum plerosque libenter adscriberem, nisi me tum Herodoti, tum Diodori qui aliis tribuunt, absterreret authoritas.

Cur Hebræi non potuerint iniussu Pharaonis discedere.

50. Philarc. Imò, mi Eustochi, cur tibi fas esse non putes tuam illam vsurpare εὐστοχίαν? cùm, vt ait Plinius libro 36. cap. 12. inter authores, quos ille duodecim enumerat, qui de pyramidibus libros ediderunt, non constet à quibus facta sint, iustissimo casu oblitteratis tantæ vanitatis authoribus: cùm tradat Iosephus Hebræos non solùm fluuij deriuationibus, & ædificationibus vrbium, sed etiam insanis pyramidum substructionibus esse vexatos, cùm etiam ipse Diodorus affirmet Sesosim duos obeliscos excitasse qui centum & viginti cubitis assurgerent: cùm denique is idem Ramesses esse videatur, nisi si mauis eius filium existimare, quem Plinius lib. 36. cap. 8. Ramisem appellat, & perperam ait. Troianis temporibus floruisse, de cuius obelisco plura Tacitus 2. Annalium, & Ammianus Marcellinus lib. 17. apud quem & luculenta videri potest inscriptio. Sed de lacu & labyrintho audire velim quid sentias.

Pyramidũ authores ignoti.

XV. *De lacu Mœridis & Labyrintho.*

51. Evst. Lacum à Mœri fuisse perfossum tum ipsa nominis ratio, tum Diodorus Herodotúsque testantur. De labyrintho variæ sunt authorum & incertæ sententiæ. Sed Lycias apud Plinium lib. 36. cap. 13 sepulcrum Mœridis fuisse scribit, eiusdem videlicet qui lacum effodit, & traditur à Diodoro septem ante Sesostrim ætatibus floruisse: idem tamen labyrinthum Mœri sepulcrum esse dicit, qui sex ætatibus ante Troiam captam in Aegypto regnauerit. Sed cum Dedalus Cretensem labyrinthum ad Aegyptiacum effinxerit, nullus autem in Aegyptiorum Regum serie siue apud Manethonem siue apud Eusebium reperiatur Mœrres aut Meris nisi

quingentis ſaltem annis Dædalo recentior; ſcribat autem Artapanus apud Euſebium lib. 9. de præpar. Euang. filiam Pharaonis quæ Moſen ex aquis eductum in filium adoptauit, Merris nomen eſſe ſortitam, eiúſque tempora Diodori Chronologiæ pene conſentiant, non video cur coniectare non poſſimus opus vtrumque filiæ Pharaonis atque adeo filiis Iſrael acceptum eſſe referendum. Lacus hic ter mille ſexcenta ſtadia, id eſt, quingenta pene millia paſſuum ambitu continebat: quibuſdam locis orgiis quinquaginta, id eſt, pedibus trecentis profundus erat, non naturâ ſed manu & arte factus, vt Diodorus & Herodotus memoriæ prodiderunt. *Rex*, inquit Diodorus, *qui lacum illum effodit, reliquit in medio locum*, ἐν ᾧ τάφον ἀνοδέμενος, καὶ δύο πυραμίδας τὴν μὲν ἑαυτοῦ τὴν δὲ γυναικὸς, σταδιαίας τὸ ὕψος, ἐφ᾽ ὧν ἐπέστησεν εἰκόνας λιθίνας καθημένας ἐπὶ θρόνου. *In quo ſepulcrum extruxit, duáſque pyramidas, alteram ſuam, alteram vxoris, ſtadij .i. centum viginti quinque paſſuum altitudine excitauit, quibus & ſtatuas impoſuit in throno reſidentes.*

Lacus Meridis.

52. Huic porro lacui Reginæ potiùs quàm Regis ipſius nomen inditum fuiſſe vel ex eo quis ſi non certò, probabiliter quidem certè oſtenderit quòd vt ſubdit Diodorus, Rex (quem Ramſem Seſoſtris generum fuiſſe exiſtimamus, quamuis nihil impedit quo minùs filius etiam fuerit, vt Manetho, Diodorus & Herodotus tradiderunt, idémque, Regum Barbarorum more, ſororem ſuam Merim, à quâ Moſes adoptatus, ſibi matrimonio copularit) Rex, inquam, τὴν ἐκ τῆς λίμνης ἀπὸ τῶν ἰχθύων γινομένην πρόσοδον ἔδωκε τῇ γυναικὶ, πρὸς μύρα, καὶ τὸν ἄλλον καλλωπισμὸν φερούσης τῆς θήρας ἀργυρίου τάλαντον ἑκάστης ἡμέρας. *Prouentum ex illo lacu, qui ex piſcatu capiebatur, dedit vxori ad vnguenta reliquúmque cultum corporis & mundum muliebrem, cùm ſingulis quibúſque diebus ex illa piſcatione talentum argenti proueniret.* Prouentum hunc ſex duntaxat menſibus, quibus emittebatur aqua, perceptum fuiſſe ſcribit Herodotus, cùm ſex reliquis menſibus, quibus aqua è Nilo in lacum influebat, mnæ vicenæ diebus ſingulis colligerentur.

Cur is lacus à Regina nomen acceperit.

Prouentus illius lacus.

53. POLYP. Sed quorſum iſta? EVST. Eò collineat oratio mea, Polypragmon, vt quanti laboris & impenſæ fuerit lacum tam immanem effodere videre poſſimus, vt conſtet quantis operum molitionibus Hebræi fuerint attriti, quàm miſeram ſeruierint ſeruitutem. Quid enim aut miſerius, aut indignius excogitari potuit, quàm vt gens ſancta, Dei peculium ex omnibus nationibus electum, populus acquiſitionis à parentibus nobiliſſimis, optimis, ſapientiſſimis, de ipſa Ægypto meritiſſimis propagatus contra ius gentium per ſummam iniuriam lacus fodere, lapides ſecare, lateres fingere cogeretur? Quid poſterius quàm vt ſexcenta virorum, qui arma ferre poſſent, millia, præter pueros & matronas, tot annis terram exhaurirent, foſſas ducerent, cœnum egererent, in luto volutarentur, ne muliercula deeſſet vnde ſibi vnguenta, fucum, ceruſſam, cæteras muliebres nugas dicam an delicias compararet.

XVI. *Idem probatur à Nili deductionibus.*

54. SEd ne longiùs digrediar ab inſtituto, vela contrahenda ſunt orationis meæ, breuitérque dicendum, cùm non ſolùm è Ioſepho, cuius ſuperiùs verba retulimus, ſed etiam è Philone conſtet lib. 1. de vita Moſis, Hebræos amandatos fuiſſe πρὸς οἰκιῶν καὶ τειχῶν, καὶ πόλεων κατασκευὰς, καὶ διωρύγων ἀνατομάς. *Ad domos, muros & vrbes extruendas, foſſáſque ducendas*, id videri maximè ſub Seſoſtri, qui & Ægyptus & Rameſſes dictus eſt, & eius liberis contigiſſe. Quamuis enim Strabo foſſas ante Troiana tempora ductas negare videatur. πρὸ τῶν Τρωϊκῶν, inquit, μηδεμία ἦν διώρυξ. liquidò tamen oſtendit ſe de foſſis loqui quæ vel à mari Mediterraneo, vel ſaltem à Nilo, ad ſinum Arabicum pertinerent, dum ait Seſoſtrim id molientem ab incœpto deſtitiſſe, quòd ſuſpicaretur Ægyptum humiliorem eſſe ſinu Arabico, ſiue voluerit, vt ait Ariſtoteles 1 meteor. exeunte, Nili partem ad Rubrum mare perducere, deſtiterit tamen veritus ne Nili dulcem aquam immiſſi per decliuitatem maris ſalſedo corrumperet, ſiue, vt ait Baſilius homil. 4. in hexaëmeron, Ægyptium mare tentarit Arabico committere, vt in Oceano marique Mediterraneo poſſet vltro citróque nauigari, conſilium tamen illud abiecerit, ne Oceanum, quem ſublimiorem putabat, in Ægyptum Oceano depreſſiorem infunderet.

Libro 1. Geog.

Nili foſſæ.

Seſoſtris tētauit Nilum in ſinū Arabicum immittere, vel Oceanum Mediterraneo committere.

55. Quòd ſi, vt ait ibidem Philoſophus, φαίνεται καὶ τὰ στόματα πάντα, πλὴν ἑνὸς τοῦ Κανωβικοῦ, χειροποίητα, καὶ οὐ τοῦ ποταμοῦ ὄντα. *Apparet omnia Nili oſtia, vno excepto Canobico, eſſe manufacta, nec ab ipſo flumio prouenire.* hinc etiam liquidò conſtat quantopere ſudandum fuerit Iſraelitis, vt non ſolùm regionem vrbibus ornarent, ſed etiam Nilum in tam multa támque diuerſa

Omnia Nili oſtia excepto Canopico manufacta

fluenta deducerent, vt ab hoc Rege Hebręorum oppreſſore, tum regio, tum etiam fluuius Ægypti nomen (ſic enim Homerus appellat, 4. Odyſſ.) ſortitus eſſe videatur. Quamuis poſteà, ſi Diodoro fidem habemus, à Nilo quodam, qui octaua poſt Proteum bellumque Troianum ætate florebat, mutato vocabulo, perductis foſſis compluribus, Nili nomen acceperit.

56. Verùm vt hæc omnis diſputatio finiatur, Quis omnium maximè in Ægypto muros extruxit, vrbes communiit, foſſas perduxit, aggeres excitauit? Seſoſtris. Quos adhibuit opifices? ipſe ſuis monumentis inſcribi iuſſit neminem vnum Ægyptiorum quicquam laboris aut operæ contuliſſe. Quos igitur adhibuit? Diodorum rurſus ſuis verbis loquentem audiamus; λέγεται δὲ τῶν αἰχμαλώτων τοὺς ἐκ τῆς Βαβυλωνίας ἁλόντας ἀποστῆναι, μὴ δυναμένους φέρειν τὰς ἐν τοῖς ἔργοις ταλαιπωρίας: *Dicuntur è captiuis ij qui à Babylonia fuerant abducti, à Rege defeciſſe, cùm operum moleſtiam tolerare non poſſent.* Quos porro Babylonios intelligit? Hebræos. Aduenæ ſiquidem erant Iudæi, inquit Philo libro 1. de vita Moſis, cuius gentis principes propter famem annonæ penuria, ex Babylone, ſuperioribúſque præfecturis in Ægyptum migrauerant. E quibus facilè demonſtratur eum Pharaonem qui primus vexauit Hebræos, & immenſis illis laboribus oppreſſit, fuiſſe Seſoſtrim ſiue Rameſſem, quem Græcorum fabulæ Ægyptum dicere maluerunt.

Babylonij captiui i. Hebræi.

XVII. *Idem probatur à rebus geſtis Seſoſtris & abſurdis quæ ex Euſebij Chronologia ſequerentur.*

57. QVid? quòd ſi Manethonem audimus inter cæteras Prouincias à Seſoſtri perdomitas etiam Phœnicia conceſſit in Ægyptiorum ditionem, & Herodotus columnas aliquot huius Regis nomine & victoriis inſignes in ipſa Palæſtina ſe vidiſſe teſtatur. Columnarum, inquit, quas Rex Seſoſtris paſſim erexit, maximam partem conſtat non amplius exſtare, ἐν δὲ τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ αὐτὸς ὥρεον ἐούσας, καὶ τὰ γράμματα τὰ εἰρημένα: *In Palæſtina Syria ipſe quaſdam vidi huiuſmodi inſcriptionibus ornatas.* Tantas autem eiuſdem Regis fuiſſe victorias Ægyptiorum hiſtoriæ prodiderunt, vt res ab Alexandro geſtas longo ſuperarit interuallo, Gangem tranſierit, totam Aſiam ab extremo Tanai ad Indicum Oceanum ditioni ſuæ ſubiecerit, Ægyptum ſiue Rameſſen ſcribit Euſebius in Chronico regnare cœpiſſe duobus annis, priuſquam Hebræi tranſito Iordane in Chanaanitidem adſcenderent. Ex qua Chronologia ſequeretur res Ægyptiorum paucis annis poſt plagas Ægyptiacas, extinctos vna nocte primogenitos, demerſum in mari Rubro Pharaonem, vniuerſum Ægyptiorum nomen tantum non internecione deletum, vt cùm maximè floruiſſe, terrarum orbem ab iis perdomitum ipſámque adeo Palæſtinam, quo tempore Ioſue filiis Iſrael Chanaanitidem diuidebat. Quo quid abſurdius fingi poſſit, equidem cogitare non poſſum.

Res à Seſoſtri geſtæ.

58. POLYPRAG. Quid ſi cum Flauio Ioſepho dixerimus allucinatum eſſe Herodotum, & res à Seſaco geſtas, qua tempeſtate Roboam Iudææ regnum obtinebat, Seſoſtri tribuiſſe? Seſacus enim Rex Ægypti anno quinto poſt obitum Salomonis, innumerabilem exercitum in Iudæam infudit, vrbes munitiſſimas cepit, ad ipſam Hieroſolymam acceſſit, regias gazas templíque theſauros expilauit, & ſcuta aurea quæ fecerat Salomon, vt dicitur 3. Reg. 14. 25. & 2. Paralip. 12. Nihil igitur officiet quo minùs cum Euſebio ſtatuamus Ægyptum Regem, quem eundem cum Seſoſtri eſſe diximus, Ioſuæ temporibus floruiſſe. Seſoſtris enim nunquam ad Palæſtinam adſpirauit, errauit Herodotus, & Seſoſtri res à Seſaco geſtas adſcripſit. EVSTOCH. Si quid Ioſephus Herodoto præter ſupercilium opponeret, mi Polypragmon, faterer equidem oratione tua me non mediocriter commoueri: ſed cùm Herodotum erroris accuſet, nullam autem accuſationis adferat rationem, non video cur antiquiſſimo ſcriptori fidem habendam non putemus, cùm præſertim & Manethò Phœnicas Iudææ vicinos à Seſoſtri debellatos eſſe teſtetur, & Syriam, cuius Palæſtina pars eſt, Ramſi paruiſſe conſtet, ex inſcriptione pyramidis apud Tacitum 2. Annalium, cuius ſupra fecimus mentionem.

59. Maneat igitur eam Chronologiam cohærere non poſſe, quæ ſtatuit Regem Ægyptum ſiue Seſoſtrim aut etiam Setoſim & Rameſſem Ioſuæ temporibus floruiſſe. Quid? quòd ſecundum eandem Chronologiam Rex iſte natus eſt ea pene tempeſtate, quâ Moſes populum eduxit; qui enim anno poſt exitum duodequadrageſimo dicitur Reip. gubernaculis admotus, ante patris obitum, vt auctor eſt Diodorus, iam Arabiam ſubegerat, & magnam Libyæ partem patris imperio ſubmiſerat. Quid? quòd quo die natus eſt, pueros om-

nes eodem die natos pater iuſſit è tota Ægypto congregari, eóſque regiis impenſis eum filio pariter educari, iiſdem eruditi ſtudiis, vt ipſa educationis ſimilitudo familiaritatem, familiaritas beneuolentiam, beneuolentia fidem æqualium filio compararet. Quæ quis non videt non niſi rebus Ægyptiorum admodum florentibus fieri potuiſſe? Quæ omnia cùm circa Moſis ætatem contigiſſe neceſſe ſit, neque potuerint poſt exitum Moſis ipſius aut Ioſuæ temporibus contigiſſe, planè fatendum eſt priùs facta fuiſſe quàm Moſes ex Aegypto filios Iſrael educeret.

Seſoſtris educatio.

XVIII. *Idem tempus Exodi probatur ex imperij Ægyptiaci ſubuerſione.*

60. QVòd ſi, vt Euſebij Chronicis conſignatum accepimus, Agyptus poſt Exodum acceſſit ad gubernandam Rempub. ſi, vt è Manerhone liquet, is ipſe eſt Sethoſis cognomento Aegyptus, qui Aſſyriorum opes afflixit, Aſiam vniuerſam, nō paruam Europæ & Africæ partem domuit, imperium ad ipſos terrarum terminos propagauit, qua tàdem ratione factum putamus vt Aegyptiorum monarchia concideret, labefactaretur poteſtas, & orbis imperij ſiue ſtrepitu verteretur? Quæ tanta regno poſt celebres illas plagas clades acceſſit, vt tam multæ gentes, ſpretâ victoris populi potentiâ, ſubitò ſe ad recuperandam libertatem erexerint, & Aſſyrij non ſolùm à ſuis ceruicibus iugum ſeruile depulerint, ſed etiam vel nouam monarchiam condiderint, vel priſtinæ recuperauerint dignitatem? Profectò fingi nihil aliud poteſt quàm ſi dicamus paulò poſt Regis Aegypti ſiue Seſoſtris tempora, grauem aliquam calamitatem accidiſſe, quæ Aegyptios rerum dominos apud deuictas gentes in contemptum adduxerit, & Aſſyrios non ſolùm ad repræſentandam libertatem, ſed etiam vel ad fundandam, vel ad inſtaurandam Aſiæ monarchiam excitarit, niſi ſi dicere volumus omnia quæ à Manethone, Diodoro, Herodoto cæteriſq. de Aegyptiorum imperio narrantur, penitus eſſe fabuloſa: fictas etiam obeliſcorum, & pyramidum inſcriptiones quæ tum ab Ammiano Marcellino, tum à Cornelio referuntur.

XIX. *Recapitulatio.*

61 HÆ ſunt igitur rationes quæ mihi perſuadent ab Aegypto ſiue Sethoſi filios Iſrael redactos fuiſſe in acerbiſſimam ſeruitutem. Chæremonis & Manethonis authoritas aientium ab illo Pharaone qui ſecundus Aegypto ſucceſſerat, filios Iſrael emiſſos fuiſſe, eumque fugientibus inſtitiſſe, ſed cùm putaret ſe contra Deum pugnare pedem retuliſſe. & in Aethiopiam ſe abdidiſſe: nomen Rameſſis inditum vrbi quā filij Iſrael excitabant: Aggeres. foſſæ, muri, quos ab Iſraelitis factos fuiſſe conſtat authoritate Philonis & Ioſephi: & tū Diodorus, tum Herodotus à mancipiis iuſſu Seſoſtris factos fuiſſe memoriæ prodiderunt: Publicæ monumentorum inſcriptiones, quibus teſtatum voluit Seſoſtris neminem vnum indigenam Aegyptium quicquam laboris impendiſſe. Palæſtina Aegyptiorum armis domita priuſquam Hebræi Ioſuæ ductu terram promiſſam obtinerēt: denique imperij Aegyptiorum euerſio. Illud ſupereſt, mi Polypragmon, vt vel proferas certiora, vel his rationibus, quæcunque tandem illæ ſunt, acquieſcas.

XX. *Confirmatur eadem Chronologia.*

62. POLYPRAG. Ego verò, mi Euſtochi, tuis coniecturis & εὐστοχίαις acquieſcam, & eo libentiùs quod ſi Aegyptum hunc faciamus primum Iſraeliticæ vexationis authorem, erit cur in eo miremur diuinam iuſtitiam quæ à profligatiſſimo tyranno pœnas eius furori conuenientes adeo ſapienter exegerit. Maſculos in lucem recèns editos aquis abolere conarus eſt, maximéq; circa Peluſium in terra Geſſen, vbi filii Iſrael habitabant, crudelitatem exprompſit ſuam. Ipſe circumiectis à fratre vallatus ignibus, circa Peluſium duos è liberis interemit, vt per eorum corpora, quaſi ponte conſtructo, cum reliqua prole ſaluus & incolumis euaderet, iuſſit vt obſtetrices puerorum naſcentium fauces eliderent: vndequinquaginta eius liberos è diuerſis ſuſceptos concubinis totidem Danai filiæ ſorores patrueles cædémque ſponſæ vna nocte iugularunt. De quibus Apollodorus lib. 2. de Diis. Danai filiæ τὰς μὲν κεφαλὰς τῶν νυμφίων ἐν τῇ Λέρνῃ κατώρυξαν, τὰ δὲ σώματα περὶ τῆς πόλεως ἐκήδευσαν, *Præfecta ſponſorum capita in Lerna defoderunt, corpora verò ante vrbem ſepelierunt*, vt qui filios Hebræorum Nilo demerſerat, ipſoſque patres eiuſdem fluuii diductionibus oppreſſerat, filiorum ſuorum capita in torpenti palude defoſſa, corpora in arenti Argiuorum ſolo ſepulta lugeret.

Pœna Seſoſtris irrogata ſceleribus cōueniens.

63. Pleriſque ad lapidicinas damnatis ipſum ſolis adſpectum eripuerat: oculis & luce priuatus eſt, vt auctor eſt Diodorus. Iſraelitis mortem expetendam ſua crude-

litate reddiderat: necem sibi ipse consciuit, vt quamuis cætera dissimulemus argumenta, tamen è pœna sceleribus eius inflicta ad ipsorum scelerum notitiam quodammodo venire possimus. Ægypto siue Sesostri filiam omnium longè prudentissimam, & diuino quodam afflatu futurorum præsciam fuisse tradit idem qui supra, Diodorus, filiam Pharaonis, à qua Moses adoptatus, τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων οὐκ ἔλαττον ἢ τὴν Ἶσιν. *Honorari ab indigenis non minùs quàm Isidem*, auctor est Artapanus apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang. Quid? quòd Pharaonem illum qui tantam Israelitis calamitatem primus inuexit, necesse est & magnarum rerum appetentem, & superbissimum fuisse. Quis Sesostri vel ambitiosior, vel superbior, qui in vrbes & Deorum templa quatuor Regibus subiugatis currumque trahentibus identidem inuehebatur.

Filia Pharaonis.

Sesostris superbia.

64. Quod ad filium vel potiùs generum, nisi si vtrumque dicere volumus, attinet, non pauciora reperias in eo diuinæ iustitiæ vestigia. Nam & eadem, qua pater, cæcitatis pœna mulctatus est, ob impietatem in Nilum admissam, quod ita profani scriptores interpretantur, quasi in Nilum plus solito restagnantem & vndis exuberantibus segetes obruentem telum contorserit: ego sic interpretari malim, quòd ad coërcendas Nili restagnationes aggeres excitaturus filios Israel impiè, crudeliter, & sacrilegè laboribus attritos oppresserit. Absorbuerat ille sanguinem Hebræorum, & populū Dei variis cladibus afflixerat: æquum fuit vt à diis suis inductus crudelitatem hanc in alienos exprompta sanguine suorum expiaret. Nam post exactum in cæcitate decennium ab oraculo monitus fore vt visum reciperet, si oculos castæ mulieris, vnumque adeo virum expertę lotio lauisset, à coniuge sua exorsus cùm matronas quamplurimas frustra tentasset, omnes vnam in vrbem congregatas cum ipsa ciuitate viuas exussit, & hortulanam nescio quam eius vrina persanatus fuerat, adsciuit in thori thronique consortium, vt Herodotus & Diodorus Siculus litteris prodiderunt: Iussit, vt iampridem ex Artapano Philarchæus noster aduertit, Hebræos omnes lineis vestibus amiciri, laneis autem indui omnino prohibuit, vt hoc vestium discrimine ab indigenis segregati magis paterent iniuriæ: ipse primus omnium mortalium elephantiasi siue lepra, quasi candida veste coopertus teterrimum spiritum exhalauit. Hæc ille, quanquam hunc non Ramsem, sed Cheneph rem appellat. Quibus quasi quibusdam vestigiis leuiter quidem pressis, non tamen perobscuris ad aliquam notitiam veri deducimur.

Herodot. lib. 2.

Pœna irrogata Ramsi Sesostris filio.

XXI. *Obiectio.*

65. ANtequam tamen penitus me dedo tuisque rationibus subscribo, pauca sunt, Eustochi, quæ ex re scire desiderem. Ac primum illud de mora filiorum Israel in Ægypto quid sentias? cóśne annos ibi quadringentos & triginta mansisse putes, vt Philarchęus aiebat, an cum omnibus pene Chronologis eorum habitationem annis ducentis & quindecim definias? Eustoch. Mihi verò, Polypragmon, nec libet à Philarchæo citra necessitatem, nec vllo modo licet à scripturæ disertis concepta verbis authoritate discedere. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Polyprag. Vnde porro huius Chronologiæ caput accersis? à peregrinatione Abraham? an ab anno Iosephi decimo septimo quo captiuus in Ægyptum abductus est? an ab eiusdem vndequadragesimo quo patrem & fratres suos in Ægyptum euocauit. Evst. Cùm scriptura habitationem & mansionem ac proinde stabilem Israëlitarum in Aegypto sedem apertè significet, & à profectione Abrahami ad Iosephi descensum, ne vnus quidem, qui ad eum populum pertineret, per annos penè ducentos pedem in Aegypto posuerit, equidem eos quantumuis graues & eruditos authores audire non possum qui caput habitationis accersunt ab illa peregrinatione Patriarchæ. Cùm autem ea sit natura principii, nihil vt ipsum in eo genere præcedat. Iacobi verò filiorúmque stabilem sedem in Aegypto mansio Iosephi præcesserit, isque primus omnium filiorum Israel ibidem habitarit, ab eius abductione non à Iacobi descensu capiendum putamus habitationis exordium.

Exod. 12. 40.

66. Polypragmon. Igitur à secundo Amenophis quarti anno, cui Mosis exitum consignamus, ad plagium quo Ioseph in Aegyptum abreptus est, anni quadringenti triginta numerantur. Evst. Assentior. Polyp. Inter Iosephi abductionem & Israëlis obitum quot anni colliguntur? Evst. Quadraginta. Cùm enim Iacob tertio & vicesimo post Iosephum anno in Aegyptum descenderit, ibique vixerit annos septemdecim, si ex his vnam summam effeceris, anni quadraginta colligentur. Polyp. Qua tempestate Iacob diem obiit extremum, virum putas an mulierem regnasse

apud Aegyptios? Evstoch. Planè quinquagesimum Genesis caput extorquet vt tum temporis virum apud Aegyptios regnasse fateamur. Polypr. Quid si necessariis rationibus euicero, secundum tuam Chronologiam, quo tempore mortuus est Iacob, mulierem Aegypti gubernacula tenuisse? Evst. Id si feceris, Polypragmon, me à sententia priore deduxeris.

67. Polypr. Calculis Manethonis à primo Themosis anno ad Sethosis siue Sesostris initium anni trecenti triginta duo, menses vndecim computantur. Quibus si Sethosis quinquaginta nouem, Ramsis sex & sexaginta, Amenophis quarti duos adieceris, annorum quadringentorum & sexaginta summa constabit. Cúmque Themosis annos viginti quinque regnauerit, cui successit Chebron annis tredecim, sequetur Iosephi descensum in annum Chebronis quintum incidisse. Post Chebronem regnauit Amenophis primus annos viginti, menses septem: hunc excepit soror Amesses, & annis vno & viginti, mensibus nouem Ægypti gubernacula tractauit. Porro Iosephus decimo quarto post captiuitatem anno, cùm ipse triginta esset annorum, stetit in conspectu Pharaonis & ad proregiam dignitatem euectus est: is fuit Amenophis primi sextus: vicesimo tertio sui descensus anno, nono proregiæ dignitatis, Amenophis decimo quinto patrem & fratres in Aegyptum euocauit; His adde annos septemdecim, quibus Iacob in Aegypto versatus est, obitum Iacobi anno Amessis duodecimo deprehendes. Amesses autem soror fuit Amenophis. E quibus efficitur quo tempore mortuus est Iacob, mulierem Aegyptiis imperasse. Quæ si salua scripturæ maiestate dici non possunt, mutandæ tibi sunt Chronologiæ rationes.

XXII. *Obiectionis dilutio.*

68. Evstoch. Potes sanè, Polypragmon, me tuis istis interrogationibus aliquantulum commouere, à sententia dimouere non potes. huic enim obiectioni multis viis occurritur. fieri potest vt vitio Librariorum ἀδελφὴ pro ἀδελφὸς in Manethonis textum irrepserit. Hoc tamen perfugio non vtar, ne quod seditiosi Tribuni plebis facere solebant, videar nouas tabulas proponere. fieri potest vt ipsa maritum sibi legerit, eum ipsum qui Genesis quinquagesimo Iosepho permisisse dicitur vt ad inferendum patris cadauer maiorum suorum sepulcro, in Chanaanitidem adscenderet.

69. Nec minùs fortasse credibile est Amenophim eiúsque sororem eodem tempore regni gubernacula tenuisse, vt re ipsa regnum alterius, alterius annis implicetur, & Amesses vno duntaxat anno & mensibus duobus post Amenophim regnauerit. Quod Eusebius videtur omnino censuisse, dum vnum adiecit annum Amenophi, & nullam Amessis habuit in texenda Chronologia rationem. Quod si propter Amessem non vnum & viginti, sed vnum duntaxat annum adieceris, adeóque viginti solidos Manethonis Chronographiæ detraxeris, à secundo Amenophis quarti, qui, vt putamus Israelitas eiecit, ad decimum Themosis anni quadringenti triginta colligentur: quibus habitationem filiorum Israel in Aegypto scriptura circumscribit. Hinc efficietur Iosephum decimo Themosis anno fuisse distractum à fratribus & Putiphari venundatum, vicesimo quarto prouectum ad proregiam dignitatem, anno Chebronis octauo Iacob à filio suo euocatum in Aegyptum venisse cum tota familiâ, Amenophis & Amessæ sororis duodecimo esse demortuum, Iosephum autem ad sextum Themosis siue Thutemosis, qui Mephramuthosis filius fuit, annum, vitam propagasse. sub quo Rege Manetho scribit Pastores, cùm hactenus in Aegypto regnassent, imperium amisisse.

XXIII. *Appendicula de Theut siue Thot & Serapide, vtrum fuerint ijdem cum Iosepho.*

70. Philarch Themosim igitur, Eustochi, fuisse putas illum Aegypti Regem, qui Iosephum è vinculis eductum Ægypto præfecit, *Constituit enim dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsũ, & senes eius prudentiam doceret.* Ps. CIV. Evst. Aliud equidem suspicari nõ possum, Philarc. Phil. Quid si hinc probabiliter efficitur Iosephum nostrum illum ipsum esse, quem Theut siue Thot Aegyptij nuncuparunt? Evst. Quo pacto? Phil. Dicitur in Phędro Platonis Theut siue Deus, siue diuinus homo dicendus est, artes à se repertas Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, ipsas adeo literas scribendíq; rationem ad Aegypti Regem, cui nomen Θάμυς, detulisse, vt eas cæteris impertiret Aegyptiis. Ecquid tibi videtur Θάμυς esse Themosis? Quem autẽ cõstituit Themosis vt erudiret semetipsũ, vt cæteros Aegypti principes erudiret. Evstochivs. Iosephum sanè vt hinc etiã Ioseph Theut siue Thot.

videre

videre possimus Chronologiam nostram Platonis testimonio comprobatam.

71. Vnum tamen excipiendum reor, vt si quem Theut siue Thot Aegyptij vocabant, nos Iosephum nostrum esse dicimus. ne propterea necesse sit alium esse Iosephum, alium Serapidem cōfiteri Nam & nihil obstat quo minùs Aegyptij duos sibi deos ex vno & eodem homine fabricarint, & probabilis est eorum ratio qui Iosephum Serapidis nomine, propter diuisionem frumenti qua famis tempore subuenit Ægyptiis, consecratum esse coniectant. Iulius certè Firmicus Maternus lib. de Erroribus profanarum Religionum, quem ad Constantini Magni filios conscripsit, cap. 14. Serapidem esse nostrum Iosephum etiam ex ipso nomine confirmat, quasi Serapis vocabulum à Sara Iosephi proauia profluxerit. Sed quoniam sibi facilè non persuadeat Eminentissimus Annal. scriptor populum Ægyptium deos patrios peregrinis vocibus nuncupasse, totamque vim in eo positam esse putat, vt sciatur quidnam vox Serapis significaret apud Ægyptios, vt si Serapis idem erat quod *mundi Saluator*, idem Serapis cum Iosepho fuisse statuatur, videndum est ecquid hinc etiam possit lucis oboriri.

Ioseph Serapis.

Baron. anno 359.

72. Pharao vt dicitur Genesis 41. v. 45. *Vertit nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* Habetur in textu principe: & vocauit Pharao nomen Ioseph צפנת פענח *Sephanah paanah*. Quid si, quod in vocibus barbaris facillimum fuit ob apicum similitudinem ר pro פ in scripturam irrepserit, vt legi debeat *Seranah paanah*, & extremis vtriusque voculæ litteris per apocopen amputatis, vnum ex vtraque dictione, nomen existat Serapan, quemadmodum è tribus his אב רם המון *Ab ram hamun*, nomen אברהם conflatum est. Certè mendum aliquod in hanc locutionis Ægyptiacæ scripturam illapsum vel inde possumus non immeritò suspicari, quòd authores in appellando Iosepho non satis inter se consentiunt: eum LXX. seniores Ψονθομφανὴχ appellant, Artapanus Μεμψασθενὼθ, Chaldaica paraphrasis nominis significationem duntaxat apponit, nec tamen interpretatur *Saluatorem mundi*, vt noster, sed *virum cui secreta reuelantur.*

73. Sed ne diutiùs in verbis tricari videamur, habemus alia certiora rei quam indagamus, vestigia. Iosephus erudiuit principes Ægypti, & senes eius docuit prudentiam: neque credi fas est quicquam impensiùs ab eo curatum, quàm vt eos ad veri Dei notitiam adduceret. Notum est illud Serapidis responsum quod omnium ore circumfertur.

Πρῶτα θεὸς μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυτα δὲ τρία πάντα [τέλος] καὶ εἰς ἓν ἰόντα.
Principio Deus est, tum Verbum, & Spiritus illis
Adiunctus. Tria nexa sibi tendentia in vnum.

Quod oraculum quis non videt Iosepho potiùs quàm malis geniis acceptum esse referendum? Serapidē, vt auctor est Rufinus, alij Iouem, alij virturem fœcunditatémque Nili, alij Apim Regē Argiuorum, alij quēdam siue patremfamilias, siue Regem indigenam fuisse memoriæ tradiderunt, sed in hac sententiarum varietate cōsentiunt omnes eum propter frumenti largitionem esse consecratum, quo factum est vt eius statua modium capiti superpositum sustineret, quo videlicet annonæ penuriâ laborantibus frumentum dimensus est. Quæ quis in Iosephum quadrare non videt?

74. Quid? quod aiunt ab eodem inuenta symbola quædam quibus impuri spiritus ab obsessis corporibus pellerentur? quòd Hebræorum sapientiæ conuenire commodè ad rem, qua de nunc agitur, Illust. Baronius aduertit? cuius frequens in Euang. Actis Apostol. & Iosepho mētio reperitur. Quid denique? quòd idem cultûs Serapidis originem ad Iosephum referri putat, quòd, vt ait Socrat. l. 3. c. 17. in imo diruti Serapidis delubri lapides repertos esse constabat signo crucis insignes, adeo vt gentiles dicerent aliquid cum Christo Serapidi esse cōmune? E quibus si probabiliter efficitur religionē cultumque Serapidis è Iosephi beneficio redundasse, & illud pariter non absimile vero fuerit Amenophim eius nominis primū Amessæ germanū eum ipsum esse cui scribit Suidas, redditum à Serapide fuisse superius illud oraculum. Thulem ait fuisse Regem Ægypti adeo potentem, vt illi etiā vltima Thule seruiret, & ab eo nomen acciperet. Sed vt res secundæ vel sapientum animos fatigant, non potuit, vt cum Pindaro loquar μέγαν ὄλβον καταπέψαι, *magnam felicitatem concoquere*, sed rebus ad nutum affluentibus insolescens Serapidem rogauit ecquis vnquam aut fuisset, aut esset, aut futurus esset beatior. respondit ille, πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς, & Rex à suis nefaria conspiratione confossus insolentiæ suæ pœnas exoluit.

Matth. 12. 27. Marci 3. Luc. 11. 19. Ioseph. 8. Antiq. c. 2. & 7 de Excid 13. Act. 19. 13.

Thules rex Ægypti.



SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER NONVS.

GENEBRARDVS, SIVE ENYΠNION. A.

Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Exodi 12.v.40.

GENEBRARDVS, PHILALETHES.

PRÆFATIO.

1. NIMIRVM. *Quæ in vita vsurpant homines, cogitant, curant, vident,*

Quæque agunt vigilantes, agitántque: ca si cui in somno accidunt, minus mirum est-- --

vt ait Accius in Bruto.

Totum in Chronologiæ sacræ meditatione diem exemeram, cùm in ea me cogitatione defixum repente somnus arctior quàm solebat, inuasit, & iam exacta noctis meridie,

Moscius Eidyllio 2. Ὅτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

quo tempore somnia defecatiora mitti vulgo creduntur, solus animum relaxare & curis grauioribus expeditus errare mihi videbar per syluam arborum non solùm densitate, sed etiam amœnitate, proceritate, varietate spectabilem. Hic tametsi (Ausonius in Mosell.)

--consertis per mutua vincula ramis
Quæritur exclusum viridi caligine cœlũ:

interdum tamen per nemoris opacitatem, quasi per nebulam, videre mihi videbar arces duas in editis duorum collium è regione sibi respondentium fastigiis constitutas, auro, crystallo, gemmísque fulgentes. Viæ diuersę longis viatorum agminibus affluentes, latiores aliæ, aliæ arctiores, pleræque perplexæ. & non paucis anfractibus, quasi labyrinthis implicatæ, nonnullæ virgultis, & sentibus interclusæ.

2. Hîc me cupiditas incessit nonnulla de viatoribus sciscitandi: sed tantus erat vltro citróque commeantium strepitus, vix vt audire mutuo possemus.

Ac velut in somnis, oculos vbi languida
12. Æneid. *pressit*
Nocte quies, iam iámque auidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, nec corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

Ita me frequentius adire & appellare tentantem destituebant pedes, & hiscentem frustrabatur clamor inceptus. Cùm ecce commodùm senex quidam, habitu sanè quammodesto, incessu lento, canicie venerabili, paululùm à turba secesserat, & auia loca nullius recentiorum trita vestigio peragrabat. Ad hunc accedo, & Aue, inquam, vir omnium optime. Et, vt in somno turbari solent imagines, continuò solutæ orationi vix dum inceptæ hos versus attexui.

Sis felix, nostrúmque leues quicumque laborem,
Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Versemur, doceas. Ignari hominúmque, locorúmque
Erramus.—

3. Tum ille arridens, vbi me comiter resalutauit. Hæc, inquit, sylua scriptura est: viæ perplexæ variæ sunt interpretationum ambages: viatores, Chronologi: arborum opacitas, scripturæ sanctæ obscuritas: rami coruscantes & rixantes interdum, apparens in scriptura dissensio: Arx, quam in eminenti colle sitam vides, est sedes ipsius veritatis: Quæ huic è regione respondet, sic extra syluam posita, vt tamen arboribus obsepta videatur, arx est & præsidium Falsitatis, ad quam cùm plerique fucata & adulterata veritatis specie decepti peruenerint, ipsam se veri metam putant attigisse. Ego, vt primum Veritatis, cuius amore iam inde à pueritia flagraueram, nomen audiui, continuò sic exarsi, vt ne salutato quidem sene, actísque pro tanto beneficio gratiis, viæ me darem, & subito quodam impetu cæcus & palpans per auia, per abrupta Veritatis templum aditurus in vepres, in sentes, in saxa proreperem, nisi me fugientem senex iuuenili quadam celeritate confestim assecutus prehensâ togæ laciniâ tenuisset, &, Mane, mane, inquit, Philalethes: quo te proripis? Quid ita

Μαιμῶσιν καθύπερθε πόδες, καὶ χεῖρες ὕπερθεν:

Sequere sis, tuum Genebrardum: eò te perducam, quò frustra solus eniteris.

4. Hîc ego proprio nomine appellatus hærere primò, & sacro quodam horrore suspensus oculos in terram defigere: Deinde, vt senem hunc Genebrardum esse cognoui, circũspectare omnia, pudore suffundi, vereri ne quis transeuntium me cum eo loquentem aduerteret, pedes explicare, fugam meditari, sed ea exitum non habebat, & summissa voce. Per ego te superos, inquam, omnes oro atque obtestor, ô Genebrarde, patere me abs te discedere, & aliorum, quos tu Chronologos appellas, inhærere vestigiis. Et ille suauiter arridens;

Circumspicedum, inquit, ne quis huic auceps sermoni fiet. Plautus Miles.
Viden' tu illum oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

Scio, scio, mi Philalethes, quid te mordeat. In hoc Morphei regno non solùm intimos sensus cuiusque penetramus. Sed etiam

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura sequantur.

quantumuis temporibus disiuncta, certa tamen cognitione coniungimus; vereris ne colloquij nostri rumor ad recentium Chronologorum aures emanet. Recentiores omnes qui post me Chronologias texuerunt, digestam à me temporum rationem auribus respuunt, oculis adspernantur, ipsa denique recordatione contemnunt. Atque adeo prædico tibi, & longè ante denuntio: Si quæ nunc audis, litteris consignare statueris, plerique tuas rationes abunde confutatas, seque ipsos pulchros & beatos fore putabunt, cùm te vel in difficultates inextricabiles coniectum esse, vel etiam hæc, quæ proferes, somniasse responderint.

5. Sed, mihi crede, Philalethes, ad veritatis arcem contendenti contemnendus est iste contemptus; Neque tibi tamen numerandi sunt authores, quã scriptura imprimis, deinde etiam ratio ponderanda. Et, vt Philosophorum disertissimus quodam loco monet sanè prudenter. *Non tam authoritatis in disputando, quàm rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis qui discere volunt, authoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vident.* Cic. de nat. Deorum. His igitur indagandæ veritatis modus esto, vt vbique primas obtineat scriptura & reuelatio diuina, communisque consensus Ecclesiæ; in rebus autem, quæ non pertinent ad fidem, & in vtramque partem salua pietate disputari possunt, secundas ratio vel experientia teneat, tertias magnorum virorum authoritas. Hæc est via, mihi crede,

thore Strabone etiam Tanym appellant, ad Orientem Bubastis fluminis, è quibus intelligas nihil aliud significari, quàm terram Gessen iam inde à profectionis initio Hebræorum domicilio destinatam. Et sanè cùm Hebræi Iosepho superstite, totam, vt sic loquar, sub Regibus Ægyptum obtinerent, eo defuncto quasi reliqua Ægypto depulsi, in terram Gessen receptum habuerunt, quibus prouinciæ pascuæ quidem & fertilis, sed perangustæ se limitibus continerent. E quibus aduertitis, Polypragmon & Philarchæ, Manethonem vel nationis suæ studio, vel Hebræorum odio fucum oblinere veritati, Pastores illos Chananæos qui multis annis Ægyptum latrociniis, direptionibusque vexarant, cum Hebræis confundere, & quoniam ob memoriam cladis adeo diuturnæ detestabantur Ægyptii pastores, hinc inuidiæ faces Israelitarum nomini submittere, vt planè difficile sit & arduum verum à falso separare, cùm præsertim ipse Manetho frequenter à seipso dissentiat. Ait à Themosi primo eiectos esse pastores: sed idem ait pastores à Misphragmuthosi qui proximè antè regnauerat, ex cætera depulsos Ægypto in Auarim fuisse contrusos: obsessos ab eius filio Themosi, & ex fœdere dimissos in Syriam rerum suarum domicilium transtulisse. Quæ nisi Themosi secundo, qui Misphragmuthosi successit, quadrare non videntur.

38. POLYPRAG. Imò, Eustochi, ne tibi solus hariolari videare, quis nos iure reprehendat si dixerimus Iosephum fuisse qui Pastores illos Chananæos, qui olim cum Abrahamo descenderant, eóque digresso substiterant, latrociniisque diuturnis expilauerant Aegyptum, è terra Gessen extruserit? Eos enim significat Eusebius ex Aegypto fuisse depulsos paucis admodum annis, postquam Iosephus vicariam Aegypti præfecturam acceperat, quod sub Themosi primo contigisse difficile nō est ostendere. Certè huc allusisse videtur Iosephus ipse Genes. 46. dum fratres monet vt Pharaoni se pastores ouium esse respondeant. *Hæc autem*, inquit vers. 34. *dicetis vt habitare possitis in terra Gessen quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium.* Cur detestantur? opinor ob memoriam calamitatum quas Aegypto Pastores superioribus annis inuexerant. Cur ex eo quòd Aegyptij detestabantur pastores ouium, facile fuit terram Gessen impetrare? Nimirum illi congressum pastorum familiaritatémque fugiebant: terra verò Gessen non solùm pascuis abundabat, sed eiectis recēs pastoribus vacua erat & pastoribus destituta.

39. Quare, quantum in rebus obscurissimis diuinare fas est, alij fuerunt Hebræi pastores, alij pastores Chananæi, quanquā non pauca fuerunt vtrisque communia. Vtrique pastores, vtrique in Aegyptum migrarunt è Chananæa, vtrique in Aegypto principatum aliquem habuerunt, vtrique in terra Gessen habitarunt, vtrique magnas Aegypto calamitates intulerunt, vtrique ex Aegypto regressi sunt in Chananæam. Neque tempora quidem admodum diuersa fuerunt, cùm Hebræi paucis annis post eiectos pastores Chananæos terram Gessen occuparint. Adde quòd eadem fuit vtrisq; migrationis in Aegyptum caussa. Nam Chananæi eodem tempore quo Abram Hebræus ad propulsandam famem in Aegyptum descenderant, & Ioseph Hebræus Aegypti Pro-rex eadem de caussa patrem & fratres suos in Aegyptum euocarat. Illud tamen inter eos discrimen fuit quòd etsi Abram & Lot pastores Hebræi, & Hycsi siue pastores Chananæi in Aegyptum migrauerant, non tamen Hebræi cum Chananæis eodem tēpore morati sunt in Aegypto. Auctor est enim Artapanus à Polyhistore laudatus apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang. Abrahamum *μείναντα ἔτη ἐκεῖ εἴκοσι πάλιν εἰς τοὺς κατὰ Συρίαν ἀπαλλαγῆναι τόπους. τῶν δὲ τούτῳ συνελθόντων πολλοὶ ἐν Αἰγύπτῳ καταμεῖναι διὰ τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας*, *Cùm ibi mansisset annis viginti ad Syriam rediisse; eorum autem qui cum illo accesserant, non paucos, propter regionis vbertatem in Aegypto substitisse.* Imo paucis mensibus Abraham in Aegypto versarum esse liquidò patet è decimo sexto Geneseos, vers. 3.

Pastoribus Chananæis & Hebræis multa cōmunia.

Multa etiā diuersa.

40. Hebræi pastores in Aegyptum vrgente fame redierunt: sed iam vel exacti penitus fuerant Chananæi, vel, si qui supererant, ij sub Themosi secundo Misphramuthosis filio in Chanaanitide translati sunt. Magnas vtrique clades intulerunt Aegyptiis. Sed Hycsi siue Chananæi Pastores Aegyptum suis latrociniis & direptionibus miserè lacerabant. Aegyptij contrà Hebræis faciebant iniuriam, vt in Saræ raptu & Israëlitarum seruitute, & vlciscente numine iustissimas iniustitiæ suæ pœnas exoluebant. Vtrique adepti sunt aliquem in Aegypto principatum: sed Hycsi quos Chananæos putamus, sibi Regem ad vexandam penitusque delendam Aegyptum elegerant: Ioseph ad Aegypti præfecturam euectus est, vt totam gentem ab interitu vindicaret. Cùm igitur tam multa sint vtrisque communia, tam multa singulis peculiaria, minùs mirum est eos ab authoribus

ribus interdum confundi, interdum separari.

41. Eos confundit Eusebius, aiens: *Reges Aegyptiorum se conuicere pastores fuisse nuncupatos propter Ioseph & fratres eius qui in principio pastores in Aegyptum descendisse comprobantur*. Discriminat & apertè secernit ad nonagesimum annum Isaaci te- ferens eius dynastiæ primordia: aiensque nonagesimo primo Regum pastorum anno Ioseph stetisse in conspectu Pharaonis, & accepisse totius Aegypti principatum: finemque dynastiæ Pastorum consignans annò tertio postquam Iacob in Aegyptum descenderat. Confundit Manetho Hycsorum nefarias prædationes in Hebræorum inuidiam deriuans: apertè discriminat eos qui Mose duce profecti sunt ex Aegypto multis annis post Hycsorum profectionem aiens ex Aegypti finibus exiisse. Confundunt plerique veterum rati Mosem sub Themosi siue Amosi, temporibus Inachi vel Phoronei floruisse: discriminant alii qui Mosis ætatem ad Cecropis tempora retulerunt. Sed quoniam non satis liquidò constat, iidémne fuerint an diuersi ab Hebræis ii pastores quos Manethon Hycsos appellat, & scribit in Aegypto longè latéque fuisse dominatos, nullus autem dubitare potest Hebræos fuisse qui Mose duce Aegyptum reliquerunt, quantumvis eos & genere Aegyptios & calamitate leprosos fuisse Manethon & Chæremon impudentissimè mentiantur: superest, Eustochi, & de Mosis egressu tuam probes sententiam.

XII. *Probatur authoritate Manethonis & Chæremonis tempus Exodi.*

42. EVSTOCHIVS. Meam autem? imò potiùs Manethonis & Chæremonis: Qui licet in multis inter se plerumque dissentiant, & frequenter Iudæorum odio mentiantur, in eo tamen conueniunt, quòd sub Amenophi quarto, qui Ramsis filius fuit, nepos Ægypti, Mosem aiunt, multos mortales ex Ægypti finibus eductos in Syriam transtulisse, & magnas Ægyptiis calamitates intulisse, quod equidem non video cur repudiare debeamus. Iosephus libr. 1. in Appionem de Manethone. Liceat bonâ vestrâ veniâ supersedere Græcis. *Quasdam*, inquit, *annectit fabulas pene oblitus quòd egressum Pastorum ad Ierosolyma, ante quingentos decem & octo annos factum esse protulerat. Themosis enim erat Rex quando egressi sunt.* Videtis Iosephum Reges Pastores cum Hebræis confundere, & erroris sui culpam in Manethonem transfundere. sed pergit, *& ab hoc tempore Regum qui postea fuere, anni sunt trecenti nonaginta tres, vsque ad fratres nomine Sethonem & Hermæum* (superiùs vocauerat Sethosim & Armaim) *quorum Sethonem Aegyptum, Hermæum verò Danaum denominatum dicit. quem expellens*, inquit, *Sethon regnauit annis quinquaginta & nouem: & post hunc senior è filiis Ramses annis sexaginta sex.* Amenophim deinde Regem adiecit Manethon, quod nomen Iosephus ideo videri vult esse confictum, quòd ille *tempus regni eius nequaquam definire præsumpsit, cùm aliorum Regum annos perfectè protulisset.*

Sed profectò Iosephum calculus fefellit, vel error amanuensium negligentia in eius textum illapsus est. Non enim à primo Themosis anno ad primum Sethonis, anni trecenti nonaginta tres, sed trecenti triginta tres à Manethone numerantur, quibus si annos Sethonis quinquaginta nouem, Ramsis sexaginta sex adieceris, à primo Themosis anno ad Ramsis obitum anni quadringenti quinquaginta octo, ad secundum verò Amenophis, quo anno putamus Hebræos mare Rubrum esse transgressos, quadringenti sexaginta colligentur.

42. Neque verò dictorum oblitus est Manethon, vt caussatur Iosephus, sed prudens & sciens Hycsos ab iis qui Mose duce profecti sunt, discriminat. Neq; ex eo quòd Amenophis annos tacuit, sequitur aut personam, aut nomen esse confictum. Sed vel quòd Ægyptii sibi persuadere non poterant Amenophim mari Rubro fuisse submersum, vel quòd eos tam insolentis & diræ vindictæ pudebat, Manethon eius annos silentio velauit, vt aliquem fucum posset facere veritati. *Ipse*, inquit, *transiens cum aliis Aegyptiis vsque ad trecenta millia virorum, bellatoribus viris occurrens*, leprosis videlicet, qui vt superiùs dixerat ad sectiones lapidum in partem. Nili orientalem missi Mose Duce, defecerant ab Amenophi & Aegyptum miserè lacerabant. Palam est autem partem fluminis orientalem esse terram Gessen, siue campum Taneos, vbi Israelitæ Ramesses, Socoth, Pythom & alias vrbes condiderunt: sed pergit Manetho. μέλλειν θεομαχεῖν νομίσας παλινδρομήσας ἧκεν εἰς Μέμφιν, ἀναλαβών τε τὸν Ἆπιν, &c. *Putans semetipsum contra Deum pugnare, retrorsum reuersus venit ad Memphim & sumens Apim & alia sacra, mox fugit in Aethiopiam cum vniuersis nauibus & multitudine Aegyptiorum.* Quo fugiente & ibi fatale tredecim annorum exilium exigente, scri-

Manethon multa vera miscuit suis mendaciis.

μεμόχθηκε. *Omnibus templis inſcripſit neminem vnum indigenam ad has ſubſtructiones operam contuliſſe.*

48. Quòd autem iidem captiui Regis eiuſdem imperiò Nilum in foſſas deduxerint, iidem authores diſertè cōfirmentur. Herodotus in Euterpe. τούς τε οἱ λίθους τοὺς ἐπὶ τούτου τοῦ βασιλέως κομισθέντας ἐς τοῦ Ἡφαίστου τὸ ἱρὸν, ἐόντας μεγάθεϊ περιμηκέας, οὗτοι ἦσαν οἱ ἑλκύσαντες· καὶ τὰς διώρυγας τὰς νῦν ἐούσας ἐν Αἰγύπτῳ, πάσας οὗτοι ἀναγκαζόμενοι ὤρυξαν. *Ii ſunt qui immanes illos lapides traxerunt, qui ſub hoc Rege delati ſunt ad templum Vulcani, omnéſque illas foſſas, quæ nunc in Aegypto viſuntur iidem coacti ſunt ducere.* Diodorus. κατὰ πᾶσαν δὲ τὴν χώραν ὤρυξε πυκνὰς ἐκ τοῦ ποταμοῦ διώρυγας. *Per omnem regionem à Memphi ad mare foſſas frequentes è flumine deduxit.* Ad coercendas, inquit Ioſephus, fluminis eluuiones, Hebræi iuſſi ſunt aggeres excitare. Quo id authore factum putatis? Seſoſis, inquit Diodorus, χώματα πολλὰ καὶ μεγάλα κατασκευάσας, *cùm multos & magnos aggeres excitaſſet, in eos vrbes tranſtulit, quæ ſitum naturalem ſatis editum non habebant,* ὡς κατὰ πληρώσεις τοῦ ποταμοῦ καταφυγὰς ἔχωσιν ἀκινδύνους, *vt flumine redundante tum homines tum iumenta ſecurum receptum haberent.* E quibus intelligitis cur ſeptuaginta Seniores Exodi primo Heliopolin inter vrbes ab Hebræis conditas numerarint, quam ex Geneſis 41. v. 45. & 50. liquet Ioſephi tempore iam floruiſſe. Eam enim Iſraelitæ condidiſſe dicuntur non quòd primò condiderint, ſed quòd eamè planitie in aggeres tranſtulerint.

Nili foſſæ à Iſraelitis perductæ.

49. Vbi autem potiſſimùm Hebræorum deſudauit induſtria? circa illam Aegypti plagam quæ maximè vergit ad orientem, vbi terra Geſſen Hebræorum habitationi deſtinata, vbi Peluſium, Socoth, Rameſſe, Pithon & Memphis. Nam & Socoth ſiue vrbem tabernaculorum & Pithon & Rameſſen ab Iſraelitis conditas, diuina ſcriptura prodidit, & vt iam diximus, ſeptuaginta Seniores Heliopolin addiderunt. Quid Seſoſtris? Ἐπείχισε δὲ, inquit Diodorus, τὴν πρὸς ἀνατολὰς νεύουσαν πλευρὰν τῆς Αἰγύπτου πρὸς τὰς ἀπὸ τῆς Συρίας καὶ τῆς Ἀραβίας ἐμβολὰς ἀπὸ Πηλουσίου μέχρις Ἡλιουπόλεως διὰ τῆς ἐρήμου τὸ μῆκος ἐπὶ σταδίους χιλίους καὶ πεντακοσίους. *Muro cinxit latus Ægypti quod vergit ad orientem contra Syrorum & Arabum irruptiones, à Peluſio ad Heliopolin per deſertum mille & quingentûm ſtadiorum interuallo.* Adeo vt ille murus à mari Mediterraneo ad ſinum Arabis cum cui ſecundum tabulas geographica Heliopolis reſpondet, pertineret, & diſpoſitis ad portas Aegyptiorum militum ſtationibus, integrum non eſſet, Hebræis Pharaonis iniuſſu verſus Palæſtinam diſcedere, ac proinde neceſſe fuerit vt Deus diſcedentibus hinc inde fluctibus iter per medios ſinus Arabici vortices fugientibus aperiret. Sed hæc viderint eruditi: nos ad reliqua veniamus. Equidem ſi diuinare fas eſſet, iiſdem Hebræis labyrinthum illum mirabilem, vel portentoſiſſimum, vt Plinius vocat, humani ingenij opus, illa barbara pyramidum miracula, lacum illum Mœrim, illos obeliſcos, ſaltem eorum pleroſque libenter adſcriberem, niſi me tum Herodoti, tum Diodori qui aliis tribuunt, abſterreret authoritas.

Murus ab eodem exſtructus inter Ægyptum & Arabiam.

Cur Hebræi non potuerint iniuſſu Pharaonis diſcedere.

50. Philarc. Imò, mi Euſtochi, cur tibi fas eſſe non putes tuam illam vſurpare εὐστοχίαν? cùm, vt ait Plinius libro 36. cap. 12. inter authores, quos ille duodecim enumerat, qui de pyramidibus libros ediderunt, non conſtet à quibus facta ſint, iuſtiſſimo caſu oblitteratis tantæ vanitatis authoribus: cùm tradat Ioſephus Hebræos non ſolùm fluuij deriuationibus, & ædificationibus vrbium, ſed etiam inſanis pyramidum ſubſtructionibus eſſe vexatos, cùm etiam ipſe Diodorus affirmet Seſoſim duos obeliſcos excitaſſe qui centum & viginti cubitis aſſurgerent: cùm denique is idem Rameſſes eſſe videatur, niſi ſi mauis eius filium exiſtimare, quem Plinius lib. 36. cap. 8. Ramiſem appellat, & perperam ait Troianis temporibus floruiſſe, de cuius obeliſco plura Tacitus 2. Annalium, & Ammianus Marcellinus lib. 17. apud quem & luculenta videri poteſt inſcriptio. Sed de lacu & labyrintho audire velim quid ſentias.

Pyramidū authores ignoti.

XV. *De lacu Mœridis & Labyrintho.*

51. Euſt. Lacum à Mœri fuiſſe perfoſſum tum ipſa nominis ratio, tum Diodorus Herodotúſque teſtantur. De labyrintho variæ ſunt authorum & incertæ ſententiæ. Sed Lycias apud Plinium lib. 36. cap. 13 ſepulcrum Mœridis fuiſſe ſcribit, eiuſdem videlicet qui lacum effodit, & traditur à Diodoro ſeptem ante Seſoſtrin ætatibus floruiſſe: idem tamen labyrinthum Mœri ſepulcrum eſſe dicit, qui ſex ætatibus ante Troiam captam in Aegypto regnauerit. Sed cum Dędalus Cretenſem labyrinthum ad Aegyptiacum effinxerit, nullus autem in Aegyptiorum Regum ſerie ſiue apud Manethonem ſiue apud Euſebium reperiatur Mœrres aut Meris niſi

quingentis saltem annis Dædalo recentior; scribat autem Artapanus apud Eusebium lib. 9. de præpar. Euang. filiam Pharaonis quæ Mosen ex aquis eductum in filium adoptauit, Merris nomen esse sortitam, eiúsque tempora Diodori Chronologiæ pene consentiant, non video cur coniectare non possimus opus vtrumque filiæ Pharaonis atque adeo filiis Israel acceptum esse referendum. Lacus hic tot mille sexcenta stadia, id est, quingenta pene millia passuum ambitu continebat: quibusdam locis orgiis quinquaginta, id est, pedibus trecentis profundus erat, non naturâ sed manu & arte factus, vt Diodorus & Herodotus memoriæ prodiderunt. *Rex*, inquit Diodorus, *qui lacum illum effodit, reliquit in medio locum*, ἐν ᾧ τάφον ᾠκοδόμησε, καὶ δύο πυραμίδας τὴν μὲν ἑαυτοῦ τὴν δὲ γυναικός, σταδιαίας τὸ ὕψος, ἐφ' ὧν ἐπέστησεν εἰκόνας λιθίνας καθημένας ἐπὶ θρόνου. *In quo sepulcrum extruxit, duásque pyramidas, alteram suam, alteram vxoris, stadij .i. centum viginti quinque passuum altitudine excitauit, quibus & statuas imposuit in throno residentes.*

Lacus Meridis.

52. Huic porro lacui Reginæ potiùs quàm Regis ipsius nomen inditum fuisse vel ex eo quis si non certò, probabiliter quidem certè ostenderit quòd vt subdit Diodorus, Rex (quem Ramsem Sesostris genetum fuisse existimamus, quamuis nihil impedit quo minùs filius etiam fuerit, vt Manetho, Diodorus & Herodorus tradiderunt, idémque, Regum Barbarorum more, sororem suam Merim, à qua Moses adoptatus, sibi matrimonio copularit) Rex, inquam, τὴν ἐκ τῆς λίμνης ἀπὸ τῶν ἰχθύων γινομένην πρόσοδον ἔδωκε τῇ γυναικὶ, πρὸς μύρα, καὶ τὸν ἄλλον καλλωπισμὸν φερούσης τῆς θήρας ἀργυρίου τάλαντον ἑκάστης ἡμέρας. *Prouentum ex illo lacu, qui ex piscatu capiebatur, dedit vxori ad vnguenta reliquúmque cultum corporis & mundum muliebrem, cùm singulis quibúsque diebus ex illa piscatione talentum argenti proueniret.* Prouentum hunc sex duntaxat mensibus, quibus emittebatur aqua, perceptum fuisse scribit Herodotus, cùm sex reliquis mensibus, quibus aqua è Nilo in lacum influebat, mnæ vicenæ diebus singulis colligerentur.

Cur is lacus à Regina nomen acceperit.

Prouentus illius lacus.

53. Polyp. Sed quorsúm ista? Evst. Eò collineat oratio mea, Polypragmon, vt quanti laboris & impensæ fuerit lacum tam immanem effodere videre possimus, vt constet quantis operum molitionibus Hebræi fuerint attriti, quàm miseram seruierint seruitutem. Quid enim aut miserius, aut indignius excogitari potuit, quàm vt gens sancta, Dei peculium ex omnibus nationibus electum, populus acquisitionis à parentibus nobilissimis, optimis, sapientissimis, de ipsa Ægypto meritissimis propagatus contra ius gentium per summam iniuriam lacus fodere, lapides secare, lateres fingere cogeretur? Quid posterius quàm vt sexcenta virorum, qui arma ferre possent, millia, præter pueros & matronas, tot annis terram exhaurirent, fossas ducerent, cœnum egererent, in luto volutarentur, ne mulierculæ deesset vnde sibi vnguenta, fucum, cerussam, cæteras muliebres nugas dicam an delicias compararet.

XVI. *Idem probatur à Nili deductionibus.*

54. Sed ne longiùs digrediar ab instituto, vela contrahenda sunt orationis meæ, breuitérque dicendum, cùm non solùm è Iosepho, cuius superiùs verba retulimus, sed etiam è Philone constet lib. 1. de vita Mosis, Hebræos amandatos fuisse πρὸς οἰκιῶν καὶ τειχῶν, καὶ πόλεων κατασκευάς, καὶ διωρύχων ἀνατομάς. *Ad domos, muros & vrbes extruendas, fossásque ducendas*, id videri maximè sub Sesostri, qui & Ægyptus & Ramesses dictus est, & eius liberis contigisse. Quamuis enim Strabo fossas ante Troiana tempora ductas negare videatur. πρὸ τῶν Τρωικῶν, inquit, μηδεμία ἦν διῶρυξ. liquidò tamen ostendit se de fossis loqui quæ vel à mari Mediterraneo, vel saltem à Nilo, ad sinum Arabicum pertinerent, dum ait Sesostrim id molientem ab incœpto destitisse, quòd suspicaretur Ægyptum humiliorem esse sinu Arabico, siue voluerit, vt ait Aristoteles 1 meteor. exeunte, Nili partem ad Rubrum mare perducere, destiterit tamen veritus ne Nili dulcem aquam immissi per decliuitatem maris salsedo corrumperet, siue, vt ait Basilius homil. 4. in hexaëmeron, Ægyptium mare tentarit Arabico committere, vt in Oceano marique Mediterraneo posset vltro citróque nauigari, consilium tamen illud abiecerit, ne Oceanum, quem sublimiorem putabat, in Ægyptum Oceano depressiorem infunderet.

Libro 1. Geog.

Nili fossæ.

Sesostris tẽtauit Nilum in sinũ Arabicum immittere, vel Oceanum Mediterraneo committere.

55. Quòd si, vt ait ibidem Philosophus, φαίνεται καὶ τὰ στόματα πάντα, πλὴν ἑνὸς τοῦ Κανωβικοῦ, χειροποίητα, καὶ οὐ τοῦ ποταμοῦ ὄντα. *Apparet omnia Nili ostia, vno excepto Canobico, esse manufacta, nec ab ipso flumio prouenire.* hinc etiam liquidò constat quantopere sudandum fuerit Israelitis, vt non solùm regionem vrbibus ornarent, sed etiam Nilum in tam multa támque diuersa

Omnia Nili ostia excepto Canopico manu facta

fluenta deducerent, vt ab hoc Rege Hebræorum oppreſſore, tum regio, tum etiam fluuius Ægypti nomen (ſic enim Homerus appellat 4. Odyſſ.) ſortitus eſſe videatur. Quamuis poſteà, ſi Diodoro fidem habemus, à Nilo quodam, qui octaua poſt Proteum bellumque Troianum ætate florebat, mutato vocabulo, perductis foſſis compluribus, Nili nomen acceperit.

56. Verùm vt hæc omnis diſputatio finiatur, Quis omnium maximè in Ægypto muros extruxit, vrbes communiit, foſſas perduxit, aggeres excitauit? Seſoſtris. Quos adhibuit opifices? ipſe ſuis monumentis inſcribi iuſſit neminem vnum Ægyptiorum quicquam laboris aut operæ contuliſſe. Quos igitur adhibuit? Diodorum rurſus ſuis verbis loquentem audiamus; λέγονται δὲ τῶν αἰχμαλώτων τινὲς ἐκ τῆς Βαβυλωνίας ἀχθέντας ἀποστῆναι, μὴ δυναμένους φέρειν τὰς ἐν τοῖς ἔργοις ταλαιπωρίας: *Dicuntur è captiuis ij qui à Babylonia fuerant abducti, à Rege defeciſſe, cùm operum moleſtiam tolerare non poſſent.* Quos porro Babylonios intelligit? Hebræos. Aduenæ ſiquidem erant Iudæi, inquit Philo libro 1. de vita Moſis, cuius gentis principes propter famem annonæ penuria, ex Babylone, ſuperioribúſque præfecturis in Ægyptum migrauerant. E quibus facilè demonſtratur eum Pharaonem qui primus vexauit Hebræos, & immenſis illis laboribus oppreſſit, fuiſſe Seſoſtrim ſiue Rameſſem, quem Græcorum fabulæ Ægyptum dicere maluerunt.

Babylonij captiui i. Hebræi.

XVII. *Idem probatur à rebus geſtis Seſoſtris & abſurdis quæ ex Euſebij Chronologia ſequerentur.*

57. QVid? quòd ſi Manethonem audimus inter cæteras Prouincias à Seſoſtri perdomitas etiam Phœnicia conceſſit in Ægyptiorum ditionem, & Herodotus columnas aliquot huius Regis nomine & victoriis inſignes in ipſa Palæſtina ſe vidiſſe teſtatur. Columnarum, inquit, quas Rex Seſoſtris paſſim erexit, maximam partem conſtat non amplius exſtare, ἐν δὲ τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ αὐτὸς ὥρεον ἐούσας, καὶ τὰ γράμματα τὰ εἰρημένα: *In Paleſtina Syria ipſe quaſdam vidi huiuſmodi inſcriptionibus ornatas.* Tantas autem eiuſdem Regis fuiſſe victorias Ægyptiorum hiſtoriæ prodiderunt, vt res ab Alexandro geſtas longo ſuperarit interuallo, Gangem tranſierit, totam Aſiam ab extremo Tanai ad Indicum Oceanum ditioni ſuæ ſubiecerit,

Res à Seſoſtri geſtæ.

Ægyptum ſiue Rameſſen ſcribit Euſebius in Chronico regnare cœpiſſe duobus annis, priuſquam Hebræi tranſito Iordane in Chanaanitidem adſcenderent. Ex qua Chronologia ſequeretur res Ægyptiorum paucis annis poſt plagas Ægyptiacas, extinctos vna nocte primogenitos, demerſum in mari Rubro Pharaonem, vniuerſum Ægyptiorum nomen tantum non internecione deletum, vt cùm maximè floruiſſe, terrarum orbem ab iis perdomitum ipſámque adeo Palæſtinam, quo tempore Ioſue filiis Iſrael Chanaanitidem diuidebat. Quo quid abſurdius fingi poſſit, equidem cogitare non poſſum.

58. POLYPRAG. Quid ſi cum Flauio Ioſepho dixerimus allucinatum eſſe Herodotum, & res à Seſaco geſtas, qua tempeſtate Roboam Iudææ regnum obtinebat, Seſoſtri tribuiſſe? Seſacus enim Rex Ægypti anno quinto poſt obitum Salomonis, innumerabilem exercitum in Iudæam infudit, vrbes munitiſſimas cepit, ad ipſam Hieroſolymam acceſſit, regias gazas templíque theſauros expilauit, & ſcuta aurea quæ fecerat Salomon, vt dicitur 3. Reg. 14. 25. & 2. Paralip. 12. Nihil igitur officiet quo minùs cum Euſebio ſtatuamus Ægyptum Regem, quem eundem cum Seſoſtri eſſe diximus, Ioſuæ temporibus floruiſſe. Seſoſtris enim nunquam ad Palæſtinam adſpirauit, errauit Herodotus, & Seſoſtri res à Seſaco geſtas adſcripſit. EVSTOCH. Si quid Ioſephus Herodoto præter ſupercilium opponeret, mi Polypragmon, faterer equidem oratione tua me non mediocriter commoueri: ſed cùm Herodorum erroris accuſet nullam autem accuſationis adferat rationem, non video cur antiquiſſimo ſcriptori fidem habendam non putemus, cùm præſertim & Manetho Phœnicas Iudææ vicinos à Seſoſtri debellatos eſſe teſtetur, & Syriam; cuius Palæſtina pars eſt, Ramſi paruiſſe conſtet, ex inſcriptione pyramidis apud Tacitum 2. Annalium, cuius ſupra fecimus mentionem.

59. Maneat igitur eam Chronologiam cohærere non poſſe, quæ ſtatuit Regem Ægyptum ſiue Seſoſtrim aut etiam Setoſim & Rameſſem Ioſuæ temporibus floruiſſe. Quid? quòd ſecundum eandem Chronologiam Rex iſte natus eſt ea pene tempeſtate, quâ Moſes populum eduxit; qui enim anno poſt exitum duodequadrageſimo dicitur Reip. gubernaculis admotus, ante patris obitum, vt auctor eſt Diodorus, iam Arabiam ſubegerat, & magnam Libyæ partem patris imperio ſubmiſerat. Quid? quòd quo die natus eſt, pueros om-

nes eodem die natos pater iussit è tota Ægypto congregari, eósque regiis impensis cum filio pariter educari, iisdem erudiri studiis, vt ipsa educationis similitudo familiaritatem, familiaritas beneuolentiam, beneuolentia fidem æqualium filio compararet. Quæ quis non videt non nisi rebus Ægyptiorum admodum florentibus fieri potuisse? Quæ omnia cùm circa Mosis ætatem contigisse necesse sit, neque potuerint post exitum Mosis ipsius aut Iosuæ temporibus contigisse, planè fatendum est priùs facta fuisse quàm Moses ex Aegypto filios Israel educeret.

Sesostris educatio.

XVIII. *Idem tempus Exodi probatur ex imperij Ægyptiaci subuersione.*

60. QVòd si, vt Eusebij Chronicis consignatum accepimus, Agyptus post Exodum accessit ad gubernandam Rempub. si, vt è Manethone liquet, is ipse est Sethosis cognomento Aegyptus, qui Assyriorum opes afflixit, Asiam vniuersam, nõ paruam Europæ & Africæ partem domuit, imperium ad ipsos terrarum terminos propagauit, qua tãdem ratione factum putamus vt Aegyptiorum monarchia concideret, labefactaretur potestas, & orbis imperij siue strepitu verteretur? Quæ tantaregno post celebres illas plagas clades accessit, vt tam multæ gentes, spretâ victoris populi potentiâ, subitò se ad recuperandam libertatem erexerint, & Assyrij non solùm à suis ceruicibus iugum seruile depulerint, sed etiam vel nouam monarchiam condiderint, vel pristinæ recuperauerint dignitatem? Profectò fingi nihil aliud potest quàm si dicamus paulò post Regis Aegypti siue Sesostris tempora, grauem aliquam calamitatem accidisse, quæ Aegyptios rerum dominos apud deuictas gentes in contemptum adduxerit, & Assyrios non solùm ad repræsentandam libertatem, sed etiam vel ad fundandam, vel ad instaurandam Asiæ monarchiam excitarit, nisi si dicere volumus omnia quæ à Manethone, Diodoro, Herodoro cæterisq; de Aegyptiorum imperio narrantur, penitus esse fabulosa: fictas etiam obeliscorum, & pyramidum inscriptiones quæ tum ab Ammiano Marcellino, tum à Cornelio referuntur.

XIX. *Recapitulatio.*

61 HÆ sunt igitur rationes quæ mihi persuadent ab Aegypto siue Sethosi filios Israel redactos fuisse in acerbissimam seruitutem. Chæremonis & Manethonis authoritas aientium ab illo Pharaone qui secundus Aegypto successerat, filios Israel emissos fuisse, eumque fugientibus institisse, sed cùm putaret se contra Deum pugnare pedem retulisse, & in Aethiopiam se abdidisse: nomen Ramessis inditum vrbi quã filij Israel excitabant: Aggeres, fossæ, muri, quos ab Israelitis factos fuisse constat authoritate Philonis & Iosephi: & tũ Diodorus, tum Herodotus à mancipiis iussu Sesostris factos fuisse memoriæ prodiderunt: Publicæ monumentorum inscriptiones, quibus testatum voluit Sesostris neminem vnum indigenam Aegyptium quicquam laboris impendisse. Palæstina Aegyptiorum armis domita priusquam Hebræi Iosuæ ductu terram promissam obtinerẽt: denique imperij Aegyptiorum euersio. Illud superest, mi Polypragmon, vt vel proferas certiora, vel his rationibus, quæcunque tandem illæ sunt, acquiescas.

XX. *Confirmatur eadem Chronologia.*

62. POLYPRAG. Ego verò, mi Eustochi, tuis coniecturis & εὐστοχίαις acquiescam, & eo libentiùs quod si Aegyptum hunc faciamus primum Israeliticæ vexationis authorem, erit cur in eo miremur diuinam iustitiam quæ à profligatissimo tyranno pœnas eius furori conuenientes adeo sapienter exegerit. Masculos in lucem recẽns editos aquis abolere conatus est, maximéq; circa Pelusium in terra Gessen, vbi filii Israel habitabant, crudelitatem exprompsit suam. Ipse circumiectis à fratre vallatus ignibus, circa Pelusium duos è liberis interemit, vt per eorum corpora, quasi ponte constructo, cum reliqua prole saluus & incolumis euaderet, iussit vt obstetrices puerorum nascentium fauces eliderent: vndequinquaginta eius liberos è diuersis susceptos concubinis totidem Danai filiæ sorores patrueles eædémque sponsæ vna nocte iugularunt. De quibus Apollodorus lib. 2. de Diis. Danai filiæ τὰς μὲν κεφαλὰς τῶν νυμφίων ἐν τῇ Λέρνῃ κατώρυξαν, τὰ δὲ σώματα πρὸ τῆς πόλεως ἐκήδευσαν, *Præsecta sponsorum capita in Lerna defoderunt, corpora verò ante vrbem sepelierunt*, vt qui filios Hebræorum Nilo demerserat, ipsosque patres eiusdem fluuii diductionibus oppresserat, filiorum suorum capita in torpenti palude defossa, corpora in arenti Argiuorum solo sepulta lugeret.

Pœna Sesostris irrogata sceleribus cõuenicus.

63. Plerisque ad lapidicinas damnatis ipsum solis adspectum eripuerat: oculis & luce priuatus est, vt auctor est Diodorus. Israelitis mortem expetendam sua crude-

litate reddiderat: necem sibi ipse consciuit, vt quamuis cætera dissimulemus argumenta, tamen è pœna scelcribus eius inflicta ad ipsorum scelerum notitiam quodammodo venire possimus. Ægypto siue Sesostri filiam omnium longè prudentissimam, & diuino quodam afflatu futurorum præsciam fuisse tradit idem qui supra Diodorus, filiam Pharaonis, à qua Moses adoptatus, τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐγχωρείων οὐκ ἔλαττον ἢ τὴν Ἴσιν. *Honorari ab indigenis non minùs quàm Isidem*, auctor est Artapanus apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang. Quid? quòd Pharaonem illum qui tantam Israelitis calamitatem primus inuexit, necesse est & magnarum rerum appetentem, & superbissimum fuisse Quis Sesostri vel ambitiosior, vel superbior, qui in vrbes & Deorum templa quatuor Regibus subiugatis currumque trahentibus identidem inuehebatur.

Filia Pharaonis.

Sesostris superbia.

64. Quod ad filium vel potiùs generum, nisi si vtrumque dicere volumus, attinet, non pauciora reperias in eo diuinæ iustitiæ vestigia. Nam & eadem, qua pater, cæcitatis pœna mulctatus est, ob impietatem in Nilum admissam, quod ita profani scriptores interpretantur, quasi in Nilum plus solito testagnantem & vndis exuberantibus segetes obruentem telum contorserit: ego sic interpretari malim, quòd ad coërcendas Nili testagnationes aggeres excitaturus filios Israel impiè, crudeliter, & sacrilegè laboribus attritos oppresserit. Absorbuerat ille sanguinem Hebræorum, & populū Dei variis cladibus afflixerat: æquum fuit vt à diis suis inductus crudelitatem hanc in alienos expromptam sanguine suorum expiaret. Nam post exactum in cæcitate decennium ab oraculo monitus fore vt visum reciperet, si oculos castæ mulieris, vnumque adeo virum expertę lotio lauisset, à cōiuge sua exorsus cùm matronas quamplurimas frustra tentasset, omnes vnam in vrbem congregatas cum ipsa ciuitate viuas exussit, & hortulanam nescio quam cuius vrina persanatus fuerat, adsciuit in thori rhronique consortium, vt Herodotus & Diodorus Siculus litteris prodiderunt: Iussit, vt iampridem ex Artapano Philarchæus noster aduertit, Hebræos omnes lineis vestibus amiciri, laneis autem indui omnino prohibuit, vt hoc vestium discrimine ab indigenis segregati magis paterent iniuriæ: ipse primus omnium mortalium elephantiasi siue lepra, quasi candida veste coopertus teterrimum spiritum exhalauit. Hæc ille, quanquam hunc non Ramsem, sed Chenephrem appellat. Quibus quasi quibusdam vestigiis leuiter quidem pressis, non tamen perobscuris ad aliquam notitiam veri deducimur.

Herodot. lib. 2.

Pœna irrogata Ramsi Sesostris filio.

XXI. *Obiectio.*

65. ANtequam tamen penitus me dedo tuísque rationibus subscribo, pauca sunt, Eustochi, quæ ex te scire desiderem. Ac primum illud de mora filiorum Israel in Ægypto quid sentias? eóne annos ibi quadringentos & triginta mansisse putes, vt Philarchęus aiebat, an cum omnibus pene Chronologis eorum habitationem annis ducentis & quindecim definias? Evstoch. Mihi verò, Polypragmon, nec libet à Philarchæo citra necessitatem, nec vllo modo licet à scripturæ disertis concepta verbis authoritate discedere. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Polyprag. Vnde porro huius Chronologiæ caput accersis? à peregrinatione Abraham? an ab anno Iosephi decimo septimo quo captiuus in Ægyptum abductus est? an ab eiusdem vndequadragesimo quo patrem & fratres suos in Ægyptum euocauit. Evst. Cùm scriptura habitationem & mansionem ac proinde stabilem Israëlitarum in Aegypto sedem apertè significet, & à profectione Abrahami ad Iosephi descensum, ne vnus quidem, qui ad eum populum pertineret, per annos penè ducentos pedem in Aegypto posuerit, equidem eos quantumuis graues & eruditos authores audire non possum qui caput habitationis accersunt ab illa peregrinatione Patriarchæ. Cùm autem ea sit natura principii, nihil vt ipsum in eo genere precedat. Iacobi verò filiorúmque stabilem sedem in Aegypto mansio Iosephi præcesserit, isque primus omnium filiorum Israel ibidem habitarit, ab eius abductione non à Iacobi descensu capiendum putamus habitationis exordium.

Exod. 12. 40.

66. Polypragmon. Igitur à secundo Amenophis quarti anno, cui Mosis exitum consignamus, ad plagium quo Ioseph in Aegyptum abreptus est, anni quadringenti triginta numerantur. Evst. Assentior. Polyp. Inter Iosephi abductionem & Israëlis obitum quot anni colliguntur? Evst. Quadraginta. Cùm enim Iacob tertio & vicesimo post Iosephum anno in Aegyptum descenderit, ibique vixerit annos septemdecim, si ex his vnam summam effeceris, anni quadraginta colligentur. Polyp. Qua tempestate Iacob diem obiit extremum, virum putas an mulierem regnasse

apud Aegyptios? Evstoch. Planè quinquagesimum Genesis caput extorquet vt tum temporis virum apud Aegyptios regnasse fateamur. Polypr. Quid si necessariis rationibus euicero, secundum tuam Chronologiam, quo tempore mortuus est Iacob, mulierem Aegypti gubernacula tenuisse? Evst. Id si feceris, Polypragmon, me à sententia priore deduxeris.

67. Polypr. Calculis Manethonis à primo Themosis anno ad Sethosis siue Sesostris initium anni trecenti triginta duo, menses vndecim computantur. Quibus si Sethosis quinquaginta nouem, Ramsis sex & sexaginta, Amenophis quarti duos adieceris, annorum quadringentorum & sexaginta summa constabit. Cúmque Themosis annos viginti quinque regnauerit, cui successit Chebron annis tredecim, sequetur Iosephi descensum in annum Chebronis quintum incidisse. Post Chebronem regnauit Amenophis primus annos viginti. menses septem: hunc excepit soror Amesses, & annis vno & viginti, mensibus nouem Ægypti gubernacula tractauit. Porro Iosephus decimo quarto post captiuitatem anno, cùm ipse triginta esset annorum, stetit in conspectu Pharaonis & ad proregiam dignitatem euectus est: is fuit Amenophis primi sextus: vicesimo tertio sui descensus anno, nono proregiæ dignitatis, Amenophis decimo quinto patrem & fratres in Aegyptum euocauit; His adde annos septemdecim, quibus Iacob in Aegypto versatus est, obitum Iacobi anno Amessis duodecimo deprehendes. Amesses autem soror fuit Amenophis. E quibus efficitur quo tempore mortuus est Iacob, mulierem Aegyptiis imperasse. Quæ si salua scripturæ maiestate dici non possunt, mutandæ tibi sunt Chronologiæ rationes.

XXII. *Obiectionis dilutio.*

68. Evstoch. Potes sanè, Polypragmon, me tuis istis interrogationibus aliquantulum commouere, à sententia dimouere non potes. huic enim obiectioni multis viis occurritur fieri potest vt vitio Librariorum ἀδελφὴ pro ἀδελφὸς in Manethonis textum irrepserit. Hoc ramen perfugio non vtar, ne quod seditiosi Tribuni plebis facere solebant, videar nouas tabulas proponere. fieri potest vt ipsa maritum sibi legerit, eum ipsum qui Genesis quinquagesimo Iosepho permisisse dicitur vt ad inferendum patris cadauer maiorum suorum sepulcro, in Chanaanitidem adscenderet.

69. Nec minùs fortasse credibile est Amenophim eiúsque sororem eodem tempore regni gubernacula tenuisse, vt re ipsa regnum alterius, alterius annis impliceetur, & Amesses vno duntaxat anno & mensibus duobus post Amenophim regnauerit. Quod Eusebius videtur omnino censuisse, dum vnum adiecit annum Amenophi, & nullam Amessis habuit in texenda Chronologia rationem. Quod si propter Amessem non vnum & viginti, sed vnum duntaxat annum adieceris, adeóque viginti solidos Manethonis Chronographiæ detraxeris, à secundo Amenophis quarti, qui, vt putamus Israelitas eieeit, ad decimum Themosis anni quadringenti triginta colligentur: quibus habitationem filiorum Israel in Aegypto scriptura circumscribit. Hinc efficietur Iosephum decimo Themosis anno fuisse distractum à fratribus & Putiphari venundatum, vicesimo quarto prouectum ad proregiam dignitatem, anno Chebronis octauo Iacob à filio suo euocatum in Aegyptum venisse cum tota familiâ, Amenophis & Amessæ sororis duodecimo esse demortuum, Iosephum autem ad sextum Themosis siue Thutemosis, qui Mephramuthosis filius fuit, annum, vitam propagasse. sub quo Rege Manetho scribit Pastores, cùm hactenus in Aegypto regnassent, imperium amisisse.

XXIII. *Appendicula de Theut siue Thot & Serapide, vtrum fuerint ijdem cum Iosepho.*

70. Philarch Themosim igitur, Eustochi, fuisse puras illum Aegypti Regem, qui Iosephum è vinculis eductum Ægypto præfecit, *Constituit enim dominum* Ps. CIV.
domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsũ, & senes eius prudentiam doceret. Evst. Aliud equidem suspicari nõ possum, Philarc. Phil. Quid si hinc probabiliter efficitur Iosephum nostrum illum ipsum esse, quem Theut siue Thot Aegyptij nuncuparunt? Evst. Quo pacto? Phil. Dicitur in Phedro Platonis Theut siue Deus, siue diuinus homo dicendus est, artes à se repertas Arithmericam, Geometriam, Astronomiam, ipsas adeo literas scribendíq; rationem ad Aegypti Regem, cui nomen Θάμους, detulisse, vt eas cæteris impertiret Aegyptiis. Ecquid tibi videtur Θάμους esse Themosis? Quem aurē cõstituit Themosis vt erudiret semetipsũ, vt cæteros Aegypti principes erudiret. Evstochivs. Iosephum sanè vt hinc etiã videre

Ioseph Theut siue Thot.

videre possimus Chronologiam nostram Platonis testimonio comprobatam.

71. Vnum tamen excipiendum reor, vt si quem Theut siue Thot Aegyptij vocabant, nos Iosephum nostrum esse dicimus. ne propterea necesse sit alium esse Iosephum, alium Serapidem cõfiteri. Nam & nihil obstat quo minùs Aegyptij duos sibi deos ex vno & eodem homine fabricarint, & probabilis est eorum ratio qui Iosephum Serapidis nomine, propter diuisionem frumenti qua famis tempore subuenit Ægyptiis, consecratum esse coniectant. Iulius certè Firmicus Maternus lib. de Erroribus profanarum Religionum, quem ad Constantini Magni filios conscripsit, cap. 14. Serapidem esse nostrum Iosephum etiam ex ipso nomine confirmat, quasi Serapis vocabulum à Sara Iosephi proauia profluxerit. Sed quoniam sibi facilè non persuadet Eminentissimus Annal. scriptor populum Ægyptium deos patrios peregrinis vocibus nuncupasse, totamque vim in eo positam esse putat, vt sciatur quidnam vox Serapis significaret apud Ægyptios, vt si Serapis idem erat quod *mundi Saluator*, idem Serapis cum Iosepho fuisse statuatur, videndum est eequid hinc etiam possit lucis oboriri.

Ioseph Serapis.

Baron. anno 359.

72. Pharao vt dicitur Genesis 41. v. 45. *Vertit nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* Habetur in textu principe: & vocauit Pharao nomen Ioseph צפנת פענח *Sepharah paanah*. Quid si, quod in vocibus barbaris facillimum fuit ob apicum similitudinem ר pro פ in scripturam irrepserit, vt legi debeat *Seranah paanah*, & extremis vtriusque voculæ litteris per apocopen amputatis, vnum ex vtraque dictione, nomen existat Serapan, quemadmodum è tribus his אב רם המון *Ab ram hamun*, nomen אברהם conflatum est. Certè mendum aliquod in hanc locutionis Ægyptiacæ scripturam illapsum vel inde possumus non immeritò suspicari, quòd authores in appellando Iosepho non satis inter se consentiunt: cum LXX. seniores Ψονθομφανήχ appellant, Artapanus Μεμψασθενώθ, Chaldaica paraphrasis nominis significationem duntaxat apponit, nec tamen interpretatur *Saluatorem mundi*, vt noster, sed *virum cui secreta reuelantur*.

73. Sed ne diutiùs in verbis tricari videamur, habemus alia certiora rei quam indagamus, vestigia. Iosephus erudiuit principes Ægypti, & senes eius docuit prudentiam: neque credi fas est quicquam impensiùs ab eo curatum, quàm vt eos ad veri Dei notitiam adduceret. Notum est illud Serapidis responsum quod omnium ore circumfertur.

Πρῶτα θεὸς μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυλα δὲ τρία πάντα [πέλει] καὶ εἰς ἓν ἰόντα.
Principio Deus est, tum Verbum, & Spiritus illis
Adiunctus. Tria nexa sibi tendentia in vnum.

Quod oraculum quis non videt Iosepho potiùs quàm malis geniis acceptum esse referendum? Serapidé, vt auctor est Rufinus, alij Iouem, alij virtutem fœcunditatémque Nili, alij Apim Regē Argiuorum, alij quēdam siue patremfamilias, siue Regem indigenam fuisse memoriæ tradiderunt, sed in hac sententiarum varietate cōsentiunt omnes eum propter frumenti largitionem esse consecratum, quo factum est vt eius statua modium capiti superpositum sustineret, quo videlicet annonæ penuriâ laborantibus frumentum dimensus est. Quæ quis in Iosephum quadrare non videt?

74. Quid? quod aiunt ab eodem inuenta symbola quædam quibus impuri spiritus ab obsessis corporibus pellerentur? quòd Hebræorum sapientiæ conuenire commodè ad rem, qua de nunc agitur, Illust. Baronius aduertit? cuius frequens in Euang. Actis Apostol. & Iosepho mētio reperitur. Quid denique? quòd idem cultûs Serapidis originem ad Iosephum referri putat, quòd, vt ait Socrat. l. 3. c. 17. in imo diruti Serapidis delubri lapides repertos esse constabat signo crucis insignes, adeo vt gentiles dicerent aliquid eum Christo Serapidi esse cōmune? E quibus si probabiliter efficitur religionē cultumque Serapidis è Iosephi beneficio redundasse, & illud pariter non absimile vero fuerit Amenophim eius nominis primū Amessæ germanū eum ipsum esse cui scribit Suidas, redditum à Serapide fuisse superius illud oraculum. Thulem ait fuisse Regem Ægypti adeo potentem, vt illi etiā vltima Thule seruiret, & ab eo nomen acciperet. Sed vt res secundæ vel sapientum animos fatigant, non potuit, vt cum Pindaro loquar μέγαν ὄλβον καταπέψαι, *magnam felicitatem concoquere*, sed rebus ad nutum affluentibus insolescens Serapidem rogauit eequis vnquam aut fuisset, aut esset, aut futurus esset beatior: respondit ille, πρῶτα θεός, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς, & Rex à suis nefaria conspiratione confossus insolentiæ suæ pœnas exoluit.

Matth. 12. 27. Marci 3. Luc. 11. 19. Ioseph. 8. Antiq. c. 2. & 7 de Excid 23. Act. 19. 13.

Thules rex Ægypti.



SACRARVM QVÆSTIONVM
LIBER NONVS.
GENEBRARDVS,
SIVE
ENYΠNION. A.

Habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Exodi 12.v.40.

GENEBRARDVS, PHILALETHES.

PRÆFATIO.

1. NIMIRVM. *Quæ in vita vſurpant homines, cogitant, curant, vident,*
Quæque agunt vigilantes, agitántque: ea ſi cui in ſomno accidunt,
minus mirum eſt-- --
vt ait Accius in Bruto.

Totum in Chronologiæ ſacræ meditatione diem exemeram, cùm in ea me cogitatione defixum repente ſomnus arctior quàm ſolebat, inuaſit, & iam exacta noctis meridie,

Ὅτε ϰ̀ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων. (Moſcius Eidyllio 2.)

quo tempore ſomnia defecatiora mitti vulgo creduntur, ſolus animum relaxare & curis grauioribus expeditus errare mihi videbar per ſyluam arborum non ſolùm denſitate, ſed etiam amœnitate, proceritate, varietate ſpectabilem. Hic tametſi (Auſonius in Moſell.)

--conſertis per mutua vincula ramis
Quæritur excluſum viridi caligine cælū:

interdum tamen per nemoris opacitatem, quaſi per nebulam, videre mihi videbar arces duas in editis duorum collium è regione ſibi reſpondentium faſtigiis conſtitutas, auro, cryſtallo, gemmíſque fulgentes. Viæ diuerſę longis viatorum agminibus affluentes, latiores aliæ, aliæ arctiores, pleræque perplexæ. & non paucis anfractibus, quaſi labyrinthis implicatæ, nonnullæ virgultis, & ſentibus interclusæ.

2. Hic me cupiditas inceſſit nonnulla de viatotibus ſciſcitandi: ſed tantus erat vltro citróque cómmeantium ſtrepitus, vix vt audire mutuo poſſemus.

Ac velut in somnis, oculos vbi languida pressit
12. Æneid. *Nocte quies, iam iámque auidos extendere cursus*
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, nec corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.

Ita me frequentius adire & appellare tentantem destruebant pedes, & hiscentem frustrabatur clamor inceptus. Cùm ecce commodùm senex quidam, habitu sanè quammodesto, incessu lento, canicie venerabili, paululùm à turba secesserat, & auia loca nullius recentiorum trita vestigio peragrabat. Ad hunc accedo, & Aue, inquam, vir omnium optime. Et, vt in somno turbari solent imagines, continuò solutæ orationi vix dum incoeptæ hos versus attexui.

Sis felix, nostrúmque leues quicumque laborem,
Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Versemur, doceas. Ignari hominúmque, locorúmque
Erramus.---

3. Tum ille arridens, vbi me comiter resalutauit. Hæc, inquit, sylua scriptura est: viæ perplexæ variæ sunt interpretationum ambages: viatores, Chronologi: arborum opacitas, scripturæ sanctæ obscuritas: rami coruscantes & rixantes interdum, apparens in scriptura dissensio: Arx, quam in eminenti colle sitam vides, est sedes ipsius veritatis: Quæ huic è regione respondet, sic extra syluam posita, vt tamen arboribus obsepta videatur, arx est & præsidium Falsitatis, ad quam cùm plerique fucata & adulterata veritatis specie decepti peruenerint, ipsam se veri meram putant attigisse. Ego, vt primum Veritatis, cuius amore iam inde à pueritia flagraueram, nomen audiui, continuò sic exarsi, vt ne salutato quidem sene, actisque pro tanto beneficio gratiis, vix me darem, & subito quodam impetu cæcus & palpans per auia, per abrupta Veritatis templum aditurus in vepres, in sentes, in saxa proreperem, nisi me fugientem senex iuuenili quadam celeritate confestim assecutus prehensâ togæ laciniâ tenuisset, &, Mane, mane, inquit, Philalethes: quo te proripis? Quid ita

Μαιμῶσιν κεχύμεθε πόδες, καὶ χεῖρες ὕπερθεν:

Sequere sis, tuum Genebrardum: eò te perducam, quò frustra solus eniteris.

4. Hic ego proprio nomine appellatus hærere primò, & sacro quodam horrore suspensus oculos in terram defigere: Deinde, vt senem hunc Genebrardum esse cognoui, circũspectare omnia, pudore suffundi, vereri ne quis transeuntium me cum eo loquentem aduerteret, pedes explicare, fugam meditari, sed ea exitum non habebat, & summissa voce. Per ego te superos, inquam, omnes oro atque obtestor, ô Genebrarde, patere me abs te discedere, & aliorum, quos tu Chronologos appellas, inhærere vestigiis. Et ille suauiter arridens;

Circumspicedum, inquit, ne quis huic auceps sermoni siet. Plautus Miles.
Viden' tu illum oculis venaturam facere atque aucupium auribus?

Scio, scio, mi Philalethes, quid te mordeat. In hoc Morphei regno non solùm intimos sensus cuiusque penetramus. Sed etiam

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura sequantur.

quantumuis temporibus disiuncta, certa tamen cognitione coniungimus; vereris ne colloquij nostri rumor ad recentium Chronologorum aures emanet. Recentiores omnes qui post me Chronologias texuerunt, digestam à me temporum rationem auribus respuunt, oculis adspernantur, ipsa denique recordatione contemnunt. Atque adeo prædico tibi, & longè ante denuntio: Si quæ nunc audis, litteris consignare statueris, plerique tuas rationes abunde confutatas, seque ipsos pulchros & beatos fore putabunt, cùm re vel in difficultates inextricabiles coniectum esse, vel etiam hæc, quæ profeceres, somniasse responderint.

5. Sed, mihi crede, Philalethes, ad veritatis arcem contendenti contemnendus est iste contemptus; Neque tibi tamen numerandi sunt authores, quã scriptura imprimis, deinde etiam ratio ponderanda. Et, vt Philosophorum disertissimus quodam loco monet sanè prudenter. *Non tam authoritatis in disputando, quàm rationis momenta quærenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis qui discere volunt, authoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vident.* Cic. de nata Deorum. Hic igitur indagandæ veritatis modus esto, vt vbique primas obtineat scriptura & reuelatio diuina, communisque consensus Ecclesiæ; in rebus autem, quæ non pertinent ad fidem, & in vtramque partem salua pietate disputari possunt, secundas ratio vel experientia teneat, tertias magnorum virorum authoritas. Hæc est via, mihi crede,

hæc certa methodus inueniendæ veritatis. Quare, mi Philalethes, si veritatem ex animo quæris, expende momenta rationum,& non quis dicat, sed quid quisque dicat, diligenter attende. Quid mihi tum animi fuit, cùm intimas animi mei latebras, ita detectas aduerterem? Erubui subito deprehensus,

Vt missum sponsi furtiuo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio.
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dũ aduentu matris prosilit, excutitur.
Atque illud prono præceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore pudor.

Catullos ad Ortalũ.

In hoc igitur pudoris æstu verecundiam verecundia, quasi clauum clauo trudere decreui. Et, Age sanè, inquam, in lucem consistúmque veniamus, in omnium oculis, luce palam cum Genebrardo versemur, eiúsque pertogemus de sacra Chronologia sententiam. Hæc ego mecum tacitus agitabam, cùm ille me pro sua humanitate comiter amplexus verecundiam meam sic occupauit.

6. Iampridem, inquit, virum veritatis quàm contentionis amantiorem nullísque præiudicatis opinionibus occupatum quærebam: tu, ni fallor, ille inuentus es, qui nec authoritatem rationi, nec scripturæ rationem præferendam putes. Visne igitur, Philalethes, vt quoniam nacti sumus hanc occasionem,& vterque ad eandem Veritatis arcem contendimus, leuandi tædij caussâ, quid de tempore quo Hebræi manserunt in Ægypto sentias, exponere? quoniam, vt dici solet, facundus comes est pro vehiculo. Hic ego tantis deliciis incessi vt gaudio delibutus aberrarem à semita, & ad latas illas celebrésque vias imprudens reuerterer, conniuente tantisper Genebrardo; & peropportunè iam alij præcesserant, vt neque strepitus, neque clamor mutuos sermones impediret. Tum ego, vide, inquam, mi Genebrarde, quem discipulum nactus fueris, quantúmque iam in tua schola profecerim. Chronologiæ peritus mihi videbar: tu me nihil scire docuisti. Eò ferebar quò plurium incumbit authoritas; nunc autem, quoniam scripturæ rationúmque potiùs, quàm authoritatum momenta debent expendi, non dicam quòd sentiõ, sed quod antea sentiebam: quamuis ea non sit orationis vbertas, & facundia, vt possim tibi vehiculum polliceri.

II. *Exponitur communior sententia de mora filiorum Israel in Ægypto.*

7. QVæri solet inter Chronologos quot annos in Ægypto filij Israel à descensu Iacobi ad exitum Mosis habitarint. & quidem videtur conceptis verbis expressa scripturæ sententia Genesis 15. vers. 18. *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent eos quadringentis annis.* Imò vt dicitur Exodi 12. v. 40. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Communis tamen est Chronologorum sententia (quæ tam altas egit radices inter viros apprimè doctos, vt iam vix vlla ratione possit euelli) annos illos triginta supra quadringentos ab initio peregrinationis Abrahami, qua primùm è Mesopotamia profectus est in Chananæam, annos autem quadringentos ab ortu, vel potiùs ablactatione Isaaci (de quo dictũ est Genes. 21. v. 12. *in Isaac vocabitur tibi semen*) esse numerandos. Peregrinum enim reuera fuit semen Abrahami in terra non sua quadringentis annis, antè cuius temporis finem contigit illa seruitus quæ Abrahamo prædicitur. Verba igitur illa Genesis: *& subiicient eos seruituti, & affligent eos,* parenthesi claudenda sunt, vt ita cohæreat oratio. *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua quadringentis annis, & subiicient eos seruituti & affligent eos*, priusquam illud quadringentorum annorum spatium finiatur. Quod ne illi quidem, qui à descensu Iacobi ad Mosis exitum annos quadringentos & triginta numerant, diffitentur.

Anni 430. Mansionis in Ægypto vnde sumant initium.

8. Alioquin si quadringentos illos annos Ægyptiacæ seruituti & afflictioni tribuamus, dicendum erit habitationem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, annorum fuisse non quadringentorum triginta, sed pene quingentorum. Cùm enim vt habetur Exodi 1. v. 7. non ante Iosephi cæterorúmque Patriarcharum mortem, initium habuerit Aegyptiaca seruitus, *quo defuncto & vniuersis fratribus eius omnique cognatione illa*, quæ videlicet cum Iacob in Aegyptum descenderat, *surrexit Rex nouus super Aegyptum qui ignorabat Ioseph*, & Israelitas afflixit: cùm Ioseph annos vnum & septuaginta vixerit postquam fratres Aegyptum incolere cœperunt, (mortuus est enim expletis centum decem vitæ suæ annis, vt scribitur vltimo capite Genes. exeunte, qui

Anni 400. de quibus Gen. 15. v. 8.

anno famis secundo patrem & fratres euocarat. Genesis cap. 45. v. 5. anno videlicet ætatis suæ nono supra trigesimum; siquidem, vt dicitur Genesis 41. v. 46. *triginta annorum erat quando stetit in conspectu Regis Pharaonis*, & ipso fertilitatis initio ad proregiam dignitatem euectus est) cùm Leui, qui vix quatuor annis erat Iosepho prouectior, vixerit annos centum triginta septem, vt dicitur Exodi 6. ver. 16. ac proinde annis tribus & viginti superstes fuerit Iosepho & in Ægypto nonaginta quatuor annis habitarit, si quadringentos annos Ægyptiacæ seruituti tribuamus, sequetur habitationem filiorum Israel in Ægypto fuisse, quadringentorum nonaginta quatuor annorum, etiamsi eo ipso anno, quo Leui mortuus est, persecutionem ortam esse faciamus.

9. Cùm igitur annorum quadringentorum caput non ab initio seruitutis possimus accersere, sequitur vt vel ab Isaaci natiuitate, qua semen habere cœpit Abrahamus, vel ab eiusdem ablactatione, (cùm vt ait Apostolus ad Galatas cap. 4. ver 29. Ismael *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum*, videlicet Isaacum, *qui secundum spiritum*) ducendum esse videatur, ac proinde initium annorum quadringentorum triginta qui moræ filiorum Israel in Ægypto tribuuntur, non à descensu Iacobi sumendum est, sed à descensu Abrahami, qui primo suæ peregrinationis anno descenderat in Aegyptum, annis viginti quinque, antequam Isaac ex eo nasceretur.

III. *Eadem Chronologia probatur ab annis Caathi, Amrami & Mosis.*

10. ID validissimè demonstrari potest ex annis Mosis & maiorum ipsius qui in Aegypto floruerunt. Caath auus Mosis iam natus erat, cùm Iacob in Aegyptum descenderet: siquidem inter eos qui Aegyptum ingressi sunt, recensetur Genesis 46. v. 11. Iam, vt dicitur Exodi 6. ver. 18. *anni vitæ Caath centum triginta tres.* Huius filius fuit Amram pater Mosis, *fuerúntque anni vitæ Amram centum triginta septem.* Exodi 6. v. 20. *Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium quando locuti sunt ad Pharaonem.* Quare vt Cathum eodem ipso anno natum esse faciamus quo Iacob Aegyptum ingressus est, si annos eius annis Amrami filij, & Mosis nepotis adieceris, tamen quadringentorum triginta annorum summa non constabit, etiamsi Amram & Mosem extremo patrum suorum anno genitos esse fingamus. Nam si 133. Caathi, 137. Amrami, 80. Mosis addantur, 350. duntaxat annorũ summa colligetur. *Proinde* (verba sunt Augustini q. 47. in Exod.) *illa nimirum computatio quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est: ab illa enim promißione computat quadringentos triginta annos, qua vocauit Deus Abraham vt exiret de terra sua in terram Chanaan*, qua tum Eusebij, tum Augustini authoritate nihil adferri posse dicunt ad præferendam Chronologiæ facem illustrius.

IV. *Idem probatur authoritate lxx. interpretum & Apostoli.*

11. QVod ad Exodi locum spectat, ista locutio *filiorum Israel*, συνεκδοχικῶς etiam patres eorum continet, & Aegypti nomine etiam vicina regio Chanaanitis συνεκδοχικῶς quadam inuoluitur, perinde atque si conceptis verbis ita loquatur: *Habitatio autem filiorum Israel in Aegypto, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti & triginta*, vt disertis verbis septuaginta transtulerunt. De quibus Petauius vir limatissimi iudicij Chronologorum — lxx. seniorum authoritas.

Agmen agens magnum, magnúque ipse agminis instar,

lib. 9. de doctrina temporum cap. 24: *Non possumus*, inquit, *magis idoneos afferre vindices nodi istius, & interpretationis nostræ, quàm seniores illos septuaginta, quos instinctu quodam afflatúque Spiritus sancti sacros codices vertisse antiquorum Patrum plerique sentiunt.* Quorum verba hoc loco tanquam veram germanámque Dei scripturam agnoscit magnus Augustinus; vnde & Salianus vir imprimis eruditus vehementer alterum Augustinum Antistitem Eugubinum incusat, quod hæc verba: *& in terra Chanaan, ipsi & patres eorum*, vt otiosa & superuacanea reiecerit.

12. Sed quid opus est ad huius Chronologiæ probationem rationes vndecúnque conquirere, cùm verbis conceptissimis expressam habeamus Pauli sententiam ad Galatas cap. 3. v. 16. & 17. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius: non dicit, & seminibus quasi in multis: sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico: testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.* Quid liquidius, aut explicatius ad expediendas sacræ Chronologiæ rationis? Quæ hic calumniæ vel ter- — Testimonium Pauli.

giuersationi occasio? Inter dictas Abrahæ promissiones & legem latam anni quadringenti triginta calculis Apostoli numerantur: Quando autem factæ promissiones Abrahamo & semini eius? cùm ex Haran egressus est. Quoto autem ætatis anno egressus? *septuaginta quinque annorum erat Abrā cùm egrederetur de Haran,* inter hunc annum, & Iacobi migrationem in Aegyptum quot fluxerunt anni? ducenti quindecim, anno Abrahæ 100. qui post dictas
25. promissiones 25. illuxit, natus est Isaac.
60. *Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt*
130. *ei paruuli.* Genes. c. 25. v. 26. & Iacob roga-
215. tus à Pharaone cap. 47. v. 9. *Quot sunt dies vitæ tuæ?* respondit, *Dies peregrinationis vitæ meæ 130. annorum sunt.* E quibus ducenti quindecim colligentur. Porro cùm filij Israel ipsi & patres eorum in Aegypto, & in terra Chanaan annis quadringentis & triginta duntaxat habitarint, vt iam ostendimus, si à 430. annos 215. subduxeris inuenies posteros Iacobi ducentis duntaxat, & quindecim annis in Ægypto esse versatos.

V. *De duplici synecdoche siue Catachresi durissima quam admittere coguntur authores communis sententiæ.*

13. Neque verò nos absterrere debet illa, siue catachresis siue synecdoche & quidem duplex, quam ita Petauius admittit explicationis necessitate compulsus, vt tamen ex animi candore durissimam esse fateatur, dum eadem *συνεμφάσει* cum Ægypto Chananæam, cum filiis Israel eiusdem Israelis maiores intelligit. Etsi enim dura videtur, eam tamen conspirantium tot Chronologorum authoritate, peritorum vsu, & loquendi consuetudine molliemus. Quis enim non videt בן filium apud Hebræos esse πολύσημον, & significare non solùm filium siue nascendi conditione, siue adoptione quæsitum, sed etiam sumi pro eo quod altero continetur? sic frumentum dicitur *filius areæ* Isaiæ 21. 10. & Threnor. 3. v. 13. *misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* i. sagittas quæ pharetra continebantur. Quis igitur nos meritò reprehendat, si dixerimus Abraham vnum de filiis Israel, quia populo Israelitico, tanquā caput & princeps continetur? Hîc enim *Israel* est nomen collectiuum, vt vocant, & populum significat, non hominem singularem. Quasi verò Abraham non potuerit Israelita dici per prolepsin, vt apud Poëtam,

Prolepsis. *Euandrus Romanæ conditor arcis,*
Ascanius magnæ spes altera Romæ

dicuntur, licet vterq; diem obierit extremū multis sæculis antequā populus Romanus id nominis obtineret. Et sanè filij nomen apud Hebræos interdū pro tota vsurpatur natione, vt Isaiæ 11. 14. *& prædabuntur filios orientis.* Thren. 4. 2. *filij Sion inclyti*, sic Homero παῖδες Ἀχαιῶν. παῖδες ἰατρῶν Luciano. Sed quid ego hæc Genebrardum quasi sus Mineruam? cùm præsertim Petauio assentiar, nec vllam rationem expediri posse videam qua tam insolens & aspera locutio leniatur. Itáque retexo orationem meam, & hanc ipsam fateor synecdochen mihi displicere.

14. Sed Deus bone! quis iste strepitus? qui clamores?

Ἀνδρῶν δ' ἐν πολλῷ ὁμάδῳ πῶς ἄν τις ἀκούσεις
Multorū in strepitu quis me exaudire valebit?

Dū enim ego loquendo, ille audiendo procedimus in hac vna cogitatione defixi in eos ipsos incidamus qui præcesserant. Cur autem eos imprudentes assecuti fuerimus, hæc caussa fuit. In biuio cautes erat durissima, & prominentibus vndécunque muricibus asperrima (catachresin vulgus appellat.) Ad eam Chronologorum plerique impacti per imprudentiam adhæserant, & curribus ad scopulum allisis

----πᾶν γ' ἐπιμάλατο
Ναυαγίων Κρισικῖον ἱππικῶν πέδον. Sophocles. Electro.

Omnis, inquam, Chronologię cāpus implebatur equestribus naufragiis. Alij (Troiam ludere putares) labyrinthos inextricabiles ingressi variis flexibus & Mæandris in orbem recurrebant per sua ipsorum vestigia. Alij dum & progredi & cautem vitare moliuntur, sectantur auia, &

Πολλὰ δ' ἄναντα κάταντα, πάραντά τε
δόχμιά τ' ἦλθον.

Neque alia inter verbera crepitúsq; plagarum vox audiebatur, nisi hęc sursum, deorsum, horsum, antrorsum, retrorsum, læuorsum, dextorsum, & aliæ, si quæ sunt huiusmodi, quibus omnia circumstrepebant. His perterritus retrocedere cupiebam, cum ecce à tergo

----*It clamor & agmine facto*
Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum,

attollitur pulueris nubes, aër flagellis insibilat, tā multæ denique rerum species coaceruantur, vel potiùs confunduntur vt vnū se de dictis melioribus dixisse credituri sint multi, cùm dixerint non hoc fuisse somniū sani, sed vel phrenetici vel delirantis insomnium. Tamen velint, nolint, non aliter somniatur, & ne sapientibus quidem ita semper somnia cohærent, vt omnes rerum imagines aptæ sint inter se & vt annuli in catena, sic & in somnio colligatæ.

15. Quicquid sit, insequentium Chronologorum turba iam imminebat nihilque propiùs aberat quàm vt ego infelix sub equorum vngulis eliderer, nisi me Genebrardus eduxisset in semitam, angustam illam quidem & vix vllius impressam vestigiis planam tamen rectam, amœnam, floribus vernantem, fructibus autumnantem, densis & opacis arborum frondibus obumbratam, & vt primùm animos ex illo tumultu collegimus, sic ille exorsus es.

VI. *Recapitulatio dictorum, & constitutio quæstionis.*

16. Animaduerti Philalethes, hoc tuæ disputationis institutum fuisse, vt filios Israel annis duntaxat 200. & 15 in Ægypto mansisse, 400. autem & 30. qui in Exodi 12. eorũ habitationi tribuuntur, non ab Israelis ingressu, sed à peregrinatione Abrahami numerandos esse ostenderes, eáque scripturæ testimonia, quæ tuis rationibus officere poterant, benigna quadam interpretatione lenires. Rationes autem, quibus id persuadere conatus es, videntur ad quatuor capita posse reuocari. Prima petebatur ab annis Caathi, altera ab authoritate lxx. seniorum: tertia fuit Pauli senẽtẽtia 400. & 30. dũtaxat annos inter dictas Abrahamo promissiones, & legem datam numerantis. Quarta deniq; quã dissimulanter & strictim libasti, fuit Eusebii, Augustini, cæterorũmque Chronologorum tum veterum tum recentiorum authoritas. De quibus singulis pauca dicenda sunt.

17. Priùs tamen operæpretium fuerit ea remouere quæ minùs pertinent ad quæstionem, vt omni errore sublato, rem planè quę venit in controuersiam, videre possimus. Non quæritur vtrũ seruitus & vexatio posterorum Abrahami annos 400. durauerit: consentiunt enim omnes, vt bene dixisti, non adeo fuisse diuturnam. Sed illud venit in quæstionem vtrùm Deus, cùm prædicit Abrahę semẽ eius peregrinũ fore annis 400. in terra non sua, Ægyptum solam, an etiam cum Ægypto Chananitidem intelligat. Non quæritur vtrùm magis Apostoli, an Mosis testimonio credere debeamus: vtriq; enim omnes eandẽ authoritatem esse consentiunt. Sed in hoc scripturarum conflictu quæritur aliud nihil, quàm vt si fieri potest, vtrobiq; seruata proprietate verborũ ostendatur vtriúsque consensus; vel si fieri non potest, & necessum est, in alterutrius explicatione à genuino natiuóque verborũ sensu discedere, vt statuatur vtrùm leni quadã interpretatione verborum Mosem Paulo, an Mosi Pauli accommodare debeamus. Illi Mosem in Pauli sententiam trahendũ esse confirmant: nos Mosi Paulum vel seruata, vel paululùm inflexa vocũ proprietate conciliandum esse defendimus. Quonã igitur pacto probari potest, verba Mosis, prout sonant, & eo sensu qui primus legentibus obuius esse solet, esse capiẽda? facilis quidẽ & expedita ratio est, si priùs hãc adhibuerimus cautionẽ, ne quisquã nobis textus Hebraïcis Latinæq; versionis pondus & momentũ examinãtibus, vel lxx. Interpret. vel Patrũ & Chronologorum authoritatem opponat.

VII. *De authoritate lxx. Interpretum.*

18. *Non possumus*, inquit Petauius lib. 9. de doctrina temporũ, c. 24. *magis idoneos afferre vindices nodi istius, & interpretationis nostræ, quàm seniores illos lxx. quos instinctu quodam afflatúq; Spiritus sancti sacros codices vertisse antiquorum Patrũ plerúq; sentiunt.* Equidem, mi Philalethes, lxx. seniorum translationi nihil authoritatis detractum volo, dum tamen iste modus & præscriptio teneatur, vt primas partes obtineant textus Hebræus & cõmunis interpretatio latina Trident. Synodi suffragio cõprobata: Sed (quoniam, vt iam monui, in hoc Morphei regno eorum etiam aliquã notitiam habemus, qui post nostrã ætatem floruerũt) Petauio Petauium oppono, nec possum magis idoneũ huius obiectionis afferre vindicem, quàm illũ ipsum Petauium, qui cap. 17. eiusdem libri, iis qui ex authoritate lxx. virorum sacrosancta & propheticæ suppari, iuniorem Cainan in seriem Partiarcharum inserunt, optimis sanè verbis ita respondeat. *Operæpretium est videre qui ita disputant, quàm constanter Græcis ipsis interpretibus faueant. Etenim illi ipsi, sicubi commodum est, septuaginta suos facesse iubent, aut eorum codices deprauatos esse defendunt. In duplici genealogiarum ordine, quem ab Adamo ad diluuium, & à diluuio ad Abrahamum Moyses perduxit, scimus quàm diuersi sint Græcorum calculi ab Hebraicis & Latinis nostris. Neque verò recens est discrimen illud, sed ab antiquis notatum scriptoribus, vt proinde mẽdi non nisi leuis possit esse suspicio. Hi illi, qui Græcos Interpretes tanti faciunt, & Prophetas appellant, ab eorũ rationibus discedunt nihilominus, eásque falsas & perturbatas esse non dubitant. Quare cur non idem & in Cainani nomine vsurpare nobis liceat, & Græcis illis codicibus Hebræorum & vulgatæ nostræ editionis authoritatem præferre?* Hęc ad verbũ vir ille in omnibus doctrinæ partibus eximius, & propemodũ singularis.

Lxx. interpretes plerúmque deseruntur

19. Et sanè per mihi mirum videtur, quã

factũ fuerit vt prophetica inspirationis aura, quæ lxx. virorũ Chronologiam ab Adamo ad Abrahamũ vsque destituerat, ab eius ortu repentè sic eam afflarit, nefas vt sit ab eorum rationibus vel latum, vt aiunt, vnguem discedere, & Hebræam Latinámque Chronologiã ad eam vel dirigere vel potiùs detorquere necessariò debeamus. Quanquam quod ait vix vllam subesse mendi suspicionem erudito viro non vsquequaq; assentior, sed magis August. huiusmodi nęuos adscribenti non ipsis lxx. senioribus, sed librario qui horum trãslationem ex Alexandrina bibliotheca primus exscripsit. Vide lib. 15. de ciuit. Dei, c. 13. Hoc autem loco, quem nunc versamus, mendi non dicã suspicio, sed penè certitudo colligitur, vel ex ipsa varietate lectionum. Legitur in editione Sixtina: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. *Habitatio verò filiorũ Israel, quā manserunt in terra Aegypti & in terra Chanaã, anni quadringenti triginta.* At in regia editione Plantiniana Χαναὰν & ἔτη. hæ voces inseruntur αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, *ipsi & patres eorũ*. E quibus coniectura propemodum certa duci possit, hæc omnia verba, *& in terra Chanaan ipsi & patres eorum*, aliud esse nihil quàm glossema, quod initio margini adscriptum, lapsu temporis in contextum irrepserit, aut certè plagulam quamdam ex translationibus assutam. Nam vt auctor est Hieron. præfat. in lib. Paralipom. *Origenes non solùm exempla composuit quatuor editionum è regione singula verba describens, vt vnus dissentiens, statim cæteris consentientibus arguatur, sed, quod maioris audacia est, in editione septuaginta interpretum Theodotionis editionem miscuit, asteriscis videlicet designans quæ minùs fuerant, virgulis, quæ ex superfluo videbantur apposita.* Vnde & idem Hieron. meritò queritur, *in Ecclesiis legi quod septuaginta nescierunt.*

20. Ac vide quantum aduersariis largiar; quamquam meis opinionibus nihil indulgeam. Nisi illi ipsi aduersarii, qui septuaginta seniorũ authoritatem plenis buccis identidem opponunt, antequam ad duodecimũ Exodi caput peruenirent, iam vicies à Græcorum interpretũ authoritate discesserint, me non modo temerarium, sed etiam fungum, bardum, blennum esse confitebor, qui contra maiorum consuetudinem reiecerim septuaginta seniores, aut saltem eorum codices amanuensium incuria mendosos esse defendam. Sin autem, quoties eorum rationibus expedit, Græcorum voluminum fidem impunè repudiant, illud vicissim ab iis efflagito, vt cùm variæ sint Græcorum lectiones, mihi liceat, aut fontes Hebræos adire, aut eam sequi translationem, quam vnam Patres Tridentini in Spiritu sancto legitimè congregati pro sacra & canonica scriptura suscipi voluerunt.

VIII. *De Patrum authoritate circa hanc quæstionem.*

21. QVod ad Sanctos Patres attinet, necquid illi disertiùs de ducentis & quindecim annis moræ filiorum Israel in Ægypto sententiam exponere potuerunt, quàm Moses Hebraicè, Latinè, Chaldaicè suam de quadringentis & triginta pronuntiat? Quòd si, vt commodiùs alio loco dicetur, tam claris conceptisque verbis animi sui sensum expressit, vt nisi nugari voluerit, non expressiùs viderit æquus rerum æstimator vtrùm præstabilius sit scripturam Patribus, an Patres accommodare scripturæ. Deinde Iosephum Iosepho, Cyrillum Augustino, Eusebio Cæsariensi Theophilum Antiochenum opponimus. Scribit quidem Iosephus libro 2. cap. 6. secundum Geslenij versionem. *Reliquerunt autem Ægyptum mense Xanthico, luna quintadecima, anno quadringentesimo, postquam Abraham pater noster in Chananaam venit, & post Iacobi migrationem in Aegyptum ducentesimo decimo quinto.* Sed idem scripserat initio Iosephus sibi contrarius. capitis 5. *Flumen in multas fossas diducere sunt iussi, & mœnia exædificare, & aggeres extruere quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis assuescere, atque in hunc modum,* τὸν τετρακοσίων ἐτῶν χρόνον, *per quadringentos annos fuit laboratum, Aegyptiis id agentibus, vt Israelitas nimio labore perderent: nostris contrà omnes difficultates eluctari conantibus.* Hæc ille, vsque adeo mendacem memorem esse oportet.

22. Cyrillum, quamuis lxx. virorum authoritate compulsus nonnihil ex mora in Ægypto detraxerit, constat tamen de quadringentis annis nobiscum conuenire: sic enim ille apud Lipomanum in Cathena super 12. caput Exodi. *Vbi in Genesi scriptum est post quadringentos annos reuertentur filij Israel, annos tantummodo quos in Aegypto vixerunt enumerat; cum autem hic dicit quadringentos triginta annos etiam eos quos in terra Chanaan vna cum Iacob vixerunt, postquam ille è Mesopotamia redierat, comprehendit.* Cyrilli testimoniũ. Theophilus quintus post

post Petrum, Antiochenus Episcopus tum verbis conceptis tempora digerit secundum Chronologiæ nostræ rationes, tum bellum Codorlahomoris primum omnium fuisse scribit, cuius exter siue in sacris siue in profanis historiis memoria. Αὕτη, inquit, libro secundo ad Autolycum, ἀρχὴ ἐγένετο πρώτη τῶ γενέσθαι πολέμους ἐπὶ τῆς γῆς: *Hoc fuit primum initium bellorum quibus postea terrarum orbis exarsit.* Atqui si ducentis duntaxat & quindecim annis Israëlitæ manserunt in Ægypto, & vt communis est opinio Assyriorum, ante cladem quæ centum circiter annis ante Olympiadas contigisse narratur, per annos præter propter mille trecentos floruerunt, multis annis hoc bellum Nini & Semiramidis res gestæ præcesserant: non præcesserunt autem Theophili sententia. Vnde efficitur ex eiusdem Theophili mente filios Israel in Ægypto pluribus annis esse versatos. Sed hoc fortasse fusiùs & commodiùs suo loco tractabitur.

Theophili Antiocheni.

23. Omitto Africanum qui cùm Assyriæ monarchiæ annis MCDLXXXIV. numeret, quadringentos saltem annos Israëlitarum habitationis in Ægypto videtur agnoscere. Alioquin cùm secundum eos qui mille rantùm & trecentos annos huic Monarchiæ concedunt moram autem in Ægypto ducentis & quindecim annis definiunt, initium Assyriacæ Monarchiæ ad annum centesimum quinquagesimum quarrum à diluuio referri debeat, vt doctissimè Petauius ostendit; secundum eos qui huic Imperio centum octoginta quatuor ad illos mille trecentos addiderunt sequeretur Assyriorum primordia pluribus annis antecessisse diluuium, nisi ducentis circiter annis ad moram Israëlitarum adiectis, totidem annis diluuium in anteriora tempora submouerent, vt liquidiùs patebit ex iis quæ suo loco dicenda sunt.

Africani.

Lib. 9. de doctrina temp. c. 12 13.

24. Iam vt Augustino fiat satis, nec eũ sine honore dimittamus, cùm scripturam ita legeret, ex LXX. Interpretum versione, quæ tum communis habebatur: *Incolatus autem filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta*: cùm, inquam, scripturam legeret in hæc verba conceptam, nec linguarum orientalium notitiam haberet, quid aliud facere vel pro admirabili sapientia potuit, vel pro pietate modestiáque Christiana debuit, quàm vt Exodum ita caperet vt sonabat? Paulum sic interpretaretur, vt quoquo modo eum Exodo conueniret, ex annis Caathi rationes vtcumque probabiles, non ineptas quidem accerseret, quibus expressam, vt putabat, scripturæ sententiam tueretur: totámque adeo ratiocinationem ex annis Caathi & Apostolo deductam in hæc verba concluderet: *Ex illa ergo promissione qua vocatus est Abraham, & credidit Deo, post quadringentos & triginta annos factam legem, dicit Apostolus, non ex tempore quo Iacob intrauit in Aegyptum: deinde etiam ipsa scriptura Exodi satis hoc significauit. non enim dixit, incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Aegypti, anni quadringenti triginta: sed apertè dixit; quem incoluerunt in terra Aegypti, & in terra Chanaan ipsi & patres eorum.* E quibus aduertis non eam fuisse Augustini mentem vt Mosen durissima illa catachresi siue syneedoche velut vnco impacto traheret in Pauli sententiam, sed potiùs vt leni quadam interpretatione, Mosi, quem ita locutum putabat, *& in terra Chanaan ipsi & patres eorum*, conciliaret Apostolum. Qui enim propter hæc Exodi verba sic interpretatus est Paulum, aliter interpretatus fuisset, si hæc verba Exodo defuissent.

August.

25. Qui si vel ab Hieronymo, vel ab alio quopiam monitus fuisset in codicibus Hebraicis aliter haberi, quid cum aliud dicturum fuisse putas quàm 15. de ciuitate Dei, cap. 13. excunte? Vbi cùm caussas errorís, qui in aliam LXX. Seniorum Chronologiam illapsus est, pluribus quæsisset, ita conclusit: *Sed quomodolibet accipiatur, siue credatur ita esse factum, siue non credatur, siue postremò ita sit, siue ita non sit: rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt cùm diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur vnde est in aliam facta translatio.*

26. Denique, vt ipsius Augustini verbis Augustino cæterisque respondeam: *Ego fateor charitati tuæ*, inquit epistola quadam ad Hieronymum, quæ in codice 19. numeratur, *solis eis scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego vt quantalibet sanctitate doctrináve præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel pro-*

babili ratione, quòd à vero non abhorrent, persuadere potuerunt. Quare, mi Philalethes, si veritatem amas, vt certè amas, Chronologos missos in præsentia faciamus, & nullis arbitris ipsa scripturæ verba trutinemus: Patres ipsos, quos interdum adhibebimus authores, ad rationis & scripturæ potissimum amussim exigamus.

IX. *De variis scripturæ translationibus.*

27 DVm hæc ille loqueretur, interim ad riuulum quemdam accessimus pulchrum quidem & amœnum, vt eminus videbatur: sed quàm magis accedebamus, tam magis apparebat luto, fuco, vluis cæterisque herbis palustribus oppletus. Accessi nihilominus, in genua procubui sitiens & anhelans, caput demisi, totum, vt mihi videbar, riuum faucibus occupare gestiens, nisi anguis, qui latebat in ripa repente sinuosis spirarum anfractibus se conuoluens, oculis eminentibus, tumidis veneno ceruicibus emersisset, inclamante iampridem Genebrardo, Fuge hinc, fuge hinc,

—latet anguis in herba.

Riuulus iste, metum venenum. Imò, mi Philalethes, hunc deseramus, & ipsum fontem adeamus. Vicinus est, & vulgo quidem ignotus, mihi tamen à pueritia notissimus.

28. Ego partim siti, partim timore propemodum enectus, buccis trementibus, aridis & male cohærentibus verbis me audientem dicto fore respondi, & per breue spinetum ad fontem limpidissimum puriorem electro, marginum vestitu viridissimo prætextum, gelida perennitate in clementi iugo scatentem peruenimus. Tanta tamen erat aquarum iugiter manantium profunditas, vt nec facilis esset haustus, & aqua subnigricans interdum videretur, quam proinde κρήνην μελάνυδρον, Homerus vocare potuisset. Accessimus tamen, & sitim, quantum haurire per altitudinem licuit, ex ipso fonte sedauimus. Deinde, cùm restincta iam siti attentiùs omnia lustrare cœpissem, aduerti diuersos canales ex vno fonte deductos: lutulentos alios, & cœnosos, alios herbis succrescentibus longâ colonorum incuriâ squalentes, alios puros & sinceros, sed vnum præ cæteris lympidum, illimem rotum argenteum, eminulis tiparum superciliis fimbriatum, tum ego, *Hæc*, inquam mi Genebrarde,

—si quid cessare potes, requiesce sub vmbra,
Hic viridis tenera prætexit arundine ripas
Riuulus, éque sacra resonant examina pinu:
Hic Ver purpureum: varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hîc candida populus antro
Imminet, & lenta texunt vmbracula vites.

Atque, vt assedimus: Equidem, inquam, mi Genebrarde, quid esset nectar Deorum hactenus nesciebam: nunc mihi primùm videor expertus. Aut, vt nostra potiùs attingam, parum est dicere terrâ hanc lacte & melle manare, eductum mel de petra, oleúmque de saxo durissimo: ipsum mihi fontem *torrentemque voluptatis* libasse & etiamnum videre videor, qui *lætificat ciuitatem Dei.* illud tamen mirum mihi videtur, quæ sit illa tot canalium ex vno eodémque fonte ductorum diuersitas: cur alios lutum & fucus opplêrit, istum autem præ cęteris ita videamus excultum & amœnum, vt ipsæ eum Charites, amœnasse videantur.

29. Tum Genebrardus: Fons, inquit, quem vides, est sacræ Scripturæ textus Hebraicus: riuuli ex hoc fonte deducti, variæ sunt translationes, quarum aliæ fuco & fallacia per hæreticorum improbitatem obductæ sunt: aliæ per inscitiam & temeritatem quorumdam interpretum lutulentæ. Riuulum hunc, quem in propinquo vides, aquilices septuaginta duxerût, amœnissimum quidem, & longè pulcherrimum, sed ita iampridem herbis subnascentibus oppletum, vt ille ipse Sixtinus emendator, adhibitis Theologorum doctissimis, negauerit fieri potuisse, vt in quantumuis expurgato exemplari non aliqua macula superesset: satiúsque duxerit locos aliquo modo suspectos, quemadmodum habentur in archetypo relinqui, quàm eos ex alicuius ingenio aut coniectura emendari, vt disertis verbis in præfatione testatur. Interpretatio 70 seniorum.

30. Hanc autem aquam, cui nunc adsidemus, obliquo riuo leniter trepidantem, senex quidam Betlehemiticæ rupis incola, his in syluis celeberrimus supercilio cliuosi illius verticis elicuit.

—Illa cadens raucum per leuia murmur
Saxa ciet, scatebrísque arentia tẽperat arua

fidei Christianæ. Vides quàm purus, quàm sincerus hic latex? illa ipsa collium æternorum iuga, è quibus fons Hebraici textus ebullat, ipsa, inquam,

Tota natant crispis iuga motibus, & tremit absens Translatio Hieron.
Pampinus.

Possis vel in fundo conchulas & ostrea numerare. *—lucétque, latétque,*
Calculus, & viridem distinguit glarea muscũ.

Lucet iis qui scripturæ verba purè, & prout sonant, interpretanda ducunt: latet iste calculus & Chronologiæ ratio eos quorum obtutûs nimia subtilitas, quasi nebula quædam intercipit officitque, ne purum & genuinum scripturæ sensum liquidò possint intueri. Vide quàm nos amœnitas ista delectet, nec delectet solùm, sed etiã sine satietate delectet, quãtas veneres habeat arborũ ista proceritas, hæc aquila, hæ arenulæ, hi riparum tori. Fac riuulum hunc opere tessellato, emblemate vermiculato substerni, arbores in quincuncem ordinari, sectis ad vnguem ramulis in hominum aut belluarum figuras effingi. Iam hæc omnia leporem & gratiam amittent, quasi amœnitas amœnitatis accessione decesserit. Ita est, mi Philalethes, veritas tanto expositionum artificio non delectatur: eo sensu vult explicari qui primus solet occurrere: vt

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

vt veritatis candida & simplex est oratio, ita simplex esse debet explanatio veritatis, quanto adinueniendam veritatem præstantior esset interpretum industria,

--*Viridi si margine clauderet vndam*
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?

Si hic, inquam, riuus nullo fucaretur artificio, nec ingeniosiùs aut subtiliùs quàm expedit, ad figuras tropósque traheretur.

31. Si nescis, riuulus hic est versio communis, siue vulgata, quæ vt pura est, sincera & simplex, ita sine fuco tractari desiderat: & quanta quanta est, ab Hebraico fonte accersitur, & si qua habet interdum quæ minùs concinere videantur, tamen reuera consentiunt. Nonnullæ quidem dictiones, quasi scatebræ in ipso translationis alueo videntur enasci, re tamen ipsa à primario fonte per occultos meatus emanant. Neque cùm quæritur mens & interpretatio scripturæ, semper ad Hebraicum textum ita refugere debemus, vt quicquid textui primario versio communis adiecerit, id continuò falsum aut dubium esse statuamus. verbi caussa, Exod. 2. v. 1. dicitur in textu principe *vir egressus de domo Leui*, addit interpretatio latina egressum esse *post hæc*, quæ videlicet superiori capite narrata fuerant. Neque tamen quicquam caussæ est cur illa verba, *post hæc*, vel penitus respuantur, vel saltem in dubium vocentur. Iudicum 4 v. 1. secundum hebraicam veritatem dicuntur filij Israel addidisse vt peccarent, & Aod mortuum fuisse: translatio communis etiam tempus designat, quo peccatis nouis vetera peccata cumularunt. nec tamen ideo negari debet id post Aodi mortem contigisse, aut in dubium vocari translatio latina, quia tempus in hebræo minùs expressum est 1. Paralip. capite 1. exeunte legitur secundum hebraicam veritatem, *& mortuus est Adad & fuerunt duces Edom.* an autem sub Regibus fuerint ij Duces, an post eos Reip. gubernacula susceperint, non satis ostenditur. Neque propterea versionem vulgatam repudiare debemus clarissimè tempus notantem. *Adad autem mortuo, Duces pro Regibus esse cœperunt.* Neque obscuris & ambiguis clara obscuranda sunt, sed obscura claris & perspicuis illustranda: cùm præsertim vulgatam hanc latinam editionem Concilij Tridentini confirmet authoritas. Sed vt ad ipsam controuersiam aliquando veniamus.

X. *Examinatur locus Exodi, & ex eo probatur habitationem filiorum Israel in Ægypto annorum quadringentorum triginta fuisse.*

32. Video Mosen accurati Chronologi munere perfunctum, verbis puris & candidis, notatis diligenter singularum generationum annis ab Adamo ad Iacobum vsque, seriem texuisse. *Quòd enim quorumdam* (verba sunt Augustini lib. 16. de ciuit. Dei, cap. 14.) *quos eadem scriptura commemorat, tacentur anni, non sunt in hoc ordine, in quo temporum dinumeratio decessione gignentium, & genitorum successione contexitur.* Video post Iacobum aliam à Mose computandi temporis initam esse rationem. Non enim scribit quoto patrum suorum anno Caathus, Amramus & Moses geniti fuerint, sed tempus habitationis filiorum Israel in Ægypto, quam ab anno Iacobi trigesimo supra centesimum inchoatam esse liquet, diligenter, enucleatè, notatis etiam mense & die profectionis, historicè, non figuratè aut declamatoriè computauit. Cùm enim Exod. 12. v. 17. & 18. Deum ita loqui fecisset. *Et obseruabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti*, &c. *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam comedetis azyma.* Versu tandem quadragesimo narrationem ita contexuit. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est exercitus Domini de terra Aegypti.* Video legem Augustini esse certissimam, & omnium Theologorum plausu exceptam, quam ille pluribus locis inculcat, vt quoties in scriptura rerum ge- Verba scripturę quãtum fieri potest, in proprio sẽsu capiẽda.

starum instituitur narratio, verba quantum fieri potest, in propria & genuina significatione capiamus.

Ἄγροικός εἰμι. καὶ σκαφὴν σκαφὴν λέγω.

33. Sum rusticanus & ligonem, ligonem appello: stiuam, stiuam: bidentem, bidentem. Cupio in exponenda scriptura *non plùs sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Si quid in alijs scriptutis occurrit, quod equidem non puto, sed si quid occurrit quod huic Moysis Chronologiæ tenebras offundat, cæteros authores canonicos ad Mosis, qui rem ex professo tractauit, amussim exigo, & inter se conciliare contendo: si non possum malo meam inscientiam confiteri, quàm à sensu quem verba præseferunt, quique primus obuius esse solet, in explicanda Mosis Chronologia discedere. Ait habitationem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuisse quadringentorum triginta annorum: filios Israel, non Abrahamum auum Israelis: Ægyptum, non Ægyptum & terram Chanaan: quadringentos triginta, non ducentos quindecim annos intelligo. fac eum voluisse clariùs & explicatiùs animi sui sensum expromere: quibus tandem verbis id consequi potuisset? Nullis, opinor, nisi quòd lingua princeps habet etiam nescio quid expressius. Reuoca illud in mentem quod ex illo fonte libasti. Hoc

Non potuit Moses clariùs se explicare.

erat, ni fallot. ומושב בני ישראל אשר ישבו. *& sessio filiorum Israel, qua sederunt in Aegypto triginta anni, & quadringenti anni.* ויהי מקץ *& factum est à fine triginta annorum, & fuit* בעצם היום הזה *in articulo diei illius egressi sunt omnes exercitus Domini de terra Aegypti.* Sessio, inquit, qua sederunt, vt intelligas eos ex quo Aegyptum incolere cœperunt certam ibi sedem habuisse. In articulo diei illius, vt agnoscas eum definitè loqui, & egressionis tempus accuratè describere.

34. Quod quibus tandem verbis disertiùs exprimere potuisset? Video quid arrideas. Addidisset, inquis, Moses hanc cautionem ne lectores suos in fraudem induceret. Loquor de filijs Israel propriè dictis, non autem de Abrahamo auo Israelis, qui ante ducentos annos iam descenderat in Aegyptum, & in ea non multis mensibus habitarat. Næ tu ridiculum teddes historiæ scriptorem, si huiusmodi præcautionum quisquilijs eius orationem infercias, vt si cùm dixi me decem annos habitasse Romæ, parum me disertè locutum putem, nisi adiecero me de auo meo non loqui qui ante centum annos Romam inuiserat, & in vrbe duobus mensibus habitarat.

35. Et verò qui Mosen aliter interpretandum putant, quantis se difficultatum nodis intricant? quantas cōgerunt explicationum offucias? quàm nouos hebraismos dicam? an barbarismos effingūt? Aiunt filiorum Israel nomine Abrahamum ipsum Israelis auum συνεκδοχικῶς comprehendi. Sed quis auum aut patrem alicuius eiusdem filium appellet? Nomen, inquiunt, בן filij apud Hebræos est πολύσημον. Audio. Sed quis vnquam pro patre aut auo vsurpari filij nomen audiuit? Aegypti vocabulo non Aegyptus sola, sed etiam Chanaanitis regio continetur. Et illud audio. sed quis vnquam huiusmodi siue synecdochen, siue catachresin & abusum vocis audiuit? Abraham primo suæ peregrinationis anno profectus est in Aegyptum. ex quo definite ad exodum anni quadringenti triginta numerantur. Hoc etiam dici non ignoro. Et quidem ex Aegypto redeuntem fuisse constat, priusquam Ismael nasceretur. quoto autem peregrinationis anno fames acciderit, & ipse fame compulsus in Aegyptum descenderit neque scriptura dicit, neque mortalium cuiquam, scriptura tacente, compertum est; & cùm in terra Chanaan ter sedes mutasse, duóque diuersis in locis altaria, priusquam in Aegyptum descenderet, excitasse scribatur, si hariolari liberet, dicerem eum ante profectionem hanc aliquot annis in terra Chanaan esse versatum. Quare cum tempus migrationis Abrahami in Ægyptum nemini compertum esse possit, necesse est incerta sit illa Chronologia quæ ab illo profectionis anno, tanquam à capite deducitur.

Difficultates contrariæ sententiæ.

36. Sed quoniam ita volunt, faciamus hanc Patriarchæ migrationem primo peregrinationis anno contigisse. Quis eis tandem reuelauit ab anno Abrahami septuagesimo quinto ad Mosis octogesimum, annos definitè quadringentos triginta numerari? Ab anno, inquiunt, Patriarchæ septuagesimo quinto ad Iacobi centesimum & trigesimum, ducenti quindecim numerantur: totidem annis Israelitæ morati sunt in Aegypto: hos in vnam summam si collegetis, quadringenti triginta colligentur. Sed quæ tandem ista ratiocinatio? Vnde colligunt inter Israelis descensum & Mosis exitum, annos ducentos & quindecim esse computandos? Exodi testimonium ductissimè videlicet exponunt, quòd à prima profectione Abrahami anni quadringenti triginta numerantur: eos porro numerandos affirmant, quia cùm scriptura mansionem filiorum Israel in Aegypto annis quadringentis triginta definit, Abrahamum

Petitio principij.

& terram Chanaan nomine filiorum Israel & Ægypti συνεκδοχικῶς comprehendit. Quid est, quod aiunt, principium petere si hoc non est? sine controuersia in circuitu ambulat,

--- magnúmque agitata per orbem,
Eludit gyro interior, sequitúrque sequentē.

37. Iam cùm Patriarcham vix annum integrum in Ægypto mansisse colligatur ex 12. Geneseos, ac proinde si primo suæ peregrinationis anno illuc profectus est, necesse sit eum in terram Chanaan rediisse quatuor & viginti circiter annis priusquam Isaac ex eo nasceretur, cùm Iosephus centesimo circiter & sexagesimo Isaaci anno primus Israelitarum post illam peregrinationem Abrahami abductus fuerit in Ægyptum, manifestè colligitur ducentis propemodum annis Israelitarum neminem pedem in Ægypto posuisse, quos violentum videtur eo annorum spatio, quibus Ægyptum incoluerunt, includere. Et eam, inquiunt, ob rem Ægypti nomine terram Chanaan, filiorum Israel appellatione ipsum Abrahamum caput & principem gentis illius vna συνεμφάσει contineri contendimus.

--Nimirum hæc illa Charybdis
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.

Hæc illa catachresis, hæc synecdoche, quam Petauius vir apprimè doctus admittit quidem, ne se torrenti Chronologorum opponat, sed durissimam esse, & eam duplicem confiteretur. Tanta nimirum vis est veritatis vt à viris cordatis, etiamsi secus opinantur, sui confessionem extorqueat.

Salianus ad annum Mosis 80.

38. At enim, inquiunt, Genebrardus *cùm rigidè scripturam de quadringentis triginta annis habitationis in Aegypto interpretatur, sese in difficultates inextricabiles conijcit, vt in generatione Leui quam D. Augustinus ad eius opinionem euertendam proponit aut plures annos quàm in scriptura habentur. tribui velit Amram & Caath, aut aliquot interiectos Leui nepotes desiderari.* Equidem verbis hærere rigidè malum, quàm durè & violenter ab eorum natiua significatione discedere. Sed hæc posteà viderimus, illud in præsentia videndum.

XI. *Vtrum recentiores Chronologi prudenter ad explicandas difficultatum tricas ad illam duplicem catachresim siue synecdochen receptum habuerint.*

39. HAc, aiunt, synecdoche posita, & in sensum leniorem molliter inflexa, cætera quæ ad sacram Chronologiam spectant, nullo negotio possunt, explicari: cohærebunt enim inter se, nec vlla reperietur in diuersis scripturæ locis dissensio. Siquidem anni de quibus in Exodo à prima profectione Abrahami ad Mosis exitum 430. ab ortu Isaaci 405. quos Deus compendij caussâ, demptis quinque superfluis, Patriarchæ prædixerat, computantur, & ætas Caath & Amram huic numero bellè consentit. Crederem, si omni difficultate sublata, hac posita synecdoche, de cætero Chronologis inter se conueniret. Sed cùm dùm de illa conuenerint, de reliquis immane quantùm dissentiunt. Itaque alij annorum quadringentorum triginta caput à prima omnium profectione cùm egressus ex Vr Chaldæorum in Haran habitauit, vt quidem recentiores Hebræi, alij, vt Eusebius & alij passim à profectione ex Haran in terram Chanaan, alij denique, vt Paræus, accersere maluerunt ab anno Patriarchæ octogesimo quinto, & illo nobili sacrificio, confirmatáque denuo Dei promissione, provt Genesis 15. fusè narratur. Vidi qui illam testamenti κύρωσιν vnde Paulus ad legem datam annos quadringentos triginta numerat, dicerent esse iusiurandum illud à Deo post immolationem Isaaci conceptum, quod Genesis 22. cantico Zachariæ, & epist. ad Hebræos cap. 6. describitur: quamuis vtriusque κυρώσεως annus incertus est, vt qui inde annos illos auspicantur, non expediant Chronologiæ rationes. Aduersariorum dissensio.

40. Alij quadringentos ab Isaaci natiuitate, alij ab eiusdem ablactatione deducūt: ablactatum alij quinto, alij, si superis placet, anno duodecimo contendunt, vt Hieronymus refert lib. de traditionibus Hebraicis. Dixissent anno vitæ centesimo. Hesiodum auctorem laudare potuissent:

Ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
τρέφετ' ἀτάλλων.

Puer, inquit, annorum centum apud matrem educabatur. Alii ab ingressu Iacobi ad Mosis egressum numerant annos ducentos & decem; alij ducentos & quindecim, alii pauciores ducētis, vt hoc loco libeat cū Timone Phliasio in Sillis apud Clementem Alexandr. Eusebium & alios exclamare.

Τίς γὰρ τούσδ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;
Νείκους σύνδρομος ὄχλος· ὁ γὰρ σιγῶσι χολωθεὶς
Νοῦσον ἐπ' ἀνέρας ὦρσε κακήν· ὀλέκοντο δὲ πολλοί.

Quis commisit eos sæua contendere lite?
Rixæ turba comes. Namque hæc exosa silentes,

lampde transeunte, futurorum veritatem ostenderet, & cum Abrahamo posterisque eius fœdus iniret, certos ei castus ceremoniásque præscripsit. *Dictúmque est ad eum* vers. 13. *Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent eos quadringentis annis*: & vers. 14. subnectitur, *Veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia.* Qui moram in Aegypto ducentis quindecim duntaxat annis circumscribunt, per *terram non suam*, non vnam interpretantur Aegyptum, sed etiam significari putant Chananęam. Quadringentos annos vel ab Isaaci natiuitate, vel ab eiusdem ablactatione deducunt, quo tempore cœpit affligi Patriarchæ semen *in terra non sua*, videlicet in Chanaanitide, cuius possessionem nondum inierat. Nam statim post ablactationem Isaaci, Ismael, *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum*, ad Galatas 4. 29. Frigidum sanè commentum, & ad eludendam difficultatem excogitatum. Quasi verò Deus tanto sacrificij, tanto figurarum apparatu, ludum puerilem, petulantiorem illum quidem, vnde Paulus allegoriæ caussâ persecutionem appellat, sed tamen ludum, vt è Genesi 21. v. 9. liquet, Abrahamo prædixerit.

Aduersariorum interpretatio violenta.

45. Nos autem, qui filios Israel annis quadringentis & quod excurrit, in Ægypto mansisse defendimus, *terram non suam*, in qua seruierunt, grauibúsque cladibus afflicti sunt, vnam interpretamur Aegyptum, quam interpretationem illa superiore minùs putamus esse violentam. Cùm enim Deus posteris Abrahami terrã Chanaan promisisset, iámque illi, si nondum ius in re, vt loquuntur, saltem ius ad rem suo tempore possidendam haberent, terra Chanaan magis eorum dici potuit, quàm non eorum. Quid? quòd de illa terra loquitur duntaxat Deus, de qua post seruitutem egressi sunt cum magna substantia? Vnde porro egressi? è Chananæa? minimè gentium: vnde igitur? ex Aegypto. Quò tendebant in Chananæam. *Generatione autem*, inquit, *quarta reuertentur huc*, igitur vt egressus ab ingressu, profectio ab reditu, sic Aegyptus non eorum terra à Chananæa eorum terra distinguitur.

Lenior interpretatio Genebr.

46. Quòd nisi res tam claris argumentis signísque luceret, ex ipso fonte libarem, & aliquid è textu principe ad explicationem huius loci proferrem illustrius. Vbi enim nos legimus, *in terra non sua*, legunt Hebraicæ בארץ לו להם *beerez lo lahem*. *in terra non ipsis*. i. in terra non ipsis debita, non promissa, non destinata. Sed hæc libens omitto, ne si ad Hebraicam veritatem confugero, videar latinæ translationi diffidere.

47. Aiunt semen Abrahami dici peregrinum fore in terra non sua quadringentis annis, non quòd omnes illos annos in Aegypto exegerit, sed quòd illud annorum quadringentorum spatium *in terra non sua* compleuerit. Et quidem adferunt testimonium Augustini de annis Tharæi, qui in Charra quinque & ducenti facti fuisse dicuntur Genesis 11. exeunte, *non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt*. Verùm iste loquendi modus habetur apud solos septuaginta seniores, quorum authoritas, vel potiùs mendosa lectio viderint eruditi debeátne nobis contra codices Hebræos, Chaldæos, Latinósque præscribere.

48. Addunt Cornelius, Tirinus, Saluianus aliique clausulam hanc ex Iudith vlt. v. 28 depromptam. *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque*, id est, vt interpretantur, ad annum vitæ suæ quintum & centesimum: non, inquiunt, quòd omnes in domo viri sui annos illos egerit, sed quòd illos ibi complêrit; ita cùm semen Abrahæ dicitur peregrinatum fuisse quadringentis illis annis in terra non sua, sic intelligere debemus non quasi quadringentis illis annis in Aegypto versati sint, sed quòd in Aegypto quadringentesimum suæ peregrinationis annum impleuerint. Verùm *Nil agit exemplum litem quòd lite resoluit.* Iuditham torquent, vel potiùs præter naturam præterque fatum ante diem occidunt, vt Mosen obtorto collo violentiùs trahant in suam sententiam. Quasi verò quicquam sequatur absurdi, si prout sonant, ita scripturæ verba capiamus, & Iuditham putemus vltra quintum & centesimum annum vitam aliquamdiu prorogasse; & cùm verbi causâ, decimo quinto ętatis anno mariti domum ducta fuisset, in ea mansisse ad annum vitæ trigesimum supra centesimum. Quod explicari facillimè poterit, si cum antiquis omnibus quotquot quindecim primis Ecclesiæ seculis ætatem Iudithæ quæsierunt, eam dicamus post seruitutem Babylonicam floruisse.

Iudith ætas.

49. Sed nimirum, vt oculus aliquo colore semel imbutus, quicquid aspexerit, eodem colore perfusum sibi videtur intueri, ita plerúmque animus præiudicatis sententiis occupatus, quicquid in scriptura deinde legerit, id etiam inuitum trahit ad primas suas notiones: & eruditi viri, cùm sibi

persuaserint filios Israel ducentis duntaxat quindecim annis in Aegypto substitisse, Chronologiæ suæ scripturam inuitam & repugnantem accommodant, inuitam dico & repugnantem nisi fortasse non aptus iste conflictus est. Cùm semen Abrahæ dicitur peregrinum fore in terra non sua, his verbis aiunt non solam Aegyptű, sed etiam Chanaanitidem contineri. At Deus ipse Genesis 31. v. 3. ita Iacobum affatur. *Reuertere in terram patrum tuorum*, quibus verbis sine controuersia Chanaanitidem intelligit. Igitur Dei iudicio terra Chanaan Abrahæ & seminis eius fuit: Chronologorum interpretatione non fuit; cùm facillimè tamen interpretari possimus semen Abrahami peregrinum fuisse in terra non sua, videlicet in Aegypto annis quadringentis triginta, quos Deus, vt fieri solet, prætermissis numerorum minutiis quadringentos appellat.

XIII. *Vtrum ab annis Caathi, Amrami, & Mosis bene colligatur habitationem filiorum Israel in Ægypto annorum* CDXXX. *non fuisse.*

50. Venio nunc ad inextricabiles illas difficultates ab annis Caathi & Amrami petitas, à quibus nos extricari non posse confirmant; & respondeo concepta nos habere verba, quibus sine ambiguitate dicitur habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuisse quadringentorum triginta annorum: quæ autem de annis Caathi & Amrami narrantur, posse variis modis explicari: nihílque penitus inde colligi quod vel nostras conturbet, vel aliorum explicet rationes. Nam & negari potest Caath iam natum fuisse, cùm Israel Aegyptum ingressus est. Her enim & Onan constat iam mortuos fuisse, Esron & Amul multi natos nondum fuisse putant, licet inter filios Israel Genes. 46. numerentur. Imò & ibidem inter filios Beniamini nonnulli recensentur, quos LXX Seniores non filios, sed nepotes fuisse scribunt. Qui certè nati nondum esse potuerunt, cùm eorum auus Beniamin vixdum ætatis annum quartum & vigesimum attigisset. Nihil igitur à nobis extorquet vt Caath in descensu Iacobi iam natum esse fateamur, quantumuis inter filios Leui numeretur. Cúmque scriptura tacuerit quoto ætatis anno genuerit Amramum, vt in texendis aliorum genealogiis Chronologiam stabilire solet, nihil hinc elici potest ad explicandam annorum rationem, quibus isti moram Hebræorum in Ægypto definiunt.

Necesse non est vt Caath natus iam fuerit cùm Iacob in Ægyptum descenderet.

51. Neque verò nobis magnopere luctandum est, vt illas difficultatum tricas, quas ex annis vtriusque nobis opponunt, eluctemur. fatemur enim ex annis Caathi centum triginta tribus, Amrami centum triginta septem, Mosis octoginta, non maiorem quàm trecentorum & quinquaginta summam existere. Sed negamus generationes omnes inter Leui & Mosen esse numeratas, vnúmque putamus, aut alterum stemmatis caput præteritum à Mose fuisse. vt citiùs ad narrationem deueniret. Neque enim ex iis verbis quæ Exod. 6. v. 18. habentur. *filij Caath Amram & Isaar.* aut ex illis Num. 26. v. 58. *Caath genuit Amram:* certò colligi potest Amram filium potiùs Caathi fuisse, quàm nepotem aut etiam abnepotem. Hoc est, inquiunt, somniare, & citra necessitatem nouas generationes obtrudere. Quasi verò ipsi sub Atlante nati nunquam somnient, aut semper grauiores habeant augendi stemmatis rationes.

Necesse nō est vt generationes omnes inter Mosem & Leui fuerint numeratæ.

52. Sed si recentiorum Chronologorum plerique non solùm Cainanum iuniorem inter Arphaxad & Sale interserunt, ad quod videri poterant Lucæ authoritate compulsi; sed etiam, ad quod eos nulla necessitas vrgebat, propter eum annos triginta Chronologiæ suæ adiiciunt, licet Genes. 11 v. 12. conceptis verbis habeatur. *Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale:* si Tirinus aliíque inter Chus primogenitum Chami, & Nemrodum Chus siue Saturnum nescio quem, Chusi prioris filium, Nemrodi patrem inculcant, quamuis Genes. 10. v. 6. legatur. *Filij autem Cham, Chus & Mesraim.* &c. & v. 8. *Porro Chus genuit Nemrod*, nulla facta iunioris illius Chusi mentione: & quidem inculcant, non quia necessarium, sed quia commodum ipsorum Chronologiæ videtur: si non pauci, vt Tirinus & Salianus, inter Salmon & Obed vno Booso non contenti duas alias generationes obtrudunt, & maiore etiam confidentia patrem, filium & nepotem eodem Boosi nomine indigitant, quamuis liber Ruth cap. 4. Primus Paralip. cap. 1. Matthæus cap. 1. Lucas c. 3. genealogiam ex professo tractantes vnius duntaxat Boosi faciant mentionem: ideo autem duas hasce generationes adsciscunt, quia non putant tam paucis generationibus tantum tempus potuisse percurri, quantum intercipitur inter Exodum & templum Salomonis, de quo 3. Regum cap. 6. v. 1. Si denique omnes consentiunt tres à Matthæo generationes esse prætermissas

missas sine dispendio veritatis, cur non potuit Moses aliquot è maioribus suis prætermittere vt statim à Caatho filio Leui ad Amram patrem suum deueniret? aut cur nobis non liceat in hanc seriem vnum aut alterum caput intexere? cùm præsertim Esdras lib. 1. cap 7. maiorum suorum ad Aaronem vsque stemma perducens, sex eorum prætermiserit, quos è primo Paralip. cap. 6. constat esse supplendos.

Scriptura frequenter in genealogiis aliquos prætermittit.

53. Imò nec patrem & fortasse ne auum quidem in maiorum suorum serie nominarit omnes, quantum est Chronologorum, cùm ab vno Tirino discesseris, omnes, inquam, inter excidium templi, quo tempore Saraias Princeps sacerdotum occisus est, & septimum Artaxerxis Longimani annum, quo missus est Esdras Hierosolymam cum amplissima potestate, annos saltem centum & triginta numerarunt. Plerique vt Salianus, centum & fere quadraginta: alij, vt Torniellus, huic etiam numero decem alios addiderunt. Qui autem pauciores annis illis centum triginta numeraret, nemo quod sciam, inuentus est. Scaliger lib. 6. de doctrina temporum pag. 288. Esdram aiens sub Artaxerxe Memore floruisse, ducentos circiter annos inter necem Saraiæ, & Esdræ legationem interceptos esse concedit. Tamen Esdras ipse maiorum suorum seriem pertexens, patre, & auo fortasse, qui priuati fuerant, præteritis se Saraiæ filium nominauit, vt mirari debeat nemo quosdam à Mose de suis maioribus prætermissos fuisse.

54. Quod si vnus & idem fuit Amram Caathi filius, cum Amramo Mosis patre, cùm Caathus quatuor duntaxat liberos mares, Amramus duos Aaronem & Mosen cum Maria sorore, Aaron quatuor, Moses duos tantùm susceperit, atque adeo nouem duntaxat vel filij vel nepotes numerentur ab Amramo propagati, qui fieri potuit vt priore sensu qui habitus est à Mose & Aarone *anno altero egressionis eorum ex Aegypto*, Numer. 1. iam tum octies mille & sexcenta Caathitarum capita censerentur? præter fœminas, quas credibile est fuisse non multo pauciores. Quisquámne sibi persuadeat tantam inter fratres diuersitatem fuisse, vt eorũ vnus vix nouem partim filios, partim nepotes haberet, reliqui tres

Non videtur idem fuisse Amrã Caathi filius, qui pater Mosis.

Et natos natorum, & qui nascuntur ab illis,

ad quatuor aut quinque capitum millia singuli facilè numerarent? Scio non defuturas argutias hominibus ingeniosis & eruditis, quibus ad ista respondeant.

55. Sed vide, mi Philalethes, quantum aduersarijs largiat ex caussæ fiducia. Illud venit in quæstionem, vtrùm commodiùs scripturam interpretentur, qui nomine filiorum Israel maiores ipsius Israelis, nomine Ægypti etiam Chanaanitidem synecdochicὼs aiunt comprehendi: an qui contendunt ea verba *filij Caath Amram & Isaar*: item, *Caath genuit Amram*, sic intelligi posse vt Amram fuerit non filius immediatus, vt vocant, sed vel nepos vel pronepos Caathi. Ego, si vel illi vnum tam duræ synecdoches exemplum è tota scriptura protulerint, vbi Abraham vel Isaac filij Israel dicantur, vel ego proferre non potuerim sexcenta scripturæ testimonia, quibus vel aliquot genealogiarum capita taceantur, vel aui & ataui posteros genuisse, vel posteri maiorum suorum, vltimorúmque adeo sanguinis authorum filij dicantur, non solùm somniasse me, sed etiam delirasse candidè profitebor. Atque hæc est inextricabilis illius nodi solutio.

XIV. *Ex annis Caathi demonstratur moram filiorum Israel in Ægypto fuisse plus quam* CCXV. *annorum.*

56 Parum est hæc quæ de Caathi annis scribuntur, eorum rationibus non fauere, nostris non nocere. Quid si etiam ex his conuelli funditus eorum Chronologiam paucis ostendero? Ad hæc ego, Mihi, inquàm, mi Genebrarde, rem gratissimam feceris: sic enim desinent de annis Caathi molestiam nobis exhibere, nec me longitudo deterret, dum aliquod pretium disputationis existat. Tum Genebrardus, Hunc, inquit, alij recentiorum Chronologorum anno ætatis decimo quarto, alij vndecimo ingressum hariolantur, nec quemquam facilè reperias præter vnum Torniellum qui maiorem natu fuisse voluerit. Nobis diuinare non licet, ne somniasse dicamur. sed ea quæ ipsi suo commodo finxerunt, admittimus: incommodo quidem nostro: nam argumento, quod præ manibus habemus, aliquot annis iuniorem esse præstaret. Admittimus tamen, & quod dant, accipimus, vel potiùs quod illi petunt, vltro concedimus.

57. Cùm igitur *anni Caath centum triginta tres*, vt Exodi 6. dicitur, quamuis eum iam puberem fuisse faciamus cùm Ægyptum ingressus est, necesse tamen est vt in Ægypto annos centum & viginti preter-propter exegerit. qui si octoginta Mosis annis accedãt, ducentorum annorum summam colligemus. Aut igitur Israelitæ plus-

quam ducentis & quindecim annis in Ægypto manserunt, aut quindecim duntaxat annorum spatium inter Caathi mortem & Mosis exortum interfuit. Hoc autem posterius dici non posse liquet ex iis quæ cum inter illius obitum & huius ortũ gesta narrentur, haudquaquam tamen tam angusta temporis intercapedine claudi potuerunt.

58. Cùm enim dixisset Moses Exod. 1. v. 5. *Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta* (inter quos Caath, Genesis 46. v. 11. numeratur) Ioseph autẽ in Ægypto erat. Adiecit v. 6. & 7. *Quo mortuo & vniuersis fratribus eius omniq; cognatione illa fily Israel creuerũt, & quasi germinantes multiplicati sunt, & roborati nimis impleuerunt terram.* E quibus satis apparet, post Patriarcharum obitum miram illam populi, qui superstitibus Patriarchis, omnique cognatione illa mediocriter tantùm excreuerat, propagationem contigisse, quæ primùm animaduersa Ægyptios exterruit, & nouo Pharaoni, qui ignorabat Ioseph eiusque beneficiorum memoriam longinquitate temporis obliteratam abiecerat, persuasit vt Israelitas affligeret. Quæ ne plus dicam, vix ac ne vix quidem toto decennio fieri potuerunt. Quomodo enim illa gentis Israeliticæ multiplicatio tam paucis annis notari potuisset?

59. *Præposuit itaque eis mag stros operum, vt affligerent eos oneribus, ædificaueruntque vrbem Tabernaculorum Pharaoni, Phiton & Ramesses.* Huic trium vrbium ædificationi quantum temporis tribuemus? cùm præsertim eo ipso tempore populus mirum in modum excreuerit: *Quantóque opprimebant eos*, inquit, *tanto magis multiplicabantur & crescebant.* Quod vbi Rex nefarius aduertit, aliam iniit extinguendi totius Israelitici nominis rationem, & obstetricibus imperauit, vt in ipso partu mares eliderent. Sed illæ contra Regis præceptum *conseruabant mares. Bene ergo fecit Deus obstetricibus, & creuit populus, confortatúsque est nimis.* vers. 20. Quod hac occasione minimè notaretur si vno dũtaxat aut altero anno Regem fefellissent obstetrices. Quomodo enim tam angusto tempore crescere & cõfortari populus earum beneficio potuisset? Quod cum animaduerteret Pharao, mares in lucem editos in flumen proiici mãdauit.

60. Atque his omnibus ordine transactis initio capitis 2. secundum latinam versionem authoritate Concilij receptam, Hebraico textu non refragante, subnectitur, *Egressus est post hac* (videlicet post impia Regis edicta, vt exponũt Rupertus & Abulensis) *Egressus est*, inquit, *vir de domo Leui post hac, & accepit vxorem stirpis suæ.* Is fuit Amramus Mosis pater, de quo Exodi 6. vers. 20. *Accepit autem Amram vxorem Iocabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron & Mosem.* cuius nuptiæ sine controuersia multis annis ante Mosis exortum contigerunt. Aaronem enim fratrem habuit toto triennio maiorem, vt liquet è cap. 7. v. 16. Sororem autem Mariam multo prouectiorem. Nam, vt omittam Hebræorum nugas, (*Qualiacunque voles Iudæi somnia vendũt*, Iuuenal. sat. 6. qui apud Lyranum & Abulensem eam è duabus illis obstetricibus alteram fuisse fabulantur) vt, inquam, hos omittam, iam adoleuerat, cùm infans expositus est Moses. Cùm enim, vt dicitur cap. 2. v. 3. mater eum celare iam non posset, *Sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice, posuitque intus infantulum, ac exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, considerantéque euentum rei.* Quæ consideratio prudentiam insinuat plusquã puerilem. Quid? quòd aduertens filiam Pharaonis infantuli misericordia commoueri, ad circulum accessit, & in consilium admissa prudenter occasionem atripuit, sagacissimè modum commenta quo sine periculo, lactandus Reginæ ipsius authoritate, materno gremio redderetur infantulus? (Ætas Mariæ sororis Mosis.) *Filia Pharaonis cernens in fiscella paruulum vagientem, miserta eius ait: De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri: vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam quæ nutrire possit infantulum? respondit: vade. Perrexit puella, & vocauit matrem.* Quæ qui puellæ septenni, aut etiam minori tribuunt, nescio quid concoquere non possint, quæ non miracula procudere.

61. Et sanè iam tum temporis eam pubertatis & adolescentiæ metam attigisse tum Philo testatur lib 1. de vita Mosis ἐν παρθένον adhuc virginem appellans, & duodecim quindecímve annorum fuisse non vno loco probat Abulensis, tum significat ipsa vox העלמה *haalma*, quã hoc loco Moses vsurpat, est enim *alma* adolescentula. (Vox alma Hebræis quid sonet?)

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

De qua voce Hieronymus in Isaiam 7. *Nunquam me arbitror* alma *in muliere nupta legisse, sed in ea quæ virgo est, vt non solum virgo sit, sed virgo iunioris ætatis & adolescentiæ*, &c. *vel certè virgo non puellula, & quæ adhuc virum nosse non posset, sed iam nubilis.* Et verò cùm septies tantum reperiatur in bibliis, semper nubilem agnoscas, vt Genesis 24. v. 43. Abrahami seruus herili filio quærens vxorem. *Et haalma*, inquit, *virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam.* Psalmo 68. v. 26. in medio עלמות

alamoth .i. *adolescentularum tympanistriarum*. Prouerb.cap.30.vers.18.19. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri* בעלמה quod alij *in adolescentia*, alii *in adolescentula* transtulerunt, Cantic. 1. v. 3. *alamoth adolescentulæ dilexerunt te*, Cantic. 6. 8. *sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & alamoth adolescentularum non est numerus*. Isaiæ 7. v. 14. *Ecce* העלמה *Virgo concipiet & pariet filium*. E quibus facilis coniectura est Mosis infantuli sororem iam nubilem fuisse, ac proinde Amrami & Iocabedæ nuptias multis licet annis ab obitu Caathi, non paucis tamen ante Mosis exortum fuisse contractas, & audiendos non esse qui morã Israelitarum in Ægypto 215. annorum angustiis circũscribunt, & quas aliis pedicas nexuerant, in eas ipsi se induerunt.

XV. *Respondetur authoritati Pauli inter testamentum confirmatũ à Deo & legem latam annos 430. numerantis.*

62. Restat igitur expurganda huius opinionis extrema munitio. Ait Moses: *Habitatio autem filiorum Israel, qui manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. At Apostolus huius Chronologiæ caput non à descensu Iacobi, sed à dictis Abrahamo promissionibus accersit epist. ad Galat. cap. 3. Cùm enim dixisset vers. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, non dixit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini eius, qui est Christus*: adiecit vers. 17. *Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem*. Vel igitur ex Paulo Chronologiam ab anno Abrahæ quinto & septuagesimo repetemus, quo primùm factæ sunt promissiones, & in Exodo filios Israel sic interpretabimur, vt hoc nomine dicamus Abrahamum Israelis auum comprehendi, eorúmque habitationem in Ægypto annorum quadringentorum & triginta fuisse, quamuis centum & nonaginta annis, qui illo CDXXX. annorum spatio clauduntur, ne vnus quidem Israelitarum Ægyptum adspexerit. Sed cùm illa verba: *quæ manserunt in Ægypto*, quandam temporis non interrupti continuationẽ importent: quàm hæc interpretatio sit violenta, iam superiùs ostendimus. Vel illibata in Exodo proprietate verborum Paulum leniter explicatum Mosi conciliare conabimur.

63. Ac primò, quis nos meritò reprehendat, si cum Hieronymo dicamus Apostolum, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret, debitorem Græcis & & Barbaris, sapientibus & insipientibus, Galatis quoque quos paulo ante stultos dixerat, stultum esse factum? *Non enim*, inquit, *ad eos his vsus est argumentis, quibus ad Romanos: sed simplicioribus, & quæ stulti possent intelligere, & pene de triuio. Quod ne videretur imperitia, & non arte fecisse, prudenter placat antè lectorem, & quæ dicturus est, temperat præfatione præmissa. Fratres, secundum hominem dico: quod enim dicturus sum, non dico secundum Deum, neque secundum reconditam sapientiam: & eos qui solido possunt vesci cibo, sed secundum eos, qui ob teneritudinem stomachi lacteo rore pascuntur*, &c. Subnectit tria quæ Apostolus non secundum Deum, sed secundum hominem dixisse videatur. vnum, quòd ab humano testamento duxerit exemplum: alterum, quòd vim fecerit in eo quòd Deus numero potius vnitatis, quam numero multitudinis semen vsurpet, cùm scripturæ semper proferant numero singulari: tertium, quòd testamentum pro fœdere siue pacto, quòd Hebræo sermone dicitur ברית acceperit. *Vnde manifestum est*, inquit, *id fecisse Apostolum quod præmisit, nec reconditis ad Galatas vsum esse sensibus, sed quotidianis & vilibus, & quæ possint, nisi præmisisset*, SECVNDVM HOMINEM DICO, *prudentibus displicere*. Hæc Hieronymus, & proponens quæstionem hanc, quam præ manibus habemus, de mora filiorum Israel in Ægypto, & insolutam relinquens: *Non enim parua res est*, inquit, *& à multis quæsita, nescio an ab aliquo sit inuenta.*

Paulus ad Galat. secundum hominem locutus

64. Hanc igitur vt quæramus, & si fortè inueniamus, quid prohibet tribus istis secundum hominem dictis quartum annectere? vt Paulum dicamus argumentari ad hominem, vt loquuntur, & scribentem ad Galatas, non ex sua, sed ex eorum sententia, & ex LXX. Seniorum codicibus, prout vsu publico vitiim terebantur, hunc annorum numerum protulisse. Cùm enim LXX. Interpretes, vel potiùs eorum exscriptores glossema quoddam edidissent, & iam tum apud eos legeretur; *Habitatio filiorum Israel, quæ manserunt in Ægypto,* ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν. *Et in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* non debuit criticum agere, & cum his Chronologiæ tricis morosè cõflictari, ne longiùs digrediens ab instituto vel obscuraret orationem, vel suæ vim argumentationis obtunderet, sed ex eorum codicibus & concessis controuer-

siam, qua de agebatur, decidere, hoc pacto. Hoc dico testamentum confirmatum à Deo non irritum facit ad euacuandam promissionem ea lex quæ lata est post annos quadringentos & triginta, saltem, vt colligitur è vestris codicibus LXX. interpretum. Neque enim in quacunque sententia minus temporis intercedere potuit inter promissiones illas, & legis scriptæ lationem. An autem plus temporis interfluxerit, nihil ad institutum. Cùm præsertim huic orationi falsitatis subesse nihil possit. Nam si lata lex est post annos DCXLV. à primis illis promissionibus dictis Abrahamo, quod ex Hebraico textu Latináque versione certò colligitur, multo magis post annos CDXXX. quod præseferunt LXX. Interpretes.

65. Dum Genebrardus ita loqueretur, interim variæ voces audiri, sylua clamoribus hominum, equorum hinnitibus, canum latratibus personare, vt iam vix alter alterum audire possemus. igitur officiente, auribus nostris strepitu, oculos ad ea, quæ gerebantur, aduertimus.

Ceruus erat forma præstanti, & cornibus ingens.

anhelitu sublimi, exertâ linguâ, demissis auribus, sudore per totum corpus diffluente, grandibus lacrymis vbertim per ora manantibus, tremens, sitiens, anhelans, cursu exhaustus, labore confectus, vix vt iam posset aut fugam expedire, aut onus cornuum sustinere. Canes à tergo, equi, venatores

Per rupes, scopulosque adituque carentia saxa,
Quaque est difficilis, quaque est via nulla, sequuntur.

antè plagæ, vari, retia, formido versicolore plumatum variegata contextu, ille tamen etiam per auias rupes & scopulos:

Mille fugit refugitque vias, at viuidus vmber
Hæret hians, iam iamque tenet, similisque tenenti,
Increpuit malis, morsúque, elusus inani est.

Quid plura? nihilum propius aberat, quàm vt plures catuli à tergo, à latere, à dextra, à sinistra, in clunes, armos, ilia dentem impingerent, cum nos qui prospectum longiùs petituri, diutiusque fruituri spectaculo, è riuulo ad editiorem tumulum euaseramus, ceruum alterum recentem, integrum, vegetum, elata ceruice, subrectis auribus, pedes ad cursum explicatos molliter reponentem alterna crurum volumina replicantem, persultantem, & quasi catulis insultantem aduertimus. Ringere illi primo, baubari, nictare, gannire, vlulare, latrare: deinde omisso legitimo illo, quem primùm è cubili deiecerant, ad hunc subditium, reuocantibus frustra dominis se conuertere. Et ne diutiùs hîc morer Post quã ille suppositirius recens fatigatos tantisper illusit, & per diuersas circumduxit ambages, incredibili celeritate, citiùs quàm hæc loquor, insequentem canum turbam frustratus ex oculis eorum euanuit. Illi sudantes, fumantes, linguam exertantes, corpus exhaustum languente collo vix trahentes, caudam vtero subiectam remulcentes, & quasi pudore suffusi redierunt. Et iam primus ille ac legitimus extremo pene spiritu collectis animi reliquiis canibus post aduentitium ceruum alucinantibus se proripuerat, & importunos insequentium rictus tantum non euaserat. nisi duo veteli canes diuturno venationis vsu iampridem eruditi, qui hactenus viuidiores illos catulos pressa latratu pedetentim securi fuerant, elapsæ iampridem feræ vestigiis institissent, eámque labore, siti, metu fatigatam celeriter assecuti per nescio quæ viarum compendia, alter in armo mordicùs hæsisset, alter dente in lumbos impacto expirantem & moribundam tenuisset, donec cæteris ad prædam conuolantibus, rostris in corpore demersis ceruus confectus est.

Quærentibus veritatem non est facilè ex vno in aliud trãsiliendum.

66. Ad hæc Genebrardus, Quid caussæ subesse putas, ô Philalethes, cur isti viuidi vegerique catuli, tanto labore consecuti sint nihil, prædamque incolumem abs se dimiserint, hi autem duo iam effœti, &, vt videntur, annis tardiores, qui tardiùs exierant, prędam nihilo secius assecuri fuerint, solique effecerint vt aliquod pretium venationis extaret? Tum ego: Quid enim, inquam, aliud esse purem, quàm quòd isti nouitij à ceruo legitimo, quem diuturno iam cursu fatigarant, aberrarunt, & ad alterum subditirium se conuerterunt, qui cùm recens esset & viribus integer, nullo negotio ex eorum rictibus potuit elabi: Hi autem duo longa venationis experientia doctiores, cerui, quem primùm è suo lustro deturbauerant, vestigiis inhæserunt? Rectè, inquit ille, discriminis caussam rimatus es. Et hanc eorum qui veritatem venantur, imaginem esse puta. Rudes & imperiti facilè ex vno transiliunt in aliud: peritiores autem eiusdem veritatis inquisitioni semper insistunt, nec abripi se ad diuerticula minimè necessaria facilè patiuntur. Eandem puta fuisse Pauli rationem, qui ne ab instituto suo diuerteret, secundum hominem, non secundum rei veritatem, secundum receptos hominum errore Græcorum

codices, non ſecundum veram Chronologiam annos computauit. E quibus efficitur nihil ex illo colligi quod noſtras poſſit turbare rationes.

XVI. *Ex eodem Apoſtoli teſtimonio confirmatur Genebrardi Chronologia.*

67. SEd iam riuulum ſequentes iter inceptum peragamus, & interim ne tergiuerſari, vel potiùs coniectum in nos authoritatis Apoſtolicæ telum leui quadam declinatione corporis exire videamur: age ſanè, Apoſtolum non ſecundum hominem, non ex aliorum opinione, ſed ſecundum rei veritatem, & ex proprio ſenſu, quæ dicit, dixiſſe faciamus demonſtremúſque, quod hactenus in alijs ſcripturæ teſtimonijs factum à nobis eſt, aduerſarios ſuo, quod aiunt, gladio iugulari, iíſque vel firmiſſimè noſtram Chronologiam ſtabiliri, quibus eam labefactare conatur.

68. Non ait Apoſtolus annis quadringentis triginta poſt promiſſiones dictas Abrahamo, latam eſſe legem, ſed poſt teſtamentum confirmatum à Deo, confirmari porro dicitur non cùm primis veluti lineis informatur, promittitur, aut etiam primò conditur, ſed cùm quod informatum & conditum antea fuerat, iterata teſtatoris voluntate renouatur. Primas autem illas promiſſiones Deus frequenter inculcat, & nouæ pollicitationis acceſſione confirmat, vt Geneſis 22. v. 16. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus*, &c. 18. *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* de quo Apoſtolus ad Hebræos 6. v. 13. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum*, &c. Neque ſolùm Abrahamo confirmauit, ſed etiam cæteris Patriarchis, Iſaaco Geneſis 26. 4. Iacobo 28. 13. & 14. item cap. 35. v. 13. & tandem cap. 46. v. 4. his verbis. *Ego deſcendam tecum, & inde adducam te huc reuertentem.* Quod nihil eſt aliud quàm iteratò confirmare pollicitationem qua Deus ſe terram Chananæorum ſemini Abrahæ daturum, & in eius ſemine omnes gentes benedicturum eſſe promiſerat. Atque hæc eſt poſtrema teſtamenti confirmatio, quæ priuſquam Deus Moſi loqueretur, narratur facta Patriarchis, eo videlicet anno quo Iſrael Ægyptum ingreſſus eſt.

Confirmari teſtamẽtum quando dicatur.

69. E quibus apparet quanta ſit inter Moſen & Paulum conſenſio, cùm vterque quadringentos & triginta annos, habitationi qua filij Iſrael manſerunt in Ægypto, inter poſtremam teſtamenti confirmationem & legem latam euolutos aſſignet. Et ſanè cùm inde argumentetur Apoſtolus Dei teſtamentum per legem irritum fieri non potuiſſe, quia inter confirmatum à Deo teſtamentum legémque latam multum temporis interceſſerat, vímque faciat in longinquitate temporis intercepti, loqui debuit non de prima illa promiſſione, ſed de poſtrema & nouiſſima conditione ſiue confirmatione teſtamenti: alioquin parum ſolidè & ſophiſticè procederet, peſſimè ratiocinaretur, & ne ſecundum hominem quidem, id eſt, humano more loqueretur. Teſtamentum enim ab ea teſtatoria volũtate vim habet, quę poſtrema innotuit, vnde & ſuprema volũtas dicitur, & quidem inter homines, vt notat Apoſtolus ad Hebr. 9. 16. *teſtamentum in mortuis confirmatũ eſt. alioquin non valet, dum viuit qui teſtatus eſt.* Quid? quòd aiens, *teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex non irritum facit ad euacuandam promiſſionem*: apertè teſtamenti confirmationem ab illa prima promiſſione diſcriminat? Alioquin quid Apoſtolo fingi poſſet aut ineptius, aut infantius? Nam ſi idem eſt confirmatum teſtamentum quod promiſſio, ridicula erit, inepta & putidè redundans oratio. Quis enim niſi planè balbutiens ita loquatur, lex non irritum facit teſtamentum confirmatum à Deo ad irritandum teſtamentum à Deo confirmatum. vel lex non euacuat promiſſionem ad euacuandam promiſſionem? Hoc igitur Pauli teſtimonium adeo non obſtat, vt potiùs mirum in modum velificetur noſtræ ſententiæ.

Teſtamentum ſuprema volũtas.

Confirmatio teſtamenti à prima promiſſione diſtinguitur.

XVII. *Eadem Chronologia alio Pauli teſtimonio ſtabilitur.*

70. HÆc etiã Chronologia fulciri poteſt verbis eiuſdem Apoſtoli Actorum 13. v. 16. ſecundum communem editionem è qua potiſſimùm ſuſpenſæ ſunt noſtræ rationes. *Deus*, inquit, *plebis Iſrael elegit patres noſtros, & plebem exaltauit cùm eſſent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelſo eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto, & deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum, quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos.* Quo temporis interuallum inter ipſum diſtributionis initium & electionem patrum exaltationémque plebis in terra Ægypti continetur. initium porro

distributionis contigit anno post exitum quadragesimo, cùm Moses tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse agros trans Iordanem in terra Galaad assignauit. Electio verò patrum alia fingi non potest quàm cùm Iacob testamento suo filiis suis benedictionem impertiit, eos tribuum capita siue principes instituit, plerisque etiam ænigmaticè prædixit quæ sors eorum posteritati euentura esset, vnde & meritò Paulus, cùm mentio distributionis agrorum fieret, annos ab eo tempore numerauit, quo Iacob filiis suis tribuum Patriarchis eam prædixerat. Cùm autem Iacob anno post ingressum decimoseptimo testamentum condiderit (nam vt dicitur Genesis 47. vers. 28. *Vixit in Ægypto, decem & septem annis*) si septemdecim hos annos è numero 430. quos habitationi filiorum Israel in Ægypto tribuimus, detraxeris, supererunt anni 413. quibus si annos 40. ante cœptam agrorum diuisionem in deserto transactos adieceris, inuenies inchoatam fuisse terræ distributionem anno 453. postquam Iacob eã prædixerat: quam summam vocat Apostolus annorum quasi quadringentorum, & quinquaginta.

71. Nam quòd non pauci vt Apostolum etiam reluctantem ad suam Chronologiam detorqueant, hos annos ab Isaaci natiuitate ad septimum Iosue annum putant esse numerandos, id faciliùs dici potest, quàm probari. Quorsum enim Paulus, facta proximè Ægypti & electionis patrum mentione, ab Isaaco, qui nunquam Ægyptum viderat, Chronologiam suam accerseret? si non à duodecim Patriarchis, sed ab eorum maioribus, cur non potiùs ab Abrahamo, qui præ cæteris electus est, & à quo tanquam à capite, illa Dei benedictio profluxit, & ad posteros redundauit.

XVIII. *Idem probatur à multiplicatione filiorum Israel in Ægypto.*

72. QVid? quòd sine miraculo, quod sanè fingere necesse non est, vix potuerunt in tantam multitudinem excrescere, vt cùm in ingressu septuaginta capita censa fuerint, ducentis pòst annis armatorum sexcenta millia numerarent? Singulæ mulieres vno & eodem partu binos, aut etiam ternos edebant, inquit Aben Esra, qui & vidisse se dicit quatuor simul ab eadem muliere procreatos, fierique posse vt septeni pariantur. Addo fœtiferum potu Nilum ex Plinio lib. 7. cap. 3. mulieres in Ægypto quinos, vt placet Aristoteli, aut etiam septenos, vt ait Trogus apud Plinium frequenter enixas. Addit Albertus lib. 10. de Animalib. cap. 5. vnam mulierem vna duntaxat abortione centum & quinquaginta fœtus magnitudine digiti auricularis abegisse. Author est Herburtus historiæ Polonicæ lib. 7. cap. 13. in Cracouiensi regione quandam honestam matronam Margaretam nomine, Virbislai comitis vxorem, anno 1269. pueros viuos triginta sex vnico partu edidisse. Quid? quòd quadraginta circiter pòst annis Margareta Comitissa Hollandiæ vno item nixu liberos 365. viuos effudit, quos omnes sacro baptismate regeneratos fuisse annales Hollandicæ prodiderunt. Sed hæc sunt naturæ, vel potiùs diuinæ potentiæ miracula, quæ temere non debemus in explicanda scriptura confingere. Alioquin dicere possemus Israelitas in Ægypto leporum fœcunditatem habuisse, quos (vt post Oppianum 3. de venat. & Basilium contra fœneratores loquitur Ambrosius lib. de Tobia cap. 13.) *Ferunt generare simul & educare, & continuò parturire*, & vt aliquid dicam audaciùs ex Æliano, τίκτειν δὲ ἄρρενας λαγὼς, καὶ ἔχειν παιδοποιεῖσθαί τε ἅμα, καὶ ὠδίνειν, ὡς τῆς φύσεως μὴ ἀμοιρεῖν ἑκατέρας. *Parere etiam masculos lepores, & posse simul generare & parturire, vt qui naturam comparatam habeant in vtramque partem*, aut etiam dicere possimus Hebræos non solùm bimulos, sed etiã adhuc maternis visceribus inclusos iam tum liberis operam dedisse, & infantulos iam prægnantes in lucem prodiisse, vt apud Plutarchum & Synesium Ægyptij de Iside in matris vtero iam ex Osiride gemello suo grauida fabulantur. Quæ si meritò ridentur, profectò caussæ nihil est cur citra grauem necessitatem recurramus ad illa ternorum aut etiam quaternorum fœtuum miracula.

Vide Genebrardum in Chronico.

Numerosæ sobolis exempla.

73. Lego post mortem eorum qui cum Israele descenderant, centum circiter & viginti annis post ingressum elapsis, filios Israel creuisse, & quasi germinantes multiplicatos fuisse, ac roboratos nimis impleuisse terram: sed eorum genus nonaginta quinque duntaxat annis, qui secundũ istos inter obitum Caathi & Exodum fluxerunt, adeo propagatum fuisse non lego, vt potuerint præter senes, paruulos & mulieres, sexcenta pene millia numerari. Imò quia lego Amramum annis centum triginta septem dumtaxat tres, Aaronem quatuor, Mosen duos liberos sustulisse de reliquis facio coniecturam, aióque plus temporis Israelitis necessarium fuisse, vt ad eam multitudinem peruenirent: maximè cùm, vt ait Philo lib. 1. de vita Mosis, adultorum pleri-

quę laboribus oppressi morerentur, & Ægyptii tanta sollicitudine in nascentium perniciem incumberent, ἄλλοι γοῦν ἐπ' ἄλλοις ἐξέθνησκον, inquit, ὡς ὑπὸ λοιμώδους φθορᾶς, *quasi pestifero quodam morbo alij super alios interibant*. Quòd si quis omnino pertendat tantillo tempore gentem Israeliticam quodam diuinæ prouidentiæ miraculo sic auctam fuisse, necesse est vt in Amalecitarum propagatione maius etiam miraculum fabricetur. Hi enim
Gen 36.12. ab vno Amaleco, qui cum Esau nepos esset, vix potuit ante descensum Iacobi liberos
Exod. 17. sustulisse; ab illo, inquam, vno propagati exodi tempore iam in ingentem planè gentem excreuerant, vt ex eo constat quòd
Num. 24. 20. primi omnium Israelitis occurrerunt armati, manus conseruerunt, signa contulerunt, vnde, vt videtur, Balaam *principium gentium Amalec* appellat.

XIX. *Idem probabiliter deducitur è rebus gestis Assyriorum, & propagatione generis humani post Abrahamum.*

74. Accedit quòd nisi diem Abrahami natalem in anteriora tempora submoueas, quàm submouent ij qui inter primam eius peregrinationem & Israelitarum exitum quadringentos & triginta duntaxat annos agnoscunt, non paucæ quæstiones occurrent quæ non facillimos habeant explicatus. Hunc enim Eusebius & alii passim Chronologi anno Nini quadragesimo tertio, Petauius anno Semiramidis circiter vigesimo secundo natum esse defendunt. Rectè an secus nihil ad præsens institutum. Illud agitur, vt Abraham ex aduersariorum opinione constet eo tempore floruisse, quo Assyrij Asia perdomita, imperio ad Indos vsque propagato, summam rerum obtinebant, & Ninias Semiramidis filius authore Diodoro Siculo, lib. 2. Bibliothecæ, ἐν τοῖς βασιλείοις τὸν ἅπαντα χρόνον διέτριβεν ὑπ' οὐδενὸς ὁρώμενος, πλὴν τῶν παλλακίδων, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν εὐνούχων, *To-*
Reges Assyriæ. *tam in regia vitam exegit, nemini se spectandum præbens, exceptis concubinis, & eunuchis*. Παραπλησίως δὲ τούτῳ καὶ οἱ λοιποὶ βασιλεῖς, παῖς παρὰ πατρὸς διαδεχόμενος τὴν ἀρχὴν, ἐπὶ γενεὰς τριάκοντα ἐβασίλευσαν μέχρι Σαρδαναπάλου. *Eodem modo & reliqui Reges, filius patri succedens, per ætates triginta regnauerunt vsque ad Sardanapalum*.

75. Quis igitur Amraphel ille Rex Sennaar siue Babylonis (quod regnum aduersarij non solent ab Assyriorum imperio distinguere) armis Abrahami profligatus? Genes. 14. vnde repente tam bellicosus, vt contra cæterorum Assyriæ Regum institu- Amraphel.
ta prodiret in aciem aut tam officiosus vt totius Asiæ Monarcha se Codorlahomori nescio cui comitem & auxiliarium adiungeret, aut tam minutus & infirmus vt vel solo nomine non exterruerit illos quinque regulos, quorum ditio pene tota eo terrarum spatio continebatur, vbi fuit lacus Asphaltites, postquam Sodoma, Gomorra, Seboim & Adama cœlesti deflagrarunt incendio? Si Abraham trecentis & duodeviginti vernaculis in aciem eductis ipsum Assyriæ Monarcham afflixit, quî factum vt tantæ rei memoriam obliterarit obliuio? aut quo diuinæ prouidentiæ miraculo immanis ille Assyriorum exercitus tam exigua manu superatus? Neque enim Assyriorum Reges cum modicis copiis bella inferebant. Testis Ninus cùm Bactrianam expeditionem suscepit. Numeratæ sunt, vt Ctesias in historiis scriptum reliquit, πεζῶν μὲν ρό μυριάδες, ἱππέων δὲ μιᾶς πλείους τῶν εἴκοσι μυριάδων, ἅρματα δὲ δρεπανηφόρα μικρὸν ἀπολείποντα τῶν μυρίων ἑξακοσίων: *Peditum quidem decies septies centena millia, equitum verò ducenta & dena millia,* Ingentes Assyriorũ exercitus.
currus verò falcati vix pauciores denis millibus & sexcentis. Quid? quòd cùm Semiramis Indos aggressa est, *multitudo congregati exercitus erat, vt idem Ctesias Cnidius memoriæ prodidit*, πεζῶν μὲν τριακόσιαι μυριάδες, ἱππέων δὲ πεντήκοντα μυριάδες· ἁρμάτων δὲ δέκα μυριάδες: *Peditum quidem tricies cētena millia*, (tres vulgo milliones dicimus) *equitum verò millia quingenta, curruum autem centum millia*. Hæc lib 2. Diodorus.

76. Quæ etsi fortasse non solùm fidem, sed etiam omnem mentiendi verecundiam superant, tamen & Ctesiæ testimonio nituntur, cuius in rebus Assyriacis authoritas aduersariorum calculo cæteris omnibus antefertur, & indicio sunt ingentes admodum fuisse primorum Assyriæ Regum exercitus: ac proinde non sine grandi miraculo Assyriæ Monarcham à trecentis decem & octo vernaculis fuisse superatum. Quod si contigisset profectò scriptura non taceret, quæ non solet res eiusmodi tum ad Dei Hebræorum protectoris gloriam, tum ad posterorum memoriam insignes silentio præterire cùm præsertim maxime pertineret ad Mosis institutum, vt eiusmodi diuinæ protectionis exemplis suos Hebræos ad bonam victoriæ spem, & militarem virtutem accenderet. Vnde liquidò constat hûc Amraphelum Regem Sennaar siue Babyloniæ Nino & Assyriaca Monarchia multis annis antiquiorem fuisse, siue fuerit filius aut nepos Nemrodi qui primus in Ba-

bylonia tyrannidem occuparat, siue potiùs fuerit à Semo per Arphaxadum Chaldæorum patrem propagatus: adeóque verum esse quod ait Theophilus Antiochenus Apostolis pene suppar, bellum hoc omnium primum esse quorum exret memoria vel in factis, vel in profanis authoribus. Quem Amraphel cùm anno Patriarchæ præter propter nonagesimo cæsum fuisse non obscurè scriptura significet, hinc etiam colligi possit Abrahamum ante Ninum & Iouem Belum floruisse.

77. Et sanè cùm Hebræorum habitationi in Ægypto triginta supra quadringentos tribuimus, vulgarique Chronologiæ ducentos & quindecim annos adiicimus, totidem annis tùm diluuium, tum singulorum Patriarcharum ætatem submouemus, vt singuli ducentis & quindecim annis sint antiquiores quàm vulgo censeantur. Cùm igitur communior sit Chronologorum sententia anno Nini quadragesimo tertio (ante quem Iupiter Belus annis sexaginta quinque in Assyria regnauerat) natum fuisse Patriarcham, si diem eius natalem annis ducentis & quindecim in anteriora submoueris, inuenies eum annis centum & septem natum esse, priusquam Belus in Assyria regnum obtineret: aut saltem quatuor & octoginta, si moram filiorum Israel in Ægypto non à descensu Iacobi, sed à Iosephi plagio & abductione in Ægyptum ordinaris. ac proinde Amraphel ille Rex Sennaar, quem, vt dictum est Abraham anno circiter nonagesimo profligauit, non solùm Nini & Semiramidis, sed etiam ipsius Beli regnum antecessit.

Amraphel Nino & Belo antiquior.

78. Neque verò negari potest Nini & Semiramidis ætate genus humanum iam adeo propagatum fuisse, vt parum admodum loci futuris gentibus superesset. at Abrahami æuo maxima pars terrarum nondum erat colonijs occupata. nam vt omittam gentes à Nachoris posteritate conditas, de quibus 22. Geneseos exeunte, vt Ammonitas & Moabitas Loti progeniem, de qua 19. Geneseos etiam exeunte, ab vno Abraham Ismaelitæ, Israelitæ, Idumæi, Vabatheni, Amalecitæ, Madianitæ, Troglodytæ, & innumerabiles alij prodierunt. imò vt author est Hieronymus lib. de tradit. Hebraicis, nonnulli ab Asurim vocatos Syros esse contendunt, & à plerisque filijs Abrahæ ex Cethura occupatas Indiæ regiones quæ sub extrema Semiramidis tempora iam adeo populis affluebant, vt Stabrobates Rex Indorum Reginæ in Indiam irrumpenti cum infinitis propemodum copijs se obiecerit. Diodorus lib. 2.

Gentes ab Abrahamo propagatæ

obiens omnem Indiam ἤθροισε δύναμιν πολὺ μείζω τῆς Σεμιράμιδος συναχθείσης. *collegit exercitum multo maiorem illo quem Semiramis contraxerat.* Quæ quamuis fabulosa videri possint, tamen, vt cæteræ fabulæ, fundamentum habent in historiæ veritate.

XX. *Eadem Chronologia confirmatur testimonio Achioris.*

79. Sed quid opus est coniecturis cùm nostram Chronologiam apertissimè probet Achioris Ammonitarum Ducis ad Holophernem oratio? Iudith 5. v. 9. *Cúmque operuisset*, inquit, *omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari non posset eorum exercitus.* Quibus verbis digestam à nobis temporum rationem luce meridiana clariùs illustrari nemo non videt. Cùm enim neque Isaac, neque Iacob, neque quisquam Hebræorum ante duos Iosephi liberos natus fuerit in Ægypto, dici non potest iste populus in Ægypto multiplicatus, priusquam illic à Iosepho liberi nascerentur: ac proinde totum illud quadringentorum annorum tempus, per quos multiplicati sunt in Ægypto, necesse est inter Manasse primogeniti Iosephi exortum, & Mosis exitum contineri.

80. Sed si quis ad solem adeo luculentum faces admoueri sibi desiderat, operæpretium fuerit considerare quis fuerit Achioris scopus, quod institutum, & quem ad finem eius tota collinearit oratio. Hoc vnum persuadere spectabat, quod in peroratione conceptis verbis posuit v. 24. *Nunc ergo, mi Domine* (loquitur Holopherni) *perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum. adscendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. 25. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.* Hic finis orationis, hic status quæstionis, huc omnia totius probationis argumenta collineant: firmamentum est Dei cura & prouidentia singularis, quæ, vt dicit Exodi 19. hunc sibi populum in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale, & gentem sanctam assumpserat v. 5. & 6. eum mirum in modum auxerat in Ægypto, suis mandatis obtemperantem semper prolixa benignitate protexerat, & tanquam zelotypus maritus à se recedentem & diis alienis adhętentem magnis cladibus ad se reuocarat. ac proinde quemad-

quemadmodum vndecunque circumstantias & exquisita verba collegit, quibus Dei benignitatem in protegendo, zelotypiam in puniendo declararet, ita Dei prouidentiam in multiplicáda propagandáque sobole potiùs exaggerare debuit, quàm verbis minuere. Ea verò longè cumulatiùs exaggeratur, si per ducentos duntaxat, quàm si per quadringentos annos ita multiplicati fuisse dicantur, vt eorum dinumerari non posset exercitus.

81 Quare si ducentis tantùm, vt isti volunt, & quindecim annis in Ægypto manserunt, Achior insulsus sanè fuit, vel potiùs infans, qui sine caussa, imò contra caussam institutique sui rationem mentitus annorum numerum duplicauit: cùm cuiuis mediocriter attendenti liqueat tantum de miraculo multiplicationis illius decedere, quantum ad numerum annorum accesserit. Potiùs igitur è legitimo numero triginta subduxit, quod facere potuit magno caussæ compendio, nullo dispendio veritatis, quàm ducentos adiecit. Neque verò locus hic minus debet habere momenti quòd Græci codices nullam faciunt annorum quadringentorum mentionem, tum quòd maior est Latinæ translationis authoritas, cui nostra Chronologia potissimùm incumbit, tum quòd testatur Hieronymus se librum hunc non è Græco, sed è Chaldæo sermone, quo conscriptus fuerat, transtulisse.

82. Hic etiam fortasse recipient se ad illam siue catachresin, siue synecdochen duriorem.

Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes.

Dicent, vt in Exodo, sic etiam hoc loco συνεκδοχικῶς cum Ægypto Chananæam, cum Israelis posteris eorumdem maiores intelligi, vt filiorum Israel nomine ipsius Israelis auus comprehendatur Abrahamus. Sed profectò cùm Abraham & Isaac vnicum, qui ad hunc populum pertineret, singuli genuerint, & genuerint extra Ægyptum, neque Iacob ante annum quartum & octogesimum liberos susceperit, quos omnes, excepto Beniamino, non in terra Chanaan, sed in Mesopotamia suscepit, quantumuis Ægypti nomine Chananæam συνεκδοχικῶς interpretere, dici non potest ille populus in Ægypto multiplicatus fuisse per annos post vocationem Abrahami pene ducentos, antequam Beniamin nasceretur, & Ioseph in Ægyptum descenderet. Ergo cùm scriptura populum illum in Ægypto per quadringentos annos multiplicatum fuisse dicit, ne durissima quidem illa synecdoche patitur vt ab Isaaci natiuitate, aut etiam promissionibus Abrahamo dictis Chronologiæ ducamus initium.

XXI. *Eadem Chronologia demonstratur argumento à Iosuæ maioribus petito.*

83 QVòd si putant

—telum hoc imbelle sine ictu

ab Achiore coniectum, quòd protinus illa durissima catachresi

—rauco velut ære repulsum

E summo clypei nequicquam vmbone pependit:

si alienigenæ rerum Iudaïcarum ignaro fidem adhibendam negant, aliud nobis argumentum libet Paralipomenon subministrat. Ioseph, vt dicitur Genesis 50. v. 22. *Vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem. filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph.* Nouem Ephraimi liberos internecione deletos, totámque adeo familiam tantum non penitus extinctam fuisse sacræ litteræ prodiderunt. 1. Paralip cap. 7. v. 21. *Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant, vt inuaderent possessionem eorum.* Qui cladem hanc ante Iosephi mortem accidisse putaret, hactenus, quod sciam, repertus est nemo. Neque enim facilè cuiquam intrudi poterat Iosephum, cuius in propaganda nutriendáque sobole felicitas adeo prædicatur, tot acerba suorum funera vidisse, vt propemodum luctu & mœrore tabesceret.

84. Hæc Salianus, Tirinus, aliíque Chronologi putant biennio post Iosephi mortem, anno post Iacobi descensum septuagesimo tertio contigisse. Præproperè id quidem. Quid enim necesse fuit hoc loco diuinare? quid stragem hanc adeo maturare vt vix detersis è priori funere lacrymis alius continuò, & quidem longè grauissimus Ephraimi familiam luctus exciperet? Quo hæc authore proferuntur? *Nec vltra distuli*, inquit eruditus Salianus anno mundi bis millesimo quadringétesimo primo, num 2. *ne deesset tempus progenitoribus Iosue, &c. qui nihilominùs valdè tempore coarctantur.* Bene habet. vltrò fatetur res vtilissimas propositæ q[illegible] æ tioni. Ait nihil habere se caussæ cur Ephraimitas à funere familiari statim in aciem educat quàm quòd temporis inclusus angustiis aliam inuenire non possit expediendæ Chronologiæ suæ rationem: & ne sic quidem expeditam esse concedit, cùm nihilominùs val-

Clades Ephraimitarum.

dè tempore coarctentur. Quæ diuinatio si Chronologiæ rationes extricaret, non sanè contrà magnopere contenderem: sed, cùm nihilominùs progenitores Iosue in paucorum annorum angustias compactos esse fateatur, non video cur hanc Ephraimiticæ familiæ cladem potiùs accelerare debuerit, quàm ortum Iosue, & Hebræorum exitum retardare: sed ad sacram historiam redeamus.

85. *Luxit itaque Ephraim pater eorum multis diebus*, inquit à versu 22. ad 27. *& venerunt fratres eius vt consolarentur eum. Ingressusque est ad vxorem suam, quæ concepit & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eo quòd in malis domus eius ortus esset.* Quo sanè tempore, vt res ipsa docet, annus ab ingressu Iacobi saltem septuagesimus quartus effluxerat, supererantque ad Exodum centum & quadraginta duntaxat anni, si ducentis tantùm & quindecim annis filios Israel in Ægypto versatos esse statuamus. *Porro filius eius Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan, huius quoque filius Amiud, qui genuit Elisama, de quo natus est Nun,*

Iosue maiores.

qui habuit filium Iosue. Adeóque Iosue octauus ab Ephraim, septimus à Beria numeratur. Iam, vt legitur Iosue 24. vers. 29. *Mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini centum & decem annorum.* Post Mosis obitum remp. administrauit annis decem, vt placet Melchiori Cano, & Caietano, aut quatuordecim, vt putat Petauius, aut septemdecim, vt Venerabilis Beda, Adricomius, Arias Montanus, Ioannes Lucidus, Torniellus, Salianus, Henricus Philippus, Tirinus & alij tradiderunt. Qui autem plures tribuunt annos, vt Eusebius, Iosephus, Seder Olam, vel Seniorum qui post eum diu vixerunt, tempora temporibus inuoluunt, vel exploduntur ab omni Chronologorum orchestra. Quare cùm populus ex Ægypto Mosis auspiciis egressus est, Iosue fuit annorum sexaginta calculis Caietani, aut quinquaginta sex, vt placet Petauio, aut quinquaginta trium vt alij maluerunt.

140 quos 53 si à 140. deduxeris, inuenies inter
53 Beriæ & Iosuæ exortum 87. duntaxat an-
87 nos interesse, qui præcoci quadam fœcunditate septem aut octo generationibus tribuantur, vt singuli Iosuæ maiores liberos duodecimo circiter ætatis anno susceperint, vndecimo generarint. Quæ si meritò displicent, certè præstabat tempus mansionis in Ægypto producere, quàm tot generationum capita tam arctis temporum limitibus cohibere.

86. Ad hæc ego, ecquid, inquam, mi Genebrarde, eorum quæ olim abs te scripta sunt, oblitus es? ecquid in Chronico Saram, Esron, & Amul octauo circiter parentum suorum anno genitos esse scripsisti? Et ille: memini, equidem, inquit, sed nihil est cur tanquam è syngrapha mecum agendum putes: quasi verò Genebrardus omnia quæ non tam ex suo, quàm ex Hebræorum sensu vigilans olim scribebat, hîc etiam in somnio præstare teneatur. Sed ad institutum.

Aduertis, mi Philalethes, quantis difficultatum tricis implicentur ij qui moram in Ægypto ducentis & quindecim annis definiunt: at si alterum tantum adieceris, eorumque mansioni quadringentos annos & triginta tribueris, expeditissimas habebis Chronologiæ rationes. Habebis enim inter Beriam & Iosue annos circiter trecentos, quos in septem generationes ita partiaris, vt singulis anni fere tres & quadraginta respondeant.

XXII. *Idem probatur ab ætate Iobi & Regum, Ducumque qui post eum Idumææ præfuerunt.*

87. QVid? quòd, vt patet ex appendicula, quam LXX. Seniores libro Iob velut laciniam attexuerunt, Iobus pronepos fuit Esau, & vt communis est omniũ tum veterum tum recentiorum sententia, nemine præter quosdam Hebræos apud Hieronymum in traditionibus Hebr. & paucos alios sola Hieronymi authoritate permotos refragante, secundus ille Rex Idumęorum qui Belæ successit, Genesis 36. vers. 36. Ita cum LXX. sentit Aristeas ab Alexandro Polyhistore laudatus apud Eusebium lib. 9. ϖροπαρ. Ita Hyppolitus, Irenæus, Eusebius Emissenus, Apollinaris, Eustathius Antiochenus apud Hieronym. ep. 126. quæ est ad Euagrium. Ita sentiunt Origenes, Athanasius, Eusebius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, & alijs inter recentiores, Tostatus, Pererius, Torniellus, Petauius, Salianus, Tirinus, & quis non?

Iob è posteris Esau.

88. Hinc operæpretium est videre tricas & inexplicabiles nodos, quibus se inuoluunt ii, qui habitationem filiorum Israel in Ægypto ducentorum & quindecim annorum spatio definiunt: cùm enim Iobab ille Rex Idumęorum secundus pronepos fuerit Esau & Basemath Ismaëlis filia sorore Nabaioth, quam circa annũ ętatis octogesimum duxerat vxorem, vt certò colligitur è Genesi cap. 28. vers. 9. vix potuit nasci

priusquam Iacob in Ægyptum descenderet, & sanè Seder Olam, Pererius, Pineda, Torniellus, Salianus, Tirinus, aliíque passim diem Iobi natalem huic anno consignant. Quod equidem repudiandū nunquam putaui. *Quot annis vixerit.* vix enim ante annum ab inito matrimonio quinquagesimum, ad pronepores solet ac generationem tertiam perueniri: τὰ δὲ πάντα ἔτη ἔζησεν διακόσια τεσσαράκοντα: *Vixit omnino annos ducentos & quadraginta.* Secundum LXX. Interpr. in editione Sixtina. imò, vt ibidem notatur in plerisq; libris est διακόσια τεσσαρακονταοκτώ, *ducentos quadraginta octo.* vnde manifestè sequitur, Mosen annis circiter octo, nec pluribus superstitem fuisse, si ducentos duntaxat & quindecim annos moræ filiorum Israel in Ægypto tribuamus. Quonam igitur pacto sex post Iobum Idumæorum Reges à Mose recensentur, & quidem nominatim.

89. Negant videlicet hoc loco fidem Septuaginta viris adhibendam. Illisne quos diuino instinctos afflatu, prophetas, canonicis authoribus suppares esse defendunt? quorum authoritate nos premunt? isne quorum nomine nostras aures assiduè circumsonant? quos acerrimos disputationis nostræ vindices arbitrantur? iisdem omnino. Quid ita? Quoties præiudicatis illis Chronologorum opinionibus commodum *LXX. Interpretum authoritas.* erit, sacrosancti erunt LXX. Seniores, neque quantumuis Hebræi, Chaldæi, Latini codices aliud sonent, fas erit vel vnam voculam è Græcorum interpretatione limare, tantúmque non anathemate ferientur, qui hæc verba: *& in terra Chanaan, ipsi & patres eorum*, vel aduentitia & otiosa dixerint, vel pro vera germanáque scriptura non susceperint. Cùm autem à Chronologia vulgari dissentient LXX. viri, vel istos prophetas Spiritus sanctus repente destituet, vel saltem qui hanc clausulam, cui cæteri textus vt non fauent, ita non refragantur, integram euaserit, *Vixit omnes annos ducentos & quadraginta*, is putabitur mendum in scripturas illapsum ingeniosè sustulisse.

90. Dicamus igitur impudentes & temerarios illos LXX. Seniores, qui nullo authore, nullo exemplo tantam nouitatem in scripturas inuexerunt. Sed ipsi quæ ad calcem libri Iob addiderunt se non suopte finxisse ingenio, sed de codicibus Syriacis (vnde quidam ab ipso Mose librum Iob in Hebraicam linguam translatum putant) deprompsisse testantur. Dicamus hanc appendicem non LXX. Interpretibus, sed Theodorioni acceptam esse referendam. Sed cùm Aristeas qui cum illis familiariter versatus est, ex ea Iobi genus didicerit, nefas est de authoribus dubitare.

91. Verùm ne (quoniam hactenus tam multa concessi) nunc videar oblitus liberalitatis meæ: esto sanè, cùm libitum iis fuerit à LXX. virorum calculis & authoritate discedant. iis ipsis adstipulemur, & in eo quod præter Petauium cæteri ferme concedunt, hæreamus. Iob eodem pene tempore vitam, quo Iacob Ægyptum ingressus *Iob. Chronologia.* est. tentatus est anno præter propter septuagesimo, vt cum Seder Olam vulgo putant tum Chronologi, tum interpretes eius calamitatem inter veteres Cyrillus Alexand. Olympiodorus & Suidas: inter recétiores Pererius, Pineda, Torniellus, Salianus, aliique volunt durasse toto septennio. *Vixit autem Iob post hæc centū quadraginta annis*, vt conceptis verbis habetur Iob vltimo, vers. 16. qui si in vnum numerum addantur, summa vitæ totius exurget ducentorum decem & septem annorum, reperieturque Iob extremum obiisse diem anno Mosis vel octogesimo primo, vt Saliano placet, vel proximè sequenti, vt Pererius, & alii maluerunt. Sequetúrque Mosem annis duntaxat octo & triginta Iobo superstitem fuisse.

92. Quomodo igitur sex post eum Idumææ Reges alios aliis morte sublatis suffectos numerauit? eo præsertim æuo quo mortales vitam diutiùs propagabant. Quomodo post hanc Regum seriem Duces vndecim recensuit. quos satis constat non sub Regibus, sed post eos Reipub. gubernacula tenuisse? Lib. 1. Paralip. cap. 1. v. 51. *Adad autem mortuo Duces pro Regibus esse ceperunt.* vndecim deinde numerantur iidem planè quos Moses in Genesi recenser, qui citra controuersiam inter Adadi obitum & scriptam à Mose Genesin necesse est aliquid temporis occuparint, vt incredibile sit annorum duodequadraginta spatio Regum sex sibi succedentium seriem, & illam conuersionem Reipubl. claudi potuisse.

93. Tirinus quidem annos septem vitæ Iobi detraxit, eius tentationem aiens anno vitæ septuagesimo limitatam fuisse. Sed quis adiectum Regibus Idumææ septennium sufficere putet ad explicandas Chronologiæ rationes? Profectò tantum patientiæ, omnísque adeo virtutis exemplum, tam paruo emolumento septem ante tempus annis de medio non sustulissem.

94. Maiore fructu Petauius maius facinus inceptat. Iobo mortem accelerat: vult eum anno ante Exodum quinto & quadra-

gesimo diem obiisse, adeóque tempus à Pererio concessum annis quadraginta-septem anteuertit. Ne tamen omnes hos annos Iobi vitæ detraxisse videatur, eum annis circiter octodecim ait natum fuisse, priusquam Iacob in Ægyptum descenderet, vixisse annos omnino centum & nonaginta, anno quinquagesimo in calamitatem incidisse, totámque adeo tentationem non septennio, sed paucis mensibus circumscribit. Satis quidem id nouum, vt Esau tricesimo pene post ductam vxorem anno pronepotes ex ea susceperit, & Iobus ipse vixdum quinquagenarius, iam habuerit liberos decem, & in his filios septem tam adultos omnes, vt vel potiùs tam ætate maturos, vt singuli iam a patre digressi suam domum & familiam obtinerent, vt constat è libro Iobi cap 1. v. 4. Acutè tamen excogitatum ad fugiendam difficultatem, & nullam contradictionem inuoluit. Quanquam id sine graui caussa non admiserim, tum quòd ab hominum consuetudine nonnihil abhorret, tum quòd à communi sententia, & potissimùm Seder Olam authoritate discedit, qui liber est veluti calendarium Hebræorum, tantique est apud eos momenti vt proximè ad canonicos accedat. Hic tamen non moror; tanti sit, quanti quisque existimat.

95. Adde quòd qui anno Iobi septuagesimo vexationem eius consignant, si non certam, &, vt loquuntur, demonstratiuam, plausibilem quidem certè adferunt dicti rationem. *Addidit Dominus omnia quæ fuerant Iob duplicia.* (Iob vltimo v. 10.) ergo & annos, quos ante calamitatem exegerat, post eam duplicauit. *Vixit autem Iob post hæc centum & quadraginta annis.* ergo cùm in calamitatem incidit, iam annos vitæ septuaginta numerabat, mediam videlicet eorum partem, quos post calamitatem exegit. Quod equidem repudiandum non puto, cùm præsertim & veterum authoritate nitatur, à quibus sine graui caussa dissidere non debemus, & ipse Petauius se præter coniecturam & suspicionem (addidisset & necessitatem explicandæ Chronologiæ) nihil habere fateatur: Et, quod me præcipuè mouet, cùm scriptura Iobi felicitatem explicandam susceperit, par fuit vt totius vitæ summam disertis verbis exponeret, vel saltem obiter aliqua notaret, è quibus rem subodorari possemus: nullum autem aliud extat in scriptura vestigium, quod nos ad totius ætatis notitiam perducat, nisi quod Deus omnia duplicia post calamitatem adiecit, quo sagacioribus veritatis indagatoribus ansam præbuit apprehendendę veritatis.

96. Aliud subterfugium commentus est Abulensis. ait Mosen diuino quodam afflatu futura præsciuisse, & Regum Idumeæ qui post ipsum regnaturi fuerant, seriem texuisse. Alij hàc Regum & Ducum enumerationem non ab ipso Mose scriptam fuisse putant, sed edictam à sapientibus Synagogæ. Tanta fingendi facilitas est, cùm semel præiudicijs occupatus præsumptam opinionem quolibet modo tuendam susceperis.

Sed nil dulcius est bene quàm munita tenere
Edita doctrinâ sapientum templa serenâ
Despicere vnde queas alios, passímque videre (Lucretius.)
Errare, atque viam palantis quærere vitæ.

Sapientum, inquam, Mosis & Latini, Chaldaicique interpretis, quorum serena & plana doctrina est, habitationem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuisse quadringentorum triginta annorum.

97. Quam Chronologiam si semel admiseris, quæstiones quæ de multiplicatione filiorum Israel in Ægypto, de generis humani post Abrahamum propagatione, de verbis Achioris & Apostoli, de Iosue maioribus, de Iobi ætate mouentur, habebis enodes. Vt si, quod ait Aristoteles 4. φυσικῆς ἀκροάσεως ipsa explicandi facilitas indicium est aliquod repertæ veritatis, & δεῖ πειρᾶσθαι τὴν σκέψιν οὕτω ποιεῖσθαι &c. ὥστε τὰ ἀπορούμενα λύεσθαι. *ita instituenda est veritatis contemplatio vt dubia soluantur*, est profecto quod hanc Chronologiam non adspernandam putemus. Sed nimirum, vt alibi monet idem Philosophus (1. Metaphys. exeunte.) αἱ ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσιν· ὡς γὰρ εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. *auscultationes à consuetudine dependent. vt enim assueti sumus, ita nobiscum volumus haberi sermonem*, &, vt cùm Dione Chrysostomo loquar (Orat. Troi. excidio.), sed verbis Latinis, cùm difficile sit docere, longè tamen difficilius est dedocere, præsertim eos qui longo tempore falsum audierunt, neque ipsi solùm in errorem inducti, sunt, sed & patres eorum, & aui, & omnes fere maiores. Non enim facile est horum auferre opinionem, etiamsi quis manifestè conuincat. Quemadmodum, puto, & ijs qui suppositios pueros alunt, difficile est tandem eximere opinionem, etiamsi quis vera dicat, quæ si quis initio dixisset, nunquam eos suscepissent. Quod tam altis ait in ipsa natura defixum esse radicibus, quanquam & ipsa consuetudo altera natura est, vt multi mala potiùs sibi vendicent, & confiteantur aduersum sese, si priùs sunt persuasi, quàm bona post longum tempus

audientes, vt minùs mirum sit quibusdam ab ea sententia deduci non posse quam semel animis imbiberunt.

98. Sed, quoniam iam ad ipsam montis radicem peruenimus, & vereor ne hac orationis prolixitate molestus tibi fuerim, neque iam propter spirandi difficultatem senibus, vt nosti, familiarem, in hoc adscensu plura loqui possim, tuæ sunt partes, mi Philalethes, si quid melius habes, impertire: si non, his vti mecum, & è dictis ab exitu filiorum Israel ad Abrahamum vsque temporum rationem deducere.

99. Ad hæc ego Mihi verò, inquam, ô Genebrarde, nihil oratione tua potuit esse iucundius, nisi quòd interdum breuis & concisa videbatur, tanto iucundior futura, quanto fuisset productior, vt illud pastoris cuiusdam hoc loco libenter vsurpem,

Tale tuum carmen nobis, Genebrarde, videtur,

Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum,

Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

Sic enim ex ore tuo pendebam, sic oratione mulcebar, vix vt inchoasse mihi viderere. Itaque, quæ tua est humanitas, ignosces, si te diutiùs quàm ætas tua postulabat, loqui sine vlla interpellatione permiserim. His vtar tecum, Genebrarde, & quidem libens, neque enim habeo quicquam melius quod aut mihi reseruem, aut tibi candidius impertiam. Sed antequam è dictis Chronologum texo, experiar an eorum possim summam facere. tuæ vicissim erunt partes, si quid omisero, in memoriam reuocare.

XXIII. *Recapitulatio.*

100. MOses ex professo & historicè Chronologiam tractans habitationem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, annorum quadringentorum & triginta fuisse pronuntiat. Consentiunt codices Hebræi, Latini, Chaldæi. Soli repugnant LXX. Seniores; sed neque hoc loco eorum exemplaria consentiunt inter se, & vnde-vnde mendum in eorum codices irrepserit, eos adeo constat in omnibus penè Chronologiæ partibus esse mendosos vt passim etiam ab aduersariis deserantur veteres qui contrà senserunt, ideo senserunt quòd cùm linguarum orientalium notitiam non haberent, glossema nescio quod in Septuaginta virorum interpretationem illapsum, & authoritate Iosephi receptum, tanquam veram germanamque scripturam admitterent.

101. Quę de annis Caath & Amram opponuntur, à nobis explicari facilè possunt, cùm in illa generationum serie aliquot capita prætermittere scriptura potuerit, vt à Leui ad Mosen citiùs perueniret: sic autem aduersariorum Chronologiam intricant, vt vel nullos vel difficiles habeant explicatus. Illud autem Pauli testimonium ad Galatas, quo vel maximè corroborari putant opinionem suam, adeo non officit vt plurimùm prosit nostræ sententiæ: cùm non à promissionibus dictis Abrahamo, sed à confirmatione testamenti, & suprema Dei voluntate quæ omnium nouissima, ipso ingressus anno, Iacobo Patriarchæ innotuit, Chronologiæ caput accersat. Accedit eiusdem Apostoli supputatio (Act. 13. v. 16.) ab electione Patriarcharum quæ facta est anno post ingressum, decimo septimo ad terræ Chananææ sortitionem, cuius initium fuit anno post egressum quadragesimo, annos quasi quadringentos & quinquaginta numerantis.

102. Adde quòd ab obitu Iosephi ad ortum Iosue, nouem generationes ab authore Paralip. referuntur, & generis Israelitici propagatio plus temporis exigit quàm à Chronologis vulgo tribuatur, idque tam disertè probat Achiot Ammonites vt nulla catachresi, nulla synecdoche detorqueri possit in aduersariorum sententiam. Omitto Amraphelem ante Nini tēpora floruisse, vnde colligi potest quæ fuerit ætas Abrahami: omitto quæ de rebus Assyriorum gestis & hominum sub Nino multitudine veteres historici prodiderunt, quæ cùm in Abrahami tempora cadere non possint, argumentum Chronologiæ nostræ non leue subministrant. Omitto Iobum cæterosque Reges & Duces Idumææ, quorum ætas explicari non potest, nisi moram filiorum Israel in Ægypto diuturniorem, quàm vulgo putatur, fuisse statuamus. Quæ sic à te tractata sunt, ô Genebrarde, vt tela ex hostium armamentario deprompta, vel potius è manibus extorta in eos ipsos conuerteres.

XXIV. *Annos illos quadringentos triginta moræ filiorum Israel, in Ægypto non à descensu Iacobi, sed à captiuitate Iosephi esse numerandos.*

103. SEd quoniam singula relegenti nescio quid occurrit, quod non dissimulandum esse videatur, túque, si quid occurreret impertire iussisti, dicam sine cunctatione quod sentio. Videris quidem validè communem illam Chronologiam de-

struere, sed tuam adstruere perinde non videris. Quæ enim hactenus disputasti, confutant omnes qui à temporibus Abrahami Chronologiæ Mosaicæ caput accersunt, siue ab anno septuagesimo quo ex Vr Chaldæorum eductus est, vt placet Hebræis, siue ab anno quinto & septuagesimo, quo repromissiones accepit, vt Eusebius & alii maluerunt, siue ab Abrahæ sacrificio, fœdere inter Deum & Abrahamum icto, & prędictione seruitutis, quæ diuinat Paræus anno eiusdem quinto & octogesimo contigisse. Sed cùm, vt notat Augustinus quæstione 47 in Exod. inter eos qui annos illos quadringentos triginta in Ægypto sola putant exactos non satis conueniat, vnde habitationis sumant initium, aliique à Iacobi descensu, alij vt Tychonius, à proregia Iosephi dignitate alii ab eiusdem Iosephi vẽditione, & abductione in Ægyptum suam Chronologiam auspicentur, tu hos annos leuibus sanè argumentis inductus, à Iacobi descensu numerasti; &, pace tua dixerim, visus es, ne scripturæ vim inferres, scripturæ vim intulisse.

104. Cùm enim Moses accurati, vt ais, Chronologi munere fungatur & annos habitationis filiorum Israel in Ægypto pręcisè numeret, quis non videt omnes annos qui ab habitationis initio ad finem effluxerunt: Mosis calculo comprehendi, atqui Iosephus in Ægypto annos tres & viginti iam ante Iacobi descensum exegerat. *Nati sunt autem Ioseph filij duo, antequam veniret fames.* Genes. 41. v. 50. Quid igitur? an solos Iosephum, Ephraim & Manasse debemus è numero filiorum Israel excludere? Quorsum igitur illud ab ipso Israele dictũ, Genes. 48. vers. 5. *Duo ergo filij tui qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei sunt, Ephraim & Manasses sicut Ruben & Simeon, reputabuntur mihi.* Quare scripturam nonnihil à propria verborum significatione deflectemus si cùm annos habitationis filiorum Israel in Ægypto, quadringentos & triginta numeramus, annos ex eo numero excerpamus, quibus iã habitauerant in Ægypto Ioseph Ephraim & Manasses, & non à venditione Iosephi, sed à descensu Iacobi Chronologiæ sumamus exordium.

XXV. *Iterum expenduntur verba Pauli.*

105. Nam quod ais illa Pauli verba, Act. 13 vers. 17. *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cùm essent incolæ in terra Aegypti*, &c. *& destruens gentes septem in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos & quinquaginta annos*, sic intelligenda, vt ab extremo Mosis anno, quo terra trans Iordanem tribubus Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manassæ distributa est, ad annum Iacobi extremum, quo Iacob filiis suis benedictionem impertiens terræ diuisionem prædixerat, anni quasi quadringenti & quinquaginta numerentur, etsi longè probabilius est, quàm quod alii dicunt hos annos à terræ sortitione ad diem Isaaci natalem esse computandos; vereor tamen vt id subtilius quàm solidius esse videatur. Num. 32.

106. Cùm enim scripturæ verba, nisi quid obstet, putè vt sonant, eóque sensu qui primus obuius esse solet, amplecti debeamus, cùm prima illa terræ distributio extra sortem facta fuerit, cùm per κληροδοσίαν, siue sortitionem eam terræ distributionem qua sexto & septimo Iosue anno nouem tribubus sorte diuisa est Chananæa, passim intelligere soleamus, cùm per electionem patrum non ortum Isaaci non benedictiones Iacobi, sed primam Abrahæ vocationem omnes interpretentur, neque numerus ab Apostolo supputatus in Abrahæ vocationem cadere possit, vt omnes facilè concedunt, annorũ quadringentorum quinquaginta caput non ab electione patrum, sed ab ipso Iacobi descensu debemus accersere, quo tẽpore Deus plebem Israelis Ægyptum incolere incipientem exaltauit, & Pharao dedit Israelitis omnia bona Ægypti, vt comederent medullam terræ, quod se facturum esse pollicetur, Gen. 45. vers. 18. Neque verò temerarium est quòd Apostolus plebem Israel appellat, vt reliquos Iacobi filios à Iosepho iam ante nouem annos ad Proregiam dignitatem euecto discriminet.

107. Iam cùm ab exitu filiorum Israel ad κληροδοσίαν, anni sex & quadraginta numerentur, à prima filiorum Israel in Ægyptum profectione & venditione Iosephi ad eandem terræ sortitionem quadringenti septuaginta sex omnino colliguntur. E quibus si 23 annos à Iosephi venditione elapsos ad id tempus quo plebs Israel, siue Iosephi fratres Aegyptum incolere cœperunt, deduxeris, quadringenti quinquaginta tres remanebunt: ab eodem autem Iacobi descensu & plebis exaltatione ad agros Rubenitis & Gaditis trans Iordanem assignatos anni quadringenti quadraginta septem, vt vtriusque distributionis habita ratione, annos *quasi* siue circiter quadringentos & quinquaginta numerarit.

476
23
453

XXVI. *Alterum Apostoli testimonium ad examen reuocatur.*

108. Neque solidior videtur expositio verborum Apostoli, *testamentum confirmatum à Deo quæ post quadringentos triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.* Etsi enim verissimè dixisti Paulum testamenti confirmationem à prima promissione distinguere, annósque computare ab ea testamenti confirmatione quæ postrema Patriarchis innotuit, in eo tamen aliquantùm à genuino verborum sensu visus es detorquere scripturam, quòd nouissimam hanc testamenti confirmationem eo ipso anno quo Iacob in Ægyptum cum tota familia migrauit, dixisti contigisse. Loquitur enim Paulus non de qualibet promissione, sed de promissione quæ in omnes gentes redundarit, *vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem,* quod paucis antè verbis eodem capite præfatus est. At quamuis, vt dicitur Eccl. 44. v. 25. Deus *testamentum confirmauit super caput Iacob,* & cùm is in Ægyptum migraret: *ait illi Deus*: Genes. 46. v. 3. *Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere: descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos*; tamen ne verbulum quidem in tam prolixis pollicitationibus appatet, quòd secundum literam videri possit ad vocationem & benedictionem omnium gentium pertinere.

Ad Gal. c. 3. v. 17.

Gal. c. 3. v. 14.

109. Quandonam igitur Deus *testamentum confirmauit super caput Iacob*, & dictas olim Abrahæ promissiones de benedicendis in ipso gentibus postremò renouauit? eo videlicet anno, quo Ioseph à fratribus distractus & in Ægyptum abductus est: cùm post Sichimensium cladem Deus Iacobo sibi à vicinis gentibus metuenti benedixit. Genes. 35. v. 11. *Dixitque ei: Ego sum Deus omnipotens: cresce & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt.* vel vt LXX. transtulerunt. ἔθνη καὶ συναγωγὴ ἐθνῶν *gentes & congregatio gentium*, quod de gentibus secundum fidem in Christo congregandis Augustinus intelligit quæst. 15. in Genesim. Quærendum tamen putat *vtrùm gentes secundum carnem: congregationes autem gentium secundum fidem: an vtrumque propter fidem gentium dictum sit, si gentes appellari non possunt vna gens Israel secundum carnem.*

Testamentum quando confirmatum cū Iacob.

110. Sed Hebraica veritas omnem sustulit quæstionem גוי וקהל גוים יהיה ממך *goi, vkehal goiim iigieh mimmeka, gens & congregatio gentium erit ex te.* gens secundum carnem: gentium congregatio secundum fidem, vt exponit Strabo Fuldensis in glossa: quamuis vtrumque de vocatione gentium interpretari malunt author commentariorum in Genesin qui Eucherij nomine circumferuntur, & Hugo Cardinalis. Hoc est igitur sigillum testamenti, hæc nouissima confirmatio pollicitationum quibus Dominus Abrahæ se in eius semine gentes benedicturum esse promiserat, à qua ad legem datam anni quadringenti triginta Pauli calculo numerantur.

XXVII. *Confirmatur eadem Chronologia.*

111. Quod si ab Augustino, qui hos annos à prima Patriarchæ vocatione cum Eusebio deducit, discessimus inuiti, hoc certè tanti doctoris authoritati debetur, vt eam saltem de tribus reliquis sententijs eligendam putemus, quam ipse cæteris anteponit. *Si autem*, inquit quæst. 47. in Exodum, *quod aliquanto probabiliùs dici potest, tunc habeamus intrasse Israel in Ægyptum, quando illuc Ioseph esse venditus cœpit &c.* Quam Chronographiam si sequemur, nebulas illas, quas ex annis Caathi nobis obtendunt, nullo negotio difflabimus, expediemúsque *difficultates* illas *inextricabiles*, in quas Salianus, ait, coniectum esse Genebrardum: neque plures annos quàm in scriptura habentur, Amramo & Caatho tribuemus, neque aliquot interiectos Leui nepotes desiderari necessariò dicemus.

112. Constat non omnes qui Genes. 46. recensentur, aut adhuc superstites, aut iam natos fuisse, cùm Iacob in Ægyptum descenderet. Si quidem vt disertis conceptísque verbis scriptura dicit v. 12. *mortui sunt Her & Onam in terra Chanaan*: qui tamen in progenie Iuda censentur. Ruben duos tantùm liberos ante migrationem susceperat, vt probat Salianus ex illis Rubeni verbis Gen. 42. v. 37. *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi*, qui si iam plures liberos sustulisset, non dixisset, *duos filios meos: sed duos è filijs meis interfice.* eius tamen filij quatuor Genes. 46. in Iacobi familia numerantur. De Esron & Amul, vt iam nosti, plures consentiunt. Certè Lorinus in Act. cap. 7. citat & sequitur Augustinum, Eucherium, Albinum, illum in Genesim, hunc præterea in Deuterono-

Non omnes descenderunt cum Iacob qui Gen. 46. numerantur.

mium, Ludouic. Yſebam, Sa, Oleaſtrum, Mattinum Cantapratenſem, Hieronymum de la Rua, Pererium. His accedunt Abulenſis, Cornelius à Lapide, Delrio, Salianus, Petauius, Titinus, aliíque quamplurimi. Beniamin vix ad tertium ac vicesimum ætatis annum peruenerat; iam tamen vndecim in eius familia recenſentur, quorum aliquos eius nepotes fuiſſe Septuaginta viri tradiderunt. Iidem addunt quatuor Ioſephi nepotes, pronepotem vnum, quamuis Ephraim & Manaſſem Ioſephi filios pueros adhuc infrà quàm nouennes Iacob Ægyptum ingreſſus inuenerit.

113. Etſi enim veriſſimum eſt quod dicitur verſ 27. *Omnes animæ domus Iacob quæ ingreſſæ ſunt in Aegyptum, fuere ſeptuaginta:* Non tamen eos omnes deſcendiſſe neceſſe eſt qui fuerant ſuperiùs nominati: illa enim verba quæ leguntur verſ. 8. *Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael qui ingreſſi ſunt in Aegyptum:* non de ſeptuaginta illis Iacobi poſteris, ſed de filiis propriè dictis intelligenda ſunt: de filiis, inquam, propriè dictis, de quibus verſ. 15. *Hi filij Lia, quos genuit in Meſopotamia Syriæ.* Qui autem è filiis eius propagati recenſentur, non ideo nominantur, quod iam nati fuerint, & cum Iacobo in Ægyptum deſcenderint (neque enim vſpiam id ſcriptura dicit) ſed occaſione filiorum commemorantur præcipui quique, qui partim cum ipſo venerunt, partim poſt eius deſcenſum nati ſapientiæ laude rerumque geſtarum gloria præ cæteris floruerunt.

114. Quod niſi eſſet, cur putamus in animabus illis ſeptuaginta filiarum nomina præteriri? An dicemus exceptis Dina & Sara, nullam in Iacobi familia fœminam extitiſſe? nullam neptem? pronepetem nullam? Si nulla extitit, cur dicitur verſu 7. *Venitque in Aegyptum cum omni ſemine ſuo, filij eius, & nepotes, filiæ & cuncta ſimul progenies?* imò vt legitur in textu principe, בניו ובני בניו אתו בנתיו ובנות בניו *banau oubne banau itsho, benathau, oubnoth banau: Filij eius, & filij filiorum eius cum ipſo, filiæ eius, & filiæ filiorum eius.* & vt LXX. reddiderunt, θυγατέρες, καὶ θυγατέρες τῶν υἱῶν αὐτοῦ, *filiæ, & filiæ filiorum eius.* Profectò nihil dici poteſt aliud quàm in Iacobi familia plures filias fuiſſe, earum tamen nomina ſilentio inuolui, earúmque loco celebriores quoſdam nominari, quamuis nati nondum fuerint, cùm Iacob Ægyptum ingreſſus eſt. Atque hic explicandi modus, ſi alium præter me authorem haberet, cæteris anteponendus videretur, quod nullam vim adferat ſcripturæ, nec aliter verba ſumat quàm vt purè ſonant, quod potiſſimùm in hiſtoria ſacra ſpectandum eſt, & omnes difficultates exoluat quibus intricantur ij qui aliam ineunt rationem.

115. Sed quocunque tandem modo res explicetur, ne aduerſarij quidem negant multos eorum qui 46. Geneſis capite referuntur, natos nondum fuiſſe, cùm Iacob in Ægyptum deſcenderet. Quid eſt igitur cur nobis ab annis Caathi metuamus? Supponunt illi iam natum fuiſſe Caathum, cùm facta eſt in Ægyptum migratio. Supponunt? vnde conſtat. Si negauerimus, quo nos idoneo teſte conuincent? Demetrius Phalereus, cui cum LXX. Senioribus magna neceſſitudo fuit, ait apud Euſebium lib. 9. de Præparat. Euang. eum ipſum annum Caatho primum illuxiſſe qui Iacobo fuit extremus, eúmque in lucem editum fuiſſe anno 17. poſtquam Iacob Ægyptum ingreſſus eſt, neque dubitat Petauius ingreſſum Iacobi ad illud ipſum tempus extendere.

116. Quid ſi dicamus eum anno quo Ioſeph extremum vitæ diem obiit, lucem inijſſe? *Nimirum.* (inquit Auguſtinus lib. 16. de ciuit Dei, cap. 40.) *introitus Iacob in Aegyptum, quando eam cum ſeptuaginta quinque hominibus ſcriptura cõmemorat, non vnus dies, vel vnus annus, ſed totum illud tempus, quamdiu vixit Ioſeph, per quem factum eſt vt intrarent.* Et rurſus eodem cap. exeunte: *Simul,* inquit, *cum illo computantur ſeptuaginta quinque, non quia ſimul iam erant omnes, quando Aegyptum ingreſſus eſt ipſe, ſed, vt dixi totum tempus habetur eius ingreſſus, quo vixit Ioſeph per quem videtur ingreſſus.*

117. Et ne quoniam in animorum numero Lucam ſequitur Act. 7. v. 14. & interpretationem LXX. Seniorum, eum propter ſolos Ioſephi nepotes & pronepotem loqui exiſtimes, eandem in Caatho hypotheſin admittit: *Quòd ſi quis dicat,* inquit Quæſt. 47. in Exodum, *extremo anno vitæ Ioſeph* (ſic enim legendum & res ipſa docet, & Louanienſes monet à codice Gemblacenſi) *natum eſſe Caath filium Leui, ſeptuaginta anni poſſunt accedere illi ſummæ, quia ſeptuaginta vnum annos vixit in Aegypto Ioſeph poſt ingreſſum patris ſui. Quapropter etiamſi ſeptuaginta anni vitæ Ioſeph ab ingreſſu Iacob in Aegyptum vſque ad natiuitatem Caath, ſi tunc ortus aſſeratur, & centum triginta anni ipſius Caath, & centum triginta ſeptem filij eius Amram, & octoginta ipſius Moyſi quadringentos & ſeptem & decem annos faciunt, non quadringentos*

gentos triginta. Quibus verbis aut Augustini diligentiam, aut certè codicum, quibus vsus est, fidem meritò desideres, non enim Caath vixit annos centum triginta duntaxat, sed centum triginta tres, vt ex omnibus quadringentorum viginti summa colligatur.

118 Quod argumenti telum in te non leui brachio contorsit, ô Genebrarde, qui Chronologiam accersis à Iacobi descensu; in nos autem qui à Iosephi venditione deducimus, ne destinauit quidem. Cùm enim Ioseph anno vitæ decimo septimo venditus, centesimo decimo diem obierit extremum, ac proinde annos in Aegypto nonaginta quatuor exegerit, & Augustinus concedat fieri potuisse, vt Caath extremo Iosephi anno nasceretur, si 94. à 430 detraxeris, anni 336. omnino remanebunt, quibus tres illæ generationes Caathi, Amrami, & Moysis vsque ad exitum annos 350. complexa ita respondeant, vt supersint anni fere 14. quibus patres cum filiis viuere potuerunt.


119. Quid? quòd si hoc nostræ Chronologiæ caput statuamus, omnium commodissimam habebimus rationem cur Deus Hebræos annis quadringentis affligendos & seruituros in terra non sua prædixerit. Etsi enim interrupta fuerit illa seruitus, tamen & quatuordecim primis annis peregrinationis afflictum est semen Abrahæ in Iosepho, extremis autem eiusdem habitationis annis, & longissimam, & durissimam in vniuerso populo subiit seruitutem.

120. Iam igitur nascitur Abram anno post diluuium 292.

Ab eius ortu ad Isaacum anni	100.
Natus est Iacob anno patris	60.
Ab eius ortu ad Iosephum anni	91.
Ioseph in Ægyptum abducitur natus annos	16.

Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto fuit annorum 430. Quorum omnium si summam facias, annos à diluuio ad Exodum numerabis 989.

Atque hæc Moses candidè & historicè rem ex professo tractans, ad cuius amussim cætera quæ difficultatem parere videbantur in authoribus canonicis sacram Chronologiam obiter & strictim attingentibus, videntur exigenda. Equidem semper boni interpretis esse rebus perspicuis ac suo loco tractatis obscura potiùs illustrare, quàm ambiguis, & quasi per transennam vsurpatis obscurare clarissima. Dum hæc loquerer aduerti libellum in terram abiectum, sustuli, legi, probaui, nec eum volui lectoribus inuidere.



APPENDIX AD GENEBRARDVM,

VTRVM GENEBRARDI SENTENTIA CONTRARIA SIT PATRIBVS, VVLGARIS AVTEM CHRONOLOGIA IN PATRVM CONSENSV FVNDATA.

Quæstionem hanc septem primis Ecclesiæ seculis, vel tractauerunt, vel obiter attigerunt Catholici Patres omnino quatuordecim, qui saltem ad notitiam meam peruenerunt, hæretici duo Eusebius Cæsariensis, & Tychonius, vnus Iudæus Flauius Iosephus.

pag. 54. ed. Græcol. I. OSEPHVS lib. 2. Antiq. cap. 5. Hebræos ait per annos quadringentos, siue τετρακοσίων ἐτῶν χρόνον, mœnibus ædificandis, aggeribus excitandis, struendis pyramidibus in Ægypto fuisse vexatos: & cap. proximè sequenti dictorum oblitus eosdem scribit, τῆς Ἰακώβου μεταναστάσεως εἰς τὴν Αἴγυπτον γενομένης τοῖς δεκάπεντε ἐνιαυτοῖς ὕστερον, *post Iacobi migrationem in Aegyptum annis ducentis & quindecim exiisse.* Quæ duo manifestam contradictionem inuoluunt. Eâdem inconstantiâ lib. 6. ἁλώσεως priorem Chronologiam sequitur, his verbis. *Dicam translata in Aegyptum* pag. 65. edit. G. L. pag. 993.

maiorum nostrorum domicilia? οἱ τυραννούμενοι καὶ βασιλεῦσιν ἀλλοφύλοις ὑποπεπτωκότες τετρακοσίοις ἔτεσιν, &c. *qui cùm annos quadringentis tyrannide oppreßi Regibus alienigenis subiacerent*, &c. & lib.8. Antiq. c.2. posteriorem amplectitur, vbi alia intricat scripturæ veræq; Chronologiæ contraria.

pag 259.

2. Theophilus Antiochenorum sextus Episcopus, qui sub Luc. Vero floruit, cùm secundum calculos LXX. interpretum ab orbe condito ad ortum Isaaci anno 3592. numerasset, adiecit: *Isaac natus annos 60. genuit Iacob, Iacob natus fuit annos 130. cùm proficisceretur in Aegyptum*, ἡ δὲ παροίκησις τῶν Ἑβραίων ἐν Αἰγύπτῳ ἐγενήθη ἔτη υλ. *Hebrai in Aegypto morati sunt annis 430. Egressi Aegypto hæsere in deserto annis 40. Hi anni si addantur suprapositis, fiunt 4252.* Hæc lib.3 ad Autolycũ exeunte. Quibus nulla potest subesse mendi suspicio quòd singulis numeris in vnum collectis summa respondeat. Vnde habemus Patrum Christianorum antiquissimum qui quæstionem propositam tractant, fauere Genebrardo.

Tomo 1. Biblioth, Pat. Græc. Lat. p. 155.

3. Proximus huic est Clemens Alexand. quem constat sub Seuero & Caracalla floruisse, Ἀπὸ δὲ Ἰσαὰκ, inquit, ἕως τῆς κληροδοσίας ἔτη ἑξακόσια δεκαέξ, *ab Isaaco ad terræ diuisionem anni 616.* ab Isaac, id est, post annos Chronologicos Isaaci, quos ideo Chronologi vocant expansos, quia in texẽda Chronologia sumuntur separatim, nec cæterorum Patriarcharum annis implicantur, verbi caussa, Abrahę anni numerantur 100. ad Isaaci natiuitatem, Isaaci 60. vsque ad ortum Iacobi: deinceps vsque ad migrationem in Ægyptum ratio habetur annorũ Iacobi, & 130. numerantur. Quare si ex annis 616. post annos Isaaci Chronologicos vsque ad terrę diuisionem euolutis, annos Iacobi 130. & rursum 46. annos ab exitu ad terræ partitionem elapsos subduxeris, 440. remanebunt, qui Clem. Alex. calculo mãsioni filiorum Israel in Ægypto tribuuntur. Quid tamen ille secutus fuerit, nescio, suspicor vel aliam fuisse codicum, quibus vtebatur, lectionem, vel pro ἑξακόσια, δεκαέξ, legendum, ἑξακόσια ἕξ, vel potiùs literis Arithmeticis pro χιϛ' 616. legendum χϛ' 606. qui numerus Theophili Chronologiæ exactissimè conueniret, hoc pacto.

Ab Isaaco .i. post annos expansos, siue Chronologicos Isaaci vsque ad migrationem in Ægyptum, anni 130
Mora in Ægypto 430
Mosis præfectura 40
Iosue præfectura vsque ad terræ diribitionem 6.

Hosce quatuor numeros si coniunxeris, colligentur 606

4. Eusebius annos illos 430. non à descensu Iacobi, sed ab anno 75. Abrahami. & prima eius peregrinatione putat esse numerandos, & moram Hebræorum annis è 15. circumscribit, cuius opinionem ita plerique omnes recentiores amplexi sunt, nefas vt esse putârint, vel latum, quod aiunt, vnguem ab eius Chronologia discedere. Sibi tamen & scripturæ non semel contradicit. Nam annos 144. tribuit Ægyptiacæ seruituti, quã constat è cap.1. Exodi ante obitũ Leui & Caath inchoatam non fuisse: certum est autem è scriptura Leui 94. annis in Ægypto vixisse, qui si illis 144. addantur, summa 238. annorum exurget, quibus necesse est vel Eusebii calculo filios Israel in Ægypto mansisse. Caath porro, cùm annos 133. vixerit, eósq; pene omnes in Ægypto exegerit, si ab eius obitu seruitutis initium ducamus, eiúsque annos illis 144. addamus, longè maior numerus euadet. Deinde dynastiam Pastorum ait Eusebius dictam fuisse propter Iosephum & reliquos Patriarchas, qui cùm pastores essent, dominati sunt in Ægypto, cuius dynastiæ initium ponit anno 305. ante Cenchris annum 16. quo Cenchris anno putat filios Israel exiisse.

5. Author Synopsis apud Athanasium Chronologiam Eusebianam sequi videtur, sed grauioribus intentus de Chronologia minùs laborat, vt ex eo liquet, quòd pauculis antè versiculis dixerat Abraham vixisse annos ρπ'. 180. cùm è scriptura, & codicibus Hebraicis, Chald. Græc. Latinis denique omnibus constet annis duntaxat 175. vixisse. Adde quòd illius synopsis author incertus est, vt etiam aduersarii confitentur.

6. Epiphanius in Anchorato non satis disertè profert animi sui sensum. Modò enim ait, ἐργάσασθαι τοὺς Ἰουδαίους, καὶ οὐ τὰ τυχόντα ἔτη, ἀλλὰ καὶ διακόσια δεκαπέντε, σὺν τοῖς διακοσίοις δεκαπέντε ἔτεσι τοῦ Ἰωσήφ, *Operibus addictos* in Ægypto *fuisse Iudæos non paucis annis, sed ducentis quindecim, præter alios annos ducentos quindecim Iosephi.* Quibus videtur Theophili supputationi subscribere, sed ita vt libertati propter Iosephum Hebręis concessæ anni 215. totidem seruituti laboribúsque tribuantur. Modò videtur Eusebii Chronologiam amplecti. Quod tamen longè secus est. Cùm enim per varias numerorum ambages eásque, vt verum fatear, satis intricatas ad Mosis ortum venisset, eúmque 70. patris anno genitum esse dixisset, adiecit. Καὶ

γίνονται ἀπὸ μὲν πρώτου Ἀβραὰμ ἔτη τν´, ἀπὸ δὲ τῆς εἰς Αἴγυπτον καταγωγῆς ἔτη ρλέ. Et fiunt à primo quidem Abraham anni 350. à deſcenſu verò in Ægyptum 135. Quæ computatio vulgari Chronologiæ conueniret, ſi cum ſcriptura diceret Moſen anno ætatis 80. mare tranſiiſſe, vel potiùs fuiſſe 80. annorum, cùm ſtetit in conſpectu Pharaonis. Sed & error eſt in numero. Non enim ſi ſubductis per partes Epiphanii rationibus ſummam faciamus ab anno Abrahami 75. ad Moſis exortum anni τν´ 350. ſed duntaxat τμ´, 340. colligentur. Et addit Epiphanius. *Moſes verò* ἐν τῷ λ´ αὐτοῦ ἔτει, anno ætatis trigeſimo *calcat Mare rubrum ex Aegypto vnà cum Iſraelitis egreſſus, & fiunt à magno quidem Abraham* ἔτη τπ´. *anni 380.* ἀπὸ δὲ τῆς εἰς Αἴγυπτον καθόδου ἔτη ρξέ. *à deſcenſu vero in Aegyptum anni 165.* Quare vt numerum expleat 430. annorum ab anno 75. Abrahami, & ducentorum quindecim à Iacobi deſcenſu, τὰ δὲ λοιπὰ, inquit, πεντήκοντα ἔτη κατηνάλωσαν μετὰ τὴν διαπεραίωσιν τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης μέχρι τῆς εἰς Παλαιστίνην ἀπάντησιν, lege ἀπαντήσεως. *Reliquos annos 50. conſumpſerunt, poſt tranſitum Maris rubri vſque ad aduentum in Paleſtinam.* Totámque adeo diſputationem in hæc verba concludit: γίνεται οὖν ἀπὸ μὲν ἑβδομηκοστοῦ πέμπτου ἔτους τοῦ μεγάλου Ἀβραάμ, ἀφ᾽ οὗ ἡ πρόρρησις ἐδόθη αὐτῷ παρὰ τοῦ θεοῦ, μέχρι Μωϋσέως, καὶ τῆς εἰς Παλαιστίνην ἀφίξεως τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἔτη υλ. ἀπὸ δὲ τῆς καθόδου τῆς Αἰγύπτου, καὶ μέχρι Παλαιστίνης αὐτῶν ἀφίξεως ἔτη σιέ. *Fiunt igitur ab anno 75. magni Abrahami, quo prædictio data eſt ei diuinitus, vſque ad Moſen & aduentum filiorum Iſrael in Paleſtinam, anni 430. à deſcenſu vero in Aegyptum vſq; ad aduentum eorum in Paleſtinam, anni 215.* Hæc ille: quæ quis non videt eſſe admodum perplexa & ſcripturæ contraria, ac proinde non magis communi Chronologiæ fauere quam rationibus Genebrardi, cùm Euſebius annos 215. à deſcenſu Iacobi ad tranſitum maris rubri numeret, centum duntaxat & ſexaginta quinque ex Epiphanio colligantur.

7. Chryſoſt. hom. in Gen. 37. πῶς δὲ υ´ ἔτη ἔφη δουλεύειν αὐτοὺς, καί τοι οὐδὲ τὰ ἥμισυ τούτων πεποιηκότων τῶν ἐτῶν εἰς Αἴγυπτον: *Quomodo 400. annis eos ait ſeruituros, cũ ne mediã quidem eorum partem in Aegypto exegerint?* Idem tamen in Act. Apoſt. c. 7. hom. 15. explicans illud v. 17. *Cùm autem appropinquaret tempus promiſsionis, quam confeſſus erat Deus Abrahæ, creuit populus, & multiplicatus eſt in Aegypto,* &c. Ὅρα, inquit, ὅτι οὐδὲ ἐν τοῖς τοσούτοις ἔτεσιν αὐτοὺς ηὔξησεν, ἀλλ᾽ ὅτε ἔμελλεν ἐγγίζειν τὸ τέλος, καί τοι ἤδη τετρακόσια ἔτη ἦν παρελθόντα καὶ πλεῖστα ἐν Αἰγύπτῳ. *Vide quòd neque in tot annis eos auxit, ſed quando appropinquaturus erat finis, quamuis iam 400. anni præteriti erant, ac plures in Aegypto,* & paulò ante Moſen cum Ioſepho comparans, quorum alter à fratribus venditus eſt, alter à fratribus delatus ad Pharaonem, & fugatus in terram Madian, Chanaanitidem ab Aegypto, vt propriam terram ab aliena diſtinxerat. Καὶ ἐκεῖνοι μὲν ἐκ τῆς αὐτῶν εἰς ἀλλοδαπὴν καὶ ξένην ἀπέδοντο, οὗτοι δὲ ἐκ τῆς ἀλλοτρίας εἰς ἀλλοτρίαν φυγαδεύουσι. *Et illi quidem è ſua in alienam & peregrinam terram vendiderunt: hi autem ex aliena in alienam fugere coegerunt.* Dixeratque paucis interiectis: καὶ οὐδὲ μικρὸν χρόνον ἐπὶ τῆς ἀλλοτρίας ἦσαν, ἀλλὰ τετρακόσια ἔτη, *& non paruo tempore in aliena terra fuerunt, ſed annis 400.* Hæc ille: quibus eorum effugium præcluditur, qui dicunt Aegyptum & Chanaanitidem vna συνεμφάσει contineri. Igitur in Geneſim annos ducentis pauciores definiens tam ab Euſebio quàm à Theophilo diſſentit: in acta Theophilo ſuffragatur, dum annos plures 400. in Aegypto exactos eſſe commemorat.

8. Seuer. Sulp. lib. 1. hiſt. ſacræ populum egreſſum ait, *ab anno quo primum Abraham terram Chananæorum acceſſerat, anno 300. & 400. à diluuio autem 1055. & 70.* Sed cùm eum omnes in annis à communi terrarum eluuione computandis lxx. ſeniorum authoritate deceptum eſſe, atque Hebraicæ veritati & Latinæ tranſlationi nunc ab Eccleſia receptæ repugnare fateantur, non video quod operæpretium ſit eius in priore periodi parte authoritatem nobis obtendere.

9. Sulpicio adſtipulatur 2. Iulius Hilarion eiuſdem ſeculi ſcriptor libello de mundi duratione, qui habetur tomo 5. Biblioth. Patrum. parte 1. pag. 332. Sed is tam frequenter in aliis Chronologiæ partibus ceſpitauit, vt dubitauerint Theologi Colonienſes, quod ex eorum præfatione conſtat, eum ne deberent è Bibl. Patr. proſcribere.

10. Idem Hilarion quoſdam fuiſſe dicit *Diſputatores annorum qui in Aegypto ſolùm annos 3 50. & non ipſos* CCCCXXX. *filios Iſrael fuiſſe fruſtra memorati ſunt*, qui ſanè quamuis calculum male poſuerint, propiùs tamen ad Theophilum, quàm ad Euſebium accedunt.

11. Hieron. in caput 4. epiſt. ad Galat.

Eusebii quidem Chronologiam sequitur, tamen in ea non acquiescit, disputationem ita concludens: *Non enim parua res est & à multis quæsita, nescio an ab vllo sit inuenta.* Idem Commentario in Ioel Prophetam exeunte testatur Iudæis persuasum fuisse fore, *vt quomodo Pharao & omnis eius exercitus, qui per quadringentos & triginta annos populum Dei captiuum tenuit, in mari rubro submersus est: sic etiam Romani qui eodem annorum spatio Iudæos possessuri sunt, vltione diuina deleantur.* Quos quamuis accuratè refutet, ostendátque illos id sibi spe cassa promittere, nullam tamen de quadringentis triginta Ægyptiacæ seruitutis annis mouet quæstionem, id sine controuersia facturus, si probabilem putasset Eusebii sententiam, cùm facile esset demonstrare longè plures ducentis & quindecim annis post Ierosolymorum cladem esse iam euolutos, necdum tamen, vt illi vaticinabantur, Romanum Imperium concidisse. Eadem inculcat in Ezechiel. cap. 4. *Alij*, inquit, *& maximè Iudæi à secundo anno Vespasiani, quando Ierusalem à Romanis capta, templumque subuersum est, supputari volunt in tribulatione & angustia & captiuitatis iugo populi constitui annos quadringentos triginta, & sic redire populum ad pristinum statum, vt quomodo filij Israel quadringentis triginta annis fuerunt in Aegypto, sic & in eodem numero finiatur extrema captiuitas.* Hæc Hieronymus, è quibus liquet non Iudæis tantùm, sed etiam aliis visum fuisse Hebræos in Ægypto sola quadringentis & triginta annis esse versatos.

12. *Quidam*, inquit Aug. q. 47. in Exodum, *putant quadringentos triginta annos accipi debere ex quo Iacob intrauit in Aegyptum, donec inde populus per Moysem liberatus est:* eósque adeo paucos non fuisse vel inde constat quòd eos in tres quasi classes distribuit asserens in diuersas opiniones esse distractos, dum alii à discessu ipsius Iacobi cum tota familia, alii, vt Cresconius Grammaticus, à Iosephi sublimatione .i. prouectione ad proregiam dignitatem, alii, quos magis probat, ab eiusdem Iosephi venditione, Chronologiæ suæ annos accerserent.

13. Augustinus ipse loco proximè laudato multis quidem rationibus difficultatem hanc ventilauit, & leuiter attigit lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. Sed de quæst. libris, vbi rem ex professo tractat, ita loquitur lib. 2. Retract. cap. 55. *Scripsi etiam libros quæstionum de libris iisdem diuinis septem, quos adeo appellare sic volui, quia ea quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quàm quæsita dissolui.* Quia tamen subdit multo plura in eis sibi videri, *ita pertractata, vt possint etiam soluta & exposita non immerito iudicari.* Videndum est verùm quæstionem hanc, qua de nunc agitur: ipse solutam & expositam iudicarit, & expendendum quęnã primaria fuerit Sancti Doctoris intentio. In quibus si nonnulla iam superiùs dicta reputentur, facile, vt spero, beneuolus lector ignoscet. Augustinus ipse paulò post initium quæstionis disertè significat in eos se disputare, qui cùm hæc verba lxx. virorum, *& in terra Canaan ipsi, & patres eorum*, tanquam veram germanámque scripturam admitterent, eóque scripturæ testimonio niterentur, nihilominùs quadringentos solidos annos tribuebant Ægyptiacæ seruituti. Quos vt efficaciùs conuinceret, computationem Eusebii perspicua veritate subnixam certissimóque iudicio testatam esse defendit duobus argumentis, quorum alterum petitur sub annis Caathi, alterum ab authoritate Pauli: sed cur id faciat, his verbis ipse significat. *Non enim dixit scriptura incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Aegypti, anni quadringenti triginta: sed apertè dixit, quem incoluerunt in terra Aegypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum*, &c. E quibus, vt iam superiùs ostensum est, liquet eum aliter sensurum fuisse, si vel habuisset textum Hebraicum, vel Latinam translationem Ecclesiæ suffragio probatam his duntaxat verbis conceptam. *Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, vel quod idem est, *incolatus filiorum Israel in terra Aegypti, anni 430.*

Et sanè quàm parum sit in illo loco ad Galatas firmamenti Augustinus ipse non diffitetur. Loquitur enim Apostolus non de qualibet promissione dicta Abrahamo, sed dicta Abrahamo & semini eius, & ita dicta vt non tantùm ad Israelitas, sed etiam ad omnes gentes pertineret, alludens ad aliquem scripturæ locum, in quo seminis mentio fiat expressa, vimque faciens in *seminis* vocabulo, vt patet ex his verbis: *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Non igitur alludit Paulus ad promissiones dictas Abrahamo, anno ipsius quinto & septuagesimo, vnde secundum vulgarem Chronologiam anni quadringenti triginta ducuntur. Etsi enim

eo anno duæ promissiones dictæ fuerunt, tamen in priore Gen. 12. v. 4. nomen seminis non exprimitur. De posteriore, quæ habetur ibidem v. 7. ita loquitur August. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 18. *Nihil de illo semine ei promissum est in quo pater est factus omnium gentium: sed de illo solo in quo pater est vnius Israeliticæ gentis. Ab hoc enim semine terra illa possessa est.* Quare si à promissionibus dictis Abrahamo, non autem à confirmatione testamenti facta Iacobo ducendum est illorum 430. annorum initium, cùm præcedentes omnes promissiones vel ad omnium gentium benedictionem non pertineant, vel seminis nomen expressum non habeant, debemus secundum Augustini doctrinam ab ea promissione quæ facta est post Isaaci sacrificium, Chronologiam auspicari. Quod cùm Iosephus anno Isaaci 25. consignet, inde ad ortum Iacobi anni triginta quinque, à Iacobi natiuitate ad migrationem anni 130. siue ab alienatione Isaaci ad migrationem anni centum sexaginta quinque numerantur, quos si de numero 430. detraxeris, filios Israel annis 265. in Ægypto reperies esse versatos.

Quod spectat ad argumentum ab annis Caathi ductum, in eos qui à venditione Iosephi ordiuntur, ne collineat quidem, ex eiusdem Augustini sententia, vt iam superiùs ostendimus. E quibus liquet Sanctum Doctorem potiùs hoc loco quærenda proponere quàm quæsita dissoluere. nec à nobis fidem exigere, quam sibi ipse non præstat.

14. Orosius initium fertilitatis ponit anno ante vrbem conditam M V I I I. exitum Mosis D C C C V. Si quis numerum minorem è maiore subduxerit, 203. remanebunt. Ergo cum nono post initium vbertatis anno Iacob in Ægyptum cum familia sua descenderit, in ea morati sunt annis 194. secundùm Orosii calculos.

15. Prosper M S. in Chronico hæret Eusebii vestigiis, sed cùm eius numeros penè semper sequatur, iisdem se contradictionibus intricat, quibus Eusebius.

16. Cyrillus Alexandrinus libro 1. contra Iulianum, eiusdem Eusebii Chronologiam amplectitur. Tamen vt eius verba iam superiùs è Lipomano prolata declarant, alibi annos quadringentos in sola Ægypto putat esse exactos.

Præter hos qui septem primis Ecclesiæ seculis hanc controuersiam attigerit, haud facilè reperies. Nam incertus author commentariorum in Genesim, qui Eucherio falsò tribuuntur, qui ne verbis quidem mutatis concessit in Augustini sententiam, vt Beda, Ado Viennensis, Hermanus Contractus, aliique passim qui post septimum seculum Chronologias ediderunt, & priorum authoritate præstricti eundum sibi putarunt, non qua eundum erat, sed qua ibatur.

Ex his Patribus Iudæus & Hæreticus primi sententiæ communis authores pugnantia loquuntur: Theophilus Catholicorum antiquissimus totus noster est: Clemens vnius iota detractione trahi potest in eandem sententiam: Hieronymus neutri Chronologiæ acquiescit: Augustinus potiùs quærenda proponit, quàm quæsita dissoluit: Epiphanius, Orosius, Chrysostomus in Genesim ab vtrisque dissentiunt: sed idem Chrysostomus in Acta annos in Ægypto transactos plures quadringentis agnoscit: Cyrillus alibi vulgarem Chronographiam, alibi nostram amplectitur: Author Synopsis, Prosper, Hilarion aduersariis fauent: nobis anonymi longè plures quos refert Augustinus. Quæ opinionum varietas aliunde orta non videtur quàm ex varietate lectionum & Græcorum codicum corruptione, cùm omnes hi Patres (Hieronymum excipio) L X X. Interpretum translationem sequerentur. Vnde porro verba hæc: *& in terra Chanaan, ipsi & patres eorum,* in scripturam irrepserint, facilè suspicari non possum, nisi è librarii manu, qui hos codices ex Alexandrina Bibliotheca primus exscripsit, quod in re simili monet Augustinus, vel fraude Demetrii Phalerii, qui teste Iosepho, vt historiam suam concinniorem plausibilioremq; redderet, religioni non duxit interdum à scriptura discedere. Qui cum singulis Patriarchis, certos natiuitatis annos non ex traditione Hebræorum, sex ex mera suspicione consignare statuisset, eorum Chronologiam ita digessit, quasi Caath anno post discessum Iacobi decimo septimo, qui Sanctissimo Patriarchæ postremus illuxit, vitam inierit, quadragenarius Amramum genuerit, is anno vitæ septuagesimooctauo Mosen susceperit, quem octogenarium ex Ægypto constat exiisse, quorum annorum decimum septimum 40. 78. 80. summam si faciamus, anni mansionis in Ægypto ducenti quindecim colligentur. Hic igitur est sententiæ communis princeps, qui cùm à fide fuerit alienus, facilè potuit arbitratu suo quædam verba scripturis intexere. Sed vndecunque hæc



SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER DECIMVS.

MEMBVRGVS, ΕΝΥΠΝΙΟΝ. Β'.

Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino. 3. Reg. cap. 6. v. 1.

MEMBVRGVS, SERARIVS, PHILALETHES.

PRÆFATIO.

1. Nnos habitationis filiorum Israel in Ægypto ita digerebam, & magna cum animi voluptate perscriptas Patrum sententias è libello recitabam, cùm tam facilè, leniter ac sensim sine sensu cliuo fallente conscendi, vt iã adscendisse me viderem; cum necdũ mihi videbar adscendere. In media iugi molliter cubantis deuexitate *erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta*, quæ ramis annutantibus & commissis inter se foliis non sine modulato quodam spirantis auræ susurro mutuum sic appetebant amplexum, vt vmbram amœnissimam exhiberent. Cùm ego: cur non, ô Genebrarde,

Sub incertas zephyris motantibus vmbras,

succedimus, & hîc tantisper interquiescimus, vbi palmæ

Vmbram hospitalem consociare amant,
Ramis, & obliquo laborat
Limpha fugax trepidare riuo?

Ille se nescio quo pacto me data quidem redditáque salute clam subduxerat. Neque enim semper in somnis vitæ communis & vrbanitatis officia seruantur. Semel, iterum, tertiò Genebrardum inclamo: nusquam Genebrardus, nisi cùm Genebrardum imago vocis repercussu quodam scopulorum cauitatibus offensa referebat.

Ergo mœstus atque animi æger pergo protinus, cùmque præcessisse ratus ad summum tumulum celeriter euado. Hîc videre mihi videor arcem pulcherrimam, vel potiùs templum mille fere passibus in ingentem planiciem refugiens, aureis tegulis imbricatum, & gemmato, vt apparebat, elatum fastigio.

> *Ὥςτε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν ἠὲ σελήνης,*
> *Δῶμα καθ' ὑψιρεφές----*
>
> *Sicut enim solis splendor lunaque micabat,*
> *Tecto è sublimi----*

Huic prætendebatur hortus sanè ingens, sed conclusus, sepe viua, densa, spinosa, suauissimum odorem halanti, & ad venustatem attonsa circumdatus vnus aditus ianua non tam sua mole, quàm materia & arte nobilis. Anterior paries è candidissimo marmore consurgens, lapidibus ita coëuntibus nullum, vt appareret commissuræ vestigium. Extuberantes certis interuallis vmbilici, & alternæ oualium proiecturæ: infimam partem limbus, vel potiùs stereobates è marmore Lucullæo, summam aquilarum varios encarpos, vel rostro, vel vnguibus sustinentium effigies ornabant: ipsa ianuæ curuatura pulcherrima quidem, sed incertum è cornu politissimo, an ex ebore constaret; eburneam nonnulli censebant, ego corneam arbitrabar. Hanc columnæ porphyreticæ quatuor ad medium scapum striatæ, auratis capitellis, opere Corinthio, ad singula latera binæ stipabant. Stylobates è vario marmore, coloribus paulatim mutantibus, & sensim in dilutiorem desinentibus, aliquam vel arcus cœlestis, vel colli columbini, vel caudæ pauoninæ speciem exhibebat. In intercolumniis loculamenta duo, & statuæ matronali habitu, aurea cyclade ad talos defluente, magnitudine iustam hominis staturam altero tanto superante, sic ad viuum expressæ, vt spirare ac loqui viderentur. Alterius dexteram speculum, alterius globus cœlestis serpente in spiram vel potiùs in orbem conuoluto, caudámque mórdicus tenente circumplicatus implebat, cætera adeo similes, vt facilè germanas agnosceres. Illam historiam speculum
Historia. vitæ; Chronologiam temporum indaga-
Chronologia. tricem vocabant intrà supráque visebantur inscriptiones, grandibus ex auro literis inaratæ.

3. Quòd historiæ fuerit elogium non satis recordor: Aquila Chronologiæ capiti explicatis alis & quasi plaudentibus, clypeum rostro sustinens imminebat. Hæc autem clypei fuit inscriptio. HABITATIO AVTEM FILIORVM ISRAEL QVA MANSERVNT IN ÆGYPTO, QVADRINGENTORVM TRIGINTA ANNORVM. Hîc ego mihi gratulari: gaudere in sinu, gestare, omnibus lætitiis incedere, quòd digestam in via temporum rationem viderem hoc etiam elogio, & velut ipsius Chronologiæ suffragio comprobari. In stylobate sub ipsius Chronologiæ pedibus altera spectabatur epigraphe grandibus & ipsa literis exarata. FACTVM EST ERGO. Quæ proximè sequebantur aliis super aliis impressa signis incisa, insculpta, secta, deleta, cæsim, punctim lancinata, vt legere volentibus, alias atque alias literarum figuras, vel potiùs lituras exhiberent, ego frustra tentatis omnibus nihil inueniebam cui tutò possem insistere. Varia fingebam vocabula, varias lectiones procudebam: sed quo magis extricare me conabar, eo magis me sentiebam intricari. Itaque quò me verterem penitus non habebam.

4. Dum hæc animo volutarem, atque in eodem obtutu diutiùs hærerem, duo mihi repente Societatis Iesu homines honesta canicie venerabiles ad dexteram adstiterunt, appellarunt, salutarunt. Sed animus in vna illa cogitatione defixus aures & oculos obstruxerat, donec tandem eorum alter manu imam mihi vellit auriculamméque velut è lethargo excitatum aduertit, oculos reflexi, vidi, agnoui. Magnum vterque Lotharingiæ lumen, magnum eruditionis omnis ornamentum, magnum pietatis, & Christianæ modestiæ decus. Ambo florentes ingeniis, eruditi ambo, ambo in omnis generis authorum assidua lectione versati, vel potiùs omnibus tùm sacræ tum profanæ doctrinæ partibus absoluti atque perfecti: ambo sacras literas, & hanc ipsam, quæ me suspensum tenebat, inscriptionem,

Explanare pares, & respondere parati.

Alter scriptis in lucem publicam emissis illustrior: alter ingenio par, eruditione, virtutibus: hoc vno duntaxat inferior quòd adduci nunquam potuit, vt ingenii doctrinæque suæ fœtus expromeret, ac prælo mandari pateretur. Alter erat Nicolaus Serarius, alter Ioannes Memburgus,

O qui complexus, & gaudia quanta fuerũt!

O quàm amaræ dicam an suaues lacrymæ per omniũ ora fluxerunt: cùm iis ego gratularer quod beata Sanctorũ morte defuncti non vidissent Lotharingiæ quondã suæ vexationes,

vexationes, clades, direptiones, incendia, quorum vel sola commemoratio feras etiam & saxa commoueret: illi vicissim Deo gratias agerent immortales, qui suam illam iustissimam seueritatem ita lenitate & misericordia temperauit, vt plurimos, quos res secundæ miserijs æternis addixissent, his calamitatibus ad æternam felicitatem adduxerit.

II. *Institutio quæstionis.*

5. Atque vt lacrymis non tam satiati, quàm exhausti, fatigatique fuimus, sed quis tandem, inquam, lacrymis & comploratione modus? Quin potiùs, ô Patres, hanc mihi statuæ subscriptionem, quæ me iampridem incertum tenet, exponitis, ac perceptum animo dolorem aliqua sacrarum literarum suauitate lenimus? Res erit & mihi perutilis, & vobis non difficilis, atque, vt spero, non molesta. Hic Memburgus, vt erat

---secunda loquens in
Tempore, commodus ac verborum vir paucorum.

Res, inquit, videri poterat oppidò clarissima, mi Philalethes, & ne vocanda quidem in dubium, nisi vel conciliandæ Iudicum Chronologiæ difficultas, vel luxurians quædam ingeniorum fœcunditas, tot pene quot illa

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus
capitum fœtus enixa est, varias dissidentésque sententias peperisset.

6. Agitur, vt vides, in hac statuæ subscriptione de tempore templi exædificati, quæritúrque quot anni ab egressu filiorum Israel è terra Ægypti ad iacta templi funda- Cap. 6. v. 1. menta quartúmque Salomonis annum effluxerint. Id autem tempus 3. Regum tam disertis verbis expressum est, vt non tam consignatum literis, quàm ipso solis radio signatum esse videatur. *Factum est ergo*, inquit, *quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zo (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.* Ita textus Hebraicus, ita paraphrasis Chaldaica, ita versio communis totius Ecclesiæ suffragio comprobata, ita plerique Græcorum codices, ita Spiritus ipse Sanctus huic statuæ subscripserat. Multi tamen conciliandę Iudicum Chronologiæ, summæque totius cum partibus suis componendæ difficultate deterriti, vel proprio velificantes ingenio, alias atque alias siue lectiones, siue sententias protulerunt. Certè Serarius hic noster, vir apprimè doctus, vt nosti, in huius loci commentario septemdecim numerauit, ipse ne ἀσύμβολος accedere videretur, decimam octauam adiecit: quas, mi Serari, nisi forte tibi molestum est, ex ore tuo libenter audiemus. Ad hæc ille,

7. Equidem, inquit, mi Memburge, ex te potiùs quid sentires audire cupiebam: sed nimirum, ita tuam tegere soles eruditionem, vel potiùs, quæ tua est animi modestia, parui facere, faciliùs vt videatur ex te scintillam quàm responsionem extundere. Tamen vt tuum quoque sensum eliciam, mos tibi gerendus est, atque vt cumulatiùs etiam quàm petis, satisfiat, exponendæ non octodecim, sed viginti variæ lectiones, siue scriptorum aliter atque aliter legentium sententiæ, quas à minoribus numeris inchoando, facilitatis caussâ, pretium operæ fuerit vno velut intuitu spectandas exhibere.

III. *Referuntur diuersæ de annis inter Exodum ac Templi substructionem elapsis sententiæ.*

8. Prima reperitur apud Glicam, pag. 2. asserentem annos ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, ad iacta templi fundamenta numerari. 330.

Secunda in LXX. provt eos non tantùm Germani ediderunt, sed etiam Romani Sixti V. authoritate correxerunt, & citat Sulpicius, eosque Actor. 7. sequitur Oecumenius. 440.

Tertia provt in nostro, Chaldæo, Hebræo & plerisque Græcis. 480.

Quarta Ammoini lib. 4. de gest. Franc. cap. 52. *à Moyse*, inquit, *vsque ad Salomonem anni.* 489.

Quinta Venerabilis Bedæ, Retractat. in Acta, cap. 11. 490.

Sexta Iosephi Orig. lib. 8. in Rufini versione. 502.

Septima apud Sulpicium, provt à Sigonio corrigitur. 510.

Octaua quorumdam apud Clementem 1. Stromate, *Fiunt*, inquit, *à Iesu Naue vsque ad tempus quo Dauid regnum accepit, vt nonnulli volunt, anni 450.* quibus si 40. Mosis, 40. Dauidis, 3. Salomonis ante templi fundationem exactos adieceris, colligentur. 533.

Nona Tyriorum apud S. Theophilum lib. 3. 560.

Decima Clementis Alexandrini, Stromate citato. 566.

Vndecima Melchioris Cani, lib. 11. de

IV. *Vnde fluxerit hæc opinionum diuersitas.*

9. INde porro nata est hæc vel lectionum, vel opinionum sententiarumque distractio, quòd cùm longè plures anni in illa seruitutum ac iudicum serie reperiantur, quàm 3. Reg. summa colligitur, qui hos annos ita diducunt & explicant vt seruitutum anni ab annis iudicum separentur, ipsum scripturæ textum emendandum putant, vt partibus in homadem collectis summa respondeat, errorem que adscribunt non ipsi Prophetæ, vel Spiritui sancto (absit hoc ab auribus Christianis) sed vel iniuriæ temporum, vel librariorum, qui exscripserunt, incuriæ.

Alii textui religiosiùs affixi, ne partium in summam collectarum numerus redundet, cum Eusebio centum seruitutum annos iudicum temporibus inuoluunt, ac vetbi caussâ primam illam seruitutem, quæ octo fuit annorum, sic Othonielis annis implicant, vt illi octo primæ seruitutis anni quadraginta Othonielis annis hauriantur absorbeanturque, simulque seruitus & Othonielis præfectura quadraginta duntaxat annos comprehendat; imò quidam hos annos ab obitu Mosis accersunt, vt Abulensis: quidam vt Salianus & Henricus Philippi, à morte Iosue, quo ex hac vita subducto, Hebræi aliquot annis, quamdiu superstites fuerunt ii Seniores, qui longo post eum vixerunt tempore, in officio permanserunt, aliquamdiu perperam egerunt, bellum illud ciuile atrocissimum gesserunt, quo pene Beniaminitica Tribus intercidit, octennium Regi Mesopotamiæ seruierunt: aliquanto tempore terra quieuit: ex quibus interuallis annos aiunt deduci quadraginta vsque ad finem principatus ac vitæ Othonielis, quod annorum spatium his verbis expressum volunt, Iudic. 3 vers. 11: *Quieuitque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel.*

V. *Numerum in textu corrigendum putat Serarius.*

10. NOndum dico tanti non esse vel Eusebii, vel cuiusquam authoritatem, vt debeat nobis contra diserta scripturæ verba præscribere: illud aio summam adhibitam ab eo fuisse cautionem ne loqui videretur ex sua potiùs quàm ex Hebræorum sententia. Hinc quoties seruitutum annos iudicum annis includit, illud identidem inculcat: *secundum Iudæorum traditiones*. Quorum authoritas quanti debeat esse momenti viderit æquus rerum æstimator. Ego certè vnicam in vno duntaxat loco voculam mutare consultius duco, & pro *quadringentesimo* legere *sexcentesimo*, quàm cum tricis innumeris anxiè, ne dicam miserè confl ictari, ac dum vnius loci emendationem metuo, sexcentis me difficultatum laqueis inuoluere. Etenim si iste quadringentorum octoginta numerus annorum retineatur, reliquæ scripturæ non poterunt ab egressione filiorum Israel ex Ægypto ad cōditum Salomonis templum per partes annorum numerum rectè tradidisse: adeoque necessum erit vel dum vnius loci mendum eluere formidas, è pluribus aliis maculas abstergere, vel fateri falsas esse multis in locis scripturæ rationes, vel saltem eas etiam repugnantes atque inuitas in tuam detorquere sententiam.

11. Siquidem à prima Hebræorum seruitute, cùm *Dominus tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ*, Iudic. 3. vers. 8 vsque ad obitum Gedeonis, de quo cap. 8. v. 33. anni seruitutis & quietis ita digeruntur, vt ducenti quinquaginta tres numerentur, & cùm quies siue libertas seruituti repugnet, necessariò expādi debent, neque vllo modo fieri potest vt seruitutis anni quietis annis implicentur. Etsi enim non repugnat tempora iudicum seruitutis atque oppressionis temporibus inuolui, quia vno eodemque tempore & victoribus seruire, & quadam dominorum dissimulatione aut etiam indulgentia proprios iudices habere potuerunt, (quod etiam in seruitute Babylonica iis indultum est, vt constat in caussa Susannæ, Danielis 13. & Debora, Iudic 4. v 4. videtur populum iu dicasse tempore Chananaiticæ seruitutis) tamen apertam contradictionem inuolu:t Hebræis vno & eodem tempore tribuere

quietam libertatem, & exercitam seruitutem. Quare cùm scriptura significat quieuisse terram annis quadraginta, violenter admodum ac durè sic eam exponimus, vt dicamus octo seruitutis annos, bellum illud Beniaminiticum, aut etiam annos Iosue & Seniorum, qui post eum ante seruitutem vixisse narrantur, eo quadraginta annorum spatio contineri.

VI. *Communis explicatio Chronologiæ Iudicum confutatur.*

12 Dicitur, inquiunt, terra quieuisse quadraginta annis, non quòd totos istos annos quieuerit, sed quòd quiescendo istos annos compleuerit: eumque proinde huius loci sensum esse cōtendunt, tempus quo mortuo Iosue Hebræi partim Deo, partim idolis seruierunt, partim ciuilibus bellis attriti, partim à Rege Chusan oppressi, partim pace & quiete fruiti sunt, summam annorum quadraginta complectitur. Sed rixandi studio deposito quilibet iudicarit hoc esse scripturæ verbis vim afferre. Iulius apud Poëtam dicitur

Triginta magnos voluendis mensibus orbes imperio expleturus. Nemo sic interpretatur vt putet hoc annorum triginta spatio Ilii deflagrationem Æneæ nauigationem, bellum cum Rutulis gestum, Æneę & Iuli, regna contineri, totumque hoc tempus Iuli regno tribui, quòd ille hoc annorum spatium regnando complērit.

Hic iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea---

Quis eum ferat interpretem? quis non respuat auribus, quis non explodat, qui dixerit hisce trecentis annis non solos Albanorum Regum annos, sed etiam totum illud tempus *quo res stetit Ilia regno*, comprehendi? dici tamen in Alba Longa trecentos annos regnatum, non quòd Reges Albæ tamdiu regnauerint, sed quòd illam annorum trecentorum seriem regnando complerint ac terminarint.

13. Iam si quis apud historicum profanum legat Romam ab armis quieuisse per annos quadraginta regnante Numa Pompilio, is historiæ fidem contaminasse & adulterasse sine controuersia censebitur, qui sic exponet vt tempora Romuli bellis inquieta pacatis ac tranquillis Numæ temporibus inuoluat, vrbémque annis quadraginta quiêsse dicat, quòd ante finem illius temporis, Numa Pompilio regni gubernacula tractante, aliquamdiu respirauerit ab illis fluctibus & iactatione bellorum.

14. Quòd si licentiam hanc interpretandi vel in profanis scriptoribus meritò repudiandam putamus, quanto magis eloquia Domini casta castè, sancta sanctè, religiosa religiosè tractanda sunt? vt quoties in scriptura res gestæ referuntur, verbis hęreamus, ea prout sonant, interpretemur, nefasque ducamus vel latum, vt aiunt, vnguem ab eorum propria & genuina significatione discedere, nisi vel alia librorum canonicorum effata disertis concepta verbis, vel conspirans Patrum authoritas, vel vnanimis Ecclesiæ consensus, vel saltem ratio naturalis euidenti demonstratione conuincat aliud esse faciendum. *Scriptura religiosè tractanda.*

15. Quare laudetur Augustinus qui cùm apud LXX. Seniores, Genes. 11. v. 32 legeret, *Et facti sunt dies Thare in terra Charan anni ducenti quinque:* viderétque, si, vt verba sonant, ita præcisè sumerentur, fore multis scripturæ testimoniis contraria, ea duriùs maluit interpretari, quàm falsa confiteri; *Non est sic accipiendum*, inquit lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 14. *quasi hos omnes dies ibi egerit: sed quia omnes dies vitæ suæ, qui fuerunt ducenti quinque, ibi compleuerit.* Et sine dubio difficile non est hæc verba: *Et facti sunt dies Thare:* sic interpretari quasi dicatur, *completi sunt & absoluti:* tunc enim propriè facti fuisse dicuntur dies, cùm exacti fuerint atque ad finem euoluti: at verò nulla ratio patitur vt terram annis quadraginta quieuisse dicamus, quæ hoc temporis interuallo variis bellorum seditionumque fluctibus iactata est: cumque, vtriusque diuersa ratio sit, nihil est quod Augustini nobis authoritatem opponant. *Augustinus excusatur.*

16. Quòd si authoritatum etiam hoc loco momenta quærenda sunt, is ipse quæstion. 19. in lib. Iudic. nobis suffragator accedet: *Quadraginta*, inquit, *annos quieuisse terram Promissionis à bellis sub Othoniele Iudice scriptura commemorat, quantum temporis primordia Romani imperij sub Numa Pompilio tantummodo Rege pacata habere potuerunt.*

17. Quod spectat ad Ammoniticam seruitutem, ridicula est illa Iudæorum traditio apud Eusebium in Chronicis: *Post Iair Hebræos in ditionem redigunt Ammonitæ annis octodecim, qui cum temporibus posteriorum Iudicum copulantur secundum Hebræorum traditionem.* Ridicula est, inquam, & nullo modo cohærere potest: cùm enim Iephte qui ab Hebræorum ceruicibus Ammoniticum iugum depulerat, sex duntaxat annis obtinuerit principatum, quis non videt huius & successorum annis includi non posse illam annorum octodecim seruitutem? *Ridicula Hebræorū traditio.*

VII. *Sexcentesimo pro quadringentesimo legendum videri.*

18. Meritò igitur non solùm ante, sed etiam post Gedeonis obitum omnes Iudicum ac seruitutum annos expandimus, & cùm seruitutibus centum & vndecim anni, Iudicibus ducenti nonaginta nouem sparsim toto Iudicum volumine tribuantur, annos ab initio Mesopotamenæ seruitutis ad Samsonis obitum, quadringentos & decem numeramus. His si addantur Mosis quadraginta, Heli 40. Saulis 40. Dauidis item 40. tres etiam Salomonis ante templi fundationem elapsos, summa quingentorum septuaginta trium colligetur. quos si numero 680. quem suprà reponendum censuimus, subtraxeris, supererunt anni 87. quibus tempora Iosue & seniorum qui diu post eum vixerunt, interregnum quo populus ante primam seruitutem ad idola defluxit, & præfectura Samuelis commodè sarciatur. atque hoc annos ita dispensare poterimus, vt Iosue 25. senioribus 15. interregno 10. Samueli 37. tribuamus.

19. Quis nos igitur meritò temeritatis accuset, si textum hoc loco vocis vnius mutatiuncula leuiter emendandum putemus, vt pro *quadringentesimo*, legatur *sexcentesimo*, nihil de cæterarum vocum Integritate libetur? Quis enim non videt vel huius loci numerum, vel alium Actorum 13. sic esse mendosum, vt eorum alteruter egeat medicina? vbi Græcus contextus, quo idiomate & Paulus habuit illam concionem, & Lucas Acta conscripsit, à quo facta est in Latinam linguam translatio, quique proinde secundum Augustini regulam præferendus est cuicunque versioni; Græcus, inquam, contextus in hæc verba conceptus est. Ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ αὐτῆς, *eduxit eos*, Deus videlicet eduxit Israelitas, *ex ipsa*, nimirum Ægypto, καὶ ὡς τεσσαρακονταετῆ χρόνον ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς ἐν τῇ ἐρήμῳ· καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ χαναάν, κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν· καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου. *& quasi per quadraginta annorum tempus mores eorum pertulit in deserto, & cùm deleuisset septem gentes in terra Chanaan, sorte distribuit terram earum, & post hæc annis circiter quadringentis & quinquaginta dedit Iudices vsque ad Samuelem prophetam.*

20. Quæ à nobis extorquent vt vel in hanc Pauli, vel in illam tertij Regum Chronologiam mendum illapsum esse fateamur. Si enim Iudices quadringentos circiter & quinquaginta annos Reipublicæ præfuerunt, cùm ab initio Saulis ad tertium Salomonis anni nimirùm duo & sexaginta numerentur, vt videlicet Saulis saltem 20. Dauidis 40. duo Salomonis effluxerint, plures anni quadringentis & octoginta, & quidem multo plures ab Exodo ad iacta templi fundamenta computantur. Cùm autem, vt iam ostendimus, ab initio primæ seruitutis ad obitum Samsonis anni seruitutum & Iudicum summam 410. efficiant, additis quadraginta quibus Heli iudicauit, inuenies annos præcisè quadringentos & quinquaginta, quibus Deus *dedit Iudices vsque ad Samuelem Prophetam.* vt vel ipsa numeri concinnitas & consensus euincat sanam esse lectionem, ac proinde ad huius calculos exigendas esse sacræ Chronologiæ rationes, & numeros qui 3. Regum habentur esse corrigendos.

21 Omitto minùs vero videri simile nouum instrumentum, quàm vetus esse corruptum, si qua per Librariorum negligentiam corruptio fatenda est, illud omittere non possum quod mihi non mediocriter arridet in hac sententia, sic Hæreticos magis declinari, qui tam confidenter in Acta grassantur, vt Lutherus & Clemens Schubertus ex illa Pauli Chronologia, centum ipsos annos exemerint, & pro τετρακοσίοις i. *quadringentis*, τριακοσίοις *trecentis legendum* esse defendant.

22. Hæ sunt igitur caussæ cur hoc loco textus leuiter emendandus videatur, quas perspicuitatis caussâ placet ad duas reuocare. Alteram, quia vel huius loci numerus deprauatus est, vel alius Act. 13. non ille, ergo hic alteram, quia si numerus iste 480. retinetur, eas omnes quæ toto Iudicum volumine sparsim leguntur, necesse est falsas esse temporum rationes, cùm summa non possit collectis partibus conuenire. at verò si legamus, FACTVM EST ERGO SEXCENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO, &c. omnis deinceps Chronologiæ ratio facillimos inueniet explicatus.

23. Hæc habui de scripturæ loco sanè difficillimo quæ dicerem, mi Memburge, non tam vt sententiam meam proferrem, quàm vt elicerem tuam. Et quoniam soles

—ἐπιτροχάδην ἀγορεύειν
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
Οὐδ᾽ ἀφαμαρτοεπής. —

—Effundere verba
Pauca quidem sed acuta soles: nec multa profusis
Exerrans à proposito.

Hoc vnum ambo te exoratum volumus, vt oblitus consuetudinis tuæ non temis, vt aiunt, propellas orarionem tuam, sed passis velis in altum inuehare.

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν
Hybernis & verba simillima nimbis.

Vberiori, quã soles, dicendi genere dilates.

VIII. *Obiter confutatur Serarius & dicenda prælibantur.*

24. QVæ cùm Serarius dixisset, tum Memburgus, Age sanè, inquit, Mi Serari, quoniam ita iubes, orationis meæ vela pandantur: extotques vt sim solito verbosior.

Ais, vt illud primum attingam quod mihi præ cæteris perculsit animum, in illa tua sententia non mediocriter illud tibi placere quòd plurimum ab Hæreticorum Chronologia dissentias, qui Acta potiùs Apostolorum, quàm 3. Regum emendant. facis id quidem pro tua singulari pietate, & Hæreticæ prauitatis odio, quod iam inde à pueritia cum materno lacte suxisti: sed hoc ipsum est cur tua mihi suspecta reddatur oratio. Videris enim, pace tua dixerim, non tàm iudicio, quàm affectu de sacrâ Chronologia iudicare: cùm potiùs admittenda sit veritas, vndecunque nobis affulserit. Tantus est enim eius splendor, tanta lux, tanta pulchritudo, nullis vt vnquam authorum quantumuis improborum sordibus obsolescat. Quanquam lapsus sum verbo, vnus est enim author *spiritus veritatis*, à quo vbicunque sit, & per quoscunque defluxerit canales, tanquam à primario fonte dimanat. Sed hæc in aliud tempus differantur.

Amplectẽda veritas à quocunque dicatur.

25. Video duas pugnantes inter se Chronologorum sententias. Alij miscent omnia, cælum terræ, pacem seruituti, annos quietos ac tranquillos turbulentis implicant, & confundunt, atque vt vnam illam tertij Regum Chronologiam integram præstent, alia sexcenta scripturæ testimonia vel conturbant, vel violentis explicationibus penè contaminant. Tu aliquanto modestiùs & compendiosiùs vni potiùs quàm plurimis scripturæ pronuntiatis censoriam manum admoliendam putasti, vnúmque numerum emendare, quàm totam Iudicum historiam falsitatis insinuare maluisti, & cùm omnes Iudicum, omnes seruitutum annos expanderis, eò venisti vt *sexcentesimo* pro *quadringentesimo* rescriberes.

Vulgaris Chronol.

Serarij Chronol.

26. Nos autem, vt etiam pro hoc Philalethe tibi spondeam, qui nec ingenij tantum habemus vt numerum nouum excogitare possimus, nec tantum animi vt ausimus, nec tantum docilitatis vt sine disquisitione cæterorum quamuis eruditorum vel authoritati vel præiudicatis opinionibus ancillemur, receptum quidem in Hebræis, Chaldæis, Latinis, Græcis etiam plerisque codicibus numerum amplectimur, & à condito templi Salomonis ad egressum ex Ægypto, annos quadringentos octoginta numeramus, quia tamen scripturam, vt vulgo faciunt, contortis explicationibus vexare non placet, nouam expediendæ Iudicum Chronologiæ rationem inquirimus.

Media via inter vtramque Chronologiam.

27. In hac itaque sententiarum diuersitate *medio tutissimus ibis*, si neque tempora quæ scriptura diuidit ac separat in paces, vt sic loquar, & seruitutes, inter se permisceas: neque Iudicum præfecturas, quas bellis aut seruitutibus implicatas fuisse scriptura docet, explices sumásque separatim, quæ autem neutram in partem pronuntians in medio relinquit, interpretere vel tranquilla vel turbulenta fuisse, prout sacræ Chronologiæ scripturæque conciliandæ ratio postularit. Sed quoniam, vt ait ille:

Segniùs irritant animos demissa per aures
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

introferamus pedem & porticum vicinam ab horti foribus ad templi valuas pertinentem Iudicumque statuis ac rebus eorum gestis ornatam subeamus.

28. Cùm hæc ille dixisset, fores suâ sponte repente patuerunt, atque ille me rei nouitate stupentem, ac singulis, quæ occurrebant, auidiùs inhiantem ad porticum,

Ipse manu multo suspensum numine ducit.

Ingressis hortus ingens aperitur, varia puluillorum & areolarum descriptione, crispanti rasilique buxo distinctus, florum quasi stellatum aut ocellulorum amœnitate discriminatus, herbescente variatum plantarum viriditate pubescens. Sed hunc cùm obiter spectauerim, verbis exprimere non possum.

29. Ad læuam porticus erat ingens latitudine pedum facilè viginti, ea lõgitudine vt radiis oculorum sensim in acumen desinentibus extrema coire viderentur. Pauimentum musiuo opere tessellatum & vario vermiculatum emblemate. Interiorem parietem diuersi marmoris crustæ in quincuncem sectę vestiebant. Hic visebatur Ophytes serpentum maculas imitari, Lacedæmonium lęta viriditate hilarari, Augustum vndatim crispum in vertices, Tiberium sparsim conuoluta canicie maculas colligere: Ingentes tamen tabulæ rerum à Iudicibus gestarum imaginibus nobiles subinde no-

bis marmoris inuidebant adſpectum.

30. Hic ad viuum expreſſus ſpectabatur Othoniel, Aodus gladium ancipitem ſiniſtra manu vibrabat, Samgar aratri vomere ſexcentos interimebat Philiſthæos, Debora ſub palma iudicabat, Barac armis fulminabar, Iael manum ſuam mittebat ad clauũ & dexteram ad fabrorum malleos, percutiebatque Siſaram quærens in capite vulneri locum, ac tempus valide perforabat. Hîc vellus, teſtæ, buccinæ Gedeonis: hîc Iephte filiam immolabat: hîc cætera ad reliquos Iudices ſpectantia, quorum ſeriem longum eſſet euoluere. Tabulatum cedrinum auro, argento, ebore laqueatum. Stereobates obuerſus horto quatuor duntaxat pedibus extans è marmore Lucullęo columnas porphyreticas candidis interuenientibus punctis ſparſas ſuſtinebat, quibus impoſitũ epiſtylium è marmore Memphitico naturæ gemmantis. Hinc varij florum fructuumque implexus foliis intercurſantibus & Amaltheæ cornua pendebant. Taceo diuerſas Iudicum ſtatuas, Athlantes, Telamones, Caryotidas, è quibus nihil me magis oblectabat, quam ipſius Memburgi ſingulas tabulas, ſuis quamque elogiis inſcriptam, intento digito demonſtrantis & exponentis oratio. Qui mihi oculos per ſingula verſanti leniter arridens,

Aod. Samgar. Debora. Barac. Iael. Gedeon. Iephte.

IX. *Scopus & finis libri Iudicum.*

31. VT hæc, inquit, liquidiùs intelligas, mi Philalethes, aduerte-ſis: ex communi ſententia ſcriptorem libri Iudicum fuiſſe Samuelem: præcipuum eius inſtitutum fuiſſe, non vt ſcriberet annales aut hiſtoriam texeret, ſed vt oſtenderet Dei zelum, vt ſcriptura loquitur, & iuſtitiam placabilitate ac miſericordia temperatam, quæ tum peccantes grauiter puniat, tum reſipiſcentibus pacem ac tranquillam libertatem indulgeat: oſtenderet populi leuitatem ac duritiam cordis, qui abuſus libertate, regia poteſtate continendus in officio fuit, Deo in melius vertente quod illi male poſtulârant.

Samuel autor libri Iudicum.

Eius intentio.

32. Huc igitur liber Iudicum totus collineat, vt Iſraelitas maiorum ſuorum ſecundis aduerſiſque rebus inſtruat hortetúrque ad cultum & religionem vni Deo, obſequiũ & honorem ſuis Regibus exhibendum: vnde poſtquam capite 17. narrauit matrem Michæ feciſſe ſculptile atque conflatile, eique priuatam ædiculam ſeparaſſe; ſubiecit verſ. 6. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* & cap. ſequenti cùm illud idem idolum à priuata ædicula ad vrbem Lais tranſlatum fuiſſe docuiſſet, adiecit verſ. 31. *Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo, in diebus illis non erat Rex in Iſrael.* Quibus itidem verbis poſt longam illam narrationem de nefario Beniaminitarum flagitio, bello ciuili & internecino tribus poſtremis capitibus comprehenſo eadem verba ſubtexuit, eamque voluit eſſe totius libri clauſulam. vt altiores ageret in hominum memoria radices, quaſi dixerit, hæc quidem olim fiebant libera Repub. nunc autem ducibus conſtitutis *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, regiæ poteſtatis metu coerceri debetis, quos prius nec legum reuerentia, nec amor virtutis, nec diuinæ iuſtitiæ timor in officio continebat.

33. Cùm igitur aliud ſpectaret ſacer ille ſcriptor, & fortaſſe de ſtabilienda Iudicum Chronologia ne cogitaret quidem, mirũ non eſt eum aliter alibi tempora numerare, de Ioſue ſeniorumque diebus ſilere, aliorum Iudicum annos interdum explicare, implicare interdum, & ſemper quidem veras, nonnunquam tamen confuſas & perturbatas adferre rationes. Tum intento in ſingulas tabulas, prout res exigebat, digito ita pertexit.

In lib. Iudic. tempora variè computantur.

X. *Summa hiſtoriæ Iudicum qua Chronologiæ fundamenta iaciuntur:*

Ac primum de tempore inter Moſis obitum, ac primam ſeruitutem elapſo.

34. QVot annis Ioſue poſt Moſis obitum adminiſtrarit Rempub. è ſcriptura certò conſtare non poteſt, & video Chronologos paſſim in diuerſas ſententias eſſe diſtractos. Sunt qui ſeptem duntaxat annis eius præfecturam circumſcribant, alii octo aut nouem, Petauius quatuordecim; Beda & plerique poſt eum ſeptemdecim. Ioſephus annos ei tribuit quinque & viginti, Euſebius viginti ſeptem. Seder Olam duodetriginta. Quidam apud Ioſephum lib. 1. aduerſus Appionem triginta.

Anni Ioſue.

35. Clemens Alexandrinus 1. Stromat. multa congeſſit, quæ vel apertam contradictionem inuoluunt, vel certè in exemplari mendoſa ſunt. Quis prohibet eius verba producere? Μετὰ τὴν Μωϋσέως, inquit, τοῦ βίου τελευτὴν διαδέχεται τὴν ἡγεμονίαν τοῦ λαοῦ ὁ Ἰησοῦς πολεμῶν μὲν ἔτη ξέ, ἐν δὲ τῇ γῇ τῇ ἀγαθῇ ἄλλα πέντε καὶ εἴκοσι ἀναπαυσάμενος. *Poſt Moſis obitum dux populi ſuc-*

Clemens Alexandr. emendatur.

cedit Iesus, qui bellum quidem gessit sexaginta quinque annis: in terra autem illa bona quieuit aliis annis viginti quinque. Legendum planè videtur facili duarum literarum transpositione ἓξ *sex*, pro ξέ *sexaginta quinque:* sexto enim sui ducatus anno terram sorte diuisit, & pro ἄλλα πέντε καὶ εἴκοσι, reponendum ἄλλα ἕν τε καὶ εἴκοσι, *alios vnum & viginti*, vt ex omnibus annorum septem & viginti summa colligatur: vt ipse proximè subiungit. Ὡς ἡ τὸ βιβλίον τοῦ Ἰησοῦ περιέχει, διεδέξατο τὸν Μωϋσέα ὁ προειρημένος ἀνὴρ ἔτη κζʹ. *vt autem continet liber Iosue Mosi successit vir predictus annis XXVII.* Verùm hic numerus in lib. Iosue nusquam reperitur, vt cui commodum fuerit, liceat à Clementis & Eusebij rationibus impune discedere.

36. *Seruierúntque Domino cunctis diebus eius & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini quæ fecerat in Israel.* Iud. 2. v. 7. Ne hic quidem exprimitur quot annis vitam propagarint post obitum Iosue seniores illi, qui licet in maris Rubri transitu vicesimum ætatis annum nondum attigissent, iam tamen ad pubertatem peruenerant, & per ætatem notare potuerant, quanta quámque admirabili potentia Deus populum suum eduxisset, & ab Ægyptiorum tyrannide liberasset. Anni seniorum.

37. Hos porro seniores sexagenarios nondum fuisse cùm Iordanem transierunt, pedémque in terra promissa posuerunt, aperta scripturæ docet authoritas. Num. 14. v. 29. *omnes qui numerati estis à viginti annis, & suprà, & murmurastis contra me, non intrabitis terram super quam leuaui manum meam, vt habitare vos faciam, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun.* Quorum census cùm *anno altero egressionis eorum ex Ægypto* habitus fuerit, vt initio lib. Num. disertis verbis scriptura testatur, annos autem deinde solùm duodequadraginta in vastissimis Arabiæ solitudinibus exegerint, hinc efficitur neminem, Calebo & Iosue duntaxat exceptis, annis octo & quinquaginta prouectiorem ingressum esse Chananæam, ac proinde saltem annos 25. fluxisse inter ingressum Chanaanitidis & obitum seniorum: nisi si dicere velimus, neminem vnum in tanto populo fuisse qui ad annum ætatis quartum & octogesimum perueniret.

38. *Omnísque illa generatio congregata est ad patres suos*, vt dicitur Iud. 2. v. 10. *& surrexerunt alij qui non nouerant Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel: feceruntque filij Israel malum in conspectu Domini: & seruierunt Balaim*, &c. Verùm non ait Scriptura quantum temporis inter obitum seniorum ac primam seruitutem fuerit euolutum: constat tamen aliquot annos interceptos fuisse, cùm ad illud interuallum Beniaminiticæ Tribus clades & internecio referenda videatur. Hoc enim tempore *Phinees filius Eleazar filij Aaron* summum sacerdotium obtinebat. Iud. 20. v. 20. Et illa idoli consecratio, de qua Iud. cap. 17. & cap. 18. v. 30. *Posuerúntque sibi sculptile, & Ionatham filium Gersam filij Moysi ac filios eius sacerdotes in Tribu Dan vsque ad diem captiuitatis suæ.* Quæ palam est post seniorum mortem, sed ante seruitutem Mesopotamenam contigisse. Tunc enim, vt diuinus ille scriptor identidem aduertit & inculcat, *non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Sed quot annos interregnum illud occuparit, adeóque quantum temporis à Mosis obitu ad primam illam seruitutem effluxerit, scriptura non expressit, vt cuique liceat, prout explicandæ Chronologiæ commodum fuerit, annos contrahere aut prorogare. Interregnum.

XI. *De interuallo temporis inter primam seruitutem & Abimeleci mortem euoluto.*

39. Alt cap. 3. Israelitas, cùm post seniorum obitum dijs alienis adhæsissent Chusano Mesopotamiæ Regi traditos fuisse in seruitutem. v. 8. *Seruierúntque ei octo annis.* v. 9. *Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis Saluatorem Othoniel filium Cenes, fratrem Caleb minorem fuítque in eo Spiritus Domini, & iudicauit Israel.* Sed quot annis iudicarit, an statim ab obitu seniorum (quod equidem non credo) an post seruitutem depulsam, an ipso tempore seruitutis à Chusano iurisdictionem acceperit, disertè non ait. Subdit v. 11. *Quieuítque terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel.* Sed vtrùm mortuus fuerit post illos quadraginta libertatis ac tranquillitatis annos, an medio temporis quieti non constat, quamuis Hebraica phrasis eius obitum ad finem vsque proferre videatur: illud constat, nisi si scripturæ vim afferre velimus, annos octo seruitutis à quadraginta quietis annis esse remouendos, vt non solùm Serarius hic noster, sed etiam Petauius aduertit lib. 9. de doctrina temporum cap. 10. Prima seruitus 8 annorum. Quies 40. annorum.

40. Secuta Moabitica seruitus v. 14. *Seruierúntque filij Israel Eglon Regi Moab* 2. seruitus 18 annorũ.

Quies 40. annorum. *decem & octo annis:* & vers. 15. *Et postea clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod.* vers. 30. *Et quieuit terra octoginta annis.* An autem totis illis octoginta annis Aod iudicauerit, vel potiùs an omnino repræsentata libertate, iurisdictionem in ciues acceperit è scriptura certò colligi non potest, è qua illud vnum duntaxat liquet libertatem ac pacē Aodi facinore partam ad annum octogesimum propagatam fuisse. Aliquot annis ante quietis ac tranquillitatis finem mortuum fuisse non obscurè significat latina translatio, cap. 4. ineunte: *Addideruntque filij Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod, & tradidit illos Dominus in manus Iabin Regis Chanaan,* &c. Cùm enim culpa pœnam antecedat, si post mortem Aodi peccarunt, sequitur filios Israel aliquot annis post eius obitum in calamitatem incidisse.

41. Atque illo temporis interstitio, expirante sensim libertate, hinc Chananæis, Samgar. illinc Philisthæis ingruentibus: *Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit ex Philisthiim sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel.* Defendit vtique à Palæstinis, sed non liberauit à Chananæis, à quibus vel occisus, vel magistratu sub-Iael. motus est. Cui suffecta videtur Iael Chananæis amica & fœderata, non solùm mulier, sed etiam alienigena, vel in contumeliam gentis Hebrææ, vel ad maiorem victoris securitatem. Neque enim aliter interpretari possum illa capitis 5. verba, v. 6. *In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iael, quieuerunt Semitæ, & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios,* vers. 7. *Cessauerunt fortes in Israel & quieuerunt, donec surgeret Debora, surgeret mater in Israel.*

42. Hæc, inquam, aliter interpretari non possum, nisi dicam Iaelem quamuis mulierem & extraneam tempore Chanaaniticæ seruituris aliquid precariæ iurisdictionis habuisse. Posteà tamen Hebræis indultum vt suæ gentis Iudicem haberent, sed ea conditione vt mulier Iaeli succederet. Cuius fortasse submotionis dolore accensa Iael Sisaram Chanaaniticæ militiæ ducem adacto in tempora clauo interemit, vt narratur cap. 4. v. 21. Quanto verò tem-Debora. pore vel Samgar, vel Iael, vel etiam Debora ius dixerint ante depulsam Chanaaniticam seruitutem, neque sciri potest scriptura tacente, neque refert ad expediendas sacræ Chronologiæ rationes, & intemperantis animi est sine emolumento curiosiùs ista disquirere. Illud constat, aliquot Deboræ populum iudicantis annos illo seruitutis Chanaaniticæ spatio contineri, cap. 4. v. 3. *Clamaueruntque filij Israel ad Dominum; nongentos enim habebat currus Iabin Rex Chanaan, & per viginti annos vehementer oppresserat eos. Erat autem Debora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum illo tempore,* &c. v. 6. *Quæ misit & vocauit Barac,* à quo deletus Iabini exercitus, & Israel in pristinam libertatem assertus. *Quieuitque terra per quadraginta annos,* vt c. 5. vers. 32. subnectitur. Quamdiu porro Baracus iudicarit, vel potius an omnino iudicarit, neque satis liquet è scriptura, neque magni refert ad propositum quæstionem.

3. seruitus 20. annor.

Quies 40. annorum.

43. Subditur initio capit. 6. *Fecerunt autē filij Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manu Madian septem annis.* & cap. 8. vers. 28. *Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt vltrà ceruices eleuare: sed quieuit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.* Hîc habemus non modò Reipub. tranquillitatem, sed etiam Gedeonis præfecturam ad annum quadragesimum prorogatam fuisse, quod de cæteris publicæ libertatis assertoribus non liquebat. Post Gedeonis obitum tyrannidem occupauit Abimelech, *& regnauit super Israel tribus annis,* cap. 9. v. 22. quos certum est admodum fuisse turbulentos.

4. seruitus 7. annorū.

Quies 40. annorum.

Abimelech 3. anni.

44. Atque hos annos à prima seruitute ad mortem Abimelech ita distinctos, vt cōfundi nulla ratione possint, ne (vt optimè docuisti, mi Serari, suffragante Petauio viro sanè doctissimo) pugnantia loquimur, & Hebræis eodem tempore dicamus libertatem quietam fuisse & exercitam seruitutem, hos, inquam, annos in vnam summam si collegeris, 256. omnino numerabis.

Summa annorum à prima seruitute ad mortem Abimelech 256.

XII. *De cæterorum Iudicum annis ab Abimelech morte vsque ad Samsonem.*

45. De cæteris maior est difficultas (in qua soluenda nullo modo tibi, Serari, Petauio non vsquequaque subscribo) vtrùm seruitutes Ammonitica & Philistina seiunctè sumi debeant, an sibi ipsis vel quorumdā iudicum temporibus implicari. Quanquam implicandas esse nemini dubium esse debet, tum quia *Samson iudicauit diebus Philisthiim* (Iudic. 9. vers. 20.) *viginti annis,* quorum proinde annorum in texenda Chronologia seorsum ab illa seruitute nullam debemus habere rationem; tum maximè quia si hos annos explicemus, seorsumque

seorsúmque numeremus, summa tertij Regum non constabit, cogemúrque à recepta Latinorum & Hebraicorum codicum lectione discedere. Quod mihi sanè haud paulò durius videtur, quàm inscitiam meam confiteri. Quare quantum Scriptura non repugnante fieri poterit, amputandi sunt anni, vel potiùs aliis siue seruitutum, siue Iudicum annis inuoluendi, qui si explicatim seiunctimque sumerentur, summam illam 3. Regum assignatam, immane quantùm excederent.

46. *Post Abimelech, surrexit Dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, &c. & iudicauit Israelem viginti & tribus annis, mortuúsque est.* Iudicum cap. 9. ver. 1 & 2. Non ait terram sub hoc Iudice quieuisse, & sanè probabile est eius initia turbulentiora fuisse, donec tandem sedatis illis fluctibus decumanis, quos Abimeleci furor excitarat, Reipubl. nauem in seditionum salo fluitantem ad portum tranquillitatis eduxit. Postremis tamen eius temporibus res Hebræorum admodum floruisse, liquet ex eo quòd Iaïr qui Tholæ demortuo suffectus est, *habebat triginta filios sedentes supra triginta pullos asinarum, & principes triginta ciuitatum,* quod haudquamquam dici potuisset, si iam tum Hebræi alienigenis seruiissent.

47. *Huic* Tholæ *successit Iair Galaadites, qui iudicauit Israelem per viginti & duos annos.* vers. 3. Sub hoc Iudice quietis nulla mentio. Quare nullam scripturæ vim inferet, qui in eius tempora dixerit incidisse tum Ammoniticam tum Philistiacam seruitutem, vt anni seruitutis Ammoniticæ decem & octo totidem Iairi absorbeantur, & in vnum eundémque numerum coalescant, vt Gordonus, Torniellus, Salianus, Petauius, Bonfrerius, Henricus Philippi, Haruillæus, aliique confirmant: Philistinæ verò seruitutis initium inciderit in annum circiter nonum Ammoniticæ seruitutis, eiusque Philistinæ oppressionis anni nouem totidem annis Iairi postremis hauriantur.

48. Non enim tunc vna & eadem calamitas vniuersum Israelem inuoluit, sed aliæ Tribus Ammonitis seruiebant, aliæ Palestinis, aliæ bellis attritæ, variis latrociniis, atque hostium impressionibus vexatæ vastatæq, libertatem fugientem vix & extremâ, vt sic loquar, laciniâ prehensam retinebant. Quod ne somniasse videar, non obscurè scriptura significat cap. 9. v. 6. ad 10. *Filij autem Israel peccatis veteribus iungentes noua, &c. dimiserúntque Dominũ, & non coluerunt eum: contra quos Dominus iratus*

Extremis Iairi annis perturbatus Reip. status.

tradidit eos in manus Philisthiim, & filiorum Ammon: vides apertè duas populi calamitates, alteram à Philistæis illatam, alteram ab Ammonitis, eadem oratione coniungi, quod non fieret, nisi vtraque seruitus eodem tempore contigisset.

49. Quia tamen vtramque exequi simul vna narratione non poterat, alterã ab altera diuellit, & ab 8. versic. c. 10. cõmemorat quo pacto pars Tribuũ ab Ammonitis oppressa fuerit, Iephte ab illa Tribuum parte iugum seruile deiecerit, eóque paucis post annis morte sublato, Abesan, Ahialon & Abdon tribus illas in libertatem assertas iudicarint. *Afflictique sunt,* inquit, *& vehementer oppressi per annos decem & octo, qui habitabãt trans Iordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad, in tantum vt filij Ammon, Iordane transmisso vastarent Iudam, & Beniamin, & Ephraim, afflictúsque est Israel nimis.* Verùm Galaaditas ex his calamitatibus asseruit Iephte, & eam tribuum partem annis sex iudicauit, quam ipse vindicarat in libertatem, cui successerunt Abesan annis 7. Ahialon 10. Abdon 8. quorũ alius post alium iudicasse traditur c. 12. exeunte.

Ammonitica & Philisthina seruitus sibi inuicem implicantur.

50. Maneat igitur illos 18. Ammoniticæ seruitutis annos, atque vnum & 30. iudicũ, qui post eam Reipubl. præfuerunt, sic esse numerandos, vt vel expendantur omnes, & summa fiat 49. annorum, vel saltem 47. quia scriptura non apertè dicit vtrùm à principio, an à fine belli Iephte tempora computentur, & probabile est bellum illud secundo circiter anno fuisse confectum, adeóq; fieri potest vt duo primi anni Iephte duobus postremis seruitutis includãtur. Quamuis longè probabilius est scripturæque sacræ conformius eum non nisi confecto bello inter iudices cœpisse numerari. Vide cap. 11. vers. 9. & 10. Cùm igitur Thola tribus & viginti, Iaïr quatuor citciter annis iudicauerit ante Ammoniticam seruitutẽ, & à Mesopotamenę seruitutis initio ad Abimelechi mortẽ anni 256. effluxerint, Iephte verò & successores post 18. annorũ calamitatẽ annos 30. explerint, si omniũ sũmã facias inuenies annos ab initio 1. seruitutis, ad Abdonis obitũ 332. euolutos.

Iephte ac successorũ præfectura 40 Philisthinæ seruitutis annis includitur.

51. Rursum ab initio cap 13. reuertitur sacer historicus ad seruitutem Philisthinam, & quòd superiùs dixerat, *Peccatis veteribus iungentes noua:* per recapitulationem ita reuocat. *Rursúmque filij Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis.* Deinde subnectit quemadmodum Samson Philisthinorum vires variis cladibus attriuerit: quamuis populum suum

ab eorum dominio penitus liberare non potuit. Sed vt Angelus ipsius matri prædixerat capite decimo tertio, versu quinto. Ipse liberare incœpit Israel de manu Philisthinorum, donec tandem post mortem Heli Iudicis, ipso Samuelis initio, vt dicitur 1. Regum capite septimo, à versu decimo septimo. *Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltrà vt venirent in terminos Israel; facta est itaque manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis, & redditæ sunt vrbes quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli ab Accaron vsque Geth, & terminos suos, liberauitque Israel de manu Philisthinorum.*

Item iurisdictio Heli 52. Quis autem toto illo tempore, quo Tribus aliquot Palæstinis seruiebant, iudex earum fuerit, dubium esse non potest. Heli, vt legitur 1. Regum capite decimo quarto, versu decimo octauo, *Iudicauit Israel quadraginta annis.* At, vt vidimus seruitus Illa Philisthina totidem annos emensa finem habuit Samuelis initio qui Heli mortuo suffectus est: ergo tempus illud quo Heli iudicauit, precariámque sub Philisthinorum dominio iurisdictionem exercuit, respondet Philisthinæ seruituti, & omnes eorum iudicum annos occupat, qui post initium calamitatis in aliis Tribubus iurisdictionem habuerunt.

53. An autem eorumdem Philisthinorum opera summum Sacerdotium ab Eleazari posteris ad se suámque familiam ab Ithamaro altero Aaronis filio propagatam traduxerit, aut quandiu versatus in eo fuerit, neque certis indiciis indagare possumus, neque præsentis est instituti curiosiùs inquirere, & vbi nulla necessitas incumbit, statuimus orationem nostram à coniecturis ac suspicionibus abstinere, constat tamen Heli iam summum fuisse Pontificem, quo tempore natus est Samuel, qui cùm Heli mortuo suffectus est, iam decursis cæterarum ætatum spatiis ad virilem peruenerat.

XIII. *De Samsone.*

Samson iudicauit in diebus Philisthiim. 54. AD Samsonem quod attinet, eius præfectura citra controuersiam quadraginta Philisthinæ seruitutis annis includitur, cap. 5. v. 20. *Iudicauitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis.* Quod de vniuersis Tribubus intelligendum non videtur, sed de illis duntaxat populis qui rebus à Samsone gestis excitati eiusdem auspiciis à Palæstino defecerant, cùm interim Abesan, Ahialon & Abdon trans Iordanem Heli Sacerdos in Tribu Iuda cæterisque in terræ promissæ meditullio positis Palæstinæ tributariis iurisdictionem obtinerent.

55. Certè Eusebius in Chronici sui præfatione, non iam ex Hebræorum, sed ex suo sensu loquens Samsonis Abdonisque (quem Labdonem indigitat) præfecturam eidem planè tempori consignat. *Rursum,* inquit, *si à prima Olympiade ad superiora* Eusebius. *tempora vsque ad captiuitatem Troiæ procedaris, inuenies annos CCCCVI. quos & nos in priore opusculo digessimus, vt curiosissima Græcorum historia conscribit. Item apud Hebræos à supradicto Osiæ anno quinquagesimo, & temporibus Esaiæ Prophetæ, vsque ad Samson & tertium annum Labdon* (siue Abdon) *iudicis, supputabis annos* CCCCVI. Et paulo pòst ista subnectit. *A quadragesimo quinto Cecropis anno, vsque ad captiuitatem Troiæ, & ab octogesimo Mosis anno, in quo populum Israeliticum de Aegypto eduxit vsque ad Abdon & Samson Iudices, computantur anni* CCCXXIIX. Et rursum supputat annos DCCCXXXIV. *à natiuitate Abraham vsque ad Labdon & Samson Iudices Hebræorum qui Troianis temporibus populo præfuerunt.*

56. Neque verò aliter exponi debet illa Iacobi vaticinatio Genesis 39. ver. 16. *Dan* Explicatur Gen. 39. v. 15. *iudicabit populum, sicut & alia Tribus in Israel,* quàm Samsonem ex Tribu Dan Reipublicæ præfuturum, quo tempore iudex alter etiam ex alia tribu, vel potiùs alij Iudices ex aliis Tribubus iurisdictionis partem obtinerent.

Neque aliam fortasse ob caussam initio Item Ruth 1. v. 1. libri Ruth adiecit hæc verba Latinus interpres, *in diebus vnius Iudicis*: quàm vt ostenderet ea quæ narrantur, ante Ammoniticam seruitutem contigisse, priùs quàm in varias distracta partes esset Hebræorum Respub. necdum plures diuersis in Tribubus eodem tempore iudicarent.

57. Atque è dictis constat illo 49 anno- 49.
rum spatio quos ab anno 4. Iairi ad Abdo-
nis obitum numeramus, annos Iairi octo- 18.
decim postremos, totidem Ammoniticæ 18.
seruitutis, 40. seruitutis Palæstinæ, totidem 40
præfecturæ Heli, viginti Samsonis, ita 40.
fuisse comprehensos, vt hi omnes sibi mu- 20.
tuò complicati annorum vndequinquaginta summam duntaxat efficiant, qui si euoluerentur explicarenturque, ad centum 185.
octoginta quinque excrescerent.

XIV. *Annorum summa qui ab initio primæ seruitutis fluxerunt, vsque ad Samuelem.*

58. IAm subductis rationibus annorum
qui ab initio Mesopotamenæ serui-
tutis ad Samuelis initium euoluti sunt,
summam aliquando faciamus. Cùm ser-
uituti sub Chusan anni octo, quieti sub-
8. secutæ quadraginta, seruituti sub Eglon
40. octodecim, quieti per Aodum partæ
18. octoginta, seruituti sub Iabin viginti, li-
80. bertati per Barac & Deboram recupera-
20. tæ quadraginta, rursum seruituti sub Ma-
40. dian anni septem, quieti sub Gedeone qua-
7. draginta tribuantur, neque anni seruitu-
40. tis annis quietis inuolui contineríque pos-
sint, necessariò debent expandi seorsúm-
que numerari, quos numeros si coniun-
xeris, anni ducenti quinquaginta tres col-
253. ligentur.
2. 59. His adde Abimelechi annos tres,
23. Tholæ tres & viginti, tres Iaïri, quibus ela-
3. psis videtur oppressio filiorum Ammon,
9. & nono pòst anno Philisthina seruitus,
item iurisdictio Heli Pontificis ortum ha-
40. buisse: cui si annos quadraginta tribuas,
annos ab initio primæ seruitutis ad obitum
331. Heli & exortum Samuelis, trecentos tri-
ginta & vnum numerabis.

XV. *De annis Samuelis & Saulis.*

60. QVod spectat ad Samuelis ac Saulis annos, variæ sunt authorum diffidentésque sententiæ. Ait quidem Apostolus Act. 13. v. 20. *Et post hæc dedit indices vsque ad Samuelem Prophetam, & exinde postulauerunt Regem, & dedit illis Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin annis quadraginta.* Hos annos quadraginta pauci quidam soli Saüli tribuunt: pleríque omnes putant non vnius tantùm Saulis, sed etiam totum Samuelis tempus quadraginta duntaxat annorum spatio contineri. Quo posito suos singulis annos, ita distribuunt atque dispensant, vt cuique commodum fuerit.

61. Salianus viginti duos annos Samueli, Sauli octodecim, alii spatium totum ex æquo diuidentes viginti singulis assignant.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Harum tamen suspicionum caussam si quæras, nullam proferent, cum à Chronologiæ commoditate discesserint. Probabiliùs aliquanto, ni fallor, Adrichomius, Gaspar, Sanctius, Tirinus, alíque non pauci dant Samueli annos duodequadraginta, Sauli duos. Nam, vt disertè legitur 1. Regum capite decimo tertio, versu 1. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel.* Quibus verbis duos duntaxat annos Saulis regno tribuendos esse defendunt. Nolo disputare. Nolo quæ minus necessaria sunt, curiosiùs inquirere.

62. Quamdiu eorum singuli Rempu-
blicam gesserunt in medio relinquo: &
illuc, vt in re dubia feror, quo plurium
incumbit authoritas, vt anni Samuelis ac
Saulis collecti duntaxat quadraginta com- 40.
putentur. *Dies autem quibus regnauit* 40.
Dauid super Israel, quadraginta anni sunt. 40.
3. Regum capite secundo, vers. vndecima. 3.
Quibus si quadraginta Mosis annos, tres 331.
Salomonis, priusquam templum ædifica- 454.
re cœpisset, elapsos ad superiorem illum 26.
numerum 331. ex Iudicum annis colle-
ctum adieceris, omnino quadringenti quin- 480.
quaginta quatuor colligentur, supererúnt-
que anni sex & viginti quibus hiatus ille
multorum annorum, qui est inter Mosen ac
Mesopotamenam seruitutem affatim impleatur. Quam sententiam vt amplectar, tum illud suadet quòd Eusebius annos ab obitu Mosis ad primam seruitutem viginti septem videlicet inchoatos, agnoscit; tum illud imprimis quod hoc interuallum & necessarium est ad expediendas sacræ Chronologiæ rationes, & sufficit ad tuendam scripturæ veritatem, & vix sine incommodo potuit esse productius.

XVI. *De annis Iosue & seniorum.*

63. EQuidem non sum propheta, nec filius prophetæ, vt meas diuinationes & suspiciunculas pro certis oraculis obtrudam, neque vllum apparet in Scriptura vestigium, quo certum ac definitum Iosue tempus subodorari atque indagare possim: tamen, ni fallor, terræ distributio, quam anno circiter à morte legislatoris sexto factam fuisse colligitur, ex Iosue decimo quarto, vers. 10. & quod Iosue vltimo capite vers. 31. & Iudic. 2. vers. 7. scribitur: *Seruiuit Israel Domino*

cunctis diebus Iosue,& seniorum, qui longo tempore vixerunt post Iosue, & qui nouerunt omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel, ac tempus illud qui senioribus iam morte sublatis à pristina pietate prolapsi diis alienis seruierunt, non incommodè potuit viginti sex annorum spatio comprehendi. Cùm enim interregnum illud plus biennio non requirat, quo tempore probabile est, vel potiùs penè certum Benjaminiticam internecionem, &quod de Mica narratur libro Iudicum extremo contigisse, seniores longo tempore Iosue superstites esse potuerunt.

Seniores qui longo tempore vixerunt post Iosue.

64. Quamquam vbi legimus,*& seniorum qui longo tempore vixerunt post Iosue*, habet codex Hebraicus, qui האריכו ימים *hiericou iamin*, qui prolongauerunt dies. Chaldæa Paraphrasis, דאוריכו *deoricou*, eâdem subiectâ sententiâ, LXX. seniores, *ὅσοι ἐφείλκυσαν τὸν χρόνον μετ' αὐτοῦ. Quotquot protraxerunt dies cum ipso*, nisi ii, ne à textu principe dissentiant, legendum putamus, *μετ' αὐτόν, post ipsum*, è quibus aliud colligi nihil potest, quàm eos & iam prouectæ fuisse ætatis, & Iosue mortuo superstites aliquandiu fuisse. Vnde & nobis integrum sit, ita Latinam versionem interpretari, quasi dicat, & seniorum qui longo tempore vixerunt,& Iosue superstites fuerunt.

65. Quia tamen puris putisque nostræ translationis verbis mordicus inhærere decreuimus, & verba sonant hos non solùm longo tempore vixisse, sed etiam longo tempore post Iosue vixisse, dicendum videtur longum reuera tempus inter Iosue seniorúmque illorũ mortem interceptum fuisse. Longum autem tempus Iurisconsulti decennio definiendum putant ad institut. Iustiniani capite de vsucap. lege 1. *per longi temporis possessionem, id est inter præsentes decennium, inter absentes viginti annos.* E quibus constat sufficere quidem annos sex & viginti, vt verbi caussa Iosuæ 14. senioribus decem, interregno duo tribuantur: vix tamen & fortasse ne vix quidem tribui posse pauciores: vix etiam plures fuisse liquet ex eo quod Othoniel qui primam illam depulit seruitutem, Calebi frater fuit, & iam ætate florebat quo tempore facta est agrorum diuisio. Vide Iosue cap. 15. v. 17. Iudic. 1. v. 13. fuerit ille triginta circiter annorum: cùm liberauit Israelem, iam vltra sexagesimum peruenerat, quem tamen volunt annis quadraginta populo præfuisse.

Longum tempus 10. anni.

XVII. *Confirmatur superior Chronologia ex verbis Iephte.*

66. Accedit quòd hæc nostra Chronologia calculo Iephte bellè consentiat. Caussabantur Ammonitæ factam sibi ab Israelitis iniuriam, séque de terra Galaaditide contra ius ab iis fuisse deiectos, & quasi res suas repeterent, non alienas inuaderent, eam occuparent. Quando primùm id iactare cœperint, certò definiri non potest. Ponamus id facere cœpisse decem circiter annis ante suam de Galaaditis victoriam, qui legationibus vltro citóque mittendis, vt fieri solet cùm illaturi bellum ius cupiditati suæ prætexunt, apparando, gerendo, conficiendóque bello exigi facilè potuerunt. Cùm, vt è dictis liquet, Galaaditæ post primæ seruitutis initium anno tertio & octogesimo supra ducentesimum in Ammonitarum ditionem concesserint, cùm primùm illi terram sibi contra ius ereptam obtendere cœperunt, iam ab obitu Mosis, & inita terræ possessione anni trecenti effluxerant.

67. Vnde & merito Iephte cap. 11. v. 26. *Quando habitauit in Hesebon & viculis eius, & in Arnon & villis illius vel in cunctis ciuitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos, quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis.* Verè. Nam si annis ducentis septuaginta quatuor, qui à prima seruitute ad illam clarigationem siue repetitionem elapsi fuerant, adiicias annos sex & viginti, quos à postremo Mosis anno,& initia terræ Galaaditidis possessione ad primam illam cladem statuimus, trecentos omnino numerabis, tamque præcisè Iephthæus calculus nostræ Chronologiæ conueniet, vt exactius conciliare non potuerit vel Archimedes. Commodiùs certè quàm Petauius qui viginti quinque trecentis adiecit, aut Tirinus, vt alios omittam, qui triginta tres è numero subducit.

XVIII. *Respondetur argumentis Serarij.*

68. Venio nunc ad te, Serari. Duabus potissimùm rationibus tua nitebatur oratio. Aiebas nisi numerus ille 480. mutetur, cohærere non posse cæteros numeros qui sparsim totâ Iudicum Chronologiâ referuntur, ac proinde sa-

tius videri vnum quàm multos Scripturæ numeros emendare, aut contortis interpretatiunculis à genuino verborum sensu discedere. Vides è dictis summum esse scripturæ consensum, si annotum vndequinquaginta spatio octodecim Iairi postremos, seruitutes Ammoniticam & Palæstinam, Heli, Samsonis, Iephte, cæterorúmque qui huic in Galaaditide successerunt, iurisdictionem implicemus.

69. Etsanè cùm aliam Tribuum partem Iephte, aliam Samson in libertatem vindicassent, aliam adhuc obrinerent Palæstini, par est credere diuersos Iudices fuisse constitutos, præsertim Scriptura vel non repugnante, vel etiam fauente, vt iam ostendimus. ----ἐχθρὸν δέ μοί ἐστι,

Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

Odyss. μ vers. vlt. *Ingratum est iterum manifestè dicta profari.*

Maiorem, vt mihi videbare, vim in Pauli testimonio faciebas. Sed eum Latinè loquentem tantisper audiamus. Ait Actor. cap.13. v.17. *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit cùm essent incolæ in terra Aegypti, & in brachio excelso eduxit ex ea*: vers.18. *& per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto: 19. & destruens septem gentes in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum: 20. quasi post quadringentos quinquaginta annos: 21. & post hæc dedit iudices vsque ad Samuelem Prophetam*. Hæc è versione communi.

70. Quæ verba cùm annos illos quadringentos & quinquaginta non ad iudicum tempora, sed ad patrum electionem referant, nostris rationibus officere non possunt, Et iam ostendit Genebrardus huic nostro Philalethi (aderam enim, & in hoc Morphei regno

---ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω

videbam, quæ gerebantur) ostendit, inquam, Genebrardus à testamento Iacobi, quo & duodecim filij Israel totidem Tribuum Patres & Patriarchæ instituti sunt & prædicta decretáque fuit illa terrarum assignatio, ad ipsam distributionem annos præter propter quadringentos & quinquaginta numerari.

71. At enim maior esse debet Græci textus quàm Latinæ translationis authoritas, quòd & Græcè Paulus eam habuerit concionem, & Lucas Græcè scripserit, & inde facta sit in Latinam linguam translatio, & purior sinceriórque latex ex ipso fonte, quàm è riuulis hauriatur. Imò, mi Serari, hoc equidem loco vlcisci me poteram, quòd me naturâ breuitatis amantem in hanc prolixæ disputationis necessitatem conieceris. Poteram respondere Græco textui Latinum esse præferendum, Græcíque nullam authoritatem videri, sicubi à communi Latina versione dissentiat, in Concilio Tridentino, sessione 4. Decreto de Canonicis Scripturis, anathema dictum non illi qui de Græcorum codicum fide dubitarit, sed ei *qui sacræ Scripturæ libros* (adeóque ipsos Actus Apostolorum) *integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit*. Maiórne sit Græci textus an Latinæ translationis authoritas.

72. Verùm id non dico, ne tibi, pio videlicet atque erudito viro per summum ius summa fiat iniuria: illud aio, etiamsi contra editionjs vulgatæ fidem Græci textus ordinem sequeremur, & Acta cum 3. Regum conciliati non possent, lapsum tamen in Actis Apostolorum Græcis, quàm in libro Regum siue Latino, siue Hebraico futurum fuisse proniorem: facilius enim librarius pro τριακοσίοις, id est, *trecentis*, scribere potuit, τετρακοσίοις .i. *quadringentis*, quàm vel ארבע *arba*, *quatuor*, pro שש sex, vel *quadringentesimo*, pro *sexcentesimo*, vt tu reponendum esse defendis, ac proinde si quid in alterutro corrigendum fuit, ea scriptura potiùs in mendi suspicionem vocanda fuit, in quam mendum faciliùs potuit irrepere. In vtros codices faciliùs mendum irrepserit.

73. Neque verò quicquam est cur hoc loco tibi de tuo ab hæreticis dissidio magnopere blandiare. Non enim solus Lutherus reliquúsque grex impiorum, sed etiam Caietanus aliíque apprimè Catholici pro quadringentis trecentos in Græco textu reponendos esse censuerunt. Quanquam, quæ est ista ratio? Ita sentiunt hæretici: igitur contrarium sentiamus. Dicamus animam esse mortalem, quia nouatores immortalem esse defendunt, vnum illi Deum credere se dicunt: nos dicamus contrarium; sic enim magis declinamus hæreticos, illi baptismum admittunt: nos repudiemus ne cum hæreticis sentire videamur. Non omnis repudianda quæ dicuntur ab hæreticis.

74. Spartæ vir nefarius vtilem Reipublicæ protulerat sententiam: placebat illa, sed author displicebat. Ergo quasi bonum liquorem è vase occupato in sincerum transfunderent, eandem sententiam à bono ciue, verbis haud scio an iisdem proferri voluerunt, quem vniuersa

Respubl. sequetetur authorem. Lacedæmonios imitemur. Displicet tibi Lutherus, placeat Caietanus. Lutherum abominaris, facis hoc quidem pro tua pietate. Sed an tibi sententiæ propter Lutherum displicent, an Lutherus propter sententias?

75. Quid quod in Actis Græco textui Latina translatio refragatur: at, quod tute fateris, Serari, tertio Regum Hebræi codices, Chaldæi, Latini, Græci etiam plerique conspirant in eandem Lectionem: Et si Bellarmino libro de verbo Dei, capite secundo, imo si vel ipsi Augustino libro decimo quinto de Ciuitate Dei, capite decimo tertio, fidem habemus, credibile non est Hebræos codices odio Christianorum à Iudæis esse corruptos, eósque *dum aliis inuideant authoritatem, sibi abstulisse veritatem*: multo autem incredibilius est errorem hunc Rabbinorum, incuriâ contigisse, vt pro שש scriberetur ארבע, vbi nulla similitudo litterarum calami lapsum admittit.

Hebræi codices an vitiati?

76. Atque vt nihil loquar de superstitione, dicam? an religione, recentiorum Iudæorum, qui vt ibidem notat Bellarminus ex Ioanne Isaaco, legem fere, vt numen adorant, & si quando in terram ceciderit, ieiunium publicum indicunt, tanta iam olim religio consetuandæque Scripturæ studium priscis Iudæis incederat, vt, quod Philo testatur, duobos annorum millibus ne verbulum quidem in lege mutarint. Quæ vt ad posteros integra & illibata perueniret, incredibile dictu est quantam adhibuerint cautionem Rabbini quos Masoteticos appellant.

Lib 2. de vita Mosis ineunte.

77. Non est quod tecum de Rabbinorum industria pluribus agam, mi Serari, tamen vt hic etiam Philalethes eorum curam & sollicitudinem miretur, operæpretium fuerit audire Heliam Leuitem præfatione tertia libri Traditionum ita loquentem Munstero interprete. Vis videre quò peruenerit studium eorum? en cognouetunt quòd Vau in dictione, גחון *gahon*, quæ scribitur Leuit. 11. [v. 42.] sit medium legis quantum attinet ad medium literarum: & דרש דרש *darosen darosen, inquirenda inquisiuit Moses*, Leuitici capite decimo, versu decimo sexto, medium sit legis quantum attinet ad dictiones vtrimque numeratas: illud autem, *& posuit super eum rationale*, capite octauo, versu octauo, medium sit legis in versibus. Idem sentiendum de omnibus viginti quatuor libris biblicis, in quibus omnibus numerauerunt versus, dictiones, & literas.

Masoretarum diligentia.

78. Ac paucis interiectis ista subtexit. Numerus autem litterarum totius legis 600045. Inuenimus præterea quòd numerauerunt quoties singulæ litteræ in tota biblia inueniantur, deprehenderúntque Aleph contineri in ea 42377. & Beth 38218. vicibus: & Gimel 29537. vicibus: & sic de singulis litteris, de qua re editus est pulcher rythmus. Hæc ille. E quibus videas quàm difficile fuerit mendum in Hebræos codices illabi, cùm nec Rabbini diligentia defuerit; & cùm testimonia Christo clarissima non mutarint, caussæ nihil appareat, cur hunc textum corruperint, in cuius vitiosa lectione contra Christianos operæ pretium non extabat.

Quot literæ in Pentateucho.

79. Sed quid si remanentibus iisdem vtrobique literarum apicibus ratio, non improbabilis inuenitur conciliandi scripturas, etiamne alterutri manum limamque censoriam admoliendam putabimus? In Actis versum decimum octauum, & decimum nonum parenthesi claudamus, vt ita cohæreat oratio. *Eduxit eos ex ea.* Israelitas videlicet eduxit Deus ex Ægypto, *& postea*, quàm ipsos eduxit, eo ipso anno quo mare rubrum transierunt, *dedit eis iudices quasi annis quadringentis, & quinquaginta vsque ad Samuel Prophetam*, à primo videlicet peregrinationis anno, quo Moses suasu Iethro soceri sui, *electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, &c. qui iudicabant plebem omni tempore*, Exodi capite decimo octauo vers. vigesimo octauo, vsque ad obitum Samuelis, de quo 1. Regum capite septimo, vers. decimo octauo: *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ*, quem paucis ante Saülem mensibus extremum vitæ diem obiisse plerique Chronologi censuerunt, quadraginta tribus annis ante conditum templum Salomonis. A cuius substructionis initio cùm ad ipsum egressionis initium annos quadringentos & octoginta numeremus, si à 480. deduxeris 43. supererunt 437. à primis Iudicibus ad obitum Samuelis, quos Apostolus annos quasi quadringentos & quinquaginta nominauit: ac proinde nulla est inter vtramque scripturam dissensio.

Conciliantur Acta cum 3. Reg.

80. Interim tamen stabit sua veritas Latinæ versioni, & fortasse ita dixerat Paulus, & Lucas scripto consignarat:

Eduxit eos ex ea terra Ægypti, *(& post quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto, & destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum quasi post quadringentos & quinquaginta annos) & post hæc annis circiter quadringentis & quinquaginta dedit Iudices vsque ad Samuel Prophetam.* Sed fieri potest, vt quod fieri solet in eiusmodi perplexitatibus, librarii repetitionem hanc superuacaneam rati verba, *quasi post quadringentos & quinquaginta annos*, ex altero loco Græcus, ex altero Latinus eraserint.

Noua suspicio de loco Actorum

81. Sed si quis hoc loco me somniâsse dixerit, non sanè magnopere contendam aut peruicaciùs coniecturam ac suspicionem meam tuebor, dum illud constet propter istius loci dubiam in codicibus Græcis lectionem, nihil esse de alterius integritate libandum, in qua lectione codices Hebræi, Chaldæi, Latini, Græci, plerique consentiunt, & vereor ne tu qui plenis orationis velis me nauigare iussisti, iam vel rideas, vel, quod magis est humanitatis tuæ, doleas meum in portu naufragium. Sed iam si placet ad fontem hunc aliquantisper sedeamus.

XIX. *Iterum de Samsone & fine Philistiacæ seruitutis.*

82. INterim ad porticum mediam veneramus, cùm ecce noua se nostris oculis amœnitas ingessit. Ingens erat è Pario marmore simulacrum, ad cuius pedes non pauci quasi mortui iacebant, oculi ardentes, elata ceruix, comæ ad humeros defluentes, membrorum compositio nescio quid planè generosum ac martium spirans, dextera mandibulam asini sustinebat: Ex hac magna vis aquæ excusso molari profluens cauato lapide suscipitur, labro smaragdino continetur eo temperamento, vt impleat, nec redundet. Quantum enim aquæ è mandibula desilientis in labrum influxerit, tantum per occultos tubulos emittitur, iucundo quodam murmure sublabens, diuersisque sipunculis quasi totidem venulis implicita singultat, atque in statuarum subter pedes Samsonis iacentium vulnera rursus ebullans substrato corallio, & hæmatite, quodam luminis repercussu verum sanguinis colorem imitatur.

83. Iuxta hunc fontem in ipso porticus vmbilico statua grandis è marmore Proconnesio apprehendens columnas duas porphyreticas, quibus tota Xysti moles niti videbatur, alterámque earum dexterâ, & alteram lævâ tenens. Infra pyramis è marmore Carystio, venis qua cœruleis qua candidis intercursantibus, atque in alios subinde aliósque vortices ita conuolutis, vt aliquam conglobatarum nubium speciem intuentibus exhiberent: basim Hebræorum inermium ac Palæstinorum armatorum cohortes eminenti cælatura extantes ex omni latere decorabant (Hebræi *aben ezer*, nostri *lapidem adiutorij* dixerunt) Palæstinis in aciem explicatis nubes grauida fulminibus, intereisa fulguribus tantum non tonitrui fragorem edens incumbebat.

84. Hic Memburgus, vt erat suauiter ac religiosè facetus, ad me se conuertens. Vereor, inquit, Philalethes, vt parum grata tibi mea fuerit oratio: sed oratores duos, qui pro me loquantur, Silanum & Tullium non abs re fuerit excitare. Ad hæc cùm ego subridens ac nescio quid suspicatus me circumueniri dicerem, nec intelligere quid vellet, iam ille furtim emissorios fontis tubulos, quos alii silanos, alii tullios appellant, me nec-opinante laxauerat: & aqua bifariàm diuisa canaliculis quibusdam occultis partim in statuam, partim in pyramidem tacitè sublabens nescio; quas machinulas latentes abdita rotularum ferrique reductilis motione ita torquebat, vt & in media pyramide ex mutuo silicum attritu scintillæ vibratim eliderentur, per quasdam marmoris rimas promicarent, ac fulgetrorum instar oculos intuentium tremula crispantique coruscatione perstringerent, audirentur etiam tonitrua Manliana, & magno fragore nescio quid trifidum fulminis instar in subiectas Palæstinorum acies descenderet, eásque latentibus rotulis impulsas in terram prosterneret.

85. Vt vidi, expallui, iámque me ab illa pyramide in interiorem porticum recipere parabam, cùm ecce statua columnas illas duas manibus prehensas ita concussit, vt tota repente porticus quasi *iam iam lapsura cadentique* similis quateretur. Eo siquidem contexta fuerat libramento, ita versatilibus compacta triangulis, vt tectum ipsum nutaret, columnæ pene procumberent, pa-

ries ipse timis fatiſceret, diſiecta marmora & alia aliis auulſa paſſim diſcederent, nihil denique propiùs abeſſe videretur, quàm vt & Xyſtus caderet, & ego ruinis inuoluerer. Hîc ego quaſi inter ſaxum & ſacrum, vt aiunt, inter Scyllam & Charibdin ſubitò deprehenſus, quo me verterem non habebam, niſi Memburgus me timore penè exanimatum aduertens emiſſorio tubo non ſine riſu confeſtim epiſtonium obdidiſſet, & aquis aliò deriuatis, omnibus in priſtinum reſtitutis, totum illum tumultum repente ſedaſſet, atque

----vt auras

Suſpiciens hauſi cœlum mentémque recepi.

Ecquid, inquit ille ſubridens, mi Philalethes, tibi diſertus videor? Ecquid meam vocem Tullij tonitruis anteponendam fateris?

86. Hæc illo dicente in ſedibus cedrinis ad pyramidem conſedimus. Me quidem, inquam, mi Memburge, non minus oblectauit oratio tua, quàm Tullianum illud fulmen ac Silani fragor exterruit. Sed illud in ea diſputatione potiſſimùm mihi placebat, quòd omnia Scripturæ verba, prout nudè ſonant, in propria genuináque ſignificatione ſine fuco & fallacia ſumeres, vt non tam Scripturam explanare, quàm ſparſa Scripturæ teſtimonia vnde-vnde corradere & congerere videreris. Equidem, inquit, vt de meis ſtudiis tibi fatear, ſi quid in eo genere poſſum, quod quàm exiguum ſit ipſe ſentio, ſed ſi quid poſſum, ideo poſſum quòd mihi non multum indulgeo, nec ingenio velificans meo conſector contortulas iſtas interpretationum argutias, ſed verbis mordicùs hæreo, nec citra grauem omnino neceſſitatem figurarum troporúmque fucum ſacris illis hiſtoriis allinendum puto.

87. Et ne longiùs abeamus, cùm Angelus Samſonis matri prædixerit Iudic. 13. verſu quinto. *Et ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.* Quamuis capite decimo ſexto, verſu trigeſimo, legam: *Et apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alterámque earum dexterâ, & alteram leuâ tenens ait, Moriatur anima mea cùm Philiſthiim: concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes Philiſthiim & ceteram multitudinem, quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens quàm viuus occiderat:* non ſic interpretor, vt omnino liberarit, incœptámque populi vindictam ad finem perduxerit (quid enim eiuſmodi verba ſonant?) ſed vt Philiſthinorum vires attriuerit, Iſraelitas partim eripuerit ſeruituti, partim ad ſpem recuperandæ libertatis erexerit.

Samſon non integrè depulit ſeruitutem.

88. Quibus iugum excutientibus, *conuenerunt Philiſthiim in pugnam*, vt primi Regum capite quarto, ſubnectitur. Contra quos cùm Iſraelitæ arcam adduxiſſent, illi ſe his verbis hortabantur. *Confortamini & eſtote viri Philiſthiim ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis, &c. Pugnauerunt ergo Philiſthiim, & arca Dei capta eſt: duo quoque filij Heli mortui ſunt Ophni & Phinees.* Quam Hebræorum cladem & arcæ captiuitatem vides in hac tabella viuis coloribus adumbratam. E quibus quiuis nullis præiudiciis occupatus facilè intelligat Philiſthinam ſeruitutem à Samſone quidem profligatam, non tamen ab omni populo funditus eſſe ſublatam, donec tandem Heli mortuo? *cùm Samuel,* (vt narratur primi Regum, capite ſeptimo, verſu decimo,) *offerret holocauſtum, Philiſthiim inire prælium contra Iſrael, intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & caſi ſunt à facie Iſrael.* Subdit quo pacto, *lapidem adiutorij* Samuel excitarit. *Deinde* verſu decimo tertio. *Et humiliati ſunt,* inquit, *Philiſthæum, nec appoſuerunt vltra, vt venirent in terminos Iſrael, facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis, & redditæ ſunt vrbes quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, Iſraeli, ab Accaron vſque Geth & terminos ſuos, liberauítque Iſrael de manu Philiſthinorum.*

89. E quibus aduertis, Serarij, verùm à Iairo ad Samuelem vſque, tempora ſeruitutum & Iudicum debuerint expandi, atque inter Iair & Iephte ſeruitus Ammonitica annorum decem & octo, inter Abdonem & Samſonem anni quadraginta Philiſthinæ ſeruitutis interſeri, ac rurſus inter Samſonem & Samuelem anni ſex & quinquaginta numerari. Quæro enim qua Scripturarum authoritate, compulſus hæc in annos ducentos quadraginta diduxeris, quæ facilè poterant, adſtipulante, certè non reluctante Scripturâ, annorum vndequinquaginta ſpatio contineri. Atque vtinam tam facilè Samuelis annos Saulis annis implicare poſſemus: ſecutus ſum quidem hactenus

tritam

tritam ac peruulgatam Chronologorum sententiam, nec me disputationum tricis inuoluendum putant, mihi tamen ipsi non satisfacio, aueóque de te scire quid sentias.

XX. *Iterum de annis Samuelis ac Saulis.*

90. Quæ cùm Memburgus dixisset, tum Serarius: Vicisti, inquit, mi Memburge, vicisti: tibi planè de cæteris acquiesco. Quod attinet ad annos Samuelis ac Saulis: Samuel multis annis iudicauit.

—Non hîc te carmine ficto

Atque per ambages,& longa exorsa tenebo. Certum videtur Samuelem multis annis populo præfuisse: aut si inter-regnum inter Heli & Samuelem admittimus, vt aliquando probabilius putaui, saltem negari non potest inter obitum Heli ac Saulis vnctionem multum temporis interfluxisse. Qui enim Heli iurisdictionem iam obtinente natus fuerat Samuel, consenuerat antequam Saul in Regem vngeretur, 1.Regum cap.8 vers.1. *Factum est autem cùm senuisset Samuel posuit filios suos Iudices Israel.* vt ipse cap 12.vers.2.legitur hanc, statim atque Rex declaratus est Saul, in Galgalis habuisse concionem. *Ecce Rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porro fily mei vobiscum sunt. itaque conuersatus sum coram vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem: Ecce præsto sum*, &c. E quibus efficitur Samuelem non fuisse septuagenario minorem, cùm Saul Reipub. gubernaculis admotus est.

91. Plerique, quorum, quia disputare nolebas vestigiis hærere voluisti, ab obitu Heli ad initium Dauidis annos duntaxat quadraginta numerant, quibus Samuelis ac Saulis tempora circumscribunt. Quamuis in assignandis annis, vt bene aduertisti, inter se dissentiant, & alii singulis annos vicenos ex æquo partiantur, alii viginti duos Samueli; decem & octo Sauli tribuant, alii demum ex annis illis quadraginta duos duntaxat delibent, qui Saulis regno tribuantur. Alii contra Saulem ipsos annos quadraginta regnasse defendunt, seorsum à præfectura Samuelis, qui multis ante Saulē annis Israeliticæ Reip. tenuit principatum. Diuersæ de annis Samuelis sententiæ.

62. Qui Saulem annis quadraginta Hebræis præfuisse, adeoque Samuelis annos cum eius annis coniungunt, vt ex vtriusque præfectura quadraginta tantùm colligantur, sacræ Chronologiæ scripturæque conciliandæ necessitatem obtendunt. Quandoquidem enim 3.Reg.cap 5.vers.1.legunt ædificari cœptam domum Domini quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, anno quarto regni Salomonis, numerus autem annorum quibus Iudices Hebræis præfuerunt, longè maior Iudicum libro videtur explicari, quia scripturas inter se specie dissidentes, aliter conciliare se posse diffidunt, nisi seruitutum annos annis quietis, annos Samuelis annis Saulis confuderint; faciunt quòd obærati, cùm soluendo non sunt, facere solent, qui quas expedire & extricare non possunt, magis confundunt, turbantque rationes. Quare si seruata proprietate verborum viam probabilem inuenire poterimus, qua scripturæ & explicentur, & inter se concilientur, cur earum plerasque in alium sensum detorqueant, non habebunt. Rationes singularū opinionū.

93. Peculiaris est eorum caussa qui Saulis regnum biennio circumscribunt. Non enim sola Chronologiæ necessitate, quæ illis cum aliis communis est, sed etiam Seder Olam, & quod caput est, primi Regum authoritate nituntur. & cùm cap.13. v. 1. legant: *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel:* sic exponunt quasi duo duntaxat anni Saulis regno tribuantur.

Qui quadraginta Saulis annos ab annis Samuelis, separandos existimant, Paulum suæ sententiæ laudant authorem. Ait Apostolus Act.13.v.20. *Et post hæc dedit Iudices vsque ad Samuelem, & exinde postulauerunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis virum de Tribu Beniamin annis quadraginta.*

Cùm igitur pars vtraque suæ sententiæ scripturam obtendat, in eo totius controuersiæ cardo versatur, vt videamus vtrùm certiùs è scriptura quadraginta Saulis anni seorsum ab annis Samuelis colligantur, an ex vtriusque imperio quadraginta duntaxat annos conflare debeamus.

XXI. *Scripturæ testimonia de annis Saulis explicantur.*

94. *Postulauerunt*, inquit Regem, *& dedit illis Deus Saul filium Cis de Tribu Beniamin annis quadraginta.* Hîc imperare mihi non possum quin Augustini verbū vsurpem: *Valeat aliquid ad seipsam persuadendam ipsa euidentia: Nam nusquam sic non inuenio quid dicam, quàm vbi res de qua dicitur, manifestior est quàm omne quod dicitur.* An expectamus dum ipsa Chronologia vocem eliciat, séque ipsam omnium oculis exponat? Quibus id verbis disertiùs præstabit? *Dedit illis Saul annis quadraginta.* Quis nō videt hæc ad solum Saulis tempus pertinere? cùm præsertim illa dictio Lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 35.

κἀκεῖθεν, & exinde Iudicum tempus à tempore Regum apertè discriminet, & quod ambiguum fortasse videri poterat in Latino, textus Græcus quandam temporis non interrupti continuationem importet. Non enim ait ἐν ἔτεσι τεσσαράκοντα, *in annis quadraginta*, sed ἔτη *annos* siue *per annos quadraginta*. Quis autem nisi planè ridiculus esse velit, ita loquatur vt Saulem dicat per annos quadraginta continuos datum fuisse Regem, quia Samuel qui ipsum inaugurauit, iudicauerat annos triginta octo, ipse duos annos regnauit, qui inauguratus fuerat aliquo tempore quod illo quadraginta annorum spatio continetur? Quid est Scripturæ vim inferre, si hoc non est?

95. At contrà quàm facile ac promptum est alteram illam scripturæ sententiam leni & commoda interpretatione mollire? *filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset?* id est, sicut filius siue infans vnius anni innocens ac sine culpa fuit, cùm primùm ad regnum euectus est, atque in eadem innocentia regnauit annis duobus. Hæc est communis expositio, quam Tirinus Chaldæi Paraphrastæ, Hieronymi, Gregorij Magni, Eucherij, Angelomi, Damiani, Abulensis, Caietani Lyrani, & aliorum esse confitetur. Quāuis ipse cum Sanctio simpliciorem & Hebraico textui conformiorem aliorum expositionem esse putet, qui dicunt his verbis designari aliud nihil, quàm Saulem cùm hoc primum mouit bellum Philisthæis, egisse adhuc primum regni sui annum, quasi dicatur, hic erat prior annis è duobus quibus vniuersim regnauit in Israele.

Aduersariorum explicatio petit principium. 96. Verùm hæc expositio & principium petit, vt loquuntur, & turbat totum narrationis contextum, neque, quod illi defendunt, Hebraicæ locutioni satis conformis est. Petit principium quia supponit quod positum est in quæstione: & cùm ex hypothesi quòd præfectura Samuelis ac regnum Saulis quadraginta duntaxat annos impleuerint, vt ex hoc loco *duobus autem annis regnauit super Israel*, colligere se putant; cùm, inquam, ex hac hypothesi verba Pauli aientis Saulem Hebræis datum esse Regem per annos quadraginta violenter in suum sensum deflexerint, tum demum posito quòd Apostolus Samuelis ac Saulis annos in vnam summam incluserit, hæc verba, *filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset*, violentiùs detorquent in suam ipsorum potiùs quàm in Pauli sententiam.

97. Quis enim nisi anticipatis ac præiudicatis opinionibus occupatus hæc verba sic interpretetur? Saul agebat primum regni sui annum cùm ea gessit quæ postea narrabimus. Quis, inquam, sic interpretetur, vt interpretari necesse est eos qui regnum eius biennio definiunt? Cur cùm statim adiecerit *duobus autem annis regnauit*, ea quæ proximè & eodem tenore subnectit de cæsa Philisthinorum statione ad priorem potiùs quàm ad posteriorem annum referuntur? importunè igitur, & παρ' ἔργον, non solùm coactè & violenter huc mentio duorum annorum obtruditur, & narrationis ordo turbatur. Ordinem narrationis obturbat.

98. At contrà secundum communem expositionem aptè & commodè sibi cohæret oratio. Post victoriam partam de Ammonitis dixerat populus ad Samuelem cap. 11. v. 12. *Quis est iste qui dixit, Saul non regnabit super nos? date viros, & interficiemus eos.* Hic Saul sicut infans vnius anni, iniuriæ sibi factæ memoriam citò deponens, innocentiam atque animi lenitatem ostenderat. v. 13. *Et ait Saul, non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.* Tum Samuel innouaturus regnum in Galgala populum conuocauit, ibi præclaram habuit concionem, qua tum populum, tum Regem ipsum ad seruandam innocentiam, ac morum integritatem cohortatus, orationem in hæc verba conclusit cap. 12. v. 25. *Quòd si perseueraueritis in malitia; & vos & Rex vester peribitis.*

99. Sacer igitur ille scriptor

Semper ad euentū festinat, & in medias res.

Cæterísque prætermissis ostendit quem finem sortita fuerit illa Samuelis prædictio. Optimè, inquit, cœperat Saul, quia purus erat, integer, obediens, sicut puer vnius anni, cùm regnare cœpisset: sed non diu perseuerauit, quia duobus duntaxat annis in illa morum commoditate regnauit, eóque pedetentim prolapsus est, vt contra ius fasque se in sacerdotale munus ingesserit. v. 9. *Et obtulit holocaustum. &c. Dixítque Samuel ad Saul v. 13. Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget.* Quam Prophetę vaticinationem euentus ipse comprobauit, regno à familia Saulis ad Dauidem translato.

100. Filius igitur vnius anni erat, id est sicut infans vno natus anno, Hebręorum more qui particulam comparationis identidem omittunt. Verbi caussa Genesis 49. v. 9. *Catulus Leonis Iuda.* 14. *Issacar asinus fortis.* 21. *Nephtali ceruus emissus.* 27. *Ben-*

iamin lupus rapax. Exodi 19. v. 4. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos super pennas aquilarum.* & alibi frequenter, vbi particulam similitudinis constat esse supplendam. Hæc igitur interpretatio linguæ sanctæ conformis est, at illa posterior à loquendi consuetudine penitus aliena.

101. Quamuis enim Hebræi בן *ben* in annorum descriptione frequenter vsurpent, vt Genes. 5. v. 3. *Noe verò cùm quingentorum* בן *ben* filius *esset annorum.* Cap. 17. v. 1. *Postquam verò* ben filius *nonaginta & nouem annorum esse cœperat* & v. 17. *Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* pro quibus habetur in Hebraicis הלבן *halben. Nunquid filio centum annorum gignetur & si Sara* הבת *habbath filia nonaginta annorum pariet?* Genes. 21. v. 4. *& circumcidit eum octauo die* Heb. בן *ben* filium octo dierum v. 6. *Cùm centum esset annorum.* Heb. *& Abraham filius centum annorum.* Exodi 12. v. 5. *Agnus absque macula masculus anniculus* בן שנה *ben schanah, filius anni*, & alia sexcenta. Quamuis, inquam, Hebræi huiusmodi locutionem frequenter vsurpent, nunquam tamen, cùm de annis agitur, vsurpant alio sensu, quàm vt tempus ætatis ab ipsis natalibus elapsum insinuent, vt cùm Latini aliquem tot vel tot annos natum aiunt, non significant quantum temporis illi rei gerendæ impenderit, sed quot ætatis annos viuendo exegerit; ac proinde, quemadmodum apud Latinos is ineptè loqueretur qui se diceret annos duos in Philosophia natum, quia duobus annis in Philosophiæ studio versatus est, ita & Hebræorum aures eum respuerent, qui diceret se filium esse duorum annorum in Philosophia.

Hebraico idiomati parum conformatus est.

Posterior igitur hæc expositio non solùm maiorum authoritate destituitur, sed etiam petit principium seriémque narrationis interpolat, aliquid παρ' ἔργον interserens, & parum Hebraicæ veritati conformis est.

XXII. *Alia explicatio, quo sensu dicatur Saul vnius anni fuisse, cum regnare cœpisset.*

102. QVòd si cui prior illa Patrum explanatio non videtur satis esse literalis, vt vocant, hoc sanè sensu potest interpretari. *Filius vnius anni erat Sauli, cùm regnare cœpisset.* i. cùm Saul regni gubernaculis admotus est, filium habebat eodem anno natum, qui patri quidem successit, sed duobus duntaxat annis regnauit, atque ita periit Saul, regnúmque à familia Saulis ablatum, quemadmodum Samuel ei prædixerat. Vt vocabulum *Saul* non in primo, sed in tertio casu pro לשאול *lesaul*, siue *Sauli* positum esse videatur.

103. Atque hic sensus non solùm antecedentibus & consequentibus optimè cohæret, sed etiam fundatus est in historiæ veritate. Nam *quadraginta annorum erat Isboseth* filius Saul, *cùm regnare cœpisset super Israel & duobus annis regnauit*, vt conceptis verbis 2. Reg. cap. 2. v. 10. continetur. Quid clarius? Deus dedit Saul Regem annis quadraginta: quadraginta annorum erat filius Saulis cùm patri successit: ergo Sauli filius erat vnius anni, cùm ipse ad regnum euectus est. *Valeat aliquid ad se ipsam persuadendam ipsa euidentia.*

104. Quòd si Sauli demortuo filius Isboseth iam quadragenarius suffectus est, & duos duntaxat regnauit annos Saul, profectò vix sexagenario minor regni gubernacula suscepit, ad quam ætatem Samuel ipse vixdum peruenerat, vt Tirinus disertè confitetur. Quomodo igitur factum putemus, vt Hebræi tam vetulum Regem admiserint, cùm Samuel Iudicem ob solam senectutem vix rebus gerendis aptam reiecerint? 1. Reg. cap. 8. v. 5. *Dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis; constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.*

105. In paribus, inquiunt, annis impares sæpe sunt vires. Audio: tamen illi non affectam profligatamque Prophetæ valetudinem, sed senectutem prætexunt, vt iustè Samuelem reiecisse, Regémque postulasse videantur. Quomodo senex iam propè depontanus, eo seculo, quo paulo pòst dicturus erat Dauid, *vita hominis septuaginta anni*, ita suberat adhuc patriæ pote- 1.Reg.9.13.
stati, vt ad quærendas asinas à patre mit- 1. Reg. 10.
teretur, & reuersus rerum à se gestarum v.14.15.
patruo suo redderet rationem? Tantum igitur abest vt obstet ille Scripturæ locus de Biennio, vt potius mirum in modum velificetur nostræ sententiæ.

XXIII. *Principium aduersariorum conuellitur.*

106 NAm quod illi quasi principium ἀναπόδεικτον ac peremptorium assumunt, Saulem primo vel saltem secundo post suam inaugurationem anno fuisse reprobatum, vt videlicet absurdum illud eliciant è nostrâ sententiâ Dauidem vnctum fuisse annis octo priusquam nascere-

tur, maiori probatione res indigeret, cùm ſcriptura ne verbo quidem illud inſinuet, ſed potiùs innuat contrarium.

107. Saul primo circiter regni ſui menſe, *Percuſſit Ammon*, vt dicitur cap.11.v.11. *Reliqui autem diſperſi ſunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.* Quare etiamſi inermes in aciem Iſraelitæ prodiiſſent, tamen vel è ſpoliis hoſtium magnam gladiorum vim habere potuerunt. Quomodo igitur anno vel eodem, vt iſti volunt, vel ſaltem proximè ſequenti, *Cùm veniſſet dies prælij, non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi qui erat cum Saul & Ionatha, excepto Saul & Ionatha filio eius*? vt dicitur 1.Reg.cap.13.v.22. Profectò dici aliud nihil poteſt quàm Iſraelitas qui poſt illam Ammonitarum pugnam primo Saulis anno pugnatam dimiſſi fuerant ab armorum tractatione ad pacis ſtudia ſic eſſe conuerſos, vt cùm prælij dies aduenit, ne fabrum quidem haberent, qui gladios vel nouos fabricaret, vel abſterſa rubigine & ſitu, quem multorum annorum quiete contraxerant, veteres renouaret, *attrito*, vt ait ille, *cogens iuueneſcere ſaxo*.

Qui factū vt Hebræi gladios nō haberent.

108. Cùm enim ante Samuelem Palæſtini cauiſſent ne fortè facerent Hebræi gladium, vel lanceam, ac proinde fabros ferrarios apud eos eſſe vetuiſſēt, etſi ab initio Samuelis, *Humiliati ſunt Philiſthiim, nec appoſuerunt vltrà vt venirent in terminos Iſrael, &c. cunctis diebus Samuelis.* Nihilo tamen ſeciùs ſeruitute depulſa, redditiſque ciuitatibus quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, relicta duntaxat in Gabaa, pauciſque (ſi fortè) munitioribus locis militum ſtatione, inuentus eſt nemo, qui fabrilem artem addiſceret: *Deſcendebat ergo*, vt facere conſueuerat tempore ſeruitutis, *omnis Iſrael ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem & ſecurim.*

109. Quare cùm inter Iſraelitas ac Palæſtinos bellum recruduiſſet, inueniebatur nemo qui gladios procuderet, aut ex Ammoniticis, ſi qui fortè nondum in falces conflati fuerant, rubiginem ſcabritiémque diuturna pace inolitam abſtergeret. E quibus liquidò conſtat inter bellum Ammoniticum ac Palæſtinum multos annos interceptos fuiſſe (quo temporis interſtitio Ionathas adoleſcere potuit, rebúſque gerendis aptus fieri, quæ poſtea narrantur) ac proinde Saulis reprobationem & Dauidis vnctionem multis annis poſt primum Saulis annum contigiſſe.

XXIV. *A rebus geſtis Saulis ac Dauidis probatur Saulis Regnum biennio circumſcribi non poſſe.*

110. ACcedit quòd qui illam de biennio Saulis opinionem nobis obtrudunt, multa bella vnius anni claudunt anguſtiis, negotia negotiis aduoluunt & coaceruant, conſtipant & confertim inculcant. Quæ, ſi vlla explicandæ ſcripturæ neceſſitas incumberet, haud ſanè repudiarem authoritatémque ſcripturæ humanis ratiociniis anteferrem. Sed ſi etiam faciliùs de quadraginta Saulis annis explicatur, non video quid nos coniicere debeat in has anguſtias.

111. Quid? quòd Saul primo regni ſui anno ita percuſſerat Ammon, *vt non relinquerentur duo pariter*? ſi duos tantum regnauit annos, quomodò tantillo temporis ſpatio nouos exercitus ſcribere, nouum Sauli bellum inferre potuerunt? An fortè Rex Ammonitarum terram pede feriens armatas militum acies eduxit, quod gloriabatur Pompeius? an quod de Cadmo fabulantur, 1.Reg.11. v.11.

--ſatis immanis dentibus hydri
Galeis denſiſque virûm ſeges horruit hoſtis?

1.Reg.cap.14.v.46.47. *Porro Philiſthiim abierunt in loca ſua. Saul confirmato regno ſuper Iſrael pugnabat per circuitum aduerſus omnes inimicos eius, contra Moab & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philiſthæos: & quocunque ſe verterat, ſuperabat.* Quæ regni confirmatio, vt cætera taceam, ſine dubio tempus aliquod requirit. verſ. 52. *Erat autem bellum potens aduerſum Philiſthæos omnibus diebus vitæ Saul.* Qua loquendi formula nemo tempus biennio maius non intelligit: cùm præſertim ſecũdum aduerſarios non niſi primo Saulis anno iam inclinato bellum exarſerit Palæſtinum poſt cæſam in Gabaa ſtationem, Cap.15.verſ.7. *Percuſſitque Saul Amalec ab Heuila donec venias ad Sur.* Quos regionum tractus mirum eſt paucis annis non dicam expugnari & victoriis illuſtrari, ſed cum exercitu luſtrari potuiſſe.

112. Quid? quòd non niſi ante deuictos Amalecitas Saul à malo ſpiritu iactari cœpit, quo tempore, *quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & meliùs habebat.* 1.Reg.cap. 16.v.23. Quod non vno aut altero menſe fieri potuiſſe ſuperiora declarant, verſ.22. *Miſitque Saul ad Iſai dicens: Stet Dauid in*

conſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis. Tandem receſſit à Saule ſpiritus malus, & vt ſubnectitur, cap. 17. verſ. 15. *Abiit Dauid & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem*, quia videlicet caulam magis, quàm aulam diligebat, vbi diutiùs eum commoratum fuiſſe patet è verbis Iſai patris, verſ. 18. *Fratres tuos viſitabis, ſi rectè agant, & cum quibus ordinati ſunt, diſce*. Quid opus erat eum denuò mittere vt diſceret, cum quibus ordinati eſſent, ſi iam ipſe Dauid paucis antè menſibus, ne dicam paucis ante diebus, quod illi dicere cogentur, inde reuertens omnia patri nuntiarat?

113. Quomodo ſi paucis ante menſibus Dauid à Saule diſceſſerat, eum redeuntem Saul non agnouit? non Abner? cap. 17. v. 55. *Eo autem tempore quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner princ*i*pem militiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens Abner? Dixitque Abner: Viuit anima tua, Rex, ſi noui. 56. Et ait Rex: interroga tu, cuius filius ſit iſte puer.*

Quomodo Dauid ignotus Sauli.

Scio non defuturas argutiolas hominibus acutis, quibus argumenta noſtra conentur eludere. Veſtem mutarat, inquit Abulenſis, & qui priùs lautiore vtebatur cultu more aulicorum, iam cum paſtoritio ſagulo prodibat, optimè. Sed audiamus etiam aliquid argutius. Non ſolent Reges, inquit Sanctius, vel propè, vel attentè, vel otiosè intueri, ac conſequenter neque noſſe famulos ſuos. Tamen vt dicitur cap. 16. v. 21. *Venit Dauid ad Saul: & ſtetit coram eo: At ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger*. Etiámne Reges quos nimis diligunt, non ſolent propè vel attentè intueri? Perſonam, inquiunt, Dauidis nouerat: ſed ſciſcitabatur cuius ſtirpis eſſet. Si patrem Dauidis neſciebat, quomodo dicitur ibidem verſ. 19. *Miſit ergo Saul nuntios ad Iſai dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis?* Quomodo iteratò miſit vt eum apud ſe retineret? v. 22.

Aduerſariorum reſponſio.

Confutatur.

114. Felices illi quibus vigilantibus licet tam multas reſponſiones ad argumenta noſtra confingere: nos miſeri ſomniaſſe dicemur ac delirare, ſi dixerimus Sauli Dauidem ignotum poſt diuturnam abſentiam rediiſſe, & vt fit in illo flexu ætatis, faciem eius fuiſſe mutatam, vt à Saule receſſerit adhuc impubes, & inueſtis redierit cùm iam prima lanugo genis inſerperet, vel fortaſſe iam barbatulus, rufus, & pulcher adſpectu.

Vera reſponſio.

115. Iam tot fugæ, tot latebræ, tot bella Dauidis quantum tempore requirunt? Nam, vt cætera prætermittam, receſſus poſterior in Palæſtinam menſes facilè quatuor decerpit ex tot tantiſque rebus quæ poſt Goliathi necem ad Saulis obitum à Dauide geſtæ referuntur 1. Reg. c. 27. v. 7. *Fuit autem numerus dierum quibus habitauit Dauid in regione Philiſthinorum, quatuor menſium*. Quid? quòd cùm Dauid vnctus eſt in Regem à Samuele, tam teneræ erat ætatis, vt pater iuſſus filios omnes producere, de illo vix cogitaret? Cap. 16. v. 11. *Dixitque Samuel ad Iſai: Numquid iam completi ſunt filij? Qui reſpondit: adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues*.

Fuga & latebræ Dauidis.

116. Quid? quòd cum Goliatho ſingulari certamine pugnaturus ob ætatem infirmam adhuc & rei gerendæ imparem in cōtemptum adducitur? Cap. 17. v. 33. *Ait Saul ad Dauid: Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum*. Cur? an propter corporis paruitatem? Minimè id quidem. Nam Saul, vt legitur cap. 9. v. 2. *Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*. Tamen, vt traditur cap. 17. v. 38. *induit Saul Dauid veſtimentis ſuis*. Quod profectò non faceret, niſi Dauid, quamuis aliquanto minor, propè tamen ad Saulis magnitudinem accederet. Cur ergo negat Saul Dauidem ei pugnæ parem videri? *Quia puer es*, inquit verſ. 42. *cumque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum*. Quid ita? *erat enim adoleſcens rufus, & pulcher adſpectu*. Quibus, ni fallor, annus præter-propter vigeſimus ac prima lanugo deſcribitur.

Dauid teneræ adhuc ætatis erat cùm occidit Goliathum.

117. Nam ſi, vt iſti volunt, annum vndetrigeſimum iam attigerat, qua tādem ratione in Hebræo textu pro adoleſcente נער naar, puer: in LXX. Seniorum interpretatione παιδάριον, puellus: in Chaldaica paraphraſi ינק, ianik, lactens, ſiue infans, ac propemodū ſugens adhuc vbera nominatur? aut quomodo propter ætatem nondum corroboratam habetur contemptui? Quando ab annis robur accedet, ſi anno trigeſimo nondum acceſſerit?

118. At enim longè ante hanc pugnam cùm primùm Sauli citharœdus quæreretur, cap. 16. verſ. 16. *Reſpondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo*. Quid tum? hinc efficitur iam eum ætate corroboratum fuiſſe, cùm primùm ad Saulem acceſſit. Quid ſi dicamus hoc fuiſſe Doëgi mendacium? ita ſcriptor traditionum, quem multi Hieronymum eſſe putant: ita Lyranus, quorum ſi non placet ratio, certè non diſplicebit authoritas. Quid

Obiectio

Diluitur.

si vel cum Abulensi respondeamus virum dici quod iam inde à pueritia virilis cuiusdam animi ac roboris spiritum sortitus à Deo fuerit, *Ante annos animúmque gerens curamque virilem*. Quid si particulam suppleamus? hoc sensu vt dicatur vir bellicosus ac prudens nondum quidem re; sed iam spe: siue qui, quantum ex eius indole colligere fas est, futurus est olim prudens, vir bellicosus ac robore fortissimus. In illa enim ætatula, tanquam in herbis significat, quantæ virtutis fruges & quanta bellicæ fortitudinis maturitas sit futura, cùm ad virilem ætatem peruenerit.

Nomen viri etiam pucro tribuitur.

119. Neque verò est quòd vim faciant in eo quòd scriptura איש *isch*, *virum* Dauidem appellet. Hoc enim vocabulum non solùm adolescenti, sed etiam puero, imò & infanti boni velut ominis caussâ potest conuenire. vt 1 Reg. cap. 30. v. 17. vbi nos legimus, *viri adolescentes*: legunt Hebræi, איש נער *isch naar*, *vir-puer*, quod Græci ἀνδρόπαιδα dixissent. & Genes. 4. v. 2. de Caino infante, & tum recèns in lucem edito; vbi mater ita latinè loquens inducitur, *Possedi hominem per Deum*: in textu principe sic habetur: קניתי איש *kanithi isch*, *acquisiui virum*. Nihil est igitur quod sibi de vna *viri* vocula magnopere blandiantur.

120. Quanquam quid mirum est ad voculas illos descendere, cùm etiam aucupentur syllabas, & quasdam veluti literarum tendiculas opponant, quibus Hebraicæ linguæ rudes irretiant? Aiunt illa verba, *Filius vnius anni erat Saul*, de Isboseth explicari non posse, quia si nomen Saul esset in tertio casu, non שאול absolutè, sed addito tertij casus articulo לשאול *lesaul* diceretur. Quasi verò quisquam vel mediocriter tinctus primis Hebraicæ linguæ rudimentis ignoret Hebræos articulos aut inter se confundi solere, aut etiam omnino præteriri.

Nihil est igitur caussæ cur viri sanè docti suam disputationem de Samuelis & Saulis annis ad quadraginta contrahendis ita concludant, vt affirment id esse notius, quàm vt ab vllo cordato negari possit.

XXV. *Anni quadraginta Saulis authoritate Patrum adstruuntur.*

121. Sed fortasse cum cæteris rebus abûdemus, maiorum authoritate deficimur. Ne id quidem dici potest, cùm, vt cæteros omittam, inter Iudæos Iosephum, qui Rabbinis nouitiis nihilo est inferior, inter Patres antiquos Augustinum, inter recentiores Alphonsum Salmeronem authores satis, vt opinor, bene cordatos habeamus. Ἐβασίλευσε δὲ, inquit Iosephus extremis verbis lib. 6. Antiquit. Σαμουήλου ζῶντος ἔτη ὀκτὼ πρὸς τοῖς δέκα, τελευτήσαντος δὲ δύο καὶ εἴκοσι. *Regnauit Saul, viuente Samuele annis decem & octo, & post mortem eius annis duobus & viginti.* Augustinus lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 7. *Quadraginta annos regnauit super Israel, tanto scilicet spatio temporis, quanto & ipse Dauid.* Item lib. 18. cap. 20. *Israelitarum regnum finito tempore Iudicum à Saule sumpsit exordium, &c. reprobato autem Saule, ne quisquam ex eius stirpe regnaret, eóque defuncto Dauid successit in regnum post annos quadraginta, &c. qui etiam ipse quadraginta regnauit annis.* Omitto verba Salmeronis Prolegomeno 14. formula 27. quem equidem non video cui recentiorum posthabere debeamus.

Iosephus. August. Salmer.

XXVI. *Confirmatio dictorum ex authoritate textus primarij.*

122. Ad hæc Memburgus: Quid si, inquit, quoniam iam mihi persuades vt contra doctissimos viros, qui Samuelis præfecturam quadraginta Saulis annis inuoluunt, disputare velim. Quid si, inquam, probamus Dauidem apud Achis Palæstinorum Regem diutiùs, quàm vulgo creditur, habitasse? Nam vbi legimus 1. Reg. cap. 27. vers. 7. *Fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorum quatuor menses*; habetur in textu principe. Et fuit numerus dierum, quibus mansit Dauid in agro Philisthiim, ימים וארבעה חדשים *iamim rearbaa hodaschim*; *Dies & quatuor menses.* vel vt etiam Pagninus ad marginem adscribit, *annus & quatuor menses.*

Dauid plus anno latuit in Palæstina.

123. Quam interpretationem si Latinæ versioni cōtrariam ita putarem vt cum eius veritate cohærere non posset, equidem adspernandam penitus arbitrarer: sed cùm non repugnet Dauidem vnum annum apud Achis habitasse, priusquam diceret ad Achis: *Si inueni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in vna vrbium regionis huius vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate Regis tecum*, & vrbem Siceleg seorsum habitandam ab Rege obtineret; fierique possit vt Latinus interpres, tempus quo Dauid seorsum ab Rege *in vna vrbium regionis* habitauit, spectarit: Hebræus autem totum secessus in Palæstinam tempus tam in regia ciuitate, quàm in Siceleg exactum expresserit, non video cur authoritatem textus primarij respuere hoc loco debeamus.

124. Cùm præsertim Hebræi *dies* pro anno frequenter vsurpent: vt Leuit. 25. v. 29. *Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus.* In Hebr. sic habetur, Et erit redemptio eius vsque ad consummandum annum venditionis eius ימים תהיה גאלתו *iamim thite geulato; Dies .i. annus erit redemptio eius.* Num. 9. vers. 22. *Si verò biduo aut vno mense, aut longiori tempore fuisset nubes super tabernaculum, manebant filij Israel in eodem loco* או ימים *o iamim, aut diebus* .i. anno, quod Latinus interpres, *longiori tempore*, eleganter expressit 2. Reg. 14. vers. 16. *Semel autem in anno tondebatur*, Hebr. מקץ ימים לימים *mikkets iamim leiamim; A fine dierum ad dies*, id est, *à fine anni ad annum.*

125. Et ne longiores simus in re manifesta, Rabbi Dauid Kimhi qui Samuelis præfecturam annis vndecim, Saulis regnũ biennio circũscribit, explicãs illud Amos 4. v. 4. *Afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras* [illegible] *iamim*, inquit רל׳ שנה *rasa ledabber schiana; Dies vult dicere*, siue *significat annum.* Supersedeo referendis Hebraicis. Adfert exemplum iam è Leuitici 25. prolatum, idque sic intelligendum probat ex Deuteronomii 14. v. 28. *anno tertio separabis aliam decimam*, &c. vel secundum Hebraicam veritatem: à fine trium annorum educes omnem decimam.

126. Scio hanc expositionem prophetæ Amos, Riberæ viro sanè doctissimo meritò displicere. Etsi enim *dies* pro anno frequenter vsurpantur, cùm absolutè ponuntur *dies*, tamen cùm numerus dierum designatur, vt cùm dicuntur *tres dies* aut *quatuor*, nequaquam anni possunt intelligi, sed veri naturalésque dies; alioquin, inquit, inexplicabilis orietur difficultas, nec scire vllo modo possemus annósve, an dies scriptura numeraret, vt Genes. 24. *Maneat puella saltem decem dies.* num decem annos mansura erat? quamuis hic quoque argutantur Hebræi, Exod. 8. *Viam trium dierum pergemus, in solitudinem & sacrificabimus Domino Deo nostro:* num viam trium annorum dicebant?

127. Hæc, inquam, scio in hac explicatione meritò reprehendi: sed non hoc agitur vtrùm commodè Kimhi prophetæ sensum attigerit: illud quæritur vtrùm hic Rabbinus, qui & regnum Saulis biennio claudit, fuitque omnium iudicio Hebraicè peritissimus in paucis, putauerit hoc vocabulo [illegible] *iamim* annũ denotari. Quàm significationem si admittimus, caussæ profectò nihil est cur eam in explicando Dauidis secessu respuere debeamus. Nam si nomine *iamim* dies intellexit qui vigintiquatuor horarum spatio solis vno circuitu peraguntur, aut dies mensibus adiectos, quasi minutias contempsit, aut exactam eorum voluit habere rationem. Si prius, otiosè dierum, quos negligebat, mentionem adiecit, aut dicere debuit, *paucos dies*, *aliquot dies*, & si quid eiusmodi. Si posterius, debuit certum dierum numerum apponere. Horum dierum superuacaneam esse mentionem vltrò concedit Abulensis: sed hoc è barbarie linguæ sacræ manare testatur. Quasi verò lingua primis mortalibus diuinitus infusa inter barbaras & inconditas censeri debeat, aut in quauis Spiritus sanctus à verbis otiosis, de quibus ait ipsa Veritas in die iudicii reddendam esse rationem, prophetas suos non potuerit abstinere.

128. Et sanè Achis Rex Palæstinorum, qui meliùs, opinor, scire potuit quamdiu Dauid in Palæstina commoratus fuerit, 1. Reg. cap. 29. v. 3. Satrapis ac Principibus Palæstinorum ita loquens inducitur: *Est apud me multis diebus vel annis.* aut, vt expliatiùs transtulerunt Septuag. seniores, Γέγονε μετ' ἐμοῦ ἤδη δεύτερον ἔτος, *annum iam secundum mecum fuit.* Iam enim secundus agebatur annus, & Dauid in Palæstina annum vnum & menses quatuor exegerat.

129. Sed, inquiunt, mentiebatur Achis vt exacerbatos Procerum animos oratione Obiectio.
placaret: Neque nobis, vt bene monet Sanctius, magnopere laborandum est vt eum à mendacii labe vendicemus. Equidem si huius oratio vel cum prophetica nar- Dilutio.
ratione, vel cum Latina versione conciliari non posset, non admodum metuerem ne se ille mentiendo distumperet: sed cùm prophetica narratio verbis Hebraicis concepta eius orationi suffragetur, Latina verò translatio vt non fauet, ita nec refragetur, humanitatis esse non arbitror quemlibet hominem, nedum Regem temerè condemnare mendacii. Nam si quia gentilis fuit, impune dicemus eum esse mentitum, dicamus ficta omnia quæ Liuius, Thucydides, aliique gentiles historici literis prodiderũt.

130. Sed esto sanè, vanus fuerit: fuerit impudens ac totus, vt loquuntur, è mendacio conglutinatus; & adeo fuit imprudens vt Satrapas Principésque Philistinorum, quos oratione lenire cupiebat, mendaciis & impudentia grauius offenderet? Neque enim tam apertum mendacium vllo modo latere potuisset. Non per cuniculos accesserat Dauid, non se in

renebtas abstulerat, luce palam exceptus fuerat, versatus fuerat in oculis totius Prouinciæ, vrbem ab Rege cum suis habitandam acceperat, dubitare poterat nemo quamdiu fuisset in Palæstina commoratus. Maneat igitur illud probabiliter ex Hebræo textu colligi Dauidem in Palæstina per annum & menses quatuor esse versatum, ac proinde frustra laborare qui totum Saulis regnum *biennio* definiendum putant.

131. In quo genere planè ridiculi sunt Hebræi, qui, vt Chronologiam templi conditi cum Iudicum libro concilient, è 1. Reg. cap. 7. v. 2. *Et factum est ex quo die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies: erat quippe iam annus vicesimus, & requieuit omnis Israel post Dominum*: ex hoc, inquam, scripturæ testimonio Samueli simul & Sauli tredecim duntaxat annos tribuendos esse defendunt. Sic enim ratiocinatur Seder Olam cap. 13. *Quod si abstuleris septem illos annos quibus Dauid regnauit in Hebron super Iuda, supererunt tredecim: è quibus Samuel vndecim imperauit solus & reliquos duos cum Saule.* Vnde & illud ibidem necessariò concludit ætatis anno quinquagesimo secundo mortuum esse Samuelem, quamuis eum quatuor duntaxat ante Saulem mensibus mortuum esse faciamus. quo tempore iam Isboseth Saulis filius ad quadragesimum ætatis annum peruenerat. Sed hæc indigna sunt quibus respondeatur. Tuum est, Serari, quæ exorsus es, oratione detexere.

XXVII. *Quot modis spectetur egressio filiorum Israel ex Ægypto.*

132. HIc Serarius, Nunc, inquit, mi Memburge, quoniam tua disputatione compulsus receptam in tertio Regum lectionem retinere decreui, tu vicissim meam de quadraginta Saulis annis non adspernaris sententiam. Age sanè, omnium simul annorum qui ab egressione filiorum Israel ad iacta templi Salomonici fundamenta fluxerunt, homadem faciamus, eamque cum illa quadringentorum & octoginta annorum, quæ 3. Reg. cap. 6. subducitur, summa comparemus.

133. Ac primò videndum quid per egressionem faceт ille scriptor intelligat: quam posse tripliciter spectari iampridem notauimus commentariis in eum locum, vel in principio, vel in medio, vel in fine. De principio passim exempla sunt: de medio aut fine non infrequenter Psalmo 113. *In exitu Israel de Ægypto*: Nam quod legitur: *facta est Iudæa sanctificatio eius*: ad exitus medium spectat: *mare vidit, & fugit*: ad principium: *Iordanis conuersus est retrorsum*: ad finem. Sicut & ad finem ista referuntur Deuter. 4. v. 45. *Et hæc testimonia, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto trans Iordanem*: quæ citra controuersiam anno Mosis vicesimo supra centesimum, ab exitu ac transitu maris Rubri quadragesimo contigerunt. Cùm autem hoc loco vbi de iactis Templi fundamentis agitur, id sit sacri scriptoris institutum, vt Chronologiam stabiliat, omnésque temporum minutias diligenter enucleet, annus certus ac determinatus quærendus est, ad quem exactè Chronologia referatur. Ergo vel primus quo Phase celebrarunt, & mare Rubrum siccis vestigijs transierunt, vel postremus peregrinationis annus. Quotus autem postremus ille sit, potest adhuc non immeritò dubitari.

134. Videtur quidem Psalmista hanc egressionem à transitu maris Rubri ad transitum Iordanis extendere. *In exitu Israel de Ægypto &c. Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.* Non tamen his finibus exodum circumscribit, & LXX. Seniores etiam vlteriùs extendunt, vbi cum Iosue sepultos fuisse dicunt lapideos cultellos, quibus circumcidit filios Israel in Galgalis ὅτι ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ Αἰγύπτου *quando eduxit eos ex Aegypto.* vnde probabiliter quis dixerit egressionem filiorum Israel eo demum tempore fuisse terminatam, cùm arca quæ hactenus per vastissimas Arabiæ solitudines circumlata fuerat, & egressos hactenus comitata in Silo requieuit, quasi tum denique longæ peregrinationis metam attigisset.

135. Hoc autem anno circiter sexto & quadragesimo post transitum maris Rubri factum fuisse manifeste colligitur è verbis Calebi Iosue 14. v. 7. *Quadraginta*, inquit, *annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne vt considerarem terram, &c.* primo autem egressionis anno missos fuisse planè compertum est. Sed pergit v. 10. *Quadraginta quinque anni sunt*, &c. quo tempore paucis saltem pòst mensibus nemo dubitat arcam in Silo collocatam fuisse. Addit Calebus. *Hodie octoginta quinque annorum sum sic valens vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum. Illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.*

136. Quod latiùs proferre volui vt intelligas quàm futilis sit eorum ratio, qui cùm frigidis

frigidis quibusdam coniecturis Saulem initio regni iam grandem natu fuisse collegerunt, quia, vt aiunt, nec tamen probant, iam habebat filium Ionathan adolescentem aptumque rebus gerendis, argumentantur Saulem paucis annis regni gubernacula tenuisse, quia si regnasset annos quadraginta, valde grandæuus interfuisset prælio in quo & occisus est: quod exemplo Dauidis, qui septuagenarius calefieri non poterat, fieri non potuisse defendunt: cùm nihilo seciùs dictorum obliti paucis interiectis ista subnectant. In paribus annis impares sunt sæpe vires, & Saul, vt proceritate corporis, sic & viribus præcellebat pene omnibus. Quasi verò aut non legamus Masanissam secundo & nonagesimo, Lysimachum septuagesimo quarto, Seleucum septuagesimo septimo ætatis anno iuuenilibus animis in aciem prodiisse, aut ille trisecli senex

Τῷ ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων.
Ἐφθίατο.

Cui duplex hominum iam sese inuoluerat ætas,

vt consiliis, ita & præliis non interesset. Sed ad institutum redeamus.

XXIIX. *Vnde Chronologia fundationis templi sumat initium.*

137. Quæritur vtrùm annorum quadringentorum & octoginta qui ab egressione filiorum Israel ad conditum templi Salomonici computantur, caput siue principium à primo, an à postremo profectionis anno debeamus accersere.

Respondendum videtur communem hanc Chronologorum omnium consuetudinem esse, vt cùm interstitium inter extrema duo metiuntur, finem antecedentis spectent, & initium sequentis, vt si dicam inter Reges & Augustum quingentos annos interesse, nemo non intelliget tempus ab Regibus exactis ad Augusti Cæsaris initia computari.

138. Hoc autem loco peculiaris etiam ratio fuit. Cùm enim ædificatione templi potissimùm Arcæ fœderis sacrarium quæreretur, iuxta illud 1. Paralip. c. 22. *Consurgite, & ædificate sacrarium Domino Deo, vt introducatur Arca fœderis Domini*, non potuit annorum series & Chronologiæ ratio commodiùs aliunde duci, quàm ab eo circumscripto determinatóque tempore, quo egressu filiorum Israel & longa illa peregrinatione finitâ, Arca Domini peregrinationis comes in Silo collocata fuit, quasi dicat, Quadringentesimo & octogesimo anno post absolutum egressum de Ægypto & Arcæ depositionem, cùm Deus repulisset Tabernaculum Silo, Tabernaculum suum, vbi hactenus habitauerat in hominibus (Psal. 77. vers. 60.) & elegisset Tribum Iuda, montem Sion quem elegit, ædificari cœpit Sanctificium Dei, siue Templum, vbi deinceps arca fœderis poneretur.

XIX. *Chronologia è superioribus ordinatur.*

139. ID factum quarto Salomonis anno, *Dies autem quibus regnauit Dauid super Israel, quadraginta anni sunt*, 3. Regum cap. 2. v. 11. Ante quem datus fuerat Saul Rex annis quadraginta, siue hunc numerum Saul ipse solus implerit, siue, quod significat Iosephus, & Paulo non repugnat, annumerentur anni duo quibus regnauit Isboseth, & primis duobus Dauidis annis implicentur, vnde colligimus anno plus minus octogesimo secundo postquam Saul in regnum euectus est, cœptam fuisse Templi substructionem.

140. Iam autem, mi Memburge, annos
ab initio primæ seruitutis ad Samuelis ex-
ortum trecentos triginta & vnum bene,
mea quidem sententiâ, numerasti. Quos 82
numeros si in vnam summã collegeris, con-
fient anni tredecim supra quadringentos. 331
Hanc porro summam si à quadringentis 413
octoginta deduxeris, supererũt anni septem
& sexaginta, quibus & hiatus ille Chrono-
logiæ, qui est inter obitum Heli & Saulis 480
exortum sarciatur, & suppleantur anni qui 413
ab egressione & peregrinatione filiorum Is- 67
rael absoluta fluxerunt ad primam vsque
seruitutem. Hos igitur annos, si placet, ita diuidamus, vt præfecturæ Samuelis annos tres & triginta numeremus, triginta quatuor ab Arcæ depositione ad initium seruitutis. E quibus præfectura Iosue viginti, Seniores qui longo post eum vixerunt tempore, decem, interregnum quo & idolum Michæ conflatum est, & Israelitæ passim ad idola prolapsi sunt, & Beniaminitica Tribus ad internecionem pene deleta, quatuor annos excerpant.

141. Quòd si cum Hebræis in Seder Olam Samuelem quatuor duntaxat mensibus ante Saulem mortuum esse faciamus, vt faciunt Sanctius, Tirinus, aliique nec numero, nec eruditione contemnendi, secundum veram Chronologiam mortuus est annis tribus duntaxat & quadraginta, priusquã Templi fundamenta iacerentur: ergo annis quadringentis triginta septem post absolutam egressionem filiorum Israel, finem por-

ro illa peregrinatio sortita est, cùm facta terræ distributione Arca fœderis peregrinationis comes in Silo requieuit, quod & iam vidimus, & fatentur omnes, anno Iosue circiter septimo contigisse. Ergo à Mosis morte & initio Præfecturæ Iosue anni quadringenti quadraginta quatuor ad Samuelis obitum colliguntur, quos Apostolus in Codicibus Græcis quasi quadringentos & quinquaginta annos appellat.

142. Sic enim, opinor, & Latini Græcique textus authoritas sarta tecta seruabitur, si secundum Latinam translationem ab exaltatione plebis Israel in Ægypto, siue à descensu Iacobi cum tota familia, ad primam agrorum assignationem, qua duæ Tri-
Act. 13. vers. 17. bus cum dimidia terræ Galaaditidis possessionem inierunt, annos quasi quadringentos & quinquaginta .i 447. numeremus, & secundum Græcos codices illa verba, *ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα*, *quasi centum & quinquaginta annis*, sic interpretemur, vt à Mosis obitu, & Iosuæ Iudicis ac Ducis Hebræorum primordiis ad mortem Samuelis annorum 445. summam faciamus, & longè commodiùs sacra Chronologia dirigetur, si dicamus primùm annos quasi 450. deinde 40. in deserto exactos, denique circiter 450. numerari seorsum, quàm si illos quadraginta postremis istis implicemus.

143. Adde quòd contortulum videtur Iudicum annos à primo peregrinationis anno deducere, cùm eos Apostolus à Præfectura Mosis apertè distinguat. Cur autem non ad primum Saulis annum, sed ad obitum Samuelis Iudicum tempora Paulus ostendat, adferri potest ea ratio, quam tu iam obiter attigisti; quòd etsi Samuel Saulem Regem vnxerat, non tamen omni iurisdictione se penitus abdicauit, sed Rege bellicis occupationibus districto, *Iudicabat* 1. Reg. c. 7.
Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ, vers. 15.
quam nihil impedit ad centesimum circiter ætatis annum esse propagatam.

144. Nihil igitur restat, Memburge quàm vt retexam orationem meam, fateárque caussæ nihil esse cur in supputandis Iudicum annis necesse sit à recepta in Hebræis, Chaldæis, Latinis, Græcis etiam plerisque codicibus lectione discedere. Sed iam, si placet, surgamus, & vel ex his tabellis, quibus porticum adornatam conspicimus, iudicemus an tot tantæque res à Saule gestæ, tam variæ, tam locis diuersæ potuerint biennio contineri. Quæ cùm ille dixisset, repente somnus audito æris matutini sonitu, discussus est, & vterque ex oculis Philalethis euanuit.

Ἔγρετο δ᾽ ἐξ ὕπνου· θείη δέ μιν ἀμφέχυτ᾽ ὀμφή.





SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER VNDECIMVS.

BABYLONICVS, SIVE DE TRANSMIGRATIONE BABYLONIS.

PEREGRINVS & RESTITVTVS.

1. ESTIT. Ita libris affixus es, Peregrine, vt superioribus hisce diebus ne pedem quidem extuleris. PEREG. Imò, mi Restitute, totâ sum peregrinatus Asiâ, lustraui Babylonem,

Persidáque & radiis iuga subdita matutinis.

REST. Longæ peregrinationes faciunt non dicam mendacem, vt vulgo dici solet, sed certè disertum. Age igitur quoniam

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδες ἄστεα, καὶ νόον ἔγνως,

quid tibi visum est in illis regionibus notatu dignissimum? PEREG. Iudæi per Nabuchodonosorem peregrini, per Cyrum postliminio restituti, & in his conciliandæ scripturæ difficultas. REST. Hoc ipsum est quod ex te iampridem scire cupiebam.

I. *Quinque Iudæorum captiuitates.*

2. PEREG. Transmigrationes Iudæorum ad Babylonem in Scriptura quinq; referuntur. Prima est cum principes Regis Assyriorum ceperunt Manassem, & *vinctum catenæ atque compedibus duxerunt in Babylonem.* 2. Paralip. cap. 33. vers. 11. Prima captiuitas.

2. Secunda fuit transmigratio Ioacimi: *contra hunc adscendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum & vinctum catenis duxit in Babylonem.* 2 Paralip. cap. 36. v. 6. multos autem potissimùm *de semine regio & tyrannorum*, cum rege tunc in captiuitatem abreptos è Danielis initio compertum est. Tres cæteras emigrationes Ieremias, siue Baruc, aut quisquis extremum Ieremiæ caput quasi laciniam attexuit, ita percenset

3. cap. 52. vers. 28. 29. & 30. *Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor in anno septimo. Iudæos tria millia & viginti tres. In*

4. *anno octauo decimo Nabuchodonosor de Ie-*

rusalem animas octingentas triginta duas. In anno vicesimo tertio Nabuchodonosor transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorum septingentas quadraginta quinque: omnes ergo animæ quatuor millia sexcentæ. Quarum transmigrationum singulæ non facillimos habent quæstionum nodos, quos à te, nisi molestum est, paucis explicari desidero.

II. *De captiuitate Manassis.*

3. AC primum illud occurrit, cùm post Sennacheribi cladem anno Ezechiæ decimo quarto Merodac Rex Babyloniorum iugum Assyriacæ dominationis à suis ceruicibus depulisset, legatosque misisset ad Ezechiam, qui factum fuerit quod 2. Paral. cap. 33. v. 11. narratur. *Superinduxit eis principes exercitus Regis Assyriorum: ceperuntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem.*

Quo sensu dicatur captus Manasses ab exercitu Regis Assyriorum.

REST. Facilis est & expedita responsio, mi Peregrine, quamuis interpretes nescio quo pacto difficiliorem reddiderunt. Lyranus ait principes exercitus Regis Assyriorum vocari Babylonios Proceres, quòd quamuis iam proprium Regem haberent, tamen superioribus annis, Assyriæ Regibus paruissent. Petauius lib. 12. de Doct. temp. cap. 26. putat Babylonios, cùm post Sennacheribi calamitatem regnante Merodacho iugum excussissent, rursus bello superatos ac tributum pendere coactos ad Nabopolassari vel Nabuchodonosoris vsque tempora. Quamuis, inquit, interim fortassis ægrè contineri ab Assyriorum Rege potuerint, & identidem se in libertatem asserere conati sint: vt nonnisi dicis caussâ, & velut precariò quandoque apud ipsos regnaret Assyrius. E quibus infert vir doctissimus Babyloniis fuisse quidem Regem proprium, quo tempore captus est Manasses, initio ab Nabonassaro imperandi facto, sed qui Regis Assyrij stipendiarius inter eiusdem principes exercitus numeretur.

4. Hæc vir eruditus: sed profectò multa diuinat, & non contentus semel Assyriorum monarchiam è prioris, quam longè ante Olympiadas ab Iphito restitutas collapsam esse volunt, ruinis ac vestigiis excitare, quæ secunda monarchia in Sennacheribo, Medorũ ac Babyloniorum rebellione defecerit, rursus post Sennacheribi necem, ante septimum Manassis annum, qui secundus duntaxat & vicesimus ab illa clade numeratur, tertiam Assyriorum monarchiam instaurat, & Babylonios ab Assyriis vult iterum esse superatos: cuius rei nullum in historiis sacris profanisque vestigium. Nos autem, quoniam à diuinationibus & coniecturis nulla veterum authoritate stabilitis nos abstinere decreuimus, Babylonem, perinde vt Ninum fuisse dicamus Assyriæ contributam. Herodotus cum lib. 1. Phraortem cum suis copiis, στρατευσάμενον ἐπὶ τοὺς Ἀσσυρίους, καὶ Ἀσσυρίων τούτους οἳ Νῖνον εἶχον, *cùm Assyriis, & illis Assyriis qui Ninum incolebant:* bellum intulisset, internecione deletum esse testatur, vtique ad aliorum discrimen qui cùm Assyrii dicerentur, tamen post Medorum Babyloniorúmque defectionem Regi Niniues non parebant.

Babylon Assyriæ contributa.

5. Et ne cui dubium esse possit Babylonios olim fuisse Assyriorum nomine comprehensos, Xenophon Babyloniorum Regem Assyrium & Assyriæ Regem frequenter appellat, & verbis disertis Herodotus: Τῆς δὲ Ἀσσυρίης, inquit, ἔστι μέν κου, καὶ ἄλλα πολίσματα μεγάλα πολλά· τὸ δὲ ὀνομαστότατον, καὶ ἰσχυρότατον, καὶ ἔνθα σφι Νίνου ἀναστάτου γενομένης, τὰ βασιλήϊα κατεστήκεε, ἦν Βαβυλών. *Assyriæ verò tum alia sunt oppida magna permulta, tum celeberrimum & munitissimum, vbi post Ninum subuersum regia fuit, est Babylon.* E quibus intelligi possit eum qui Rex Assyriorum dicitur, Babylonium Regem fuisse, siue quia Babylon inter vrbes Assyriæ censebatur, siue quia Berodac ille siue Merodac, qui post Sennacheribi necem legatos ad Ezechiam misit, non solùm Babylonios ad defectionem compulit, sed etiam magnam Assyriæ partem occupauit.

Lib. 1.

6. Quis autem ille fuerit, non liquet, cùm scriptura tacente nemini compertum esse possit quoto regni anno Manasses abductus fuerit in Babylonicam seruitutem. Probabilius tamen videtur eius vincula in Icaniedini tempus incidisse, qui anno Manassæ trigesimo quinto regni Babylonici gubernaculis admotus ea per annos tredecim tractauit annis quinquaginta quatuor, ante Magni Nabuchodonosoris exordia, vt è canone Mathematico liquet, qui à Scaligero vulgatus Claudii Ptolemæi nomine circumfertur. Quid si cum Seder Olam & Hebræis plerisque eum anno regni vicesimo secundo captum esse faciamus, Apronadius is fuit Rex Babyloniorum à quo Manasses in vincla coniectus est.

7. Aut si quia stabat adhuc Niniue, necesse est Regem Assyriorum à Babyloniorum Rege distinguere, equidem non video quid incommodi sequatur, si verba, prout sonant, capiamus, dicamúsque principes quosdam Assyrios, vel Regis ipsius consensu, vel alia ratione fuisse inductos

vt Manassem vinctum catenis ad Babylonis Regem perducerent. neque necesse est factorum omnium consiliorumque præstare rationem. Sed longiùs, quàm initio putabam, me prouexit oratio: neque ista Manassis abductio solet inter transmigrationes Babylonicas censeri, cùm paulo pòst fuerit in integrum postliminiò restitutus, neque deinceps tributum Regi Babylonio pensitarit. Quare si placet, ad cætera contento studio cursuque veniamus.

III. *De captiuitate Ioacimi.*

8. PEREG. Nonnulla sunt circa Ioacimi calamitatem, in quibus videri possit scriptura seipsam collidere. *In diebus eius,* (inquit 4. Reg. cap. 24. v. 1.) *adscendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis, & rursum rebellauit contra eum, immisitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum. &c.* 2. Paralip. vt iam visum est, vinctus catenis à Nabuchodonosore dicitur & abductus in seruitutem. Quæ duo facilè conciliantur, si Ioachimum dicamus abductum fuisse Babylonem, sed paulo pòst, è vinculis exemptum Nabuchodonosori seruiisse à quo tertio pòst anno defecerit.

Quoto regni sui anno captus fuerit Ioacimus.

9. Sed quoto regni sui anno captus fuerit, controuersia est, inter Chronologos & Interpretes magnis altercationibus ventilata. *Anno tertio* (prima verba sunt Prophetiæ Danielis) *Anno*, inquit, *tertio regni Ioacim Regis Iuda, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioacim Regem Iuda, & partem vasorum domus Dei, & asportauit ea in terram Sennaar*, &c. At Ieremiæ 25. annus primus Nabuchodonosoris cùm primo Ioacimi componitur: *anno*, inquit, *quarto Ioacim filij Iosiæ Regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis*, & aduentus Chaldæorum imminensque Iudææ clades prædicitur. *Assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam &c. & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Id qua ratione cohærere possit, equidem non video, vt & Ioacimus iam anno regni tertio caperetur, & adhuc anno quarto eadem ipsa calamitas immineret.

10. Scio quidem, quod doctissimus Ribera prudenter obseruat, annos vitæ aut regni alicuius interdum integros atque completos, imperfectos interdum inchoatosque numerari, vt si quis annos octo regnauit, & octo menses, nonnunquam dicatur annos octo regnasse, qui videlicet integri fuerint, nonnunquam nouem, quia annus imperfectus pro integro numeratur. E quibus infert, cùm vno anno tantùm duobusve differunt scriptores, re tamen ipsa nequaquam inter se dissidere. Hoc inquam, scio: sed tamen aliud est annos duntaxat supputare per numeros quos vocant cardinales, aliud annorum seriem digerere per numeros quos Grammatici ordinales appellant. Verissimè dixeris eum, de quo loquimur, vel octo vel nouem annos regnasse, vt autem verè dicas eum octauo regni anno hominem exuisse, qui anni noni labentis octauo mense mortuus est, nemo tibi facilè concesserit. Nam si octauus adhuc annus numeratur, quamuis elapso iam octauo menses insuper octo fuerint euoluti, quidni iam decimus annus numerari possit, quamuis ad annum decimum menses adhuc quatuor euoluendi supersint? Quod si admittimus, conturbamus omnes tum sacræ, tum profanæ Chronologiæ rationes. Quæ cum ita sint, mi Restitute, huius abs te nodi solutionem expecto.

In Zachariam cap 1. Num. 23.

11. RESTITVTVS. Diuersas conciliandæ scripturæ vias interpretes inierunt. Hebræi in Seder Olam ita Danielem exponunt, vt anno tertio rebellionis Ioacim venerit Nabuchodonosor, cuius aduentum Ieremias anno Ioacimi quarto prædixerat. Alij annos numerant ex quo Ioacim à Nabuchodonosore restitutus fuerat, & Rex eius beneficio declaratus, cùm priùs à Nechao Ægypti Rege regnum accepisset. alij denique in alias interpretationes, quas qui singulas confutare voluerit, ei nunquam defutura videtur oratio.

Duobus modis Regum anni computantur.

12. Sed ne diutiùs in re non difficillima conflictemus, aduerte duobus modis Regum annos solere numerari: altero si ab eo definitè die quo ad regnum euecti sunt numerandi ducamus initium, & secundum annum ineamus, cùm primùm ab eo die menses duodecim fuerint euoluti. altero si componamus annos Regum cum annis ciuilibus, & si verbi caussa Rex quispiam mense Martio regnare occœperit, menses decem qui ad calendas Ianuarias supersunt, pro anno integro reputemus: aut si affecto & profligato iam anno regni gubernacula susceperit, neglectis aliquot dierum aut etiam mensium minutijs, quod temporis ad calendas Ianuarias supererat, anno sequenti tribuamus, vt deinceps primus annus Regis cum anno ciuili consentiat, quemadmodum annos Christi non ab ipso die natali, sed à calēdis Ianuarijs arcessimus.

13. Iosiam eo tempore quo solent reges ad bella procedere à Nechao Rege Ægypti cæsum fuisse, faciamus, & statim Ioachasum populari factione regni gubernaculis admotum: tantùm *tribus mensibus regnauit in Ierusalem:* circa mediam æstatem vinxit eum Pharao, & imposuit multam
4. Reg 23. terræ. *Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Iosiæ pro Iosia patre eius, vertitque nomen eius Ioacim: porro Ioachas tulit & duxit in Ægyptum.* quæ probabile est tribus circiter ante æquinoctium autũnale mensibus contigisse: vnde vt author est Hieronymus Hebræi, Chaldęi & Ægyptij cæterique populi ad ortum vergentes ducebant anni ciuilis exordium. Possumus eius annos ita nulla penitus anni ciuilis habita ratione computare, vt cùm ab eius inauguratione menses duodecim effluxerint, annum secundum labentem numeremus: possumus tres menses, qui ad æquinoctium & anni ciuilis initium supersunt, negligere, & menses quindecim eius anno primo tribuere, vt anni deinceps Regis possint quadrare ciuilibus. Atque ita fieri potest, & verò etiam solet, vt res eadem secundum diuersas rationes & tertio & quarto Regis alicuius anno gesta dicatur absque dispendio veritatis.

14. Ait Daniel anno Ioacimi tertio venisse Regem Babylonis. Sed hos annos
Quo sensu captus dicatur regni sui anno 3 & anno 4. componit annis ciuilibus: ac proinde trium quatuorve mensium qui ab inauguratione Ioacimi, ad æquinoctium elapsi fuerãt, nullam putat habendam esse rationem, & anno tertio venisse dici potest Nabuchodonosor, quamuis trigesimo quinto post illud æquinoctium mense, tricesimo octauo post inaugurationem accesserit. Idem aduentus anno Ioacimi quarto à Ieremia prædicitur. Sed Ieremias horum annorum caput non ab anni ciuilis initio, sed ab inauguratione Ioacimi deducit: vnde cùm menses sex & triginta fuerint exoluti, quartus annus incipit numerari. Imminentem igitur Nabuchodonosoris grassationem prænuntiare potuit anno Ioacimi quarto Ieremias, quam Daniel eiusdem anno tertio consignat.

15. Quid si Daniel non finem sed profectionis initium, & incœpti belli nõ etiam confecti tempus obseruat, & Nabuchodonosor contra Regem Ægypti, & Ioacimum qui ab Ægypti Rege regum acceperat, missus est patre Nabopolassaro superstite, anno autem sequẽti, qui fuit Ioacimi quartus, Nabuchodonosor patri mortuo suffectus est, Ægypti Regem superauit, Iudæos afflixit, Ioacimum cepit, & vinctum catenis abduxit Babylonem. quo factum est vt & Ioacimi captiuitas, & primus Nabuchodonosoris annus, ex parta de Ægypti Rege victoria, in quartum Ioacimi Regis annum incurreret. Quæ res vt liquidiùs pareat, operæ fuerit illorum temporum historiam è scriptura, Herodoto, Beroso paucis contexere.

16. Quo tempore Manasses Iudaici regni gubernacula tractabat accisis Sennacheribi clade Assyriorum opibus, Reges duodecim Ægyptum, Lydi, Mędi, Babylonij, cum aliquot minoribus Regulis, verbi caussa Iudæorum & Tyriorum, Asiam obtinebant: stabat nihilominus Niniue, & quamuis tot gentium defectione non mediocriter debilitata, suâ tamen se mole sustentabat, & singulæ gentes adepta libertate contentæ suis se limitibus facilè continebant. Status politicus terrarum tempore Manassis. Cùm in Ægypto à Regibus illis duodecim ad vnum Psammethicum rerum summa peruenit, qui intulit bellum finitimis, & quatuor & quinquaginta regnauit annis, τῶν τὰ ἑνὸς δέοντα τριήκοντα, quorum vnde triginta Azotum magnam Syriæ ciuitatem obsedit, eámque expugnauit, vt auctor est Herodotus lib. 2. In hac ciuitatis obsidione facilè crediderim Manassen fœderis ab Ezechia patre cum Babyloniis initi oblitum fuisse Ægyptio, Reges Assyriæ & Babylonis, vt iunctis viribus hostem ex Asia detruderẽt, auxilio fuisse ciuitati, à principibus exercitus Regis Assyriorum captum Manassen, Babylonem perductum, vt eius Regis arbitrio plecteretur, cui pater Ezechias se posterósque suos fœderis religione deuinxerat.

17. Hæc, inquam, facilè suspicarer, sed quoniam à suspicionibus & coniecturis meas disputationes abstinere decreui, rem in medio relinquam. Interim Medorum imperiũ sub Phraorte filio Deiocis lacertos paulatim exerebat, & gentes finitimas subiugabat. Sed iscùm Ninum obsidione cinxisset, cum exercitu internecione deletus est. Cyaxares filius, quem Astibaram Cyaxares. Alexander Polyhistor apud Euseb. lib. 9. προπαρ. & Ctesias apud Diodorum lib. 3. appellat, scriptura Tobiæ vltimo in Codicibus Græcis vocat Assuerum, Cyaxares, inquam, Phraortis filius bellum intulit Phraortes. Aliattæ Lydorum Regi, & quinto pòst anno Syennesi Cilice, & Labyneto Babylonio (is est Nabopolassarus magni Nabuchodonosoris pater) sequestribus fœdus initum & matrimonij necessitudine firmatum, rotáque belli moles in vrbem Ninum incubuit: quæ decimo circiter octauo Io-

siæ anno à Babylonijs Medisque subuersa est. Duodecim fere post Nini cladem anno Nechao, siue Necos Rex Ægypti, qui post Psammithicum, rerum potiebatur, impressionem fecit in Syriam. Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. *& cum Syris pedestri exercitu congressus in Magdolo retulit victoriam.* verba sunt Herodoti lib. 2. exeunte. In eo conflictu Iosias occisus est. sed scripturam audiamus 4. Reg. cap. 33. *Ascendit Pharao Nechao Rex Aegypti contra Regem Assyriorum* (is erat Nabopolassarus siue Nabuchodonosorus senior) *ad flumen Eufratem: & abiit Iosias Rex Iuda in occursum eius, & occisus est in Mageddo, cùm vidisset eum.* Erat enim Iosias Babylonio amicus & fœderatus. Eo demortuo filius Ioachas, qui & Sellum à Ieremia dicitur, quamuis natu minor, populari factione regnum inuasit.

18. Interim Nechao victoria bene vsus tum Cadytin vrbem Syriæ magnam occupauit, vt author est Herodotus, tum tertio pòst mense, venit Hierosolymam, vinxit Ioachazum, *ne regnaret in Ierusalem, & imposuit mulctam terræ centum talentis argenti & talento auri: Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Iosiæ* natu
4.Reg cap. 23. v. 33. maximum, *pro Iosia patre eius, vertitque nomen eius Ioacim: porro Ioachaz tulit, & duxit in Aegyptum.* In principio regni Ioacim cùm Ieremias imminentem populo cladem prædiceret, *apprehenderunt eum*
Ieremiæ 26. v. 8. *Sacerdotes & Prophetæ & omnis populus dicens: morte moriatur,* &c. si Alexandrum Polyhistorem audimus apud Eusebium lib. 9. προπαρ. exeunte, Ioacim prophetam viuum conatus est, infelicibus lignis amburere, cui ille prænuntiauit fore vt his lignis cibos Iudæi Babyloniis pararent, & Tigrim & Eufratem in fossas deducerent. Quibus auditis Nabuchodonosor, accito in belli societatem Astibara Medorum Rege, ingentes exercitus in Iudæam vicinasque regiones infudit, Hierosolymam & alias ciuitates cepit, Ioacim captiuum duxit in Babylonem.

19. Hoc bellum anno tertio Ioacimi suscepit, vt ex initio Danielis compertum est, & quidem patre Nabopolassaro superstite, sed occurrentibus Ægyptijs non potuit ad vrbem peruenire, vt e Ieremia liquet cap. 46. v. 1. vbi cædes prænunciatur, *aduersum exercitum Pharaonis Nechao Regis Aegypti qui erat iuxta fluuium Eufratem in Charcamis quem percussit Nabuchodonosor Rex Babylonis in quarto anno Ioacim filij Iosiæ Regis Iuda.* Is fuit victoriæ fructus qui 4. Reg. cap. 24. v. 7. describitur. *Et vltrà non addidit Rex Aegypti vt egrederetur de terra sua: tulerat enim Rex Babylonis à riuo Aegypti vsque ad fluuium Eufratem, omnia quæ fuerant Regis Aegypti.* Eodem anno, sed ante conflictum, cùm nutaret adhuc

Inter vtrumque volans dubijs victoria pennis,

prædixit Ieremias annorum septuaginta seruitutem.

20. E quibus Berosum meritò reprehendas, aut saltem è scriptura leuiter emendes, cuius verba extant apud Iosephum lib. 10. Orig. c. 11. & 1. contra Appionem & apud Eusebium lib. 9. προπαρασκ. exeunte, qui cum contra quem Nabopolassarus οὐ δυνάμενος ἔτι κακοπαθεῖν cùm par labori ampliùs non esset, Nabuchodonosorem filium misit, dicit fuisse satrapam, quem Ægypto, Berosus emendatur. Cœlesyriæ, & Phœniciæ præfecerat. Is enim fuit Necos siue Nechao, quem scriptura passim Regem Ægypti & Pharaonem appellat. In eo tamen audiendus quòd Nabuchodonosorem à patre missum esse dicit, conflixisse, victoriam retulisse, & totum illum tractum in potestatem redegisse. Audiendus etiam vel maximè cùm ait. τῷ δὲ πατρὶ αὐτοῦ συνέβη Ναβοπολασσάρῳ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀρρωστήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον ἔτη βεβασιλευκότι εἰκοσιέν. *Per idem tempus Nabopolassarus Babylone moritur cùm regnasset annis vno & viginti,* addit Nabuchodonosorem de patris obitu factum certiorem, rebus in Ægypto & reliqua omni regione compositis, captiuisque è Iudæa, Phœnicia, Syria, & Ægypto cum omni exercitu & præda cuidam amicorum traditis, cum mandato vt in Babyloniam omnia deportaret, ipsum properè cum paucis Babylonem per solitudinem aduolasse. E quibus vides quarto regni sui anno captum esse Ioacimum cum alijs non paucis, in quibus Daniel, Ananias, Azarias & Misael ab ipso Daniele cap. 1. ineunte recensentur, cùm idem annus Nabuchodonosoris regno primùs illuxerit, vt liquet è Ieremia cap. 25. v. 1. vbi cùm annum Ioacimi quartum nominasset, adiecit: *ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis.*

21. Aliquanto pòst quinto forsitan aut sexto regni sui anno remissus est in Iudæam Ioacimus cum certis conditionibus seruitutis, vt è lib. 4. Reg. c. 21. v. 1. apertè colligitur. *& factus est Ioacim seruus tribus annis, & rursum rebellauit contra eum.* quam defectionem necesse est in annum Ioacimi nonum, vel decimum incidisse. *Immisitque ei Dominus latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Am-*

mon, à quibus non solùm vexata prouincia, sed etiam Rex ipse videtur interemptus, & extra portam Ierusalem abiectus, vt Ieremias prædixerat, cap. 22. v. 19. *Sepultura asini sepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem*. & apertiùs 36. vers. 30. *cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.*

IV. *De captiuitate Ioachini, siue Iechoniæ.*

22. PEREG. Constituere non possum, mi Restitute, tibine potiùs an mihi gratuler quòd offusam animo meo caliginem oratione tua detersetis. Iam enim nullus dubito ita conciliandum esse Danieli Ieremiam, vt Ieremias annum quartum ab inauguratione Ioachimi, Daniel annum tertium ab anni ciuilis initio duxisse statuatur, aut certè à Daniele expeditionis initium, à Ieremiâ finem esse spectatum. Sequitur vt de Ioachini, siue Iechoniæ transmigratione pauca dicenda sint.

2. Paralip. c. 36. v. 9. 10. *Regnauit autem Ioachin filius eius pro eo. octo annorum erat Ioachin cùm regnare cœpisset: & tribus mensibus ac decem diebus regnauit in Ierusalem, fecitque malum in conspectu Domini, cumque anni circulus volueretur, misit Nabuchodonosor Rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis Domini.* Quot pene verba, tot scripturarum inter se conflictus. Hic

Variæ quæstiones circa captiuitatem Ioachin. annorum octo fuisse dicitur cùm regnare cœpisset, at 4. Reg cap. 14. v. 8. *Decem*, inquit, *& octo annorum erat Ioachin, cum regnare cœpisset.* Hic dies decem tribus regni mensibus adiecti sunt: ibi reticentur. Hic misisse dicitur Nabuchodonosor qui adduxerunt eum in Babylonem: ibi Rex ipse cum seruis suis venisse dicitur, suscepisse Ioachinum, eumque Babylonem cum matre & vxoribus transtulisse. Quid quòd hic ipse scripturæ locus videtur seipsum collidere? Tribus tantùm mensibus, & diebus decem dicitur regni gubernacula tenuisse: & tamen non priùs quàm anni circulus volueretur, venisse dicuntur qui Ioachinum regno deiectum Babylonem perducerent.

c. 14. v. 11. c. 52. v. 28. Eum 4. Regum suscepisse dicitur, *Rex Babylonis anno octauo regni sui*, qui vt è Ieremia manifestè colligitur, septimo Nabuchodonosoris anno translatus est.

4. Reg. 24. 13. 23. Quid quòd idem Nabuch. *Concidit vniuersa vasa aurea quæ fecerat Salomon Rex Israel in templo Domini.* Quæ quo tandem modo concidi potuerunt, cum ea variis ante casibus expilata fuisse scriptura testetur? *In quinto autem anno regni Roboam,* qui videlicet filius erat Salomonis, eique, proximè successerat, *adscendit Sesac Rex Aegypti in Ierusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & vniuersa diripuit: scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon,* &c. 3. Reg. 14. 25. Ioas Rex Israel *tulit omne aurum & argentum, & vniuersa vasa quæ inuenta sunt in domo Domini, & in thesauris Regis, & obsides, & reuersus est in Samariam.* 4. Reg. 14. 14. His direptionibus accessit, quòd Achaz, *Cùm collegisset argentum & aurum, quod inueniri potuit in domo Domini, & in thesauris Regis, misit Regi Assyriorum munera.* 4. Reg. 16. 8. & filius eius Ezechias, *Non solùm dedit omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris Regis,* sed etiam *confregit valuas templi Domini, & laminas auri quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum.* Post tot igitur vasorum omnium, & omnis auri & argenti quod inueniri potuit, expilationes, quî fieri potuit vt Salomonis vasa superessent? Dies profectò me deficiat, si omnes antilogiarum tricas coner euoluere.

24. Vel illud quàm perplexum est! quam nodosum & implicatum! *Concidit*, inquit, *vniuersa.* Quid est concidere? Sine dubio dissecare, & in frusta diuidere. Tamen vsque ad annum Balsasaris extremum, imò vsque ad Persarum regnum integra remanserunt. Daniel. 5. v. 2. *Præcepit ergo iam temulentus Balsasar, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius, de templo quod fuit in Ierusalem: vt biberent in eis Rex & optimates eius, vxoresque eius & concubinæ,* &c. *& biberunt in eis.* an eos in vasorum fragmentis bibisse credendum est? anno primo Cyri redduntur, & *Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille: cultri viginti nouem; scyphi aurei triginta; scyphi argentei secundi, quadringenti, decem vasa alia mille, omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta numerantur,* Esdræ 1. cap. 1. v. 9. & 10. Sed & in hoc ipso scripturæ numero quanta perplexitas? Partium omnium summam faciamus, non quinque millia quadringenta, sed tantùm duo millia quingenta nouem colligentur.

25. Quid hoc loco dicemus? historicum sacrum lapsu calculi pene alterum tantum suis rationibus addidisse? impium est. Falsas esse regulas quibus hactenus Arithmetici numeros numeris addiderunt, & in vnã homadem collegerunt. *Turpe est nimis & perniciosum ac maximè cauendum*, inquit Augustinus, *vt Christianus de his rebus quasi secundum Christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, vt* Lib. 1. de Genes. ad litt. c. 19.

(*quemadmodum*

(quemadmodum dicitur) toto cælo errare conspiciens risum tenere vix possit: & non tam molestum est quòd errans homo deciperetur, sed quòd authores nostri ab iis qui foris sunt, falsa sensisse creduntur, & cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atq; respuuntur. Cùm quem enim quam de numero Christianorum in ea re, quam optimè norunt, errare deprehenderint, & vanā sententiam suam de nostris libris asserere, quo pacto illis libris credituri sunt de resurrectione mortuorum, & de spe vitæ æternæ regnóque cælorum, quando de his rebus, quas iam experiri vel indubitatis numeris percipere, potuerunt, fallaciter putauerint esse conscriptos. Sed ad alia propetamus.

26. In ipso captiuorum numero quàm multa se offerunt frontibus aduersis pugnantia? *Transtulit*, inquit, facet historicus, *omnem Ierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captiuitatem, & omnem artificem & clusorem.* Mox tamen quasi retexens orationem suam, & calculos transferens attexuit: *& omnes viros robustos septem millia, & artifices & clusores mille.* Vides iam duo millia è numero superiore deducta: & ne pauciores, quàm par erat, ex illa priore summa Spiritus sanctus deduxerit, Ieremias de eadem Ioachini transmigratione loquens cap. 52. v. 28. *Iste est populus*, inquit, *quem transtulit Nabuchodonosor: in anno septimo Iudæos tria millia, & viginti tres.* Omitto quòd apud Matthæum Iosias dicitur Iechoniam genuisse, cap. 1. v. 11. qui tum à Ieremia, tum à sacris historicis dicitur filius Ioacimi. Omitto quòd apud Matthæum dicitur genitus in transmigratione Babylonis, qui si duodeuiginti fuit annorum cùm ad regnum euectus est, natus est anno Iosiæ vicesimo quinto, quo tempore nullum transmigrationis vestigium. Hæc fere sunt, mi Restitute, quæ abs te volebam enucleatiùs explicari.

4. Reg. 24. v. 14.

v. 16.

V. *Concilliantur scripturæ circa Iechoniæ captiuitatem.*

27. RESTITVTVS. Multa congeris, Peregrine, sed vt primùm velut extremis digitis facillima quæque libemus, enodis est ad quædam & expedita responsio. Quæris cur libet Parap. in supputando Ioachini tempore dies decem calculo libri quarti Regum adiecerit. Non ita tuæ peregrinantur aures, vt non in hac peruulgata scripturæ consuetudine versentur. Interdum res ad viuum resecat, & vel minutissima consectatur; interdum neglectis numerorum & temporum minutiis numero vel tempore maiore contenta est. Itaque quòd lib. Paralip. dies etiam notauit, enucleatæ diligentiæ fuit: quòd eos prætermisit liber Regum, fuit historicæ dignitatis.

28. Quæris qui conueniat, vt & anno Nabuchodonosoris octauo, & eiusdem anno septimo translatus fuerit Ioachinus. annus fuit octauus à prima Regis inaugurationе, septimus ab illius anni ciuilis initio qui hanc inaugurationem excepit. Vel, si mauis, septimus fuit ab obitu patris Nabopollassari, octauus ab eo tempore quo vicariam patri nauauit operam, & bello Iudæis & Ægyptiis illato præfectus est.

De anno 7. & 8. Nabuchodonosor.

29. Quæris cùm Nabuchodonosor misisse dicatur certos homines qui Ioachinum duxerunt in Babylonem, cur 4. Reg. Rex ipse cum seruis suis venisse dicitur, vt expugnaret vrbem. Ne hîc quidem videtur immorandum. Præmiserat qui vrbem obsiderent, munitionibúsque & vallo circumdarent, quibus perfectis ad postremum ipse accessit. Aperta scripturæ sententia. *Adscenderunt serui Nabuchodonosor Ierusalem, & circumdata est vrbs munitionibus. Venítque Nabuchodonosor Rex Babylonis ad ciuitatem, cum seruis suis, vt oppugnarent eam. Egressúsque est Ioachin Rex Iuda ad Regem Babylonis*, &c. 4. Reg. 24. 10.

30. Quæris cùm tribus duntaxat mensibus, & diebus decem regnauerit Ioachinus, quo sensu dicatur captus fuisse, *cùm anni circulus volueretur.* Respondeo non significari tempus à susceptis regni gubernaculis elapsum, sed eum in Regis Babylonici potestatem venisse, sub æquinoctium, quo tempore apud Chaldæos & Iudæos annus ciuilis redibat in orbem & in se sua per vestigia remeabat.

31. His expeditis facilior ad reliqua quæ sanè difficiliora sunt, & intricatiora, cursus ostenditur. Et vt primùm de vasis à Salomone factis, à Nabuchodonosore translatis pauca dicamus: Templum ante captiuitatem Ioachini variis casibus expilatum fuerat, fateor. Sesac quinto post obitum Salomonis anno, *tulit thesauros domus Domini*; negare non possum. *Scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon*; verissimè dictum est. Sed nullam hîc inuenio lancium, scyphorum, cæterorum eiusmodi vasorum mentionem. *Tulit Ioas Rex Iuda omnia sanctificata quæ consecrauerant Iosaphat, & Ioram, & Ochosias, patres eius Reges Iuda, & quæ ipse obtulerat: & vniuersum argentum, quod inueniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio Regis: misítque Hasaeli Regi Syriæ.* Sed à vasis à Salomone consecratis manus abstinuit.

Templum frequenter expilatum.

4. Reg. 12. 18.

4 Reg 14. 14. Ioas Rex Israel templum diripuit, & tulit *vniuersa vasa, quæ inuenta sunt in domo Domini.* Sed necesse non est vt vasa Salomonis inuenerit, quamuis per canes suos venaticos odoraretur & perscrutaretur omnia. Achaz collegit *argentum & aurum quod inueniri potuit in domo Domini*: fecit idem Ezechias: Sed nihil necesse est interpretari de vasis à Salomone consecratis. Quare cũ captus est Ioachinus, adhuc extare potuerũt.

32. Sequitur illud vt paucis videamus quo sensu Nabuchodonosor vniuersa vasa conciderit. Ac primùm fatemur integra extremo Balsasaris anno primóque Cyri Persarum Regis extitisse. Quid est igitur, *conc. idit*? largè accipitur, inquit Abulensis pro colligauit, vt faciliùs deportarentur. Dura locutio, vt enim catachresim, siue vocis abusum esse faciamus, nulla tamen apparet ratio similitudinis vnde verbi fuerit facta translatio. Quid si vasa concidisse dicatur, quòd emblemata quædam exemptiléſq; crustas, id est opus vermicularum è tesserulis adscititiis aptum atque consertum detraxerit, & vasis, vt cum Tullio loquar, delicias excusserit? קצץ enim, quam vocem hoc loco textus primarius vsurpat, truncare est, mutilare, & rei summitatem excerpere. Quid si *vniuersa concidere*, nihil est aliud quàm vniuersam vasorum multitudinem in partes duas diuidere, vt alteram secum auferret, alteram in templo relinqueret? constat enim traducto Babylonem Iechonia, sacrorum vasorum argenteorum aureorúmque partem relictam, quæ 11. pòst anno, translata sunt.

Quo sensu Nabuchod vniuersa templi vasa conciderit.

33. Quod ad numerum attinet 1. Esdræ cap. 1. conceptum, homas illa quinque millium & quadringentorum non ex illis duntaxat minoribus numeris supra memoratis collecta est, sed alia vasorum genera fuerunt, vt lances, acerræ, thuribula, quæ scriptura breuitatis studio prætermisit. Habes de vasis eorúmque numero quid sentiam: restat vt de captiuis & Ioachino præsertim pauca dicamus.

De numero vasorum templi redditorum.

34. PEREG. Imò, mi Restitute, priusquã ad eos transiliat oratio tua, per mihi gratum feceris, si mihi scrupulum quemdam, qui mihi mentem etiamnum stimulat ac pungit, exemeris. *Direptis Achaz omnibus vasis domus Dei atque confractis, clausit ianuas templi Dei*, &c. 2. Paralip. cap. 28. v. 24. Quonam igitur pacto vasa, quæ fecerat Salomon ad Ioachini transmigrationem infracta manere potuerunt? Deinde cùm authores Latinissimi aurũ & argentũ pro vasis aureis & argenteis eleganter vsurpent, quid necesse fuit argentum à vasis distinguere?

35. RESTITVTVS. Scio Peregrine, scio tropicam hanc locutionem tersissimis quibusque scriptoribus vsitatam; sed cùm humanitatis sit ingenuique candoris authores profanos, quoties fieri possit, in leniorem partem interpretari, eosque figuratè potiùs quàm falsò locutos putare, quanto magis illam scripturam diuinitus inspiratam, vt sibi cohæreat, in proprio natiuóque verborum sensu capere debemus, non ad tropos figurásque detorquere cum dispendio veritatis?

36. Ad Achazum quod attinet eius impietate me nonnihil commoueri fateor, vix vt à rebus etiam sanctissimis imminentem hiantémq; auaritiam abstinuisse videri possit, nihil tamen extorquet, vt eum quamuis perditum ac nefarium, vasis à Salomone consecratis sacrilegas manus admolitum esse fateamur, cùm nec Philisthini arcam fœderis, nec scelestissimus ille Chosdroes sanctissimam crucem ausus fuerit attingere. Ac proinde quod dicitur de omnibus vasis templi Domini confractis, intelligere possumus de posteriorum Regum, & alienigenarum fortasse donariis, quæ seruabantur, quidem in gazophylacio, Deo tamen consecrata non erant, nec religioni, cerimoniisque seruiebant, fierique potest vt Isaias aliique prophetæ qui ea tempestate florebant, futuræ direptionis præscii multa Salomonis vasa Regis impietati subduxerint: quemadmodum Ieremias imminente templi conflagratione, vt tradit liber 2. Machab. & Alexander Polyhistor, arcam fœderis in speluncam abstrusit. Quæ si dici non possenter, staret adhuc ille receptus & velut extrema munitio, ad captiuitatem vsque vasa Salomonis extitisse, non quidem eadem numero, sed specie, quæ videlicet posteri post tot direptiones instaurauerant ad eum modum quem Salomon præscripserat.

cap 2 v 6.

Apud Euseb. lib. 9. de præp. exeunte.

37. Sed quid opus est eum his explicationũ tricis anxiè conflictari, cùm scripturæ verbis, vt sonant, hetere possimus? Esto sanè: aliquoties vasa tẽpli, quotquot inueniri potuerunt, direpta sint. Nemo tamen negauerit eorum multa vel ante expilationes sacerdotum prouidentia subduci, vel ex harpyarũ manibus, Regũ. qui successerunt vigilãtiã reglutinari potuisse, vt vasorũ quæ fecerat Salomon, ad Ioachini trãsmigrationẽ nõ pauca superessẽt. Esto Nabuchodonosor, vt verba sonant, vasa, quæ fecerat Salomõ, vniuersa cõciderit, cõminuerit, frustillatim cõcerpserit, etiã in massam cõflarit: vniuersa, inquã, Salomonis vasa, quæ ad id tẽporis extare potuerunt. Ecquid sacer historicus cęterorũ quoq; Regũ donaria concisa testatur? nihil minus, nullus igitur scripturæ cõflictus. Neque enim quòd recorder, vspiam legitur aut Balsasar vasa quæ fecerat,

Salomon ad conuiuium protulisse, aut Cyrus vasa quæ fecerat Salomon Iudæis remigrantibus reddidisse. Hactenus de vasis: nunc ad captiuos & Iechoniam veniamus.

De numero captiuorũ.

38. Quod ad numerum captiuorum attinet, decem duntaxat millia translata putat Abulẽsis, è quibus 7000. fuerint viri fortes & bellatores, mille artifices & clusores, cæteri principes, siue Iudices terræ. Non est igitur numeri superioris emẽdatio, quæ subtexitur, sed eius in suas partes diuisio: quãquã numerũ Principũ siue Iudicum terrę prætermisit, quia positis octo millibus 2000. principũ residua fuisse nullo negotio potuit intelligi, clusores autẽ Hier lib. 5. in Iere. ineunte interpretatur, *artifices inclusoresque auri atque gemmarum, qua ars apud Barbaras nationes pretiosissima est: pro inclusoribus 70. vinctos interpretati sunt, vt captiuitatis significarent malum, & de suo addiderunt diuites, quod in Hebraico non habetur,* alii castrorum metatores vrbiúmque munitores esse volunt sic appellatos quòd castra vallo sepirent, & mœnibus vrbes includerent.

39. Neque verò conturbatæ sunt apud Ieremiam Iudæos duntaxat tria millia & viginti numerantem, aut falsæ rationes, sed numero 4. Regum inito apprimè consentiunt, si cum Seder Olam cap. 25. *de Iuda tria millia, de Beniamin & reliquis tribubus septem millia,* Babylonem abducta fuisse statuamus, siue quia liber Reg. captiuos omnes recensuit, Ieremias autem, vt ait Rabi Abraham in historica cabbala, principes duntaxat stirpium numerate decreuerat.

Quoto ætatis anno regnare cœperit Iechonias

40. Circa Iechoniam tria quæruntur, pater, ætas adepti principatus, & quo sensu genitus fuisse dicatur in transmigratione Babylonis. Pater fuit Ioacimus, Iosias auus, cur igitur apud Matthæum omisso Ioacimo dicitur Iosias, Iechoniam genuisse? Dicerem moris esse scripturæ aliquot generationum capita prætetire, & hoc exemplo præsentissimo comprobarem, cùm in hoc ipso stemmate quod per Reges à Dauide ad Iechoniam deducitur, fateantur omnes, & verò fateri necesse sit tres aut quatuor esse prętcritos. Sed enimuero necessarium videtur in maiorum Christi senem Ioacimum, Iechoniæ patrem intexere, alioquin quod perabsurdum est, cùm Matthæus totam illam seriem in partes tres distribuerit, & in singulis apertè dixerit generationes esse 14. harum vna tessaradecas tredecim duntaxat generationum capita contineret.

41. Itaque disertè testatur Epiphanius hæresi 8. siue de Epicureis amanuensium incuria, & oscitantia mendum in Matthæi primum caput illapsum: cui tum Ambros. tum Euthymius suffragantur, aliiq; complures huius & superioris seculi viri sanè doctissimi; imo & in quibusdam Græcis exemplaribus Caroli Stephani & Tremellii textus Græcus ita conceptus est. Ιωσίας δ' ἐγέννησε τὸν Ιακεὶμ. Ιακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν, ϗ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, *Iosias autem genuit Ioachim, Ioachim autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.*

42. Certum est & Tridentinæ Synodi decreto sub anathemate sancitum omnes libros tam veteris quàm noui Testamenti integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis esse suscipiendos, & ita suscipiendos declarat congregatio Cardinalium, vt ne iota quidem aut vnum apicem in ea repugnare statuatur. Cùm tamen Concilium præmiserit se de rebus tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus loqui, dubitarique possit vtrùm ad solas traditiones, an etiam ad libros canonicos hæc verba referantur, imò cùm Summi Pontifices etiam post Tridentinam Synodum multas labes ex editione vulgata deterserint, salua pietate quæri forrasse potest fierine potuerit, vt in rebus quæ nec fidei dogmata, nec mores attingunt, sed in sola rerum gestarum narratione, vel temporum descriptione versantur, in omnia penitus exemplaria error aliquis & næuus irreperet.

An aliquod mendum omnes sacros codices potuerit occupare.

42. Video quàm lubricus sit hic locus, itaque pedetentim cautéque procedam, nihil definiam singulis articulis suas conditiones apponam, &, si cum Tertulliano loqui fas est, pietatis modestiæque Christianæ funambulus, tenuissimo Catholicæ veritatis filo ingrediens, orationem cautione librabo, animum assertionis temeritaæ metu temperabo. Si Matth. textus integer est, 14. generationum caput interpretibus indagandum relinquo: si quid amanuensium vel oscitantia vel temeritas de Euangelici textus integritate libauit, cùm lib. Paralip. annos 8. lib. Reg. Ioachino tribuat 18. quæ duo cohærere vix possunt, licebit & mihi suspicari alterum esse ex altero corrigendum, vt vel vtrobique legatur annorum octo fuisse, cùm regnare cœpisset, vel vtrobique octodecim: faciamus igitur scripturam lib. Paralip. esse sinceram & defæcatam, alteram lectionem esse corruptam, & Ioachinum 8. duntaxat annorum fuisse cum patri successit: sequetur eius exortum in illius ipsius anni principium incidisse, quo pater Ioacimus Babylonem abductus, eúmque proinde natum esse in transmigratione Babylonis?

Quomodo natus Iechonias in trãsmigratione Babylonis.

43. Quòd si mordicus vtriúsq; lectionem retinere volumus, dicendū est Ioachini regis initia fuisse duo: alterum quo inauguratus puer octennis, patre superstite: alterum quo post patris obitum solus regnare cœpit, cùm iam ætatis annum 18. attigisset: eum autem dicit genitum in transmigratione Babylonis, quia natus sub ipsum transmigrationis tempus, & decem duntaxat annis antequam pater ipsius vinctus Babylonem abduceretur. Sed hæc & alia nostra non solùm Ecclesiæ, quod necesse est, sed etiam eruditorum iudicio submittimus.

VI. *De captiuitate Sedeciæ.*

44. PEREG. Vide quem discipulum nactus fueris, Restitue, iam è dictis quasdam antilogiarum, quæ circa Sedeciæ captiuitatem occurrunt, tricas expedire posse mihi videor. 4. Regum cap. 25. v. 8. *Mense quinto*, inquit, *septima die mensis, ipse est annus nonusdecimus Regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus seruus Regis Babylonis in Ierusalem, & succendit eam igni.* Eadem Ieremiæ 52. v. 12. repetuntur, nisi quòd pro septima die mensis, decima numeratur: tamen v. 29. Ieremias idem *in anno octauodecimo Nabuchodonosor, de Ierusalem animas octingentas triginta duas ait esse translatas.* & cap. 39. v. 2. scribit vndecimo anno Sedeciæ, mense 4. quinta mensis apertam esse ciuitatem, & ingressos omnes principes Regis Babylonis: in quibus vides aliquot sententiarum se collidentium conflictus, siue diem, siue mensem, siue captæ ciuitatis annum consideres. Eadem, vt videtur, dies quinta, septima, decima, mensis idem quartus & quintus, idem annus octauusdecimus, & nonusdecimus numeratur.

45. Sed de anno iam nulla superest difficultas, vndeuicesimus fuit ab inauguratione, duodeuicesimus ab anni ciuilis exordio. Quanquam duos hic annos intelligere possumus, vt vndecimo anno Sedeciæ, qui Nabuchodonosori 18. illuxit, mense quarto, quinta die mensis dicamus vrbem à Babyloniis occupatam, anno eodem Iudæos Babylonem esse translatos, anno sequenti Nabuchodonosoris decimo nono, quinto mense, die septima missum esse Nabuzardan ex Rablatha, qui tridui viam emensus decima die templum incenderit.

46. Quod addam, difficilius fortasse cuipiam videri possit, nec tamen habet difficillimos explicatus. Anno Ioacimi quarto, Nabuchodonosoris primo cæsus est Pharaonis exercitus, vt è Ieremia cap. 46. liquet. *Et*, vt dicitur 4. Regum cap. 24. v. 7. *vltrà non addidit Rex Aegypti vt egrederetur de terra sua: tulerat enim Rex Babylonis à riuo Aegypti vsque ad fluuium Euphratem, omnia quæ fuerant Regis Aegypti.* Tamen vt dicitur Ieremiæ 37. v. 4. Quo tempore Nabuchodonosor Sedeciam obsidebat, anno præter propter decimo sexto à profligatis Ægyptiis, *Exercitus Pharaonis egressus est de Aegypto: & audientes Chaldæi, qui obsidebant Ierusalem, huiuscemodi nuntium, recesserunt ab Ierusalem:* quamuis, vt subnectitur, reuersi sunt Ægyptii, obsidionem intermissam repetierunt Chaldæi, & vrbem captam incenderunt. Sed hæc nullo negotio conciliantur. Loquitur quartus Regum de Rege Nechao, Ieremias de Aprie illius nepote qui iam tum auo Nechaoni, & Psammi patri successerat.

VII. *De postrema captiuitate.*

47. IN *anno 23. Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorum 745.* Ierem. 52. v. 30. Non facile reperias disertis verbis expressam huius transmigrationis alibi mentionem. Quidam interpretantur eos quinto post Sedeciæ cladem anno Babylonem esse traductos, qui metu Chaldæorum in Ægyptum confugerant; de quibus multa 4. Reg. cap. 25. & Ierem. 42. Sed cùm eos Ieremias gladio & fame, & peste morituros in Ægypto prænuntiarit, nec eorum reliquias, si quæ fuerunt, priùs transferre potuerit Nabuchodonosor quàm Ægyptum obtineret, ea verò potitus non fuerat, ante Tyrum subactam, & annum à transmigratione Ioachini, septimum & vicesimum, qui fuit Nabuchodonosoris 34. alia nobis explicatio quærenda est.

48. Rabbi Abraham in historica cabbala multa congerit non sibi solùm, sed etiam scripturæ contraria: ait adscendisse Nabuchodonosorem sexto regni Sedeciæ, id est regni sui decimo octauo, & in exilium traxisse octingentos viginti duo: sed si, vt ipse fatetur, annus Nabuchodonosoris primus partim in tertium annum Ioacimi, partim in quartum incidebat, & Ioacimus 11. duntaxat regnauit annos, cui post tres Ioachini menses Sedecias suffectus est, annus Sedeciæ sextus, Nabuchodonosoris 15. fuit. Vnde quod subnectit Sedeciam captum fuisse, templúmque anno Nabuchodonosoris 13. deflagrasse, falsitatis nullo negotio conuincitur.

Historica cabbala reprehenditur.

49. Dicendum itaque octauo decimo Nabuchodonosoris anno captum esse Sedeciam, & octingentos triginta duos è Iudæorum primoribus Babylonem esse translatos, anno sequenti templum & vrbem deletam incendio: tertio autem supra vicesimum, cùm fortasse nouis rebus studerent illæ Iudæorum reliquiæ, quibus Rex Babylonis Godoliam præfecerat, rursum 745. traductos, priusquam reliquus populus cæso Godolia in Ægyptum salutis expediendæ causâ semigraret. Sed heus, tu, Restitute, vis ad hanc aquilam leni strepitu blandientem, in hac ripa herbarum nunc primò se molliter explicantium vestitu delicatissimo prætexta tantisper sedeamus, & de Iudæis super flumina Babylonis in salicto sedentibus pauca dicamus?

VIII. *Constitutio nouæ quæstionis.*

50 RESTITVTVS Tuo videlicet arbitratu, mi Peregrine. Quid enim esse mihi potest ista disputatione vel ad fructum vberius, vel ad honestam animi delectationem iucundius? Age igitur quoniã 5. Iudæorũ αἰχμαλωσίας pro modulo nostro non indiligenter enucleauimus, & apparentia quædam scripturarum dissidia conciliare conati sumus, videamus à qua transmigratione duci debeat illius Babylonicæ seruitutis initium, quam Ieremias aliique prophetæ annis 70. circumscribunt. Et vt liquidiùs videre possimus in quo tota controuersia versetur, remoueamus ea quæ non veniunt in quæstionem, vt finem aliquem & signum habeamus in quod argumenta nostra collineent, nec, vt vulgo dici solet, passim sequamur coruos testâque lutóque.

51. Non quæritur vtrùm accersere debeamus annorum illorum 70. caput à Manassis seruitute. Cùm enim ea seruitus quæ in annum 70. propagata est, ob contumaciam populi ab anno Iosiæ 13. prophetarum dicta respuentis, infligenda prænuntietur, Manasses autem Iosiæ auus fuerit, constat alterius seruitutis haberi rationem. Reliquis assignare possumus quædam Babylonicæ seruitutis initia, quamuis secundum alios apud Eusebium in Chronico, ab anno 13. Iosiæ, quo prophetare cœpit Ieremias & virgam vigilantem vindictæque gentium intentam videre, 70. captiuitatis anni computantur. Quam Chronologiam & probabilem putat Cornelius in Iere. 29. & Iacobus Tirinus in Chronico sacro, capite 35. multis rationibus probabiliorem facere conatus est.

52. Quod ad finem attinet, cum alij in annum Cyri primum, alij in eiusdem 20. alii in annum Darii Hystaspis secundum contulerunt. Sed qui hos annos ab anno 13. Iosiæ accersitos ad annum secundum Darii perduceret, repertus est nemo: neque sanè cuiquam venire potuit in mentem qui sacram Chronologiam gustasset labris primoribus, & extremis, vt dici solet, digitis attigisset. Neque temere quempiam reperias qui quærendo Babylonicæ seruitutis initio, translationis illius, quæ anno Nabuchodonosoris 23. contigit, putârit habendam esse rationem: iam enim ab anno duodeuicesimo Iudæi Babyloniis abiectissimè seruiebant, murus deiectus fuerat, vrbs deleta, templum denique ipsum subiectis facibus deflagrarat, vt non tam noua seruitus quàm superiorum quædam appendicula, & quasi reliquiarum racematio dicenda videatur.

53. Qui finem Babylonicæ transmigrationis anno Cyri primo, & qui eiusdem anno vicesimo consignant, verbis inter se dissident, reipsa consentiunt: cùm enim Cyrus anno regni Persici circiter vigesimo cœperit Babylonem, tenueritque totius Asiæ principatum, idem Monarchiæ primus fuit, qui regni Persici vigesimus illuxit, ante quam Babylonis expugnationem & Asiaticæ Monarchiæ primordium, non potuit Cyrus Iudæos in libertatem vindicare.

54. Supersunt igitur duo fines ad quos illi septuaginta Babylonicæ deportationis anni referantur. Vt omnis disputatio findi debeat in septem opinionum diuortia. Aut enim à decimo tertio Iosiæ ad primum Cyri annum extenditur: aut si ab vna ex illis tribus Regum Ioacimi, Iechoniæ, Sedeciæ translationibus caput arcessas, earum singulas poteris vel ad annum captæ Babylonis, Asiaticæque Monarchiæ primum, vel ad secundum Darii perducere: è qua duorum finium cum tribus initiis comparatione, sex opiniones oriuntur.

55. Hoc igitur in quæstionem venit, vtrùm ab anno Iosiæ decimo tertio, qui Ieremiæ vaticinationibus primus illuxit, an ab aliqua Regum, qui Babylonem abducti sunt, captiuitate sumi debeat seruitutis initium: si prius constiterit, constabit & illud eam anno Cyri primo finiendam, adeóque tota disputatio conquiescet. Si posterius, quærendum vlterius erit quænam è tribus illis Regum translationibus annorum illorum 70. caput esse censenda sit, & quem ad finem porrigatur. Ex te igitur quæro, Peregrine, quænam ex istis opinionibus septem tibi magis arrideat?

IX. *Annos illos lxx. seruitutis, videri ab anno Iosiæ 13. numerandos.*

Opinio Tirini. 56. PEREG. Mihi verò, Restitute, probabilis eorum supputatio videtur, qui annos illos 70. quorum meminit Ieremias, ab anno 13. Iosiæ putant esse numerandos, vt inter excidium templi, & seruitutem anno Cyri 1. relaxatã anni 30. duntaxat effluxerint. Et ne hæc è meo potiùs sensu, quàm ex eruditissimorum virorum authoritate deprompsisse videar, Iacobus Tirinus, vir, vt nosti, in omnibus reconditioris doctrinæ partibus excellens, & propemodum singularis multis argumentis hanc opinionem, si non vt certam, saltem vt quauis opposita probabiliorem esse demonstrare conatus est. Huius rationes ad 6. capita reuocantur.

Primum Tirini argumẽtum. 57. Primum ducitur ex Esdræ 4. qui etsi apocryphus est, authoritate tamen omnibus historiæ profanæ scriptoribus anteferrur. Videsis cap. 3. v. 1. & 29 cap. 9. v. 44. Videbis annum ruinæ ciuitatis 30. vbique numerari, nec calculos vltra procedere. Quin etiam *Et ciuitas*, inquit, *ædificabatur*, quod disertis conceptisque verbis cap. 10. v. 27. expressum est. Quis autem fidem ausit ei libro detrogare, quem à SS. Patribus Ambr. Irenæo, Basilio, Cypriano, Tertull. & aliis laudatũ esse constat.

Secundum. 58. Alterum argumentum è scripturis canonicis accersitur, è quibus liquet Nabuchodonosorem à capto Iechonia septem & triginta duntaxat annos fuisse superstitem à quibus si annos vndecim inter Iechoniæ Sedeciæque cladem euolutos deduxeris: eum inuenies obiisse anno post excidium templi sexto & vicesimo. Et filius eius ac successor Balthasar non nisi tribus annis imperauit, vt è cap. 5. Danielis colligitur, neque scriptura vspiam meminit aliorum Regum vsque ad cædem Balthasaris à Cyro illatam: ergo inter excidium templi, laxatámque Iudæis anno Cyri primo iam ad finem inclinante seruitutem, anni duntaxat triginta computantur.

Tertium. 59. Tertium petitur ab ætate Danielis, qui cum Ioacimo Babylonem abductus est, & iam eruditus omni sapientia, cautus scientia, & doctus disciplina tradirus est magistris docendus litteras & linguam Chaldæorum. Quod puero decem annis minori perridiculum est adscribere. Eum igitur, vt multa largiar, cùm captiuus ductus est Babylonem, annorum duntaxat decem fuisse faciamus. Sequetur enim prope cẽtenarium fuisse, cùm Darius, Medus & Cyrus imperium Babylonicum sustulerunt, si vt aduersarii volunt 70 seruitutis annos non ab anno Iosiæ 13. sed ab aliqua trium, qui secuti sunt, Regũ captiuitate numeremus? Quomodo igitur Daniel iam pene centenarius vnus esse potuit ex illis tribus principibus quos Darius annos natus 52. satrapis centum & viginti præfecerat, *vt satrapæ illis redderent rationem, & Rex non sustineret molestiam?*

60. Quid? quòd Mardochæus cum Iechonia Rege Iuda translatus est? Ergo si tot inde anni fluxerũt, iam cẽtenario maior fuit cum ab Artaxerxe Longimano tot imperiorũ gubernaculis loco Amanis admotus fuit. Esther 8. v. 3. Quid illi, de quibus 1. Esdræ cap. 3. v. 12. cum recidiua templi fundamenta iacerentur. *Plurimi etiam de Sacerdotibus, & Leuitis, & principes patrum & seniores, qui viderant templum prius cùm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorũ*: aut de quibus Aggæus cap. 2. v. 4. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?* quorum ætatis annum attigissent, si ab excidio templi ad captam Babylonẽm annos septuaginta, ad annum Darii secundum pene nonaginta fluxisse faceremus? Omitto quòd Esdras Saraiæ summi sacerdotis, cui vitæ finem attulit extrema captiuitas, filius fuit, Esdræ 7. v. 1. & floruit sub Artaxerxe Longimano annis post obitum Cyri circiter octoginta. 4. Reg. vlt. v. 21.

61. Quartam huius Chronologiæ rationem adfert Tirinus è profanis historiis. Quartum. Cùm enim Cyaxares, Herodoto teste, extremis regni sui temporibus Niniuem euertetit, quòd necesse est ante annum Iosiæ vicesimum, quindecim saltem annis ante Ioachini vincula contigisse, Astyages autem Cyaxaris filius proximúsque successor annis duntaxat triginta quinque regnauetit ante Cyri primordia, contrahendum est tempus inter Sedeciæ cladem & laxatam à Cyro captiuitatem elapsum. Adde quòd Alyattes Rex Lydorum triginta circiter annis ante Niniues excidium cum Cyaxare Medorum Rege conflixit, vt author est Herodotus libro primo; Crœsus autem Alyattæ filius proximúsque successor adhuc post necem Cambysis ipso Darii Hystaspis initio erat in ætatis vigore, teste Herodoto, & aliis. Apud Ægyptios habes Vaphriem, qui multis annis teste scriptura regnauit, certauítque cum Nabuchodonosore magno: & tamen filia Vaphries tempore Cambysis, cum & ipse expugnaret Ægyptum, erat adhuc iuuencula, seu vt Herodotus libro 3. loquitur, puella quam Cambyses pro suis deliciis expetebat. Quæ omnia conuincunt non potuisse à morte

Nabuchodonosoris magni vsque ad initium Persicæ Monarchiæ nisi paucos admodum annos effluere.

Quintum. 62. Quintum & quidem longè validissimum argumentum ex æra Nabonassaris ducitur, infallibili, ni fallor, indice istorum temporum, inquit idem Tirinus. Sed quid vetat eius verba producere? Ptolemæus (cui nemo fidem facilè negabit) lib.5. Almagesti cap.14. dicit annum quintum Nabopollassari Regis fuisse centesimum vigesimum septimum à primo Rege Nabonassaro, septimum verò annum Cambysis ducentesimum vigesimum quintum ab eodem Nabonassaro. Ergo inter vtrûm que illum annum non habes nisi nonaginta octo annos intermedios. Hos colliges si placet ex vltimis vno & viginti annis eiusdem Nabopolassaris, ex vno & viginti Nabulassari, ex quadraginta quinque Nabuchodonosori Magni, ex tribus Balthasari, ex tribus Monarchiæ Cyri, ex quinque Cambysis, quibus solus regnauit. E quibus efficit ne vnum quidem superesse qui tribui possit tot aliis Regibus Nerigllissari, Labassardacho, & à Balthasare distincto Euilmerodacho, & nescio quibus aliis quos ad explendum annorum numerum plerique in Babyloniorum Regum seriem inculcant.

Patrum authoritas. 63. Omitto sextum argumentum ab Augustini, Hieronymi, Clementis & aliorum authoritate, qui cùm ad annum Darii secundum Babylonicam seruitutem extenderint, sine dubio inter excidium templi captamque Babylonem annos duntaxat triginta numerarunt.

64. Restitutus. Hæc sunt igitur omnium momenta rationum, quibus vir eruditus suam Chronologiam expendit. Peregrinus. Equidem nihil à me prætermissum puto, imò quædam adiecta quæ vel argumenta corroborare videbantur, vel obscuris lucem affundere. Restit. Cupio quidem hominis de scriptura bene meriti, cuius eruditionem, & modestiam veneror, vt debeo, rationes quàm grauissimas videri, tibique sum author, Peregrine, vt si quid occurrit quo nouum pondus accedere posse videatur, id quasi mantissam apponas. Peregrinus. Sanè nihil occurrit, mi Restitute, nisi quòd admodum probabile, vel potiùs pene certum est mortem Astyagis in Danielis adolescentiam incidisse: cùm autem Cyrus post Astyagem non plures annis triginta regnarit, & non serius quàm anno septimo & vicesimo regni Persici ceperit Babylonem, Daniel porro seruituti mancipatus fuerit anno Ioacimi tertio, annis duodeuiginti ante cladem Sedeciæ, & sub mortem Astyagis adhuc fuerit adolescens, profectò necesse est anni non amplius triginta inter templi conflagrationem, & finem Babylonicæ seruitutis effluxerint.

65. Restitutus. Putas igitur adolescentulum fuisse Danielem quo tempore Astyages fato concessit. Peregr. imò & puerum Daniel 14. v. 45. *Cùmque* Susanna *duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel*, & vbi narrauit Susannam illius operâ mortis periculo subductam, ista v. 64. subtexit. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.* Puerum autem etiam παιδάριον puellum vocant Græci: vide igitur, vt optimis eiusdem Tirini verbis ista concludam, vtrùm huic ita subducto calculo possis acquiescere: Nam ego quæ dixi non nisi disputandi gratia proposui: & quia nusquam firmiùs me pedem figere posse sentiebam. Qua ætate Daniel Susannam liberarit.

66. Quæ si cui probabilia videntur, probabilis etiam videbitur eorum Chronologia, qui septuaginta Babylonicæ seruitutis annos à Iosiæ Iudæorum Regis anno 13. quo Ieremias prophetare cœpit, vsque ad primum annum Cyri Regis computarunt, vt author est Eusebius in Chronico, non quidem quòd hos omnes annos Babylonica seruitus occuparit: sed quòd Monarchia Babylonica steterit annos septuaginta: in quorum decursu Iudæi subacti sunt, & vsque ad annum Monarchiæ Babylonicæ septuagesimum seruierunt. Quemadmodum Israelitæ annis quadringentis & triginta mansisse dicuntur in Ægypto, non quòd illìc omnes hos annos egerint, sed quòd manserint vsque ad annum quadringentesimum & trigesimum ab Abrahami vocatione, Deique promissionibus euolutum, & Iudith annos 105. mansisse dicitur in domo mariti, non quòd ibi omnes hos annos exegerit, sed quòd centum & quinque totius ætatis annos in domo mariti compleuerit.

67. Sic igitur rationes Chronologiæ nostræ subducimus, ab anno Iosiæ 13. ad initia Ioacimi anni octodecim: Ioacimus annos vndecim, totidem Sedecias regnauit, quorum annis viginti duobus tres Iechoniæ menses implicamus: Sedeciam annorum triginta seruitus excepit. E quibus si vnam summam feceris, anni septuaginta colligentur.

18.
11.
11.
30.
70.

X. *Quanti fieri debeat veterum ſcriptorum authoritas apud ſcripturæ interpretes.*

68 REST. Veteor equidem, Petegrine, vel tuâ vel eruditiſſimi Tirini cauſsâ poſitos ab vtróque calculos loco ſubmouere, & quoquo mòdo veſtras conturbare rationes. Quia tamen & ille gratiſſimum ſibi fore teſtarur, nec tibi moléſtum erit, vt ſpero, ſi tei perobſcuræ conet aliquid lucis affundere, audebo veſtrâ illam Chronologiam ad mea ratiocinia reuocare. Et quoniam diiudicatio noſtræ quæſtionis non à noſtris ſolùm, ſed etiam ab externis ſcriptoribus petenda eſt, vt à Beroſo, Megaſthene, Abydeno, Herodoto, Cteſia, Xenophonte, qui vel finem imperii Babylonici, vel initium Perſici literis prodiderunt, priùs ex te ſcire velim quanti ſit apud te momenti veterum illorum authoritas.

Beroſus.

69. PEREG. Verum opinor, Beroſum Chaldæum ſacerdotem, qui paulo poſt obitum Alexandri floruit, verum Megaſthenem Perſam intelligis non illos fictitios, qui ex Annii Viterbienſis officina ſuperiore ſeculo prodierunt. De quibus vt paucis tibi reſpondeam μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. *In re modus optimus omni*, vt neque propter ſolam veterum ſcriptorum authoritatem ſcripturam à vero germanóque verborum ſenſu detorqueas, neq; ſcriptoribus antiquis quoties conciliari ſcripturæ commode poſſunt, tuas ſuſpiciones anteponas. Vt enim, quod Petauius prudẽter aduertit lib. 10. de doctrina temp. cap. 2. tolerandum minùs nihil eſt, quàm in antiquiſſimos ſcriptores erroris noſtri culpam inſcitiæque transferre, ita nihil impium magis, & Scaligero dignius quàm ſcripturam obtorto collo rapere in profanorum ſententiam, vt cùm lib. 6. de emendatione temporum pag. 273. à Iechoniæ transmigratione 70. captiuitatis annos exorſus nihil præter inanem coniecturam è Ierem. 29. v. 10. petitam & ſupercilium attuliſſet, & ab eo tempore ad captam à Cyro Babylonem annos duntaxat 60. Beroſi calculis inueniret, ne vel ſuum effatum, vel Beroſi ratiocinia reuocaret, auſus eſt à ſcripturæ diſertis cõcepta verbis authoritate diſcedere.

Abſurda Scaligeri opinio.

70. *Ex Euſebio*, inquit, *Beroſo Chaldæo, Solino eruitur certiſſima captæ Babylonis epocha, quæ non poteſt eſſe ſeptuageſimus annus captiuitatis. Quid ergo? Iudæi profectò cum annum primum Cyri dixerunt, qui eſt primus ſolutæ captiuitatis* : & paulo pòſt, *annus primus Cyri, vt vocat ſcriptura, ita dictus quòd primus eſſet ſolutæ captiuitatis, non, quòd primus imperij illius Regis magni.* Quid hoc homine facias tam petulanter inequitante lectorum ſuorum ceruicibus? Scriptura toties inculcat anno primo Cyri ſolutam eſſe captiuitatem. Egregiè nugatur videlicet: nihil aliud ſignificat, quàm anno ſolutæ ſeruitutis ſolutam eſſe ſeruitutem. Sed apageſis iſtas affanias.

71. Nos in exponenda ſcriptura moderationem hanc putamus eſſe ſeruandam, vt quoties manifeſta ratio contrarium non extorquet, mordicus verbis in proprio natiuóque ſenſu, qui primus occurrit, acceptis hæreamus, in iis quæ aliter, atque aliter ſalua diuini verbi maieſtate accipi poſſunt, noſtris ratiociniis ſcriptorum, qui vel æquales illorum temporum vel ſuppares fuerunt, authoritatem præferamus: vbi autem antiqui ſcriptores vel defecerint vel inter ſe diſſenſerint, tum demum veritatem ſuſpicionibus & lenibus interpretatiunculis rimemur, eúmque è pluribus hiſtoricis anteponamus, qui ad ſcripturam minùs à proprio ſenſu detortam propiùs acceſſerit.

72. De Cyri Perſicæque Monarchiæ primordiis diuerſæ fuerunt antiquorum ſententiæ: eam amplexus eſt Herodotus non quam hominum opinione receptiſſimam, ſed quam vero ſimillimam iudicauit, ὡς ὦν, inquit, Περσέων μετεξέτεροι λέγουσι, οἱ μὴ βουλόμενοι σεμνοῦν τὰ περὶ Κῦρον, ἀλλὰ τὸν ἐόντα λέγειν λόγον, κατὰ ταῦτα γράψω. ἐπιστάμενος περὶ Κύρου καὶ τριφασίας ἄλλας λόγων ὁδοὺς φῆναι. *Ita autem de his ſcribam vt Perſæ quidam narrant, qui res Cyri geſtas verbis auguſtiores reddere nolunt, ſed id, quod res eſt, dicere, gnarus triplicem aliam eſſe de Cyro narrandi viam.* Et ſanè alii Cyrum Aſtyagis nepotem, vt Herodotus & Xenophon, alii hos nullo conſanguinitatis vinculo deuinctos fuiſſe literis prodiderunt. Quarum narrationum ſingulæ rurſus diuiduntur, & diſcedunt in duo faſtigia, auum à nepote regno exutum ſcribit Herodotus, Xenophon, Cyrum poſt Aſtyagis mortem, ducta in matrimonium Cyaxaris auunculi ſui filia, regnum vel hereditatis, vel dotis nomine accepiſſe. Cteſias Cyrum negat Aſtyagi fuiſſe conſanguinitate coniunctum, eúmque ſcribit Aſtyagi bellum intuliſſe, quem regno deiecerit, eiúſque filiam ſibi vxorem adſciuerit, & ſiue iure belli, ſiue dotis nomine regnum occuparit. Reſtat quartus dicendi modus vt & alienus à regia Medorum familia fuerit, nec Aſtyagi bellum indixerit, ſed deficiente virili prole quæ vel Aſtyagi, vel Dario Medo ſuccederet, propter admirationem virtutis

Lib. 1. pag 46. Græcol. edition.

Diuerſæ narrationes de Cyro & regni Perſici primordiis.

virtutis vel adoptione, vel regiæ filiæ coniugio, vel communi Medorum ſuffragio ad regnum fuerit euocatus.

73. Quæ narrationes cùm ſe mutuò collidant. veræ ſimul aut etiam falſæ ſimul eſſe non poſſunt, ſed neceſſe eſt vt Cyrus vel à regia Medorum familia propagatus fuerit, vel ab ea penitus alienus, & vel armis, vel ſine armis ad regnum peruenerit: Quænam autem harum quatuor opinionum ſit veriſſima, non facilè poteſt expediri. Scio quàm difficile ſit brachia, quod aiunt, contra torrentem opponere, & opinionem quę penitus inſederit, altaſque egerit in hiſtoria radices, velle ſtirpitus euellere. *Apud Herodotum patrem hiſtoriæ*, inquit Cicero libro priore de legibus ineunte, *ſunt innumerabiles fabulæ*. Eius tamen de Cyri primordiis hiſtoriam omnis poſteritas excepit: altum de Cteſiæ narratione ſilentium. Cyrum Xenophontis non ad fidem hiſtoriæ ſcriptum, ſed ad exemplum iuſti imperij tradit Latinus Orator: & plerique exiſtimant Cyri παιδείαν aliud eſſe nihil quàm fabellam, vel voluptatis aucupandæ, vel informandæ boni Regis ideæ cauſſâ ſcite confictam.

Epiſt. ad Quintum fratrem.

74. Nondum dico, Xenophonti magis, quàm Herodoto vel Cteſiæ, cum ſcripturа conuenire: illud dico magis moratam eſſe Xenophontis orationem, magis ex hominum conſuetudine petitam: in ea nihil eminens, nihil lacunoſum, nullis eam ſcatere miraculis aut inſomniis. At in Herodoto quàm multa præter hominum opinionem! Somniat Aſtyages filiæ ſuæ lotio totam Aſiam inundari, ex eiuſdem vtero pullulare vitem quæ per vniuerſam Aſiam propagetur. Conſulti arioli ex eadem filia nepotem ei futurum, cuius magnitudo prænuntiatur, regnique amiſſionem ei portendi reſpondent. Non video quid in his ſomniis coniectores inducere potuerit vt regni iacturam Aſtyagi putarent imminere, aut quid iam grandis natu metuere debuerit ne quaſi curſor fatigatus ſuccedenti nepoti lampadem tradere cogeretur. ſed fac ita eſſe. Saltem

Xenophōtis hiſtoria cum Herodotea & Cteſiana comparatur.

Incluſam Danaen turris ahenea
Robuſtaque fores & vigilum canum
Triſtes excubiæ

Herodoti de Cyro narratio improbabilis.

Nocturnis ab adulteris muniērēt, ne proles ex ea naſceretur: aut ſi nuptum tradenda fuit, alicui Medo nuberet, ne ad aliam gentem regnum totius Aſiæ perueniret. Imo traditur Perſæ viro mediocri.

75. Quid deinde? filiam grauidam acceſit: natum ex ea puerum iubet interfici: Harpago facinus committitur. Ille veritus matris offenſionem, & quia conſanguineus erat puero, cædem patrare noluit; & cùm occidere puerum, vt iuſſus erat, cumque ſepelire non ſuſtineret, aliam excogitauit viam, qua & ſe matris iræ ſubduceret, & à conſanguinei cęde manus abſtineret. Quid igitur facit homo miſericors, de Aſtyagis filia, quam ob Regis ſenectutem breui regnaturam ſperabat, optimè mereri deſiderans? Bubulcum acceſit: & infantulum, ſicut erat, pannis aureis inuolutum, *ἵνα θηριωδέστατον ἦν τῶν ὀρέων*, *ubi mons omnium montium maximè belluis abundaret*, leonibus tigribuſque laniandum iubet exponi. Cùm ecce commodùm, non ſine diuinæ prouidentiæ nutu bubulci coniux, cui Spaco .i. canis nomen fuit, eodem temporis veſtigio mortuum edidit infantem. ille regij pueri veſtibus indutus pro Cyro feris exponitur. Cyrus in domo bubulci educatur, vnde fabula manauit educatum à cane fuiſſe, quam Trogus Pompeius, vt veram narrationem ſuis hiſtorijs attexuit.

76. Quid plura? Puer ruſticellus Rex inter ludentes ſorte delectus, cùm per laſciuiam contumaces flagellis cecidiſſet, & inter cæteros Artembaræ filium; pater ad Regem, ad quem vetere Medorum inſtituto ingredi nefas erat, aut etiam cum videre, ſed per internuntios omnia gerebantur, vt paulo antè tradidit Herodotus: pater, inquam, ad Regem querelam detulit, filium ſuum ſeruilibus verberibus à vili ſeruulo affectum. Quid deinde? Aſtyages rem dignam putauit, quam ipſe per ſeipſum componeret. Accito puero & interrogato, cùm nihil mutato vultu ſe feciſſe vt Regem reſpondiſſet, admiratus conſtantiam, in memoriam ſomnij reſponſique reuocatur. atque ita cùm & vultus ſimilitudo, & expoſitionis tempus, & paſtoris confeſſio conuenirent, nepotem agnouit. Conſuluntur arioli qui Regem à regno deiectum iri prædixerant: reſpondent eum iam periculo eſſe defunctum. Cyrus apud Aſtyagem educatur, & paulo poſt in Perſidem remittitur. Cæterùm Harpago amico ſuo in vltionem ſeruati nepotis, filium eius interfectum, epulandumque patri tradidit: & capite, quod ſeruari iuſſerat, poſt epulas oſtenſo, rogauit ecquid cuius id caput eſſet agnoſceret. is egregiè diſſimulato dolore ſe noſſe reſpondit, nihilque ſibi quod Rex faceret, diſplicere. Cyrus adoleſcit: ab Harpago ſollicitatur: Medis bellum infert. Aſtyages meriti in Harpagum oblitus ſummam belli eidem committit, qui exercitum acceptum ſtatim Cyro per deditionem tradit, & Regis crudelitatem perfidia

defectionis vlciscitur. Cyrus auum regno deiicit, & Mediam inuadit.

77. Astyages Arienam Aliattæ Lydorum Regis filiam, Crœsi sororem matrimonio sibi coniunxerat. Crœsus vt leuirum vlcisceretur, & nascentis imperij Persici progressus impediret, Cyro bellum indixit, & copiis suis acie profligatis, in vrbem regiam Sardes se recepit. Arx longè munitissima, ea parte capitur quæ omnium erat præruptissima, quaque vna parte Meles primus Lydorum Rex leonem è sua concubina natum, quòd inexpugnabilis videretur, circumferre neglexerat. Venit ciuitas in Cyri potestatem: miles nescio quis ferro Crœsum inuaserat: ei mutus erat filius, qui gladium videns patris sui ceruicibus imminentem, tum primum vocem eluctatus militem rogauit ne Crœsum Lydiæ Regem occideret, & hoc primùm effatus per reliquum vitæ tempus locutus est expeditè. Eum Cyrus vinctum compedibus super ingentem. quam struxerat, lignorum struem imponit, circaque eum bis septem nobilium Lydorum filios infœlicibus ignibus vstulandos. Sed mutatâ sententiâ iussit ignem extingui, qui cùm iam humanis viribus superari non posset, Crœsus ad diuinam opem recurrit, & nubibus è summa tranquillitate repente conglobatis, subita tempestas erupit, aqua vehementissima pluit, & rogum extinxit: & paulo pòst in Babylonios tota belli moles incubuit, qua tandem potitus Cyrus Asiam obtinuit vniuersam. Hæc ille: in quorum plurimis non solum nullam veritatem, sed ne veri quidem similitudinem agnoscas.

78. Si Ctesiam audimus, nulla sanguinis fuit inter Astyagem & Cyrum coniunctio: victus Astyages fugit Ecbatana, seque in latebras abstrusit: Cyrus eius generum, filiam eorumque liberos duos in equuleum impactos per cruciatus interrogat, genero, quòd fateri nihil vellet, occiso, prodit Astyages, veritus ne liberi propter se grauiùs torqueantur: vinctus crassis compedibus ad Cyrum adducitur: & tandem ab eo vt pater honoratur. Subnectit multa de Crœso, quemadmodum Cyro Sardes obsidenti à quodam spectro deceptus obsidem dederit filium, quem ille ante oculos patris iussit interfici, & mater hanc calamitatem intuita seipsam præcipitem è muro deiecit, nec tamen extincta est. Vrbs capitur, arx expugnatur, Lydis exanimatis metu quem lignea nescio quæ Persarum simulacra incusserant. Crœsus ad templum Apollinis, confugit, ibi vincitur à Cyro, sed diuino quodam prodigio, quamuis templo sigilla circumposita essent, nemine prorsus vidente, semel, iterum, tertiò elabitur. Ad regiam perductus fortiùs vincitur: sed inter tonitruum fragores, & fulmina rursum solutus est, & vix tandem incolumis euasit. Diceres hîc Lestrigonem aliquem aut Polyphemum non Cyrum Ctesiæ narratione describi. οὐχ Ἡροδότῳ δὲ μόνῳ τἀναντία ἱστορεῖ, inquit Phocius, ἀλλὰ καὶ πρὸς Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἐπ' ἐνίων διαφωνεῖ. *Non tantùm Herodoto scribit contraria, sed & in quibusdam à Xenophonte Grylli filio dissentit.*

Ctesiæ narratio minùs morata.

79. Xenophontem quod attinet, in eo, vti iam diximus, omnia plana sunt, pura, simplex, inaffectata, è communi mortalium sensu deprompta narratio. Astyages Regi vicino filiam Mandanem nuptum tradit, nascitur Cyrus, φῦναι δὲ ὁ Κῦρος λέγεται, καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν βαρβάρων εἶδος μὲν κάλλιστος, ψυχὴν δὲ φιλανθρωπότατος, καὶ φιλομαθέστατος, καὶ φιλοτιμότατος. *fuisse Cyrus natura fertur, & hoc etiam tempore à Barbaris decantatur, tum corporis forma pulcherrimus, tum animo humanissimus, tum disciplinæ atque honoris appetentissimus.* Talem nimirum esse decebat nobilissimæ monarchiæ conditorem: cuius dexteram Deus apprehensurus erat, vt subiiceret ante faciem eius gentes, & dorsa Regum verteret, & aperiret coram eo ianuas, & portæ non clauderentur. *Ego*, inquit, *suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam, ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque muneribus.* Quid ni igitur humanissimum & liberalissimum natura fuisse dicamus, cuius liberalitatis & clementiæ, tam multa sunt in ipsis scripturis impressa vestigia?

Lib. 1. ineunte.

Isaiæ 45.

80. Educatur Cyrus & instituitur Persarum disciplinis, anno vitæ duodecimo ad Astyagem in Mediam à matre deducitur. Ita fieri solet. Auum obsequiis & morum suauitate demulcet, omnium sibi conciliat animos, frequentibus venationibus ad artem bellicam eruditur: tandem à patre reuocatur. Et cùm exactis adolescentiæ spatiis iam vir inter viros esse cœpisset, Lydis, Assyriis, cæterisque Asiaticis impressionem in Mediam facientibus oblatæ sunt caussæ belli iustissimæ Hunc enim Deus non ad iniuriam, sed ad iustitiam suscitauit, vt Isaias longè antè prædixerat. cap. 45. v. 13. Et quod v. 8. præmissum est: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet saluatorem: & iustitia oriatur simul: Ego Dominus creaui eum:* quidam, quos refert nec improbat Hieronymus *de Cyro Rege laxante captiuos inter-*

Xenophontis narratio & per se probabilis, & scripturæ conformior.

pretantur. Et si dubitari non potest hoc ipsum etiam ad Messiam pertinere, cuius ille viuam spirantémque similitudinem expresserat, vt Deus ipse testatur vers. 5. *Vocaui te nomine tuo: assimilaui te, & non cognouisti me.* Quæ sic interpretatur Hieronymus, *Ne putareris esse Christus cui assimilatus es, & in cuius typum & imaginem præcessisti*, &c.

81. Absit igitur à nobis vt maior Herodoto vel Ctesiæ, quàm Xenophonti vel potiùs scripturæ fides habeatur, credatúrque Cyrus auum Astyagē regno per summam impietatem exuisse, & Crœsum, quòd leuiri sui vices doleret, viuum exurere voluisse: cùm præsertim è Daniele cap. 13. v. 65. contrarium manifestissimè colligatur. *Et Rex Astyages*, inquit, *appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnū eius.* Dat illi Deus *thesauros absconditos*: Reges Asiæ subiugantur: Sardes obsidentur: capitur Crœsus: &, si Xenophontem audimus, humanissimè tractatur. Victor in Babylonem, belli caput & caussam arma conuertit: in vrbem nocturna impressione grassatur, ἐπειδὴ ἑορτὴν τοιαύτην ἐν Βαβυλῶνι ἤκουσεν εἶναι, ἐν ᾗ πάντες οἱ Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι καὶ κωμάζουσι: *Cùm audisset eiusmodi festum esse Babylone, in quo Babylonij omnes totam noctem vino & comessationibus indulgent.* Hoc ipsum Isaias cap. 21. vers. 5. vaticinatus fuerat. *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite principes, arripite clypeum.* Quæ tantum non iisdem verbis à Xenophonte gesta narrantur, οἱ δ' ἐπὶ τὰς φυλακὰς ταχθέντες ἐπεισπίπτουσιν αὐτοῖς, πίνουσι πρὸς φῶς πολύ. *Qui verò aduersus vigiles erant constituti, in eos irruunt bibentes ad multam lucem.* & paucis interiectis de Principibus à cœna surgentibus & arma rapientibus. Persæ, inquit, in regiam irrumpentes, ἀφικνοῦνται πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ ἤδη ἑστηκότα αὐτὸν, καὶ ἐσπασμένον ὃν εἶχεν ἀκινάκην εὑρίσκουσι. *Ad Regem veniunt, & hunc iam stantem stricto acinace, quem habebat, inueniunt.*

82. Eadem nocte interfectus est Balsasar, *Rex Chaldæus*, vt narrat Daniel c. 5. exeunte, de quo initio capitis ista præmiserat. *Balsasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille, & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus vt afferentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo quod fuit in Ierusalem, vt biberent in iis Rex, & optimates eius, vxorésque eius, & concubinæ.* Nec Regis mortem tacuit Xenophon, sed vna narratione coniunxit ἑαλωκυῖαν τε τὴν πόλιν, καὶ τὸν βασιλέα τεθνηκότα, *& vrbem captam, & Regem mortuum.* Cyrus vrbe capta dimisit equites per vicos ciuitatis quibus præcepit eos qui foris deprehensi fuissent, occidere: τοὺς δ' ἐν ταῖς οἰκίαις κηρύττειν τοὺς συριστὶ ἐπισταμένους ἔνδον μένειν, *& edicere eos qui Syriace loqui scirent, domi se continere.* Quibus videri possit in ipsa vrbis inuasione Iudęorum, qui Hebraice loquerentur, salutis habuisse rationem. Sed nihil affirmo, quòd verba Xenophontis possimus in alium etiam sensum deflectere.

83. Primo quoq; tempore vocatis ad se magis siue sapientibus, ὡς δορυαλώτου τῆς πόλεως οὔσης, ἀκροθίνια τοῖς θεοῖς, καὶ τεμένη ἐκέλευσεν ἐξελεῖν. *Iussit vt ex vrbe bello capta primitias & delubra diis immortalibus eligerent.* Quis dubitat inter illos sapientes vocatum esse Danielem, qui occasione bene vsus exhibuerit Isaiæ de Cyro prophetiam, eúmque ad veri Dei cognitionem deduxerit, qui hactenus eum à quo manu deducebatur, & ad Christi similitudinem formabatur, non cognoscebat? Qui, vt primùm post mortem Darij Medi (quisquis ille fuit) factus est totius Asiæ monarcha, proposuit edictum; & vt cum scriptura loquar, *Traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam dicens: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum, quæ est in Ierusalem, & protulit vasa templi Domini quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem*, vers. 7. Quæ, ni fallor, sunt illa ἀκροθίνια, spoliorúmque primitiæ ex omni præda diis exemptæ. ac proinde Hieronymus in Isaiam lib. 12. exeunte, meritò Xenophontis historiam non vt scatentem fabulis reiecit, sed vt scripturæ maximè consentaneam suo suffragio comprobauit. *Legamus*, inquit, *Xenophontis octo librorum Cyri maioris historiam, & prophetiam Isaiæ cernemus expletam. Quæ enim ciuitas illi non patuit? Qui non Regum terga subiecit? qui muri prius inexpugnabiles non illius obsidione subuersi sunt?* Quare quod *Cyrus ille à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus* dicitur, *sed ad effigiem iusti imperij*, sic interpretor non quòd Xenophon lusor ex toto confinxerit, sed quod adiecerit nonnullas orationes & præcepta, quæ ad institutionem optimi principis pertinebant.

Esdr. 1. c. 1. v. 2.

Lib. 1. ad Quintum frat. ep. 1.

84. Habes de tota re quid sentiam? in rebus dubiis & controuersis, quæque salua scripturæ luminísque naturalis maiestate, disputari possunt in vtramque partem, nullam esse coniecturam aut suspicionem recentiorum quæ veterum traditioni præponderet: cùm aperta sunt scripturæ verba,

Recapitulatio.

ſcriptores antiquos, quamuis omnes inter ſe conſentiant, haudquaquam ſcripturæ præferendos, ſed vel benigna, vt vocant, interpretatione conciliandos, vel omnino deſerendos: ſi diſſideant inter ſe, eum cæteris anteponendum qui propiùs ad ſcripturæ ſecundum natiuam verborum proprietatem acceptæ mentem acceſſerit: in Cteſia & Herodoto circa res à Cyro geſtas multa reperiri quæ neque ſatis inter ſe cohæreant, & vel hominum moribus, vel ſcripturæ conueniant: in Xenophontis narratione nihil eſſe vel lumini naturali, vel propheriis hiſtoriiſque ſacris contrarium: ac proinde eum in iis quæ Cyrum ſpectant, & initia Perſicæ monarchiæ, cæteris hiſtoricis præferendum videri. Nunc illud expecto, mi Reſtitute, vt meam, vel potiùs doctiſſimi Titini Chronologiam ad tuos calculos exigas, computéſque annos illos ſeptuaginta Babylonicæ ſeruitutis.

XI. *Quod principium quis finis annorum* LXX. *Babylonicæ ſeruitutis.*

85. RESTIT. Annos ſeptuaginta Babylonicæ ſeruitutis tum alij prophetæ, tum Ieremias, imprimis identidem inculcant: vt cap. 25. verſ. 11. *Et erit vniuerſa terra hæc in ſolitudinem & in ſtuporem: & ſeruient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis: cúmque impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, & ſuper gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum, & ponam illam in ſolitudines ſempiternas.* & cap. 29. verſ. 10. *Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, & reducam vos in locum iſtum.*

Vnde porro deducendi ſint anni captiuitatis, vbi finiendi, controuerſia eſt, iam inde à primis Eccleſiæ temporibus admodum ventilata. Quæ quidem quæſtio, inquit
pag. 274. Scaliger lib. 6. de emend. temp. ex hominum potiùs altercationibus, quàm ex rei
Opinio Scaligeri. ipſius obſcuritate nata eſt. Disertè enim à Iechonia capto eam orditur Ieremias cap. 29. comm 10. ſpondens Iudæis qui cum Iechonia abducti fuerant, reditum in patriam poſt ſeptuaginta annos vertentes. Quæ cùm per ſe clariſſima ſint, tamen inuenias qui velint *ἅπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ*, quaſi illis obſcurè loquatur propheta.

86. Hæc ille. Sed ne quid grauiùs dicam, ſuo more. Scripſit enim Ieremias eam epi-
verſ. 1. ſtolã: *Poſtquam egreſſus eſt Iechonias Rex & domina, & eunuchi, & principes Iuda, & Ieruſalem, & faber, & incluſor de Ieruſalem.* Sed non ad eos duntaxat qui cum Iechonia migrauerant, epiſtolam deſtinauit: conceptis enim verbis eam miſiſſe dicitur, *ad reliquias ſeniorum transmigrationis, & ad* Verſ. 1. *ſacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum quem traduxerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem in Babylonem.* Multos autem ante Iechoniam, anno tertio Ioacimi, & inter cæteros Danielem, Ananiam, Miſaelem, & Azariam traduxerat. Ab hoc igitur anno potiùs, ſi quid Ieremiæ locus euincit, captiuitatis initium debemus accerſere.

87. Hoc igitur emiſſo paucis Euſebium audiamus, *Colligitur,* inquit, *omne tempus captiuitatis Iudæorum, qui ſecundum quoſdam à tertio anno Ioacim vſq; ad viceſimum* Antiquorum ſententiæ duæ. *annum Cyri Regis Perſarum computantur. Porro ſecundum alios, à Ioſiæ Iudæorum Regis anno decimotertio, ſub quo Ieremias prophetare cœpit, vſque ad primum annum ſupradicti Cyri Regis. Deſolationis verò templi ſub Dario Rege complentur anni ſeptuaginta.* Hæc ille.

88. Sed iam, ſi placet, certum ſtatuamus captiuitatis finem, vt inde quaſi noſtra veſtigia relegentes ad initium veniamus. Certum eſt anno primo Cyri ſolutam eſſe Babylonicam captiuitatem, 2. Paralip. cap. 36. verſ. 21. *Si quis euaſerat gladium, ductus in Babylonem ſeruiuit Regi & filijs eius, donec imperaret Rex Perſarum, & compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ: & celebraret terra Sabbata ſua: cunctis enim diebus deſolationis egit Sabbatum, vſquedum complerentur 70. anni. anno autem primo Cyri Regis Perſarum,* &c. Et ipſe Ieremias 25. liquidò demonſtrat finem Babylonicæ ſeruitutis cum Imperij Babylonici fine concurrere: *Cúmque impleti fuerint 70. anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis,* &c. Zacharias autem anno ſecundo Darij Regis aliter deſolationis annos ſeptuaginta numerauit, cap. 1. verſ. 12. *Domine exercituum, vſque quo tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iſte iam ſeptuageſimus annus eſt.*

89. Scio quod nonnulli reſpondeant hæc per interrogationem dici hoc pacto: iſtéve eſt annus ſeptuageſimus, quo te captiuitatem noſtram laxaturum eſſe promiſeras? imò iampridem effluxit & tamen adhuc templum in ſuis ruinis iacet. Sed profectò aliud eſt, ſcripturam purè, vt ſonat, interpretari, aliud tricas & ſpinas conuoluere: ſatiſque propheta ſignificat hac particula *iam* loqui ſe de anno ſeptuageſimo

non ita pridem inchoato. & biennio post hos annos inculcat quasi proximè completos, cap. 7. v. 5. *Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto & septimo. per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* Cùm igitur duos annorum septuaginta fines inter se diuersos, annum primum Cyri & Darij Hystaspis, secundum è scriptura certos habeamus, & necesse sit eos è diuersis initiis accersere, inter quæ tantum temporis intercedat, quãtum inter fines vtriusque siue captiuitatis, siue desolationis interfluit, videndum paucis quantum temporis inter primum Cyri Regis annum, & Darij secundum intercedat.

90. Annum Cyri primum scriptura vocat non illum quo regni Persici gubernaculis admotus est, sed quo subactis circumquaque vicinis gentibus, & ad postremum capta Babylone Asiam obtinuit vniuersam.
Annus primus Cyri. Quod & ex eo liquet quòd ante captam Babylonem neque vasa restituere potuit, neque Iudæos in patriam dimittere, & hanc præfationem edicto suo præscripsit: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ierusalem.* Constat apud omnes ineunte Olympiade quinquagesima quinta Cyrum Persis imperare cœpisse, quod Africanus apud Eusebium lib. 10. προπαρασκ. Diodori, Thalli, Castoris, Polybij, Phlegontis authoritate confirmat: constat etiam eum annis vel vndetriginta, & ait Herodotus, vel, vt alij passim, triginta regni Persici gubernacula tenuisse: sed quoto regni sui anno ceperit Babylonem non perinde constat.
pag. 287. Græc. edit.

91. Xenophon lib. 8. μάλα δὴ πρεσβύτης ὢν ὁ Κῦρος ἀφικνεῖται εἰς Πέρσας τὸ ἕβδομον ἐπὶ τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς. *Iam admodum senex venit in Persas anno septimo imperij sui.* ibique significat eum paulo pòst hominem exuisse. Canon ille à Nabonassaro ad mortem Alexandri nomina tempúsq; Regum Babylonicorum pertexens Cyro tribuit annos nouem, quibus, opinor, vnum Darij Medi annum inuoluit, neque videtur à Xenophonte magnopere diffidere. hinc liquet anno Cyri circiter vigesimo captam esse Babylonem, Darium quem Xenophon Cyaxarem appellat, vnum aut alterum annum ibi regnasse, vt Cyrus eius successor post Darium Medum solus & totius Asiæ monarcha annos præter propter octo regnauerit. His adde Cambysis & magorum solidos octo ex Herodoti, & omnium, excepto Tirino, Chronologorum sententia, & annos Darij duos (quorum secundo vicesima & quarta die vndecimi mensis nondum repetitam fuisse templi substructionem querebatur Zacharias, & iam septuagesimum desolationis annum esse dicebat) hos, inquam, numeros in vnam summam collige, habebis annos octodecim inter initia Cyri, & templum Darij iussu instauratum euolutos.

92. Quæ sunt autem duæ captiuitates inter quas annos duodeviginti numeremus? Ioacimus anno regni sui quarto, qui Nabuchodonosori primus fuit, captiuus Babylonem abductus est, vt patet è dictis, & collatis Danielis ac Ieremiæ testimoniis apertissime comprobatur: anno autem Nabuchodonosoris decimo octauo Sedecias cum aliis octingentis translatus est, vt patet è Ieremia cap. 52. quem liber quartus Regum decimum nonum appellat. Igitur inter vtramque captiuitatem anni numerantur octodecim, ac proinde quemadmodum Zacharias ab excidio templi de cuius restauratione tum agebatur, annos septuaginta deduxit, ita Ieremias anno quarto Ioacimi prædicens Nabuchodonosoris aduentum, & imminentem Iudæis seruitutem non aliunde debuit, aut etiam potuit, annorum septuaginta caput accersere.

93. Sed quid agimus? quæritur vnde duci debeant anni Babylonicæ seruitutis Ieremiæ vaticiniis adeo celebratæ. Quid est aliud quàm quærere illius, quæ prædicebatur, captiuitatis initium? quid est porro captiuitatis initium, quàm illa captiuitas, quæ reliquas omnes antecedit? Vnde nisi à Ioacimi seruitute annos illos septuaginta numeraret? ab anno decimo tertio Iosiæ? Ridiculum est. Quod enim seruitutis & captiuitatis toto Iosiæ regno vestigium? à captiuitate Iechoniæ, aut exordio templi quo tempore Sedecias oculis effossis, Babylonem abductus est; Ne hoc quidem dici potest. Cùm enim in eo totus esset Ieremias vt Iudæis duritiam cordis exprobraret, eos territaret, &, vt Hebræi loquuntur, minis ab anno decimo tertio Iosiæ toties intentatis sigillum apponeret, non debuit orationem lenire, nihil è seruitutis annorum numero deducere, deduxit autem annos octodecim, si à clade Sedeciæ ad laxatam captiuitatem anni septuaginta numerantur.

94. Quid? quòd Berosus ille Chaldæus sacerdos è vetustis annalibus Babyloniorum texens historiam nostræ Chronologiæ citra controuersiam suffragatur? Nabuchodonosor, inquit, apud Iosephum lib. 1. in Appionem: & apud Eusebium libr. 9. præparat. exeunte μετήλλαξε τὸν βίον βεβασιλευκὼς ἔτη μγ´. *è vita decessit, cùm regnas-*

Nabuch. & successorum anni.

set annos tres & quadraginta. Videri quidem possit vno saltem anno à rationibus scripturæ discedere. Nam annus à capto Iechonia septimus & trigesimus cum anno Euilmerodachi qui regnum excepit, primo componitur 4. Reg. cap. 24. vers. 27. & Ieremiæ 52. vers. 31. quibus si septem annos ante captum Iechoniam lapsos adieceris, habebis annos quadraginta quatuor expletos. Euilmerodachus successor à leuiro suo Neriglisaro ἀνῃρέθη βασιλεύσας ἔτη β'. *è medio sublatus est cùm duos regnasset annos* ipse Neriglissarus regnum inuasit, & ἐβασίλευσεν ἔτη δ'. *annos quatuor regnauit.* Huius filius, qui Laborossarchodus apud Iosephum, Chabaossoarachus apud Eusebium nominatur, ἐκυρίευσε τῆς βασιλείας παῖς ὢν μῆνας ἐννέα. *regni potitus est mensibus nouem.* Sed eo per optimatum factionem interempto Nabonnidus Babylonius communi coniuratorum suffragio in Regem electus est. οὔσης δὲ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐν τῷ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει. cùm regnaret annum iam decimum septimum, Cyrus, cùm iam reliquum omne regnum subegisset, ad Babylonem accessit, & victor collatis signis vrbem obsedit, eámque cepit, & Regem ipsum redegit in potestatem. Habes igitur à primo Nabuchodonosoris anno, quo Ioacimus vinctus catenis Babylonem abductus est, ad obsidionem Babylonis, annos sexaginta septem, & menses nouem; cuius expugnationi si menses quindecim adscribas, inuenies primum captæ Babylonis annum cum seruitutis Iudaicæ sexagesimo nono concurrere.

95. Cæterùm etsi tuorum argumentorum solutionem aliò differre decreueram, non possum tamen hoc loco duo præterire. Ais æram Nabonassaris infallibilem esse horum temporum indicem. Negare non possum. Ais Ptolomæi calculis inter an-
21 num Nabopolassaris quintum, & septimum
21 Cambysis annos octo & nonaginta com-
45 putari. Fateor. Ais hanc summam ex annis
3 vltimis Nabopolassaris vno & viginti, è to-
3 tidem annis Nabulassaris, ex quadraginta
5 quinque Nabuchodonosoris magni, ex tri-
98 bus Balthasaris, tribus monarchiæ Cyri,
quinque Cambysis, quibus solus regnauit, existere. Hoc verò est, quod non solùm nego, sed etiam pernego. Nam quod Nabo-pol-lassarum à Nabolassaro diuersum facis, perinde facis atque si Marcum Tullium Ciceronem, à Marco Cicerone distingueres. Vt enim hic vna & eadem Tullii persona modò duobus modò tribus vocabulis denotatur, ita Nabo-pol-lassar è tribus nominibus conflatum est. confe-runtur inter se Iosephus & Eusebius, cùm vterque Berosi verba proferat. vnum & eundem Nabuchodonosoris magni patrem alter Nabopolassarem, alter Nabolassarem appellat.

96. At enim in quibusdam exemplaribus anni viginti quinque Nabopollassari tribuuntur. Quis non videt plerumque mendum in numeros irrepere? etiam in quibusdam codicibus εἴκοσι ἐννέα, viginti nouem scriptum reperitur. Tres igitur Nabolassaros faciamus, quorum vnus annos εἴκοσι ἕν, alter εἴκοσι πέντε, tertius εἴκοσι ἐννέα regnauerit. Vnde igitur certam Nabonassaris epocham capiemus? Ezechiel initio suæ prophetiæ: *Et factum est*, inquit, *in tricesimo anno, &c. ipse est annus quintus transmigrationis Regis Ioachin.* quod non solùm Scaliger, sed etiam ipse Tirinus, Cornelius, aliique viri sanè doctissimi de æra Nabolassaris, qui Nabuchodonosoris magni pater fuit, exponunt. Neque verò conueniebat vt Ezechiel in transmigratione Babylonis, aliunde quàm à publica Regum Babyloniorum epocha, & transmigratione Regis Iudæorum prophetiæ suæ tempora computaret. Annus autem transmigrationis quintus Nabuchodonosoris magni duodecimus fuit, quos annos duodecim, si à triginta deduxeris, inuenies Nabopolassaris epocham annis octodecim antiquiorem Nabuchodonosoris magni primordiis, & anno quarto Ioacimi.

97. Neque verò Berosi scita rescindimus, sed siue Nabopollassar annos vnum & viginti, siue viginti quinque, siue vndetriginta regnauit, eius æram putamus, non à regni primordiis, sed à capta Niniue, fundatóque Babyloniorum imperio consurgere, quemadmodum Augusti tempora frequenter non ab eius triumviratu, sed à pugna Actiaca computantur. Iam si octodecim Nabopoll. annis quinque detraxeris, inuenies illam lunæ defectionem (quam Scaliger lib. 5. & Petauius lib. 9. de doctr. temp. cap. 58. consentiunt in annum periodi Iulianæ quater millesimum nonagesimum tertium incidisse, vnde ad septimum Cambysis annum nonaginta & octo numeramus) inuenies, inquam, illam lunæ defectionem annis tredecim antiquiorem ca-
ptiuitate Ioacimi. Iam si annos tredecim 1
ante captiuitatem & primum Nabucho- 8
donosoris elapsos, octo monarchiæ Cyri, 7
septem Cambysis è nonaginta & octo sub- 2
duxeris, supererunt anni septuaginta Baby- 9
lonicæ seruitutis. 2

98. Vel illud quàm lepidum quòd con-
tra mathematici canonis & Xenophontis 7

authoritatem Cyri monarchiam triennio circumscribis? quo hæc authore proferuntur? quo ratiocinio colliguntur? Nullum opinor, adferri poterit aliud huius rei vestigium, nisi quòd Daniel cap.10. vers.1. verbum sibi quoddam factum fuisse dicit *anno tertio Cyri Regis Persarum.* quasi verò, quia Daniel non vltra progressus est notandis temporibus, necesse sit hoc anno tertio Cyri mortem contigisse. Quid? quod Cambysi annos duntaxat explicitos quinque tribuis, quem omnes cum Herodoto annos septem & menses quinque regnasse consentiunt? imò & Ptolemæus eclipsin lunarem eius anno septimo consignat. Ecquid in æra Nabonassari cùm singulorum Regum anni computantur, aliter quàm Chronologicè & explicitè computari debent, præsertim à Ptolemæo Mathematicorum non pessimo? Quare etsi probabilissimum iudico, quod aiunt Hebræi, eum esse Assuerum maritum Esther, & annis quatuordecim regnasse, sic intelligendum est, vt annis circiter septem cum patre: septem & quinque menses post obitum patris regnauerit post cuius obitum ad Darium Histaspis fratres magi per menses septem imperium tenuerunt. Quòd si Nabuchodonosorem inter & Cambysem anni sex duntaxat intercedunt, & eorum tres Balsasar, quem eundem Euilmerodach esse defendis, tres item Cyrus occupauit, quis tandem locus Dario Medo relinquetur, qui Balsasaris regnum, vt è Daniele compertum est, excepit?

99. Sed, vt ad alterum argumentum è duobus quorum hoc loco solutionem occupare statueram, gradum faciamus, ais tuos esse Patres Augustinum, Hieronymum, Clementem, Alexandrinum, omnes omnes, qui finem captiuitatis ad annum Darij secundum contulerunt: cùm enim è communi sententia, quam illi sine dubio sequebantur, Cyrus, annos triginta, Cambyses & Magi fratres octo, Darius duos, ante seruitutis finem, regnauerit, non supersunt plures annis triginta inter templi conflagrationem, & annum Cyri primum euoluti. Re igitur ipse vobiscum sentiunt annos illos septuaginta, qui anno Cyri primo finem habuerunt, ab anno Iosiæ decimo tertio, qui ante Sedeciæ cladem quadragesimus fuit, esse numerandos. Hæc, opinor vis est ratiocinationis tuæ. Cui paucis vt respondeam, non illi solùm sed etiam ego ipse magnopere contendo ab excidio templi ad annum Darij secundum septuaginta ruinæ siue desolationis annos esse computandos; nec aliter explicari posse Zachariam: Neminemque adeo Sanctorum Patrum extitisse, qui Cyrum dixerit trigesimo post Sedeciæ calamitatem anno Babylonijs imperasse, vel soluisse captiuitatem, & vasa templi reddidisse, aut etiam Cyrum Iudæis postliminiò restitutis, annis triginta fuisse superstitem.

100. PEREGR. Imò, mi Restitute, concepta sunt Hieronymi verba in Ezechielem cap.4. qui illud explicans, *Assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* claris disertisque verbis, *tricesimo autem*, inquit, *desolationis templi anno Cyrus regnauit in Persis.* Et paulo pòst: *à primo anno Iechoniæ, quando magna pars Ierusalem translata est in Babylonem, vsque ad primum Cyri Regis Persarum annum, qui desolationis templi erat annus tricesimus, supputantur anni quadraginta, sub quo Iudæorum laxata captiuitas, & libertas populo reddita.* Vides quàm perspicuè, quàm disertè annos triginta numerarit. RESTITVT. Video quidem, Peregrine. Verùm hic annorum numerus non ab excidio templi ad primum Cyri Babyloniorum Regis annum laxatamque à Cyro captiuitatem, quod disputationis nostræ caput erat, sed ad eum annum quo Cyrus regnauit in Persia, perducitur. quemadmodum enim verbis, quæ proximè antecedunt. *Sicut igitur in Israel, hoc est decem tribubus, à Phacee Rege Israel sub quo Salmanassar Israelitici populi multa vastauit, vsque ad quadragesimum annum Assueri supputamus annos trecentos nonaginta, quando vniuersi Iudaici populi persecutio mitigata est:* non intelligit annos Artaxerxis Mnemonis (si modo is est, vt ille putat, Assuerus Estheris maritus) quadragesimo Aman oppressum: quod è scriptura constat anno Assueri duodecimo contigisse. ita cùm annos triginta numerat à calamitate Sedeciæ ad primum Cyri Persarum Regis annum, *sub quo Iudæorum laxata captiuitas*, non significat eo anno quo Cyrus Persici regni gubernaculis admotus est, seruitutem esse laxatam. Necesse est enim priùs Babylone potitus fuerit, quàm vasa redderet, Iudæosque dimitteret. Quod anno Persici regni circiter vicesimo factum cùm demonstrant canon Mathematicus & Xenophon, tum Patres apud Eusebium literis prodiderunt.

101. Certè Iosephus lib. 1. in Appionem pene medio, cùm è Beroso annos Nabuchodonosoro quadraginta tres, Euilmerodacho duos, Neriglissaro quatuor, Laborossarchodo menses nouem, Nabonido annos septemdecim tribuisset, ista sub-

Hieronymi sententia.

Explicata.

Esther 3. v. 7.

texuit, quæ in translatione Latina mirum in modum corrupta sunt. ταῦτα σύμφωνον ἔχει τοῖς ἡμετέραις βίβλοις ἢ (lege τῇ) ἀλήθειαν· γέγραπται γὰρ ἐν αὐταῖς ὅτι Ναβουχοδονόσορος ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἔτει, τὸν παρ' ἡμῖν ναὸν ἠρήμωσε. καὶ ἦν ἀφανὴς ἐπὶ ἔτη πεντήκοντα· δευτέρῳ δὲ τῆς Κύρου βασιλείας ἔτει τῶν θεμελίων ὑποβληθέντων, δεκάτῳ πάλιν τῆς Δαρείου βασιλείας ἐτελέσθη. *Hæc consonam habent nostris scripturis veritatem. In his enim scribitur Nabuchodonosorum anno regni sui duodenicesimo templum diruisse, quod desolatum est annis quinquaginta. secundo verò Cyri Regis anno iactis fundamentis rursum decimo Darij perfectum est.* sexto dicere debuit, vt liquet è primo Esdræ c. 6. v. 15. Sed id hoc loco non agitur: illud agitur vtrùm Iosephus inter templi conflagrationem, vt datum à Cyro Iudæis postliminium annos quinquaginta plures an pauciores numerarit.

102. Adstipulatur Iosepho Theophilus Antiochenus omnium pene Theologorum Christianorum antiquissimus lib. 3. ad Autolycum exeunte, dum à templi excidio ad solutam à Cyro seruitutem numerat annos quinquaginta, septuaginta verò ad templum anno Darij secundo cœptum instaurari. Adstipulantur omnes qui hos annos septuaginta, vt author est Eusebius, à tertio anno Ioacim ad annum Cyri vicesimum computarunt. & ne illi quidem, si rationem temporum spectes, refragantur qui ab anno Iosiæ decimo tertio, ad initium Cyri in Perside regnantis annos septuaginta numerarunt. Quamuis in eo deceptus est Africanus aliique fortasse nonnulli, quòd anno regni Persici primo rati sunt à Cyro solutam esse Babylonicam seruitutem.

103. Ac videsis quàm concinnè tota captiuitatis Chronologia per Sabbatum decies replicatum, id est, per annos septuaginta processerit. Ieremias inter cæteros Prophetas, tanquam peculiaris Dei minister, prænuntiandam populo cladem enixè proprieque suscepit: Elegit Dominus Christum suum Cyrum & eius apprehendit dexteram, vt eum per multas victorias quasi manu deduceret ad depellendam à populo suo seruitutem. Ab anno Iosiæ decimo tertio, quo Ieremias virgam vigilantem & ollam succensam vidit, impendentemque populo calamitatem prædicare cœpit, ad Cyrum, anni septuaginta numerantur. A tertio anno Ioacimi, quo captiuus Babylonem abductus est, ad solutam à Cyro captiuitatem anni septuaginta. A transmigratione Iechoniæ, vt mihi quidem probabilissimum videtur, ad Estheris nuptias, alterum libertatis Iudaicæ caput, anni septuaginta. à templi conflagratione ad annum Darij secundum, quo templum ædificari denuò cœpit, anni septuaginta. à vicesimo tertio Nabuchodonosoris anno, quo contigit omnium postrema captiuitas, ad templi substructionem anno Darij sexto perfectam, anni totidem. totidem à nuptiis Estheris ad annum septimum Artaxerxis Longimani, quo anno missus est in Iudæam Esdras cum amplissima potestate & muneribus *quæ Rex & consiliatores eius obtulerunt Deo Israel.* &c. & vniuersis Sacerdotibus & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, & reliquis templi ministris indulta est vectigalis, tributi, & annonę immunitas. Ab anno Darij sexto, quo templum instauratum est, ad vicesimum Artaxerxis, quo muri Ierusalem cicatrix obducta est, anni Darij triginta supersunt, Xerxis viginti, Artaxerxis totidem, è quibus si hebdomadem vnam conflaueris, omnino septuaginta colligentur.

Anni 70. captiuitatis.

1. Esdr. 7.

1. Esdr. 5.

2. Esdr. 4.

104. Vides igitur tum seruitutem, tum libertatem per annos septuaginta decurrere, vt *compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsquedum complerentur septuaginta anni.* Quod sic equidem intelligendum puto, quasi tot annos terra manserit inculta quot annos sabbaticos Iudæi à primo terræ Chanaanitidis ingressu celebrare neglexerant vt hæc ipsa septuagenarij numeri toties recurrentis concinnitas magnum videri possit indicium repertæ veritatis.

Quomodo terra promissionis dicitur Sabbata sua celebrasse.

XII. *Digressiuncula de Esther.*

105. PEREGR. Penè rationibus extorques, mi Restitute, vt tibi de cæteris acquiescam: & iam mihi posse videor rationes à Tyrino propositas explicare, vnū tamen est quod expedire facile non possim. Cùm, vt Saliani verbis vtar, vix vllus Persarum Regum fuerit, cui non aliqui scriptores Estherem connubio sociarint, quæro cur repudiatis cæteris Cambysem anteponas. cùm præsertim nec pauca nec leuia sint quibus alium esse Cambysem, alium Assuerum Estheris maritum probari videatur. Nondum enim æuo Cambysis regnum Macedonum ad eam potentiam emerserat, vt cum Persis posset de Imperio contendere. at Artaxerxes siue Assuerus cap. vltimo Amanum Mardochæo insidiatum esse testatur, vt *regnum Persarum transferret in Macedonas.* v. 14. Subnectit v. 16. Dei *beneficio,*

Rationes quibus probabile videtur Cambysem non esse Assuerum Estheris maritū.

neficio & Patribus suis & sibi regnum esse traditum, quæ certè in Cambysem nō conueniunt qui proximus fuit Cyro Persicæ monarchiæ conditori. Quid? quòd Assuero septem Duces Persarum, siue septem sapientes assistunt, quorum origo manauit à septem illis coniuratis, qui mago illi necem intulerunt, qui post Cambysis obitum in regnum irrepserat? Esther 1. v. 14. Quid denique? quòd è cap. 3. v. 6. liquet Assuerum annos regnasse saltem duodecim? Ab Herodoto cæterisque passim anni septem & menses quinque Cambysis regno tribuuntur: vt annum octauum magi successoris septem menses expleuerint. Quod etiam à Ptolemæi mathematicis obseruationibus demonstrari possit, sed nihil opus est hîc diutiùs immorari.

106. RESTIT. Hæres in expedito, mi Peregrine, nam quæ de regno ad Macedonas transferendo dicuntur, inuidiosè dici potuerunt: & sunt non pauci non Hebræi solùm, sed etiam apprimè Catholici, vt Rupertus, Lyranus, Caietanus, qui Amanum Amalecitam fuisse arbitrentur, & vt de veris Macedonibus interpretemur: is negare poterit Amanum quamuis ex obscurissima gente propagatum, de interficiendo Rege cogitare potuisse, regnóque ad suam gentem transferendo, qui nescit quàm cœca sit ambitio, & quàm

Soluuntur.

ἀφόρητον ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας.

Deterius nihil est humili cùm surgit in altum.

Ait Assuerus patribus suis regnum esse traditum? quasi verò Cambyses & Cyrus multos non potuerint Reges Medorum, imò & Persarum, si Xenophontem audimus, in sua familia numerare. Assuero septem principes adstabant. Hæc consuetudo non à septem illis coniuratis, sed à Medorum instituto profluxerat, cui, vt viri doctissimi putant, longè ante Cyrum alludit Raphael, Tobiæ 12. v. 15. *Ego enim sum Raphael angelus vnus è septem qui adstamus ante Dominum.*

107. Quod ad regni tempus attinet Hebræi in Seder Olam, annos tribuunt Cambysi quatuordecim: Ctesias in excerptis Photianis ἔτη δυοῖν δέοντα εἴκοσι, *duodeviginti*: vndeviginti Clemens Alexandrinus. Quæ si vera sunt, Cambyses annis antè patris obitum circiter decem in regni consortium adscitus esse dicendus est, vt quod Chronologis & Herodoto placet, solus annis præter propter octo, decem aut vndecim cum patre regni gubernacula tractauerit: *Et quando sedit in solio regni sui, Susan ciuitas regni eius exordium fuerit*, quo tempore Cyrus pater bellum Babyloniis inferebat. Doctissimi certè viri Franciscus Ribera, & Dionysius Petauius probabile admodum existimant ita Cambysem solum annos septem & quinque menses regnasse, vt alios etiam annos cum patre regnarit; imò doctissimus Tirinus, etsi Cambysem à patris obitu quinque duntaxat annis regnasse velit, ne tamen à recepta Chronologorum sententia palam discedat, duos reliquos cum annis patris inuoluendos esse defendit. Vt autem Assuerum Estheris maritum Cambysem esse statuamus, monet nos non tam Hebræorum qui multas fabulas contra historiæ fidem obtrudunt, aut etiam Clementis authoritas qui primo Stromatum apertè testatur, Estheris historiam inter templi conflagrationem, & annum Darij secundum contigisse, quàm momenta probabilium rationum.

Quot annos regnauerit Cambyses.

Esther 1.

108. Cambysem & vinolentum & iracundum natura fuisse multis ostendit Herodotus, vt cùm Prexaspem sibi amicissimum, cuius filius erat regius pincerna, rogasset quis Persarum de ipso sermo, isque reprehendi temulentiam dixisset, vt ostenderet se per ebrietatē à scopo non aberrare, cor medium adolescentis sagitta transfixit: in coniuges & necessarios sæuiebat, & mox requirebat, quos iusserat interfici, & vt iram facilè colligebat, ita facilè ponebat. Horum in Assuero non pauca nec obscura vestigia vinolentiæ. Esther 1. v. 10. *Cùm Rex esset hilarior, & post nimiam compotationem incaluisset mero.* Cap. 5. v. 6. *Postquam vinum biberat abundanter.* Cap. 7. v. 2. *Postquam vino incaluerat.* Iracundiæ, etiam in vxorem. *Iratus Rex & nimio furore succensus.* Cap. 1. vers. 13. imo etiam in Estherem quæ iniussu Regis accesserat Cap. 15. v. 10. *Cùmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit, & in pallorem colore mutato lassum super ancillulam reclinauit caput.* Placabilitatis quod subnectitur. *Conuertítque Deus spiritum Regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio, & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: Quid habes Esther? Ego sum frater tuus: noli metuere*, &c. Et cap. 2. v. 1. *Postquam Regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, quæ fecisset, vel quæ passa esset.*

Cambyses vinolentus fuit & iracundus.

Item Assuerus.

109. Inter cæteros Eunuchos qui apud Cambysem gratia floruerunt, Bagapatas & Artasyras, à Ctesia nominātur: Esther 2. v. 22. *Bagathan & Thares duo Eunuchi Regis,*

qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant, voluerunt insurgere in Regem, & occidere eum, &c. An hoc ipsum est quod narrat Ctesias his verbis, Βαγαπάτης δὲ καὶ Ἀρτασύρας, πρὶν ἢ Καμβύσης τελευτῆσαι, ἐβουλεύσαντο βασιλεῦσαι τὸν Μάγον. *Bagapates autem & Artasyras, antequam Cambyses moreretur, consilium inierunt de regno ad Magum transferendo.* Quanquam in eo deceptus est, quòd eos ait Cambysi fuisse superstites, & imperium reapse Mago post Cambysis obitum detulisse tradit. Assuerus eum *de vtroque habita quæstione confessos iussit duci ad mortem,* & Aman *voluit nocere Mardochæo & populo eius, pro duobus Eunuchis Regis qui fuerant interfecti.* Vt Esther 12. narratur: vnde facilè crediderim, eos iniisse consilium de regno non ad Magum, qui postea solium inuasit, sed ad Amanum transferendo, quem proinde Rex circularibus litteris accusat, quasi regnum Persarum in Macedonas transferre cogitarit, cap. 16. v. 14.

Cambyses in punieado præceps. 110. Operæpretium est videre quàm præcipiti suspicione Assuerus tulerit in Amanum capitalem sententiam, in hanc vocem erumpens: *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo mea.* Cap. 7. v. 8. *Rex Assuerus cunctas maris insulas fecit tributarias,* Cap. 10. vers. 1. Aiunt Persarum proceres apud Herodotum lib. 3. Cambysem προσκτήσασθαι Αἴγυπτόν τε καὶ τὴν θάλασσαν, *acquisiuisse Aegyptum & mare.* Accedit Insulas imperio adiecit. quòd è scriptura certum est Cambysem indigitatum fuisse nomine Assueri: de cæteris Persarum Regibus præter leuem suspiciunculam nihil habetur: nec facile expedies quomodo cap. 2. post annum Assueri septimum spadonum insidiæ referantur, quas, vt è capite 11. & 12. liquet, anno eiusdem secundo compararunt: nisi dicas Assueri duo fuisse primordia; alterum, quo cum patre regnare occœpit, alterum quo patri successit: quod Cambysi contigisse tum ex Herodoto, tum è Ctesia & Clemente collegimus.

111. Sed vt cætera dissimulemus argumenta, Mardochæus *vir magnus & inter* Esther 11. v. 4. *primos aulæ regiæ, erat de eo numero captiuorum quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia Rege Iuda, & hoc somnium eius fuit,* &c. Quæ verba quamuis Scaliger aliaque nonnulli aliò detorserint, velintque non ipsum Mardochæum, sed Cis eius proauum esse translatum, tam perspicua sunt, vt is solem meridie lucere negare possit, qui Mardochæo quadrare negauerit. Quòd cum si Iechonia translatus est, quantumuis contrahas tempus Babylonicæ seruitutis, vix tamē potentis res ab eo gestas infra Cambysis æuum submouere, ne si cum Scaligero Xerxem Estheri iunxerimus, Mardochæum cum regni curam suscepit, dicere cogamur annorum fuisse circiter triginta supra centesimum. Si Artaxerxem Longimanum, cum Iosepho & aliis plerisque, adijciendi sunt anni viginti: si Artaxerxem Memorem, alij facilè sexaginta. Quare si nec inficiari possumus Mardochæum cum Iechonia esse translatum, nec sine nimia subtilitate dicere possumus eum à scriptura translatum dici, quia quamuis natus adhuc non esset, iam tamen in lumbis maiorum suorum translatus est, restat vt res à Mardochæo gestas ad prima Persicæ monarchiæ tempora referamus.

112. Atenim Cambyses toto tempore imperij sui Iudæos odio prosequutus est, nec vnquam permisit templum ædificari Hierosolymæ, vt apertè colligitur è libr. 1. Esdræ cap. 4. Quis igitur credat Cambysem illum Assuerum esse qui post mortem Aman Iudæorum amicissimus fuit? Fateor equidem Cambysem in principio regni contra Iudæos aduersariorum calumniis concitatum fuisse. *In regno autem Assueri,* inquit scriptura Esdræ 1. cap. 4. v. 6. *In principio regni eius, scripserunt accusationem aduersus accusatores Iuda & Ierusalem.* & eam, opinor, ob caussam, antequam extrema necessitas incubuit, *necdum prodiderat Esther patriam & populum suum iuxta mandatum Mardochæi.* Esther 2. v. 20. ne videlicet apud Assuerum iampridem in Iudæos exulceratum commemoratione suæ gentis offenderet. Quod anno septimo Longimani, si vt plerique volunt, Estheris maritus fuit, non modò non dissimulare, sed etiam vltro, cùm Assuerus anno regni sui septimo, *posuit diadema regni sui in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vasthi,* iactare debuisset. Esther 2. v. 17. Hoc enim anno non solùm apud Regem Longimanum, sed etiam apud omnes Persarum proceres, Iudæi, si vnquam, vel maximè gratiâ floruerunt. Esdræ 7.

113. Quod autem Cambyses extremis regni sui temporibus, non solùm Iudæis amicus fuerit, sed etiam *maximi sempérque viuentis Dei beneficio, & patribus suis, & sibi regnum traditum, & hactenus conseruatum* Esther 16. v. 16. agnouerit, hinc etiam suspicari possumus, quòd *offensus superstitionibus Aegyptiorum* (verba sunt Iustini lib. 1.) *Apis, cæterorúmque Deorum ædes dirui iussit,* & contemptu Cambyses offensus superstitionibus Ægyptiorum. religionis etiam contra Deos grassatus est. multis narrat Herodotus quemadmodum Apim occiderit, sacerdotes alios necarit,

alios virgis ceciderit, Vulcani simulacrũ irriserit, Cabirorũ statuas ambusserit, quæ facinora ecludit esse furoris indicia manifesti.

114. Cur igitur instauratio templi non ab ipso Cambyse suscepta, sed ad annum Darij secundum prolata est? norat Esther mariti sui mores ad iracundiam propẽsos, nolebat alieno tempore nouas postulationes obtrudere, nolebat veterũ calumniatum memoriam, quasi vnguis in vlcere recens obducto refricare: molles aditus & tẽpora fandi captabat. Cùm interim Cambyses Ægyptiacã expeditionem suscipit, & dum res differtur, interueniẽte Regis interitu penitus aufertur. Certè paulo post sumptam de Amano & cæteris Iudæorum hostibus vltionem, multas ab Assuero prouincias esse perdomitas, illud indicio est, quod iis narratis sacer historicus eodem tenore subtexuit, *Rex vero Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias.* Neque refert (Esther 10. v. 1.) quòd cap. 13. ante cædem Amani dicit se vniuersum orbem suæ ditioni subiugasse: hoc enim intelligi potest de prouinciis à Cyro subiugatis: quæ victoriæ Cambysi vt imperij consorti tribuuntur.

115. Et ne diutiùs hîc moret, cùm ait Herodotus Cambysem in subditos esse grassatum, & Crœsum ita monentem inducit, κτείνεις μὲν ἄνδρας σεαυτοῦ πολιήτας, ἐπ' οὐδεμιῇ αἰτίῃ ἀξιοχρέῳ ἑλών, κτείνεις δὲ παῖδας. *Tu quidem viros, nullam ob caussam alicuius momenti, tuos populares interficis, interficis etiam pueros*, ad Amanum & decem eius liberos & alios octingentos Susis interfectos, cæsos etiam toto terrarum orbe hostes Iudaici nominis, *in tantum vt septuaginta quinque millia occisorum implerentur*, videtur alludere.

116. Hæc habui de Cambyse quæ dicerem, quæ si respuis, Peregrine, non vlteriùs contendam: vnius quidem septuagenarij iacturam fecerimus; neque nouam libertatem habebimus, cuius initium captiuitati Iechoniæ post annos septuaginta respondeat: sed non hic disputationis cardo versatur: satis est ad institutum, seruitutem à Ieremia prædictam & annis septuaginta definitam initium anno Ioachimi tertio vel quarto, finem anno primo post captam Babylonem & monarchiam à Cyro constitutam habuisse: eam autem desolationem quam Zacharias annis septuaginta conclusit, ab vndecimo Sedeciæ, & templi conflagratione, ad annum Darij secundum & instaurationem templi fuisse propagatam. Restat vt quemadmodum recepisti, paucis explices illos argumentorum nodos quos ipse tibi nexuisti.

XIII. *Respondetur argumentis prioris sententiæ.*

117. PERECR. Superetant quatuor argumenta, quorum vnum ex apocrypho Esdræ quarto, alterum à scriptura, tertium ex ætate Danielis, Mardochæi, Esdræ & aliorum, quartum ex historia profana deducitur, ad quæ videtur esse facilis & expedita responsio. Neque verò necesse est posteriorum librorum, qui Esdræ nomine circumferunrur, authoritatem eleuare, etsi cum Hieronymo dicere poteramus nos eorum somniis minimè delectari, & ex iis ipsis (3 & 4. Esd. quanta sit authoritas.) capitibus, quæ nobis opponuntur, testimonia proferre cæteris scripturis & veritati planè contraria, vt cùm cap. 3. v. 6. paradisus legitur Dei dexterâ plantatus, *antequam terra aduentaret*: Et cap. 10. v. 22. *Arca testamenti direpta*, de qua Machab. 2. cap. 2. v. 4. *Erat autem in ipsa scriptura*, videlicet in descriptionibus Ieremiæ prophetæ, *quomodo tabernaculum & arcam iussit propheta diuino responso ad se facto, comitari secũ*, &c. Quod etiam profanis historiis consignatum accepimus. Scribit enim Alexander Polyhistor. apud Euseb. lib. προπαρ. 9. exeunte, Babylonios captis Hierosolymis aurum omne, argentum, & æs transtulisse, *arcâ exceptâ & tabulis in eo positis*, χωρὶς τῆς κιβωτοῦ, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ πλακῶν. Ieremiam *autem hanc penes se retinuisse*, ταύτην δὲ τὸν Ἱερεμίαν κατασχεῖν.

118. Hæc, inquam, dicere poteramus; sed ne vim argumenti declinasse videamur, tanta sit horum librorum authoritas, quanta potest esse maxima: non profanis solùm, sed etiam, si dicere fas est, quod certè nefas, sacris præponderet. hoc, inquam, disputationis caussa, ita esse faciamus. Quid (Esdr. 4 c. 3.) tamen inde, contra stabilitam tuis rationibus Chronologiam colligetur? Ait Esdras se *anno tricesimo ruinæ ciuitatis* fuisse Babylone, concedimus: conturbatum se fuisse, & ventilatum spiritum suum valdè, non negamus, cœpisse se loqui ad Altissimum (Diluitur obiectio ex 4. Esdr.) verba timorata, nemo refragatur. Multa subdit de moribus profligatis gentium, & in omnem impietatem abiectis, iisque Israelitarum mores antistare significat, cùm nihilominùs à gentibus & potissimùm à Babyloniis opprimantur. Quodnam hoc loco seruitutis anno post templi subuersionem tricesimo finitæ vestigium?

119. Capite nono apparet Esdræ mulier, quæ quamuis maritum haberet, nullam prolem per annos triginta susceperat: tandem natus ei filius, qui cùm adoleuisset

& duxisset vxorem, eodem ipso die vitam exhalauit. Subnectit cap. sequenti vers. 27. *Et ecce amplius mulier non comparebat mihi, sed ciuitas ædificabatur, & locus demonstrabatur de fundamentis magnis*. Equidem si mihi liceret hoc ænigma suis integumentis euoluere, dicerem hanc mulierem fuisse Ierusalem, quæ per annos triginta sterilis fuit, donec Cyrus futurus olim vindex Iudaicæ libertatis anno demum post templi cladem tricesimo ad tegnum Persarum euectus est: *qui cùm creuisset, & venisset accipere vxorem: feci*, inquit mulier, *diem epuli*. Cùm enim Cyrus subactis vicinis Regibus sensim adoleuisset, & ipsam Babylonem rerum dominam aggressus totius orientis monarchiam condidisset, Iudæosque liberos dimisisset, ciuitas omnibus lætitiis incessit, & diem epuli celebrauit.

c. 9. 47.

Cap. 10. v. 1. 120. *Et factum est, cùm introisset filius meus in thalamo suo, cecidit, & mortuus est.* Paucis enim pòst annis Cyrus è vita subtractus, quamuis Iudaicam libertatem inchoarit, primisque veluti lineamentis informarit, non potuit tamen extremam manum apponere: sed vsque ad annum Darij secundum, templi est impedita substructio. Hoc, inquam, ænigma sic interpretaret: sed non est integrum: aliam expositionem Angelus Vriel occupauit, à versu 44. ad 50. Vbi sanè ne verbulum quidem est quod Babylonicam seruitutem annis triginta circumscribere videatur. sed quid prohibet pauca producere? *Post annos triginta*, inquit, *ædificauit Salomon ciuitatem, & obtulit oblationes: tunc fuit quando sterilis peperit filium*, &c.

121. Sed, credo, certiora de scripturis canonicis testimonia proferentur. Quæ? ex iis constat Nabuchodonosorem Magnum annis duntaxat sex & viginti cladi Sedeciæ, templique incendio fuisse superstitem. Quid deinde? filius eius ac successor Balthasar, non nisi tribus annis imperauit: vnde constat? id colligitur è capite 5. Danielis. Eo quidem capite reperio Balsasarem templi vasa in conuiuio protulisse, vidisse digitos in pariete scribentes verba quædam quæ solus Daniel legere & interpretari potuerit: eadem nocte fuisse interemptum, & Darium Medum ei successisse reperio. sed eum tribus duntaxat annis regnasse non reperio. Imò quia, vt liquet ex octauo cap. v. 1. & 2. *anno tertio regni Balsasar* Daniel in Persidem nescio quo casu secesserat, & versabatur *in Susan castro quod est in Elam regione* (vbi

Balthasar an tribus duntaxat annis regnauerit.

Inter se aduersis luctantes cornibus hircum

& arietem diuinitus adspexit, quorum aries Regem Persarum atque Medorum, Hircus Regem Græcorum adumbrabat) quo autem tempore cæsus est Balsasar, erat Daniel Babylone, necessarium videtur vt Balsasar vltra tres annos imperij clauum tenuerit. Neque enim si iam tum Cyrus obsedisset Babylonem, credibile est hoc ipso tempore reuersurum fuisse Danielem.

122. Accedit quòd Nabuchodonosor Danielem *in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei, & constituit eum Principem super omnes Prouincias Babylonis*. Quare si Balsasar proximè Nabuchodonosorem excepit, tresque duntaxat regnauit annos, cùm iam grandior regni gubernaculis admotus esset; quippe qui cùm necatus est, vxores habebat & concubinas, Danielem ignorare non potuit. Ignorauit autem ac necesse fuit vt Regina, mater videlicet aut auia Regis, vt interpretatur Hieronymus, his verbis eum submoneret. *Est vir in regno tuo qui spiritum Deorum Sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia & sapientia inuentæ sunt in eo.* Quem Rex accersitum his verbis interrogat. *Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ, quem adduxit pater meus Rex de Iudæa?* Et ne diutiùs in expedito tricemur, constat Iudæos ante laxatam à Cyro captiuitatem non vni duntaxat Nabuchodonosoris filio, sed pluribus eiusdem posteris seruiisse. 2. Paralip. 36. v. 20. *Si quis euaserat gladium* (in vltima clade ciuitatis) *ductus in Babylonem seruiuit Regi & filijs eius, donec imperaret Rex Persarum*. & Ieremias c. 27. v. 3. boias siue vincula, quæ ab initio regni Ioacim sibi circumdederat mittere iubetur *ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem Ammon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis in manu nuntiorum qui venerunt in Ierusalem ad Sedeciam Regem Iuda.* & his Regibus nuntiari iussit hoc Dei decretum. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor, &c. & seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius.* &c. v. 7.

Danielis 2. v. 48.

Daniel 5. v. 11. v. 13.

123. Sed audi responsionem qua nihil excogitari potest argutius. Hic, inquiunt, Nabuchodonosor, est Nabolassarus magni Nabuchodonosoris pater, filius est ipse Nabuchodonosor Magnus, filius filij est Euilmerodach, qui tres regnauit annos & Balthassar alio nomine nuncupatur. Imo verò nemo penitus, & ne ipsi quidem aduersarij negant Nabonassarum multis annis ante templi conflagrationem esse demortuum. illi autem quos ait tacet historicus Nabuchodonosori, eiusque filiis seruiisse in templi & ciuitatis incendio, gladium

euaserant, illi autem Reges quibus Ieremias seruitutē denuntiat, aliquot annis fuerunt post calamitatem Sedeciæ subiugati. Restat igitur vt dicamus aut Nabuchodonosoris Magni filio, ac nepoti Iudæos seruiisse, aut, quod vel cogitare nefas est, scriptores sacros mentitos esse fateamur.

124. Quod Danielis, Mardochæi & aliorum spectat ætatem, nihil obturbat Chronologiæ nostræ rationes: fuerit Daniel annorum decem cùm anno Ioacimi tertio captiuus abductus est. Anno Darij Medi aut etiam Cyri primo annorum duntaxat erat octoginta: anno vero Cyri tertio, annum vitæ tertium & octogesimum non excesserat, quo tempore par adhuc esse potuit rebus iis gerendis quas ab eo gestas scriptura commemorat. Quanquam necesse non est eum decennem fuisse, cum in captiuitatem abductus est, fierique adeo potest, vt infans in seruitutem abreptus multis post annis, cùm iam Hebraicas scientias animo penitus imbibisset Eunuchorum præposito traditus fuerit Chaldaicis literis imbuendus. Neque verò terrere nos debet ætas Mardochæi, cùm inter Iechoniæ transmigrationem & obitum Cambysis, quem Assuerum Estheris maritum esse confirmas, vix anni septuaginta septem effluxerint, & cùm inter templi ruinam & iacta denuo sub Cyro templi fundamenta tres duntaxat annos & quinquaginta numeremus, quis non videt multos superstites esse potuisse, qui & priùs templum viderint, & posterioris fundamenta conspexerint; imò & nonnullis vitam ad annum Darij sextum, quo templum absolutum est, fuisse propagatam? De Esdra si Saraiæ filius fuit ante annos centum & quindecim vel aduersariorum calculis extincti, quomodo explicandæ per dies septem continuos scripturæ suffecerit, vel nos aduersarij secum ignorare, vel eum, qui dicitur Saraiæ filius, pro filio nepotem interpretari facile patientur.

De ætate Danielis, Esdræ Mardochæi.

125. Iam vt de profanis pauca dicamus, memini Nearchum disputare labem ex Herodoti Chronologia detergendam videri, & Nini subuersionem ad prima Cyaxaris tempora referendam. Quæ si vera sunt, nulla superest difficultas, & si veterum authoritate standum est, Herodoto Berosum Chaldæum, & Megasteum Persam de rebus Chaldaicis & Persicis loquentes opponimus, qui cùm vno consensu plures inter Nabuchodonosorem & Cyrum Reges agnoscant, non video cur nostras coniecturas ex Herodoto petitas disertis eorum verbis anteponere debeamus. Quod ad Crœsum attinet; cùm pater Alyattes annos septem & quinquaginta regnauerit, non video cur non potuerit ad annum Astyagis trigesimum vitam propagare, aut quid necesse sit fateri Crœsum, cùm à Cyro victus est, annis quadraginta prouectiorem fuisse. Quæ si vera putamus, sub initia Darij nondum ad septuagesimum ætatis annum peruenerat. Neque sanè multo difficiliùs Ægyptiacæ Chronologiæ rationes explicantur. Apries, cum Nabuchodonosore Magno conflixit, eius filiam adhuc puellam, ait Herodotus Cambysi nupsisse. pauci igitur anni fluxerunt inter Nabuchodosorem & captam à Cyro Babylonem. Hæc tota vis argumenti. Verùm si Herodoti narratione nostram volumus fulcire Chronologiam. Is ait Amasim quinto circiter Cambysis anno morte sublatum, cùm post Apriæ cædem annos quadraginta quatuor Ægyptiis præfuisset. Aut igitur ea puella Cambysi nupsit ante Cyri patris obitum, aut cùm nupsit iam quadragesimum agebat annum, aut denique verum est quod alij apud eundem Herodotum prodiderunt Nitetin Apriæ filiam non Cambysi filio, sed patri Cyro fuisse nuptiis sociatam.

126. Illud porro quod de Astyage dictum est, cuius obitus videtur in Danielis adolescentiam incidisse, nullo negotio dissoluitur. Daniel sapientissimus duodecim annorum effectus (inquit Ignatius Apostolis ipsis suppar, epistola ad Magnesianos ineunte) Spiritu Sancto repletus est, & Susannam à mortis periculo liberauit: *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi*: & deinceps; *& Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius*. Danielis 13. v. 64. 65. Sensus nō est mortem in Astyagis Danielis pueritiam incidisse: sed Danielem cùm puer admodum Susannam diuinitus inspiratâ sapientiâ liberasset, ex illo fonte ad hominum existimationem fluxisse, & iam inde à surgenris pueritiæ vita in conspectu populi vsque ad Astyagis obitum, & Cyri, qui non, vt fabulatur Herodotus, auum Astyagem regno deiecit, sed mortuo successit, initium floruisse.

Daniel Susannam liberat.

Astyagis obitus.

127. Paulo pòst, cùm iam esset eruditus omni sapientia, cautus scientia, & doctus disciplina, cum Anania, Misaele & Azaria traditus est Asphenes præposito Eunuchorum, *vt doceret eos literas & linguam Chaldæorum*. Quibus verbis insinuari videtur & ipsos per summam iniuriam Eunuchos esse factos. Cùm præsertim constet eos fuisse de semine regio, vel Tyrannorum, Danielis 1.

Daniel an Eunuchus. neque aliter explicari possit, quando tandem impletum fuerit illud quod Isaias Ezechiæ prædixerat: *Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis* Isaiæ 39. v.7. & 4. Reg. 20.18. Et hoc ipsum est, opinor, quod etiam Xenophon 7. Cyropædiæ multis exponit Cyrum post captam Babylonem eunuchis & spadonibus plurimum detulisse, multásque congerit rationes cur Cyrus huic hominum generi maximè confideret. Sed viderint eruditi.

128. Aliquot annis interlapsis, cùm iam adoleuisset Daniel, vel potiùs emensis cęterarum ætatum spatiis virilem attigisset, & Nabuchodonosor iam subactis longè latéque gentibus monarchiam Babylonicam condidisset, *in anno secundo regni Nabuchodonosor*, interpretatus est somnium illud celebre, de statua & quatuor monarchiis. Danielis res gestæ. *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.* Danielis 2.48. Secuta sunt extremis Nabuchodonosoris temporibus ea quæ cap.3 & 4. de tribus Hebræis inter flammas illæsis, & ipso Rege narrantur, *qui ex hominibus abiectus est, & fænum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est.* Quis interim tantam administrarit Remp. non satis liquet: crediderim esse Nitocrim, quam Berosus Medam fuisse genere testatur Nabuchodonosoris vxorem, cuius mirabiles substructiones ab Herodoto prædicantur. Crediderim Danielis imprimis sapientia singulari stetisse regnum, & tot gentes recentibus subactas victoriis volentes imperio paruisse, vt nihil Regis calamitate de regni Babylonici maiestate decederet.

Ierem. 52. 129. Anno transmigrationis Iechoniæ tricesimo septimo, qui seruituti Babylonicæ quadragesimus quintus illuxit, Nabuchodonosor diem obiit extremum, & filius eius Euilmerodach regno potitus est, & à Nerigliſsaro, qui sororem eius habebat matrimonio sibi coniunctam, per insidias, è medio sublatus est βασιλεύσας ἔτη β'. cùm duos regnasset annos, videlicet completos, secundum Berosum, aut secundum canonem Mathematicum tres annos vtique inchoatos. Huius regnum excepit, qui molitus fuerat insidias, Neglissarus, & quod in eiusmodi regnorum conuersionibus fieri solet, superiorum Regum amicos prouinciarumque præsides, & præcipuos magistratus à Repub. submouit. Qua occasione Daniel qui hactenus à iudicio Susannæ magnus in conspectu populi floruerat, & iam ab aliquot annis princeps super omnes prouincias Babylonis præfectus magistratuum, & vt eum Nabuchodonosor appellat, Regis ipsius collega fuerat, siue vt declinaret inuidiam siue quòd ad necem quęreretur, vt se imminenti procellæ subduceret, receptum in Persidem videtur habuisse: & quidem eo ipso tempore quo *Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.* Dan. 4. v. 4. Danielis secessus in Persidem. Dan 13. 65.

130. Eo siquidem anno quo Nerigliſsarus Babylone regnare occœperat annique duo duntaxat & viginti supererant ad finem Babylonicæ seruitutis, quorum quatuor ipse Nerigliſsarus, menses nouem eius filius, annos septemdecim Nabonidus. siue Balthassar, Berosi calculis occupauit, eo, inquam ipso anno Cyrus Astyagi succedens regni Persici gubernacula suscepit, & vt iam probatum est, anno regni Persici secundo & vicesimo Babylonem cepit, totius Asiæ fundauit imperium captiuitatemque laxauit. Et ne Danielis in Persidem secessum difficultatis expediendæ caussa finxisse videar, constat eum anno Balsasaris tertio Susis esse versatum, & ad suos ex interuallo rediisse, priuatumque & Regi ignotum, vsque ad extremum illud funestumque Balsasaris conuiuium aliquandiu patuisse:

Sed iam summa procul villarum culmina fumant, Dan. 8. 2.
Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.

Quare surgamus, si placet, & in vrbem redeamus.



SACRARVM QVÆSTIONVM

LIBER DVODECIMVS.

DARIVS MEDVS.

PEREGRINVS, RESTITVTVS, THEOCRITVS.

I. *PRÆFATIO.*

1. PEREGR. Vis, ô Restitute, vt ex hesterni conuiuij reliquiis hodiernas epulas instauremus? RESTIT. E quidem nihil superesse video, mi Peregrine, quo Theocrito nostro lautia præbeantur. nisi si, quia nescio quid de Balsasare & Dario Medo leuiter attigimus, operæpretium putas controuersiam sanè difficilem, & varia disputatione perplexam planiùs & accuratiùs explicare. PEREG. Imò, Restitute, communi studio Theocritum rogemus vt suam nobis aperiat de vtroque sententiam. RESTIT. Vt igitur intelligas, Theocrite, quid potissimùm veniat in quæstionem, hesterno die cùm de Nabuchodonosori successoribus ageretur, quædam è Beroso, Megasthene & Abydeno libata sunt, quorum apud Iosephum lib. 1. aduersus Appionem, & Eusebium lib. 9. προπαρ. exeunte fragmenta reperies.

2. Nabuchodonosor, cùm tres & quadraginta, vel potiùs quadraginta quatuor, vt è scriptura manifestò colligitur, regnasset annos, & fines imperii Babylonici non solùm per Citeriorem Asiam, sed etiam per Africam ad columnas Herculis & Hispaniam longè latéque protulisset, diem obiit extremum, vel, vt Abydenus è Megasthene testatur, cùm diuino spiritu concitatus imminentem à Persis Imperio Babylonico calamitatem vaticinatus fuisset, παραχρῆμα ἠφάνιστο, repente disparuit. Huic successit filius Euilmerodac, & post biennium per summam iniustitiam & intemperantiam exactum à Neriglissaro sororis suæ marito per insidias occisus est. Neriglissar regnum parricidio partum per annos quatuor obtinuit, & filium reliquit impuberem, qui nono regni sui mense, cùm multa prauæ mentis indicia præbuisset, ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη, ab amicis cùm ignominia de medio sublatus est. Extincto Laborosardaco (sic enim vocabatur) ii qui fecerant insidias, Nabonnedo cuidam Babylonio, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως, qui erat ex eadem conspiratione, regnum detulerunt. Quæ postrema his verbis expressit Abydenus. Hoc violenta morte sublato, Nabannidochum Regem constituunt, προσήκοντα οἱ οὐδέν, nulla cum illo propinquitate con-

iunctum cui post annos septemdecim Cyrus Babyloniæ regnum ademit, & Carmaniæ Præfecturam dedit, vbi reliquum ætatis tempus exigeret.

3. Hæc sunt, Theocrite, quæ scriptores antiquissimi de Nabuchodonosori successionibus memoriæ prodiderunt, in quibus difficile est eum inuenire Baltasarem, cui, cùm vasa templi profanis vsibus polluisset, in *eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ.* Quod portentum euentus continuò comprobauit siquidem *eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæus, & Darius Rex Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.* Hoc igitur abs te contendimus, ô Theocrite, vt tuam nobis exponas tum de Balsassare, tum de Dario Medo sententiam

Dan 5. v. 5.

Vers 30. & 31.

II. *Rationes quibus probatur Darium Medum Danielis esse Nabonidum, siue Labynethum.*

4. THEOCRITVS. Equidem hactenus mihi persuaseram, Restitute & Peregrine, Darium Medum Astyagis filium, Medorumque Regem fuisse, eundemque adeo qui Cyaxares à Xenophonte nominatur, eum Balsassarem postremum Babyloniæ Regem quem Berosus Nabonidum, Megasthenes Nabannidochum, Herodotus Labynethum appellat. Sed cùm diligentiùs expendi momenta rationum, quæ Iosephum Scaligerum, & Dionysium Petauium in alia omnia perpulerunt, non possum eò non inclinari, quò vel rationum pondus, vel tantorum virorum incumbit authoritas. Et sanè cùm vir ille doctissimus vndecunque Petauius perpetuum Scaligero bellum indixerit, eumque ἐν ἄλλοις πολλοῖς confutandum enixè propriéque susceperit, si quid erit in quo inter se conueniant, id haud immerito debebit vero simillimum iudicari.

5. Sic igitur illi ratiocinantur, cùm de Babyloniorum Regum serie, & Nabuchodonosori Magni successoribus agatur, nullos esse quibus tutiùs inhærere possimus, quàm Babylonios ipsos antiquos fidelissimósque scriptores, qui è Babylonicis archiuis & annalibus historiam expresserunt, atque eos imprimis à quibus quæ Babylonicis de rebus posteris commendarent, omnia se hausisse, eosque se authores habuisse testantur illi ipsi, à quibus nos rerum illarum memoriam accepimus. Eiusmodi Berosus est Chaldæus sacerdos, quique eum secuti sunt Megasthenes & Abydenus. Iam postremus è stirpe Nabuchodonosori Balsassar siue Balsassar à Daniele memoratur: cui Darius Medus proximè successit in regnum, cap. 5. v. vltimo. At è Beroso, Megasthene & Abydeno constat postremum è Nabuchodonosori stirpe Laborosoarchodum Babyloniis imperasse, & successorem habuisse Nabonidum προσήκοντά οἱ οὐδέν, nulla sibi propinquitate coniunctum, vel qui ad ipsum nullo modo pertinebat. Ergo Laborosoarchodus idem erit ac Baltassar, Nabonidus idem ac Darius Medus. Hæc est ratio Scaligeri, hæc demonstratio Petauii, quam tanti facit vir eruditus nihil vt ea verisimilius, nihil ad sacræ ac profanæ historiæ concordiam aptius ac præstantius excogitari posse confirmet, adeoque miretur nondum illam Chronologis nostris ac diuinorum librorum interpretibus probari potuisse

Prima ratio.

6. Accedit & illud haud scio an validius argumentum quo me fateor non mediocriter commoueri. Balrasar eadem nocte, qua vasa Deo dedicata profanis vsibus violarat interfectus Babylone: Nabonidus autem à Cyro victore in Carmaniam ablegatus in ea regione reliquum vitæ tempus exegit, ibique κατέστρεψε τὸν βίον, *diem obiit extremum*, vt authores illi certissimi litteris prodiderunt. Alius est igitur Baltasar, alius Nabonidus. Si forte Iosephum & alios eum secutos magis audiendos putamus, qui cùm in declaranda Babyloniorum Regum serie Berosi, Megasthenis, & Abydeni debuerint hærere vestigiis (neque enim alios habuerunt, à quibus, tanquam à fontibus rerum illarum memoriam accerserent, atque ad posteros deriuarent) nihilo tamen secius multa congerunt, de quibus illi ne somniarunt quidem.

Altera ratio.

7. Iuxta Berosum: Euilmerodach Nabuchodonosoris Magni filius Ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ ἀνῃρέθη βασιλεύσας ἔτη β΄. *insidiis appetitus à Nerigissaro sororis marito interfectus est, cum annos duos imperasset.* Iuxta Iosephum Euilmerodacho post annum regni sui duodevigesimum defuncto Niglisar filius successit. Quibus verbis adeo paucis tria sunt, quibus Iosephus à suo Beroso dissentiat, tempus regni, genus mortis, propinquitatis gradus. Neriglissaro anni quatuor à Beroso, à Iosepho quadraginta tribuuntur. Iuxta Iosephum vt saltem Hieronymus interpretatur, Nabonidus qui in Babyloniorum Regum serie postremus & Laborosoarchodi filius fuit: iuxta Megasthenem nulla fuerunt inter se propinquitatis necessitudine

Iosephus Beroso contrarius.

deuincti

deuinctl: iuxta Berosum vnus fuit è coniuratis, qui Laborosoarchodo necem intulerunt, & communi coniuratorum suffragio, non iure propinquitatis ad regnum euectus est. Quonam ergo iure? quo argumento? quo authore Iosephus & eum secuti reliqui Nabonidum hunc à stirpe regia penitus alienum Baltassarem Nabuchodonosori, vel filium, vel etiam nepotem esse defendunt? Quis oscitantiam non videat? quis excusare possit?

8. Quare sic existimo Baltassarem eundem esse cum Laborosoarchodo, qui cum mortuo Euilmerodacho iunior esset, eius nomine Neriglissarus pater Nabuchodonosori gener imperium administrauit annis quinque: qui propterea Balthassari ipsi tribuuntur. Mortuo Neriglissaro Baltassarem solum nouem mensibus imperasse, eumque in conuiuio Principum ac præcipuè Nabonidi conspiratione cæsum annis septemdecim antequam Cyrus Babylonem obsideret, Baltassare mortuo regni gubernaculis admotum esse Nabonidum siue Darium à Medis oriundum, cuius pater Assuerus è Media profugus, aut illius certè maiores Babylone consederant. Ac proinde ex antiquissimis illis scriptoribus Megasthene & Abydeno Herodotum corrigendum videri, qui lib. 1. Labynetum postremum Chaldææ Regem, cui Cyrus bellum intulit, & imperium ademit, Labyneti maioris qui citra controuersiam Nabuchodonosorus fuit, & Nitocridis filium fuisse testatur.

III. *Rationes superioris sententiæ examinantur.*

9. Rest. Equidem in Iosepho Scaligero multarum linguarum notitiam, memoriæ felicitatem, facilitatem naturæ, vigorem ingenij & celeritatem quibusdam velut igniculis incitatam minimè contemnendam putarem, si præclaram illam indolem vel maturitate iudicij, vel Christiana modestia temperasset. Petauium verò, sic admiror, vt omnibus ingenij, iudicij, doctrinæ, laboris & industriæ, quodque cæterorum omnium caput est, pietatis & modestiæ laudibus absolutus & propemodum singularis esse videatur. Quia tamen ne ipsi quidem maiorem sibi fidem adhiberi postulant, quàm ipsi Iosepho, Hieronymo, Theodoreto, & cæteris adhibendam putant, à quibus impune dissentiunt, in hac controuersia non tam authorum quàm rationum pondus & grauitatem à nobis examinari facilè patientur.

10. Vt igitur ad rem ipsam veniamus, video, Theocrite, tuam illam opinionem, Berosi, Megasthenis, & Abydeni testimonio fulciri, præcipuum autem esse caussæ firmamentum quòd postremus de Nabuchodonosori stirpe, iuxta Danielem Baltassar, iuxta Berosum & Megasthenem Laborosoarchodus in Chaldæa regnauerit, eique proximè successerit is qui ab his Nabonidus, Darius Medus ab illo nuncupatur. Non dicam hos antiquissimos authores, quorum veneranda canities omnibus Herodotis opponitur, ducentis post Herodotum annis, Macedonum temporibus floruisse; omittam Berosum fuisse Chaldæum, quæ natio quantopere fabulis addicta fuerit vel inde liquet, quòd eos trecenta septuaginta millia annorum habere se monumentis comprehensa gloriari solitos accepimus. Cic. 1. de diuinatione.

11. Prætermittam pauca Megasthenis, quæ supersunt fragmenta sexcentis scatere mendaciis. nisi si forte quia Indias explorauit, ideo tanquam oculato testi credere debemus, in monte, cui nomen est Milo, homines esse auersis plantis, octonos digitos in singulis pedibus habentes, in multis autem montibus genus hominum capitibus caninis, pro voce latratum edere, gentem inter Nomadas Indos narium loco foramina tantum habentem, anguium modo loripedem, vocari Syrictas: Ad extremos fines Indiæ ad Orientem circa fontem Gangis Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam vestiri frondium lanugine, halitu tantùm viuentem & odore quem naribus trahant. Nullum illis cibum, nullumque potum: tantùm radicum florumque varios odores, & syluestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus. Mandrorum fœminas septimo anno parere, senectam quadragesimo anno accedere. Plin. lib. 6. c. 17. Megasthenis mendacia. Plin. lib. 7. cap 2.

12. Sed hæc omittam quia, ne vim argumenti declinare videar, nihil vel Berosi, vel Megasthenis authoritati derogatum volo, dum is modus præscriptioque teneatur, vt neque propter horum testimonia scripturam deseramus, neque si quid fortè dixerimus Beroso contrarium, ita singula Iosephi verba præstare cogamur, vt religioni ducamus ab eius authoritate discedere. Qui vt cætera dissimulem, in eo certè tolerari non potest quod inter Nabuchodonosori obitum & captam à Cyro Babylonem annos septuaginta quinque numerauit. E quibus efficeretur inter templi subuersionem, & datum à Cyro Iudæis postliminium laxatamque captiuitatem, annos Iosephi error.

centum facilè computari. Sed id in præsentia non agitur vtrùm alucinatus fuerit Iosephus & insignis oscitantiæ culpam susceperit: illud venit in quæstionem vtrùm è Berosi verbis certò colligatur Laborosoarchodum è Nabuchodonosori stirpe postremum Babyloniis imperasse.

13. Author est Berosus Euilmerodachum Nabuchodonosori filium à Neriglissaro sororis marito (quem Megasthenes κηδεστὴν affinem eius appellat) per insidias interemptum: & insidiatorem per annos quatuor Imperium tenuisse, cui defuncto filius Laborosoarchodus adhuc puer in regnum successerit. Huic post menses nouem à Proceribus necato suffectum fuisse Nabonidum Babylonium vnum è coniuratis. Esto sanè: Nabuchodonosori gener fuerit Neriglissarus, ideóne certa & euidenti ratione constabit Laborosoarchodum Neriglissari filium ad Nabuchodonos. stirpem pertinere? Quid si non ex eius filia, sed ex alia quapiam vxore vel concubina susceptus est: Hoc est, inquies, diuinare. Ego verò nihil diuino, mi Theocrite, neque sanè diuinare necesse est. Sed cùm id verbis Berosi non repugnet, fierique adeo possit vt & Laborosoarchodus Neriglissari filius & à Nabuchodonosori stirpe fuerit alienus, quæro quî tandem contra Iosephum, Hieronymum, Theodoretum, omnes denique quotquot ante Scaligerum floruerunt, quorum authoritatem sine graui caussâ repudiare certè non debemus, è Berosi verbis subodoratus fuerit Scaliger Laborosoarchodum posterorum Nabuchodonosori, qui in Chaldæa regnarunt, fuisse postremum, ipsumque adeo illum qui Baltassar à Daniele nominatur.

Quid è Beroso colligatur.

14. Quid si Nabonidum à Nabuchodonosoro dixerimus oriundum? cuius idonei scriptoris nos authoritate conuinces? Berosi? At nihil è Beroso colligitur aliud quàm Nabonidum & Babylonium fuisse, quod fatemur, & vnum è coniuratis qui Laborosoarchodo necem intulerunt, quod non negamus, & communi coniuratorum suffragio regnum quod Neriglissarus per tyrannidem & parricidium occuparat, ei esse delatum, quod vltro concedimus. Neque tamen hinc rectè colligitur Nabonidum ad regiam Nabuchodonosori familiam minimè pertinere. An Megasthenis id testimonio refelles? Eum igitur audiamus. Ait Laborosoarchodo suffectum esse Nabonidum προσήκοντά οἱ οὐδέν, nulla cū eo propinquitate coniunctum. Atqui Megasthenes eum Laborosoarchodi propinquum fuisse negat, originem à Nabuchodonosoro duxisse non negat: fierique adeo potest vt Laborosoarchodus à regia Nabuchodonosori familia fuerit alienus, & Nabonidus siue Labynetus à Nabuchodonosoro siue Labyneto superiore propagatus, vt ab Herodoto proditum est, regnum hereditario iure sibi debitum, quod Neriglissarus interuerterat, à tyrannis vindicatum communi Procerum suffragio receperit. Xenophon adstipulatur Herodoro lib. 4. Cyropædiæ exeunte, & postremum illum Babyloniæ Regem qui Persarum & Medorum armis subactus est, à superioribus Regibus originem duxisse testatur. Cùm igitur authores isti duo consentiant, neque diserrè negent Megasthenes & Berosus hunc Regem ad Nabuchodonosori familiam pertinere, iterum quæro quibus è vestigiis Scaliger id subodorari potuerit, & Iosephi, Hieronymi, Theodoreti scita rescindere. Quod autem hi Nabonidum post captam Babylonem in Carmania consenuisse tradiderunt, licebit Xenophontem opponere, qui postremum Chaldææ Regem Persis in vrbem irrumpentibus, dum tota nocte temulentiæ comessationibusque vacat, interemptum esse commemorat à Gobria & Gadata, quorum alterum per summam iniuriam spadonem reddiderat, alterius filium per inuidiam occiderat.

15 Atenim Cyrum à Xenophonte non ad historiæ fidem, sed ad effigiem iussi imperij scriptum identidem inculcant. Quasi verò magis ad humanitatem moderationemque Cyri magis pertinere putauerit Xenophon, si Babyloniæ Regem in illo multu contra historiæ fidem cæsum esse confingeret, quàm si ex rei veritate liberaliter & regiè tractatum, eique donatam Carmaniam narraret, in qua sublatis imperandi molestijs tranquillè rebus omnibus ad nutum affluentibus de cætero frueretur. Sed de Xenophontis authoritate eiusque cum scriptura consensu fusius à nobis hesterno die disputatum.

16. Quid? quòd Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos? Quare ὄντι τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐν ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει anno regni sui decimo septimo iam ad septuagesimum nonum ætatis annum peruenerat, quo tempore Cyrus reliquis regni partibus iam subactis, Babyloni admouit exercitum. αἰσθόμενος δὲ &c. sentiens verò Nabonidus eius aduentum ἀπαντήσας μετὰ τῆς δυνάμεως καὶ παραταξάμενος, ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ καὶ φυγὼν ὀλιγοστός, *cum suis copijs occurrens, cùm signa contulisset, prælio superatus cum paucis fugiens in Borsippensium vrbem se inclusit.* Quæ quis

non videt florenti potius ætati quam extremæ senectuti, &, vt sic loquar, silicernio conuenire; frustra igitur qui Nabonidum eundem esse cum Dario Medo defendunt sibi de Berosi testimonio blandiuntur, è quo si quid suspicionibus & coniecturis indulgere liberet, contrarium probabiliter inferre poteramus. Iam, Peregrine noster, tuæ sunt partes, nisi tibi molestum est opinionis huius à Scaligero primùm inuentæ, deinde Petauii nostri viri doctissimi suffragio comprobatæ pondus scripturæ momentis expendere.

IV. *Eadem opinio ad scripturam expenditur.*

17. PEREGR. Animaduerto Theocriti nostri disputationem in partes fuisse distributam duas. Nam & Scaligeri ratiocinio probare voluit eum esse Danielis Baltassarem qui Laborosoarchodus à Beroso & Megasthene nominatur, & proprio quodam argumento collegit alium esse Danielis Baltassarem, alium Berosi Megasthenisque Nabonidum. Ex quibus effici necessariò volebat Baltassaris & Laborosoarchodi nomen in vna eademque persona constitisse. Quæ, Restitute, tam perspicuè diluisti, cuius vt liquere possit quam infirma sint argumenta quæ ex horum authoritate ducuntur. Restat vt è scriptura, & præsertim è Daniele, qui si vel scriptor profanus esset, quia tamen rebus gestis interfuit, meritò sexcentis Berosis præferretur: restat, inquam, vt è Daniele paucis ostendam neque Laborosoarchodum eundem esse cum Baltassare, neque in Darium Medum quadrare quæ scriptores illi de Nabonido litteris prodiderunt. Vt igitur de Laborosoarchodo primùm dicamus, is nouem duntaxat menses Babyloniis imperauit. At si Danieli credimus, planè dicendus est Baltassar annum saltem imperij sui tertium attigisse: *Anno*, inquit, *tertio regni Baltassar Regis visio apparuit mihi.* (Cap. 8. v. 1.) Hos igitur annis, quibus regnarunt ita distinctos non debemus inter se confundere.

18. THEOCRITVS. Nosti, Peregrine, quid ad ista respondeant. Mortuo quippe Euilmerodacho Neriglissarus Nabuchodonosori gener pro filio suo Baltassare siue Laborosoarchodo imperium tenuit, eiusque nomine res administrauit annis quinque qui propterea ipsi Baltassari tribuuntur. Mortuo Neriglissaro Baltassar solus regnauit mensibus nouem. Atque hic in conuiuio Principum ac Nabonidi præcipuè conspiratione cæsus est annis septédecim antequam Cyrus Babylonem obsideret. Sic igitur Danielem Beroso conciliare possumus, vt secundum Danielem anni quinque Baltassari tribuantur, quia quamuis puer esset & rebus gerendis impar, iam tamen in illa ætatula nomen regiũ sustinebat: à Beroso verò, Neriglissarus regnasse dicatur, quia tametsi regni duntaxat administrator fuerit, omnia tamen pro arbitrio tractabat. PEREGR. Noui equidem, mi Theocrite, sed & ipse nosti quandam interpretandæ scripturæ legem ab Augustino sancitam, & communi Theologorum suffragio comprobatam, quam expediat non sacris modò, sed etiam profanis applicare scriptoribus, vt quoties res gesta narratur, eo sensu qui primus occurrit, historicorum verba capiamus, iisque mordicus hæreamus, nisi nos vel narrationum conflictus, vel euidens ratio, vel antiquorum authoritas à genuina verborum significatione deduxerit.

19. Ait Daniel anno tertio regni Baltassar Regis apparuisse sibi visionem. Hîc lectoris fidem appello quid ei prius soleat occurrere, quàm non solùm nomine sed etiam reipsa Regem fuisse Baltasarem, eodémque sensu tertium eius annum vsurpari quo apud eundem prophetam annus Ioacimi tertius, Darij Medi primus, Cyri primus & tertius nominatur. Tu autem tertium hunc annum interpretaris non quo regni gubernacula tractabat Baltassar, sed quo Neriglissaro sedente ad clauum & imperium gubernante, ipse nomine tenus honorarium Regis titulum sustinebat. Si ratio quæratur interpretationis tuæ, non adferes, si scripturæ conflictus, non reperies. Restat igitur Berosi authoritas quæ tuam illam expositionem à communi sensu & natiua verborum proprietate detorserit. Eum igitur si placet audiamus, & si quid adfert quod tuæ velificetur interpretationi, paulo secius quàm sonant, Danielis verba capiamus; sin autem nihil est vnde suspicari possis Laborosoarchodum plus quàm menses nouem vel titulo tenus Babyloniis imperasse te, qui legem illam interpretandæ scripturæ violas, nullam facti rationem, nullum scripturæ conflictum, nullam antiqui scriptoris authoritatem, nihil denique præter suspicionem & præiudicium adferre fateamur.

20. Cùm dixisset Berosus Euilmerodachum Nabuchodonosori filium à leuiro suo Neriglissaro per insidias interemptum eodem tenore subtexuit. Μετὰ δὲ ἀναιρεθῆναι τοῦτον, διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηριγλίσαρος ἐβασίλευσεν

ἔτη τέσσαρα. Eo ſublato Nerigliſſarus qui molitus ei fuerat inſidias, regnum ſuſcepit, & regnauit annos quatuor. Quod in his verbis coniecturæ ſuſpicioniſque tuæ veſtigium? vnde ſubodoraris eum non ſuo ſed filij nomine Reip. præfuiſſe: vnde ſubodoraris immanem illum parricidam, qui dexteram illam, fidei contractæque affinitatis obſidem & Regis & affinis ſui cruore reſperſerat regnum, cuius adipiſcendi cauſsâ, etiam ij qui cæteris in rebus pietatem colunt, diuina, frequenter & humana iura violant. non vſurpaſſe ſibi, ſed liberis tradidiſſe? Quæ ſi nulla ſuſpiciuncula probare potes, vide vt non tam Danieli Beroſum accommodes, quàm grauiter Beroſum torqueas, vt applicatus non dicam Beroſo ſed opinationi tuæ Daniel grauiùs etiam torqueatur. Sed redeamus ad Beroſum, τούτου, inquit, υἱὸς Λαβοροσοάρχοδος ἐκυρίευσε μὲν τῆς βασιλείας παῖς ὢν μῆνας ἐννέα. *Huius filius Laboroſarchodus, cùm puer eſſet, regno potitus eſt menſibus nouem.* ſi nouem duntaxat menſibus ἐκυρίευσεν dominus fuit regni, fruſtra profectò dicitur annos ei quinque tribui, quòd primis quatuor annis patet vicariam in regno poteſtatem, ipſe iam ſupremum in regno dominium obtineret. Sed quid [illegible]ias? laqueos quibus ſeipſos induunt atque implicant, aliter explicare non poſſunt: niſi Beroſo, quem nobis obtendunt, vis inferatur, & velit nolit, obtorto collo, vnco impacto trahatur in Scaligeri ſententiam.

Dan 5. 21. *Baltaſſar Rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille: & vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus vt afferentur vaſa aurea atque argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo quod fuit in Ieruſalem, vt biberēt in eis Rex & Optimates eius, vxoréſq; eius & cōcubinæ.* Laboroſoarchodus παῖς ὢν cum puer eſſet, patre defuncto regni gubernaculis admotus à Proceribus extinctus eſt. Quæro quotum ad ætatis annum velis pueritiam extendere? Obſeruat Cenſorinus hominem ad annum ætatis quartum decimum παῖδα puerum nuncupari, deinceps pubertatem & primam adoleſcentiam ſequi, quam aliquot gradibus diſcriminat, adoleſcentulum, quem veteres hirquitallum dicebant, cùm ſit annorum quindecim. μελλέφηβον, ſedecim ἔφηβον, ſeptemdecim ἐξέφηβον vocari. Si puer erat Baltaſſar qui factum putemus, vt in eo conuiuio, in quo *vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem*, ac proinde pro ratione ætatis plus aut minus, meracius aut dilutius potabant, fieret temulentus? Scio quidem nonnullos aliter interpretari, quaſi bibere nihil aliud hoc loco ſignificet quàm conuiuio intereſſe, vt pro ſua quiſque ætate, ſuperiore vel inferiore locò diſcumberet: Tamen inficias ierit nemo priorem illum ſenſum vt magis genuinum & proprium priùs legentibus occurrere. Scio reliquos interpretes aliter tranſtuliſſe, *& coram mille*, vel *coram Optimatibus bibebat*: quaſi Rex ſeorſum ab aliis, è regione conuiuarum accumberet, quibus citra controuerſiam fauet textus Chaldaicus. Non video tamen cur communis editionis latinæ, quam vnam Tridentina ſynodus ſuò decreto munitam pro vera canonicáque ſcriptura ſuſcipi voluit, authoritas reſpuatur. E qua colligere videor Baltaſſarem non modo puerum non fuiſſe, ſed etiam ætate prouectum. *Vnuſquiſque*, inquit, *ſecundum ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergo Rex iam temulentus.* quaſi robur ætatis, aut etiam ſenium temulentiæ cauſſam aſſignet, ideoque factum eſſe temulentū ſignificet, quia vt erat ætate prouectior, ita merum liberalioribus poculis hauriebat. Quis enim puerum & impuberem, qui vinum non quodlibet ſed חמר merum ſiue vinum meracum ad temulentiam vſque plenis faucibus ingurgitarit, ſecundum ætatem ſuam bibiſſe facile concedat? Quis in puero tantum authoritatis fuiſſe, vt eum vaſa quæ Nabuchodonoſorus tanquam ſacra ſepoſuerat, profanis vſibus polluere cupientem ne vnus quidem è tot Optimatibus obiecta religione coerceret? Si puer erat & impubes, quomodo iam inde à pueritia tot vxores habuit, tot concubinas? Iſta profectò cohærere non poſſunt. Quare vt hunc locum abſoluam, Puer erat Laboroſoarchodus, Baltaſſar puer nō erat, Ergo Baltaſſar non eſt Laboroſoarchodus.

Conuiuiū Balſaſſaris.

Quo ſenſu quiſque ſecundum ſuam bibebat ætatē.

An Balſaſſar adhuc puer eſſet in conuiuio.

23. Theoc. Noli ſummo iure agere cum Scaligero, Peregrine, noli ſic ad viuum omnia reſecare. Nam quòd puer Laboroſarch. vocatur: nimirum latiùs accipitur pro ephebo, vel adoleſcente, vt alij quoque ſcriptores frequenter vſurpant. Peregrin. Eſto ſanè, fuerit ephebus, fuerit adoleſcens. Quanquam interim à propria geŕmanaque vocis ſignificatione diſceditur. Ego autem cùm Beroſum omnibus Ioſephis, Hieronymis, Theodoretis, omnibus Hebræis, Græcis, Latinis opponeres, tam diſertis propriiſque concepta verbis Beroſi teſtimonia prolaturum te arbitrabar, vt veterem opinionem, quæ tot iam ſeculis radices egerat, penitus extirparet, nóſque à tot Patrum authoritate vel inuitos & reluctantes abduceret. Eſto tamen fuerit ephebus, fuerit adoleſcens, fuerit annorum vi-

giniti, vel aliquanto prouectior.

24. Qua tempestate Laborosoarchodus à coniuratis oppressus est, anni septem ab obitu Nabuchodonosori, ab Euilmerodachi nece quinque duntaxat Berosi calculis effluxerant. Extremis autem Nabuchodonosori temporibus, anno post Ægyptum
Dan. 2. v. spoliatam & fundatum imperium secundo,
46. 48. 49. Daniel à Rege constitutus fuerat super omnes Prouincias Babylonis, & luce, palam, in oculis aulicorum, *in foribus Regis*, tanta non solùm apud aulæ proceres, sed etiam apud Regem ipsum authoritate, vel potiùs cuiusdam diuinitatis existimatione florebat, vt eum Rex paucis ante mortem
Dan. 4. v. 5. mensibus collegam suum nominaret, ac proinde ne pueris quidem, præsertim regijs, quos vel vrbanitatis & officij caussâ frequentiùs visebat, esset ignotus. Neque verò postquam Nabuchodonosor mortalitate exemptus est, minùs fuit apud Euilmerodachum eius filium gratiosus, vt ex eo liquet quòd ipso anno quo regnare cœperat, vniuersum nomen Iudaicum ma-
Ierem cap. gnis sibi beneficiis obligauit, *Eleuauit caput*
52. v. 31. 32. 34. *Ioachin Regis Iuda, & eduxit eum de domo*
4. Reg. cap. *carceris, & locutus est cum eo bona, & posuit*
25. v. 27. &c. *thronum eius super thronos Regum qui erant post se in Babylone. & mutauit vestimenta carceris eius, & comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ, & cibaria eius cibaria perpetua dabantur ei à Rege Babylonis.*

25. Quare si iam ephebus fuit atque adolescens Laborosoarchodus annis quinque post Euilmerodachi cædem nondum euolutis, Danielem ignorare non potuit, aliusque proinde nobis quærendus Baltassar, cui vasa sacra manibus impuris attrectanti manus hominis diras & comminationes in pariete scribentis apparuit. Qui vt Danielis notitiam haberet, à Regina (quam Iosephus auiam Baltassaris, Origenes matrem fuisse scribunt, vnde & nouit præterita, quæ Rex ignorabat, vt Hieronymus aduertit, & sanè coniugem non fuisse vel ex eo compertum est, quòd conuiuio Re-
Dan. 5. v. 3. gis vxores interfuerant, & concubinæ, hæc autem *pro re quæ acciderat Regi, & optima-*
v. 10. *tibus eius, domum conuiuij ingressa est*) à
v. 13 & 16 Regina inquam, de Daniele debuit admoneri; & introductum ad se Prophetam vt sibi priùs ignotum his verbis affatus est. *Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ: quem adduxerat pater meus de Iudæa? &c. porro ego audiui de te quòd possis obscura interpretari, & ligata dissoluere.*

26. Igitur vt, subductis omnibus de integro rationem ineamus, Laborosoarchodus si adhuc impubes erat & minor annis quatuordecim neque secundum suam bibens ætatem factus est temulentus, neque iam vxores habuit & concubinas. si iam ephebus erat aut adolescens, Danielem ignorare non potuit. Baltassar autem & ad temulentiam bibit, & habuit vxores atque concubinas, & Danielem minimè norat, priusquam à matre sua moneretur. Quæ omnia cum in Laborosoarchodum quadrare non possunt, tum in Nabonidum mirificè conueniunt, qui & anno post Nabuchodonosori mortem vicesimo quarto subactus est, iuxta Berosum, & matrem habuit prudentissimam nomine Nitocrim iuxta Herodotum, & inter scyphos ac lances occisus est, iuxta Xenophontem.

27. Quid quòd de Nabuchodonosoro eiusque posteris alius Propheta vaticinium in hæc verba pronuntiat? *Et seruient ei gentes multæ, & filio eius, & filio filij eius: donec veniat tempus terræ eius, & ipsius.* Euilmerodachum Nabuchodonosori filium fuisse cùm scriptura non obscurè significat, tum apertè Berosus, Megasthenes & alij prodiderunt: sed velim Scaliger vti mihi respondeat, quis tandem è Nabuchodonosori stirpe per filium propagatus Babylonijs imperarit, Neriglissarus? hunc quidem, ait Iosephus, Euilmerodaci filium fuisse: sed eum etiam aduersarij nobiscum non illius filium, sed κηδεστὴν affinem, ac sororis maritum fuisse tum Berosi, tum Megasthenis authoritate defendunt, & Iosephum oscitantiæ non mediocris accusant, quòd eorum ipsorum scita rescindat, quorum poruit atque adeo debuit vestigia sectari. Laborosoarchodus? At is non à Nabuchodonosori filio, sed à genero propagatus est. De matre incertum. Quamuis etiamsi hunc cum Scaligero Neriglissari & Nitocridis Nabuchodonosori filiæ sobolem esse faciamus, in eandem difficultatem semper nostra reuoluetur oratio. Quæretur enim quis fuerit ille filij filius qui regni Babylonici, donec veniret tempus eius, gubernacula tractauit. Ierem. cap. 27. v. 7.

28. Aiunt vocem בן pro filia, id est, prole simpliciter vsurpari. Latè enim interdum accipi, vt generum etiam significet 1. Reg. 24. 17. Quare hoc vnum Ieremiam voluisse: Nabuchodonosori posteros vsque ad nepotem regnaturos esse, quem filij, id est filiæ, vel generi filium appellat. Audio, sed velim aliquod proferant vtriusque significationis exemplum. Etsi enim per syllepsin siue conceptionem generum, vt Grammatici loquuntur, Hebræi vocem hanc indiscriminatim, vt Latini *liberos*,

Græci τοὺς παῖδας pro ſexus vtriuſque ſobole, numero multitudinis vſurpant, vbi tamen de filia ſexuque ſequiore loquuntur, nuſquam vſurpati reperies. niſi ſi fortè placet de vno Geneſ. loco tricari, cap. 49. verſ. 22. *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens* בן פרת quod alii *filius fructeſcens*, alii *filius fructificationis*, alii *ramus fructificans*, alii *filius ramoſæ arboris*, alii aliter tranſtulerunt, & occaſione vnius puncti Maſorethis paſſim inter ſe Rabbini velitantur, plures tamen R. Kimhi reprehendunt, quòd hoc teſtimonio בן pro filia ſumi crediderit.

Vid. Pagninum in Theſauro בן

29. At certiora, credo, pro ſignificatione *generi* ſcripturæ teſtimonia proferentur. Equidem nullum inuenio præter vnum Buxtorfium qui ſignificationem hãc in ſuis gloſſariis indicarit. neq; aliud tamen affert præter eam ipſam authoritatẽ, quam aduerſarii è 1. Reg. c. 24. v. 17. protulerũt vbi cùm Dauid ad necem quæſitus Saulem in ſpelunca deprehenſum impune potuiſſet occidere, nec vltrà progreſſus fuiſſet quàm vt clam abſcinderet oram regii paludamenti, oſtenſáque procul laciniâ tum alia dixiſſet ad mitigandum Regem aptiſſima, tùm illud imprimis: *Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.* ita Regis animum vox perculſit, vt *ſingultu medios impediente ſonos, in has voces erumperet: Nunquid hæc vox tua eſt, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocẽ ſuam, & fleuit. Dixitque ad Dauid, iuſtior tu es, quam ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.* Quibus verbis quis non obſeruat blandientis affectu filium ὑποκοριστικῶς nominari? qua voce quilibet grandis natu accepto tanto beneficio iuuenem compellaſſet, etiamſi nulla interceſſiſſet affinitas.

Verſ. 15.

20. Atque hęc ſunt, vt arbitror omnia quibus aduerſarij ſuam illam interpretationem adſtruere moliuntur, niſi tibi quid aliud occurrit Theocrite, quo labantem opinionem tuam velut adminiculo nouo ſuffulcias. THEOCR. Mihi verò nihil aliud occurrit, Peregrine, niſi quòd pro nobis reſpondet Hieronymus filij vocem propria ſtrictáque ſignificatione non ſemper accipi: atque ipſe quidem filiũ dici Baltaſſarem pro eo quod eſt pronepos exiſtimat, nos filium appellari eum qui ſit gener, vel filij vocabulo filiam quoque cenſeri non abſurdè defendimus. PEREGR. Vide quantum inter te & Hieronymum interſit. ille ſcripturæ conſuetudine proauos & maiores ait patres vocari: filios autem nepotes & poſteros; quantumuis longa maiorum ſerie genus à ſtirpis authore deduxerint: quæ vocabulorum acceptio ſexcentis poteſt ſcripturæ teſtimoniis comprobari: vt cum Hebræi Abraham paſſim patrem ſuum, ſe Abrahæ filios appellant: tu filij nomine filiam aut etiam generum indigitas, cuius acceptionis certum in vniuerſa ſcriptura non potes inuenire veſtigium.

31. Quamuis etiamſi vnum vel alterum, eiuſmodi teſtimonium inuenires, non ideo tamen ſine grauiſſima cauſſa, ſcripturæ verba contra tot Patrum authoritatem à communi ſignificatione detorquere deberes. *filius accreſcens Ioſeph*, plerique ramum fructeſcentem vel filium ramoſæ arboris interpretantur, & aliis confirmant exemplis: Diſcipuli vocantur filij prophetarum, filii nuptiarum qui nuptiis interſunt: filii ſeculi negotiis ſecularibus implicati, Ionas cap. 4. v. 10. ederam ſiue cucurbitam vna nocte natam, noctis filiam, Ieremias ſagittas filias pharetræ, Iſaias frumenta & paleam filios areæ nominauit. Quæ cùm certiſſima ſint, nihilo tamen ſeciùs ſi quis ad eiuſmodi ſignificationes receptum habeat, omnium auribus reſpuetur: tu cùm certi nihil adferas, cùm nullo ſcripturæ teſtimonio probare poſſis filii vocem pro filia vel genero citra controuerſiam vſurpari, contra Patres omnes quotquot ante Scaligerum quæſtionem hanc primis quindecim Eccleſiæ ſeculis attigerunt, audebis ad huiuſmodi notiones apertam prophetiæ torquere ſententiam?

Filius apud Hebr. multa ſignificat.

Ierem. lamentat. 5. v. 13.
Iſa. cap. 21. v. 9.

32. Quid quòd quantumuis filii vocabulo filiam, vel generum interpretere, ſemper tamen prophetia vim ſuam obtinebit, & quærendus erit aliquis Laboroſoarchodo poſterior è Nabuchodonoſoro propagatus, in quo Babyloniorum regnum defecerit. *Seruient*, inquit, *ei*, (videlicet Nabuchodonoſoro) *gentes multæ, & filio eius, & filio filij eius.* Quamdiu vero ſeruient, huic Nabuchodonoſori nepoti? *donec veniat tempus terræ eius.* Quid porro illud? Donec Babyloniorum euertatur Imperium: donec Babylon à Medis Perſiſque capiatur. At Laboroſoarchodus annis omnino ſeptemdecim ante captam Babylonem occiſus eſt, neque ſeruierunt ei gentes, donec veniret tempus terræ eius, vt & propheta vaticinatur; vt Beroſus ac Megaſthenes litteris prodiderunt. Non eſt igitur Rex ille Chaldæorum è Nabuchodonoſori ſtirpe poſtremus.

V. *De Dario Medo digreſsio ad Scaligerum.*

33. HActenus è ſcriptura demonſtratum eſt alium eſſe Danielis Bal-

tassarē, alium Berosi Laborosoarchodum, restat vt paucis ostendam eum non esse Darium Medum quem Nabonidum siue Nabannidochum, Berosus & Megasthenes nominarunt. Cuius rei probationem facile est è dictis accersere. Darius Medus à Nabuchodonosoro propagatus non fuit, vt aduersarii farentur, sed ei proximè successit, qui postremus ex illius stirpe Babylonis imperauit: & quidem imperauit quamdiu stetit imperium, eique gentes seruierunt, donec veniret tempus eius, & Babylon à Medis Persisque caperetur. Quare cùm in Nabonido Chaldææ regnum defecerit, eúmque proinde necesse sit ad Nabuchodonosori stirpem pertinere, vt Ieremiæ vaticinatio suum exitum sortiatur, non potest vnus & idem esse Darius Danielis & Berosi Nabonidus. Quid? quod Nabonidus Babylonius fuit, vt concepta Berosi verba restantur, Darius autem Medus, & de semine Medorum, & filius Assueri. Quo nomine quotusquisque alium quàm Mediæ Regem intelligit? illum opinor, Nabuchodonosori socium & fœderatum, de quo extremis Tobiæ verbis in græc. codic. hęc leguntur, *Et audiuit priusquam moreretur, destructionem Niniues, quam cepit Nabuchodonosor & Assuerus.* quem Ctesias & Diodorus Astibaram, Herodotus Cyaxarem appellat, & Alexander Polyhistor apud Eusebium libr. 9. περὶ Ἰουδαίων exeunte, Nabuchodonosoro Ierosolymam obsidenti suppetias misisse significat, vt hoc etiam Scaliger confitetur qui Nabonidum siue Labynetum aduenam, & ex Medorum Regum stirpe tradit oriundum. Cur igitur Berosi nobis authoritatem obtendit? cur aures nostras Berosi nomine circumsonat? Regnum, inquit Berosus, Babylonii Proceres, Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος, *Nabonido cuidam è Babylonis tradiderunt.* Quid Scaliger? Nabonidum aduenam fuisse defendit.

34. Hic mihi temperare non possum quin ἄνθρωπον, κενῆς οἰήσεως ἔμπλεον ἀσκόν, hominem vel potiùs vtrem vana sui existimatione turgentem paucis conueniam. In quo tamen temperandum orationi meæ, ne, quod aiunt, per eius latus homines tum amicissimi doctissimique, tum modestissimi saucientur. Ad quos tamen si reprehensionis meæ tela in Scaligerum coniecta peruenirent, non putarem amicitiam esse violatam. Nam & fieri potest, quod ab Augustino petebat Hieronymus, vt *in scripturarum campo sine nostro inuicem dolore ludamus*, & vt monet Latinus Philosophus, (Cic. 1. de finibus.) *Dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ, maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationésque in disputando pertinaces, indignæ philosophia mihi videri solent.* Néque enim sine disputatione verum inueniri, *neque disputari sine reprehensione, neccum iracundia aut pertinacia rectè disputari potest.*

35. *Laborosardach*, inquit, *erat filius Neriglissaris & Nitocridis filiæ Nabuchodonosori.* (Lib. 6. de emend. temp. pag. 277.) Magna sane confidentia, sed rationem, si placet, audiamus: *Nam falsò Herodotus scribit vltimum Regem Labynitum esse Labyniti magni filium, cùm Labynitus vltimus fuerit aduena.* Cumque nihil, nihil, inquam omnino præter confidentiam & supercilium ad eius rei probationem attulisset, nihilque dixisset aliud quàm Nabuchodonosorum esse ipsum illum qui Labynetus magnus ab Herodoto nominatur, adiecit. *Cùm igitur Laborosardach, vt ex Beroso & Megasthene constat, sit nepos Nabuchodonosori ex filia Nitocride, equidem satis mirari non possum eos qui difficile concoquunt eundem fuisse Laborosardach cum Baltassare.* Constat? vnde? quibus indiciis? quo argumento? quo facti vestigio? Sed hæc à Restituto nostro diligentiùs enucleata relinquamus, ne ferram, quod aiunt, per eandem lineam reciprocare videamur. illud interim ab ipso bonâ veniâ sciscitabor illud *igitur* siue ratiocinationis complexionem quibus è præmissis deduxerit. Quod verbum protulerit, vnde colligi potuerit id quod sibi persuadet, & nobis intrudere conatur, ex antiquis illis constare scriptoribus. vbi apud eos Nitocridis nomen, quam Nabuchodonosori siue Labyneti non filiam sed coniugem fuisse testatur ille ipse, ex quo vno scire nomen potuit Herodotus? *Satis*, inquit, *mirari non possum.* Mirum quidem illud Scaligerum qui suo iudicio nihil ignoret, aliquid admirari, & quidem eo libro cui titulum Opus novum, absolutum, perfectum, in ipsa fronte præfixerit. (Scaligeri confidentia.) Miratur tamen. Quid? eorum infirmitatem stomachi, *qui difficilè concoquunt, eundem esse Laborosardach cum Baltassare.* Sed ipse viderit an facilè concoquere possit eas rationes quas superiùs obiecimus.

36. Mox vbi probasset vnam & eandem personam duobus interdum indigitari nominibus, & contra Berosum quem interpretatione adiuuare se profitetur, re tamen ipsa confutat, ostendisset, vt potuit, adolescentem fuisse quem ille puerum appellat, pluribus annis imperasse cuius imperium nouem mensibus ille circumscribit, quasi confectò negotio planè demonstrasset Laborosardach eundem esse cum Baltassa-

ro, confidenter ista subtexuit. *Si Nabonidus successit Baltassaro, de quo dubitari non potest, profectò Nabonidus est idem cum Dario Medo, quem Baltassaro successisse proditum à Daniele.* Quid deinde? quid expectatis? nisi vt in Iosephum, Hieronymum, Theodoretum eos denique omnes qui Darium Medum cum Cyro Babylonem expugnasse censuerunt, quos nationem Chronologorum contemptim appellat, paucis inuectus, ne si eorum commenta referre velit, non solùm oleum & operam, vt est in prouerbio, sed etiam chartam perdidisse videatur; Quid, inquam, aliud expectaris nisi, vt altero, vt ait ille, ad frontem sublato: altero ad mentum depresso supercilio grauiter & sedatè subnectat? *Vt igitur omnes, quantum Chronologorum est, resipiscant, ego aio Darium Medum non vi regnum innasisse, vt volunt isti, contrà quàm à Daniele proditum est; sed à populo Regem creatum fuisse.* Expectaris fortasse dum exclamem, ô temeritatem! ô confidentiam! ô petulantiam! ô impotentiam animi! Scaligero οὔ τι πόσον νεμεσίζομαι, οὐδὲ χολοῦμαι, vt ait Homericus
Iliados 9. ille Iupiter assiduis vxoris suæ rixis & iurgiis assuetus. Ad ista nostræ iampridem occalluerunt aures. Quis enim rugienti leoni, lupo vlulanti, tauro mugienti, agno balanti, gallinæ glocitanti, pullo pipilanti, Scaligero denique Scaligerizāri succesēat?

37. Quid si libertatem orationis ipsa rei veritate & probationis vtilitate compensat? eum igitur audiamus. *Quis vnquam veterum*
Pag. 278. *fecit huius Dary mentionem, præter Danielem?* Si veterum nemo Darij meminit, Darius profectò non erit ille Nabonidus siue Labynetus, de quo Berosus, Megasthenes, Herodotus faciunt mentionem. *Ex Daniele igitur*, inquit, *non ex Chronologorum libidine verum hauriendum.* Si qui res Darij Medi gestas ab vno Daniele posteritati mandatas, vel Astyagi, vel Cyaxari Xenophontis accommodant, è sua libidine verum indagant, quid ipso Scaligero faciemus, qui Darium hunc eum esse defendit quem Nabonidum Berosus & Megasthenes appellant? cur fontes quos sibi ipse patefecit, vult aliis occludere? Sed alij videlicet nugantur, & somnia sua scripturæ verbis affigunt: vnus post homines natos inuentus est Scaliger qui Propheticæ vocis adyta penetraret. *Si igitur*, inquit, *Daniel scripsit illum Darium à populo vel à proceribus Babyloniæ regnum traditum accepisse, non vi & armis illo potitum fuisse, caussæ non est quin parum cautè videantur, qui aliter prodiderunt.* Magnam quidem à nobis inierit gratiam, si re ipsa præstiterit quod verbis adeo liberaliter pollicetur.

38. Sed videte, fultis, hominis argutiam. Cùm ad dicti sui probationem illum Danielis versiculum adhiberet, *Et Darius Medus successit in regnum*, totamque rationis suæ vim poneret in vna dictione קבל *cabbel* parum habuit Chaldaicè totam proferre clausulam, nisi nouam translationem è suo cerebro procuderet. Latinam fortasse? imo Græcam. Græcam, vt profanum vulgus arceat à suis mysteriis. Nouam, vt aliquid supra veteres interpretes iam inde ab Ecclesiæ nascentis initio receptos sapere videatur. Et quoniam maior in occulto reuerentia, & oracula obscurioribus verbis aut sententiis inuoluta sunt augustiora, Latinam interpretationem non attexit vt fucum faciat imperitis. Sed vos interim dum eius dictis animum aduertimus,

Partem aliquam venti diuûm referatis ad aures.

Obsecro vos, inquit, *an in verbo & ἀναδέχεσθαι* (sic enim interpretatus est illud *cabbel*) *est vlla vis armata, aut inuasio impery? Quid aliud sentit Daniel, quàm Darium Medum, populo Babylonio tradente, regnum suscepisse? Mirum tot millia interpretum vnius verbi notione perperam explicatâ, adeo aliena ab historiæ fide pronunciasse.* At ego te vicissim obsecro, mi Scaliger, an in verbo ἀναδέχεσθαι, vel παρέλαβεν, vt habet vetus editio, est vlla suffragatio populi vel Senatus authoritas imperium deferentis. Verbum קבל est simpliciter accipere, à volentibus an ab inuitis nihil attinet ad notitiam. Nisi quia ponitur in coniugatione haddagus, quæ vim quandam & impetum radicis significationi superaddit, & eadem planè dictio frequenter, *ex aduerso, è regione*, significat, quandam oppositionem, & Babyloniorum coactionem inuoluit, Quid? quòd Ezechiel c. 26. v. 9. in re bellica & vrbis expugnatione pro tormento militari vocem vsurpat? ומחי קבליו. quæ verba Hieronymus *& vineas & arietes*, Chaldaicus paraphrastes *& percussionem* מנחותי *tormentorum suorum*, Vatablus *tormentum feriendi*, Pagninus, *ictum catapultæ suæ*, alij *helepolim* transtulerunt. Septuaginta τὰς λόγχας αὐτοῦ *lanceas suas*, quæ omnia, nisi sentit aliud Scaliger, videntur potiùs ad vim armatam quàm ad liberam populi suffragationem pertinere

39. Tamen quasi iam confecto negotio

Perambularet astra sidus aureum,

& in concilio Deorum ita loqueretur,

Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι:

Dÿque Deæque omnes animos adhibete loquenti,

Ista

Ista continuò subiecit: *Ac quamuis hoc satis est ad eorũ sententiam infirmandã, tamen producam iterũ locum ex Daniele, quo fiet vt si per ingenium & naturam illis mutare sententiam non licet, saltem pertinaciã suam eo multũ labefactũ esse fateantur.* Μορμολύκεια sunt hęc & terriculamenta puerorũ. Cùm in hac sententia: *In anno primo Darij filij Assueri de genere Medorũ, qui imperauit super regnũ Chaldæorũ,* vnicum verbũ המלך *homlac* expendat, in eóq; vim omnẽ probationis suæ cõstituat, omnia refert Hebraicè quibus & Gręcã interpretationẽ suis verbis cõceptam annectit, & pro eo quod Hier. *imperauit*, lxx. interpr. ἐβασίλευσε trãstulerunt: *En*, inquit, βασιλεὺς ἀνεδείχθη, *vel vno verbo* ἐβασιλεύθη *excludit omnem vim armatã.* Ita nimirum Gręcis Hebraicisq; verbis quasi prestigiis quibusdã imperitorũ animos effascinat. Quis enim dubitet ei fidẽ adhibere qui tã doctus est vt bene lõgas periodos adferat Hebraicè conceptas, Latinã interpretationẽ fastidiat, imò Græcã veterem respuat, nec vllã admittat nisi quam ipse Gręcis verbis suomet ingenio fabricarit? *Itaq; velint, nolint ij qui aliter senserint, Darius in illo interregno quod eadem Beltschatzari secutum est, creatus Rex est siue populi suffragiis, siue procerũ factione.* Sed bene habet, quòd verbũ המלך est in coniugatione hophal, vt appellãt, ac proinde ex omniũ Grãmaticorum obseruationibus aliud est nihil quam præfici ad regnandum, siue ad regnum promoueri, vtrũ autem à Babylonijs siue populi suffragio siue optimatium factione promotus fuerit, vt ait Scaliger, an, vt alij defendunt, à Medis Persisque victoribus, velim ostendat, ex hoc loco qui tandem hariolari potuerit.

Dan 9. v. 1.

40. Cedo, quid postea? *Quid si probauero*, inquit, *cum in quem cũ exercitu venit Cyrus, cognominatũ fuisse Medem, aut Medũ? nã idẽ est. Nõ est post hoc vt illi pertinaciæ sit locus. Quid dignũ tanto dabit hic promissor hiatu?* Adfert ex Euseb. lib. 9. προπαρ. exeunte bene longũ Megasthenis fragmentum, è quo visum est ea duntaxat quæ ad rem nostram faciunt, excerpere. Nabuchodonosor diuino spiritu concitatus, ita vaticinatur. Ἥξει Πέρσης ἡμίονος. *Veniet Persa mulus*; & quidem de Cyro bene Scaliger interpretatur ex oraculo

Ἀλλ᾽ ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται.

Medorum regnum mulus cum Persa tenebit.

Apud Herodot. li 1.

Quia videlicet vt ex equis & asinis muli nascuntur, ita Cyrus genus paternũ ad Persas, ad Medos maternum referebat. Pergit Nabuchodonosor prędicere cladem à Cyro Babyloniis imminentem, ἐπάξει δουλοσύνην, *seruitutem adducet*, ᾧ δὴ συναίτιος ἔσται, Μήδης τὸ Ἀσσύριον αὔχημα, *cuius cõcaussa siue coadiutor erit Medes Assyriorũ gloriatio*: cui mox diras his verbis interpretatur, ὡς εἴθε μιν πρόσθεν, ἢ δοῦναι τοὺς πολιήτας χάρυβδίν τινα ἢ θάλασσαν ἀναδεξαμένην ἀϊστῶσαι πρόρριζον, *quem vtinam, priusquam ciues dedisset, Charybdis aliqua vel mare absorbens funditus sustulisset.* Hunc Medem interpretatur Nabonidũ Ἀσσύριον αὔχημα, quòd & Assyrii & Babylonii in eo spes ac præsidia omnia sita haberent, vnde ei vltro regnum obtulerunt. Tandem aliquid inuentum quod etsi non valdè probabiliter, non admodum tamen ineptè confingeret.

41. Sed ad sequentia veniamus. *Quòd igitur*, inquit, *ciues hosti diripiendos propinauerit*, Nabonidus, *author etiã Berosus, scribens, eum Babylonem omni præsidio destitutã oppugnanti Cyro reliquisse, atque in munitissimũ oppidum Borsippenorũ se recepisse.* Imò verò si Berosum audimus, adeo ciues suos non prodit Nabonidus, vt Cyro impressionẽ in Babyloniã facienti armatus occurrerit, signa contulerit, manus cõseruerit, ad extremũ acie profligatus victus cũ paucis in Borsippenorum vrbem confugerit. Quib. rebus gestis dici profectò nõ potest aut suos hosti prodidisse ciues, aut Cyro συναίτιος & coadiuua fuisse Babylonicę seruitutis: neq; dignus fuit quem Nabuchodonosor diuino instinctu ob proditionẽ desigeret & diris omnibus deuoueret: cur igitur hunc Medem ciuium proditorẽ potius interpretemur esse Nabonidũ, quã vel Gorgiam vel Gadatam Assyrios potentissimos, qui, vt narrat Xenophõ lib. 4. exeunte, & lib. 5. paulo post initium, ad Cyrum defecerunt, arces munitissimas, quas habebant, ei tradiderunt, commeatum & arma præbuerunt, Babylonem cum primis ingressi sunt, regiam obsederunt, & Regem ipsum in conuiuio trucidarunt? Quod si Darium Medum vel Astyagem interpretemur cũ Theodoreto, vel Cyaxarem cũ Iosepho & Hieron qui ad obsidẽdã Babylonem Cyro Medos ciues vtiq; suos dederint, illud, credo, vaticinium de his Persarũ Regib. habebit admodũ difficiles explicatus. Quasi verò rex Medorũ, qui suas olim cũ Nabuchodonosoro vires coniunxerat, & cum eo multas gentes subegerat, dici non potuerit Ἀσσύριον αὔχημα, quãdiu Babylonii de tãti regis socii ac fœderati potẽtia gloriari potuerunt, certè is ipse locus Isaiæ quẽ profert Scaliger, *& timebũt, & confundentur ab Aethiopia spe sua, & ab Aegypto gloria sua*, manifestè de populis sociis & fœderatis in quib. Iudæi fiduciam habebant, debet intelligi. Sed iam si placet ad institutum, redeamus, Scaligerum valere iubeamus, & omissis personis, *res*, vt ait nobilis Orator, *cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione confligat.*

VI. *Probatur Darium Medum Danielis non esse Nabonidum siue Labynetum.*

42. Quæritur vtrùm Darius Medus ille sit qui Nabonidus à Beroso nuncupatur. Eundem non esse licet non paucis odorari vestigiis. Nabonidus donec veniret tempus terræ eius, & Babylon à Cyro ca-

peretur, regni Babylonici gubernacula tractauit, vt Berosus & Megasthenes prodiderunt, ac proinde necesse est ad implendũ Ieremiæ vaticinium vt fuerit à Nabuchodonosoro propagatus, quod neque negant illi, & Xenophon Herodotusq; testãtur. Darius autem Medus ei proximè successit qui postremus è Nabuchodonosori familia Babyloniis imperauit. Nabonidus Babylonius fuit, vt è Beroso compertũ est, Darius Medus fuit, & quidem filius Assueri, vt disertis verbis proditũ à Daniele. Nęq; satisfaciunt argumẽto qui natũ quidem Babylone fuisse dicunt, sed à Medis oriundum, quia maiores eius, vel potiùs pater è Media profugus Babylone consederat. Nã & Assuerus regium nomen est, vt apparet, & ipse Scaliger hũc Assuerũ Darii patrem Mediæ regem fuisse cõfitetur, & nihil minus est Philosophi quã id asserere, quod si verbo negauerit aduersarius, vlteriùs progredi non possit, & saltem exiguã dictorum afferre rationem. Imò, inquiũt, verisimilẽ coniecturã habemus. Berosus Nabuchodonosori coniugẽ Medã fuisse scribit: in cuius gratiam, quòd in mõtana regione nata educatáq; foret, mõtiũ syluarũq; in regia similitudinẽ admirãdis illis hortorũ pensilium operibus expressit: est igitur haud absimile vero per idem tempus cum Regina Medos quoq; principes aliquot se in Babyloniam infudisse, inter quos fuerit sanè Darii Medi pater Assuerus; qui filium Babylone genuerit, Medum proptereà cognominatũ.

43. Iam quidem postquam à Scaligero discessimus, inuentum aliquid vnde non inepta suspicio duceretur. Huic tamẽ videtur ipsa tẽporũ ratio non mediocriter refragari. Etsi enim in tẽpore captæ Babylonis secum ipse gnat Scaliger, vt Petauius noster egregiè demõstrat lib. 10. de doct. tẽp. c. 12. Constãtius tamen affirmat adstipulãte Petauio, anno periodi Iulianę circiter 4175. Olymp. 60. secũdo, siue Iphiti 238. regni Persici 22. Cyrũ Babyloniis subactis victóq; Nabonido nouam Monarchiam condidisse. A quibus si annos 17. ante captam Babylonem Nabonido subduxeris, inuenies eum anno Olymp. 55. 3. vel 4. regni Babylonici gubernaculis admotum, quo tẽpore si Darius Medus is fuit, vt aduersarii defendũt, iam ad annum ætatis secundũ & sexagesimum peruenerat. Quos annos duos & sexaginta, siue Olymp. 15. solidas cum dimidia, si rursum ab Olympiadibus 55. deduxeris Darii Medi natalem Olymp. 39. deprehendes. Iam scribit Herod. lib. 1. bellũ inter Alyattẽ Lydiæ, & Cyaxarẽ Medię Regẽ exarsisse: anno deniq; 6. cùm iam collatis signis dimicarent, repentina solis defectione perterritos à pugna destitisse: donec Syennensis Cilicis, & Labyneti Babylonii, quem Nabuchodonosorũ esse liquet, opera cõciliati pacem & concordiã nuptiarum fœdere sanxerunt, Arienne Alyattis, filia Astyagis Cyaxaris filio in coniugiu data, *ἄνευ γὰρ ἀναγκαίης ἰσχυρῆς συμβάσιες ἰσχυραὶ οὐκ ἐθέλουσι συμμένειν. Nã sine magna necessitudine magnæ cõuentiones diu stabiles esse non possunt.* Viderint quorũ interest vtrùm & ego non improbabiliter suspicari possim eodem tẽpore Nabuchodonosori coniugísq; Medę matrimonium contigisse. Neq; enim adeo sui fuerũt obliti Cilix & Babylonius vt vicinos Reges, & quidẽ admodũ potentes affinitate coniungerent eosdẽ nulla sibi necessitudine deuincirent. Hanc porro solis obscurationẽ Scaliger etsi parũ sibi cõstat in Olymp. 48. aut 49. Petauius in 45. alii in alia tẽpora contulerũt: hactenus tamen inuẽtus est nemo qui infra 43. submoueret. E quibus efficitur Darium Medũ multis priùs annis editũ fuisse quã Nabuchodonosor sibi Medã vxorẽ adsciscerer, ac proinde Babylonium dici non posse quòd Babylone susceptus fuerit ab Assuero patre, postquam is Reginam è Media comitatus ea in vrbe rerum suarum domicilium collocarat. Sed huiusmodi coniecturis nihil affirmo, mihi satis est clauum, quod aiunt, clauo trudere, & suspicionem suspicione conuellere.

44. Tradit Herodotus Nitocrim Labyneti prioris coniugẽ, posterioris matrem (mallem auiam dixisset) cũ animaduerteret Medorũ potentiã expugnata Nino subactísq; vicinis regionib. magis & magis in dies augeri, eorũ metu regnũ mirandis operibus munisse. Eufratem qui prius mediam Babylonem interfluẽs recto ferebatur alueo, fossis deductis, ita flexuosum reddidisse, vt quemdã Assyrię pagum, nomine Ardericam ter influeret, vt qui per Eufratẽ è mari Babylonem subuehebãtur, ter ad hũc eundem pagũ dieb. tribus applicarẽt, aggerẽ ex vtroq; fluminis labro mirãdæ magnitudinis & sublimitatis extruxisse, qua parte aditus erat, & cõpendiaria ex Medis via, hãc munitionib. intersepsisse, ne Medi cõmercio Asyriorũ ipsius negotia cognoscerẽt. Quisquámne sibi persuadere poterit eo ipso tempore quo iã Medi vix ab inuadendis Babyloniis hiantę atq; imminentẽ cupiditatẽ abstinebãt, & illi Medorũ potentiã crescentẽ in dies quasi securim suis ceruicibus intẽtam ita perhorrescebãt, vt interclusis aditib. eos à regni finibus arcerent, & quã poterãt lõgissimè submouerent: quis, inquã, sibi persuadere poterit Babylonios, ita vecordes, ita cæcos, ita consiliorum omnium præcipites ac deuios fuisse, vt eo tẽpore liberis suffragiis Datiũ Medũ, de genere Medorũ, & quidẽ Asueri filiũ regni Babylonici gubernaculis admouerẽt?

45. Venio nunc ad illã coniecturam quã friuolam & nugatoriam Scaliger appellat. *In*

anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnū Chaldæorum, anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerū annorū, de quo factus eſt ſermo Domini ad Ierem. Prophetā, vt complerentur deſolationis Ieruſalem 70. anni. Vbi, quāuis anni numerus vel potiùs vnitas in codicibus Hebraicis eadem voce אחת *ahat*, vel *achat*, vtrobique concepta reperitur, tamen temerarium non eſt quod 70. ſeniores & Latinus interpres priore loco, ἐν ἔτει πρώτῳ. *in anno primo*, poſteriore ἐν ἔτει ἑνὶ, *anno vno*, trāſtulerūt, quaſi ſignificare voluerint hunc annū reuera vnū fuiſſe, vt primaria vocis Hebrææ norio poſtulat, nec eo ſenſu primū dici quaſi hunc alii deinceps exceperint, ſed hominū conſuetudine qui boni ominis cauſsâ, primos Regū annos appellant, & quāuis incōpertū habeāt futurū, plures tamē ſecuturos hac appellatione præſagiunt. Scio אחד *ahad* nōnunquā ſic vſurpari vt ex eo tanquā à cap. numerorū deinceps affluentium ſeries ordinetur, vt initio Gen. v. 5. *Factumq; eſt veſpere & mane dies vnus.* Primaria tamen, vt dixi ſignificatio eſt abſoluta, nec vllū numeri conſequētis ordinē inuoluit, ac proinde, quoties ſine abſurdo poſſumus, abſolutè debet intelligi. Vnde & ex hoc prophetæ loco Rabbini colligunt Dariū vno dūtaxat anno Babylonis imperaſſe, & Philo ac Ioſephus, maternæ linguæ non imperiti, quicquid obganniat Scaliger, quòd Moſes *vnum* potiùs quàm *primum* naſcentis mundi diem dixerit, non putant carere myſterio.

46. Quid quòd niſi ſignificare voluit annū duntaxat vnū Darii, hæc verba *anno vero regni eius*, quaſi laciniā inutilē otioſè ſuperioribus attexuit? Neq; enim propter modicam illā parentheſin, *qui imperauit ſuper regnū Chaldæorū*, ſentētia *verbis laſſas onerantibus aures*, erat admodū impedita, vt ad vitandā obſcuritatē ſuperiora ruſus inculcare deberet. Mēs igitur Danielis hæc fuit: *anno primo Darij*, ſiue, vt propriè ſonat Hebr. *anno vno Darij*, &c. *anno vno regni eius*, quaſi dicat, vno, inquā, illo anno, qui Darii regno ſolus illuxit. Quid illa quæ proximè ſequūtur? *Ego Daniel intellexi in libris numerū annorum de quo factus eſt ſermo Dom. ad Ierem. Prophetā vt cōplerentur deſolationis Ieruſalem 70. anni.* Quid aliud indicāt quā Dario regnū auſpicāte, proximū fuiſſe finē Babylonicæ ſeruitutis? Imò, inquiūt, nihil declarant aliud quā Daniel. habuiſſe in manib. volumen Ierem. & ex eius capit. 25. & 29 didiciſſe 70. annis definitū eſſe tēpus captiuitatis Iudaicæ. Atqui vt è Iere. c. 29. liquet, iā abducto Iechonia & Sedecia terū potiēte, diſertè ſcripſerat Ieremias non ſolū ad ſeniores, ſacerdotes & prophetas, ſed etiam ad omnē populū quem traduxerat Nabuchodonoſor de Ieruſalē in Babylonē, hæc inquā, diſertè conceptiſque verbis reſcripſerat: *Hæc dicit Dominus cū cœperint impleri in Babylone 70. anni, Viſitabo vos; & ſuſcitabo ſuper vos verbū meū bonū, vt reducam vos ad locū iſtū.* Quo tēpore Daniel iā eos in ſapientia progreſſus fecerat, vt eū non multis pòſt annis Deus adhiberet, cuius cōparatione Tyriorū Regis de ſua ſapientia gloriātis inſolētiā coerceret. *Ecce ſapientior eſ tu Daniele? omne ſecretū nō eſt abſcōditū à te.* Ezech 28 3

47. Quis porro dubiter hāc Ierem. prædictionem, quæ non ad vnius aut alterius vtilitarem, ſed ad totius populi poſtliminiū pertinebat, in omniū memoria ſic inſediſſe, ſic omniū vſurpatā eſſe ſermonib' vt eā paſtores in agris, opifices in officinis, doctores in exedris, omnes in circulis & cōuiuiis prędicarēt? Quid igitur? rē lippis, vt aiunt, notam & tonſoribus ſolus Daniel neſciebat? ſolus hoſpes erat in ciuitate? eius vnius peregrinabantur aures? nec per annos 40. quot minimū inter migrationē Iechoniæ & Nabonidi primordia fluxerūt, peruagatū hūc populi ſermonē acceperat? Vt anno deniq; Darii Medi primo intelligeret annos 70. Iudæorū fuiſſe poſtliminio cōſtitutos? Nō eſt omnino credibile. Quid igitur ſibi priùs ignotū intellexit? intellexit in libris ſiue in numerationibus (nā בספרים *baſpharim* vtrūq; ſignificat) numerum annorū vt cōplerentur 70. deſolationis anni, quod tēpus fuerat Ierem. vaticinio definitum: ſiue Daniel cū Ieremiæ volumen ſumpſiſſet in manus, & in cap. 25. & 29. incidiſſet, numerū annorū qui iam à captiuitatis initio fluxerant, diligenter ad calculos reuocauit, & intellexit annū exilii ſui 70. cœpiſſe cōpleri, vel ſaltem imminere. Quare veritus ne Deus populi ſceleribus infenſus illud exiliū prorogaret, tū ſua, tū populi peccata confeſſus eſt. Iā ſi anno Darii Medi primo finis Iudaicæ captiuitatis inſtabat, quę anno Cyri primo laxata eſt, neceſſe eſt vt Darius Med' vel Cyrus ipſe fuerit, vel ante Cyrū vno dūtaxat anno regnauerit: ac proinde Nabonid' eſſe non potuit, cuius anno 17. ſcribit Beroſus Cyrū Perſam bellū Babyloniis intuliſſe. Hæc eſt illa coniectura non improbabilis, vt arbitror, quam Scaliger ſeriò friuolam & nugatoriā, & εἰρωνικῶς, pulchrum cōmentum appellat; ſed nota ſunt hęc dira & ſonora Iouis criticorū fulmina, quæ nequicquā *Terrificāt animos, & inania murmura miſcēt.*

Baltaſſari, quem illi Laboroſoarchodū, nos Nabonidū ſiue Labynetū eſſe defendimus, Daniel interpretatur ſcripturā immiſſę man' articulo diuinitus exaratā, & in aduerſo pariete digeſtā. MANE *numerauit Deus regnū*

Dan. cap. 5. v. 27. 28. tuum, & compleuit illud. THECEL. Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. PHARES, diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Quid deinde? quem euentum hæc prophetæ vaticinatio sortietur? Eadem nocte interfectus est Baltassar
Vers. 30. Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum. Quæ quis non videt eo consilio narrari, vt ipso rerum euentu prophetiæ veritas comprobetur? Quis non aduertit, si modo nullis præiudiciis occupatus ad prophetæ lectionem accedat, nec Baltassari Chaldæorum imperium ita concidisse, & in partes duas esse diuisum, vt altera in Medorum, altera in Persarum ditionem concesserit? Quis non videt eum, ita patriæ ruinis inuolutum fuisse, vt eodem momēto, veniret tempus terræ eius, & tempus ipsius, vt Ierem. de Nabuchodonosori nepote per filium propagato longè ante prædixerat?

49. Aiunt ex iis Danielis verbis, diuisum est regnū tuum, & datum est Persis & Medis: rectè non colligi eadem nocte, qua Baltassar oppressus est, regnum in Persas esse diuisum: quia prophetæ, cùm futurum aliquid denuntiant, quo certissimè id euenturum esse significent, præsenti, aut etiam præterito tempore vti solent pro futuro. Et quasi vel quispiam neget, vel magni referat ad diiudicationem nostræ quæstionis, exemplum adferunt contra quod ne mutire quidem possimus, 1. Reg. 15. 28. cum Saül abeuntis cum indignatione Samuelis pallium scidisset, propheta hoc ad futuri signum trahens, Scidit, inquit, Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Si ex Danielis verbis narrationisq; contextu rectè colligitur eadem nocte qua Baltassar cæsus est, diuisum in Persas & Medos esse regnum, quoniam Propheta dixit: diuisum est regnum tuum, &c. eodē iure cōcludere licet eo ipso tēpore ac die, quo Saüli Samuel illa locutus est, Saülem mortuum esse ac regnare desiisse, Dauidémque successisse. Atqui nondum à Samuele designatus ad regnū Dauid ac perunctus fuerat. Videamus igitur quam bellè argumentatio ista procedat.

50. Ego verò si Samuelis prophetiæ subtexuisset hæc aut similia verba sacer historicus: Eodem die interfectus est Saul, & Dauid successit in regnum, dicerem eadem ipsa die qua Samuel ista prædixit, verè ac propriè regnum esse diuisum, eiúsque partē mansisse penes domū Saülis, partem ad Dauidem esse deuolutam, quemadmodum Saül palliū Samuelis verè propriéque disciderat. Quod & post Saülis obitum contigisse è 2. Regum c. 2. v. 10. planè cōpertum est. Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul cùm regnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnauit, sola autem domus Iuda sequebatur Dauid. Vt scisso pallio pars minor in manu Saülis scindentis hæserat, maior remanserat Samueli. Quare qui diuisionē regni sic interpretātur quasi Daniel aliud nihil quàm regnū, quod cum Baltassare coniunctum erat, separandū & auferendū ab eo prædixerit, quod ea separentur quæ inuicem cohærent, vti regnū cum Rege: suámque adeo sententiam Samuelis oratione confirmant, ne quis diuisū, id est, partitū in Medos ac Persas Baltassari regnū esse suspicetur, viderint quàm graues ob caussas à vera germanáque verborum significatione discedāt. Ego certè me rusticanum esse fateor, & cùm audio ligonem, ligonem, cum regnū diuisum, regnum diuisum, cùm datū Persis & Medis, Persis & Medis datū, vel prophetico more, diuidendum ac dandum interpretor. Quæ cum Baltassari calamitati cōnexa fuerint, Laborosoarchodo, cuius cædes annis 17. imperii Babylonici cladem antecessit, omnino cōuenire non possunt, in Nabonidum postremum Chaldææ Regem quadrent omnia, necesse est is Berosi Nabonidus, siue Labynetus Herodoti fuerit, qui Baltassar à Daniele nuncupatur: is autem Darius Medus qui proximè Labyneto successit, qui Cyrus fuerit an alius quispiam nondum pronuntio.

51. Sed quid opus est argumentis & signis indagare veritatem, cùm ipsa suo se splendore manifestet? Defendit Scaliger Darium Medum eundem esse cum Nabonido, qui per annos 17. antequam Cyrus Babylonem obsideret, stante Chaldæorum imperio, necdum ad Persas Medósque translato Babyloniis imperauit, ipsi Principes, Satrapæ, Magistratus & Iudices, qui sub Dario Medo floruerunt, se non Chaldæos & Babylonios, sed Medos & Persas appellant: ipse Darius fatetur se non è Chaldæorum institutis, sed è Medorū Persarúmq; legibus administrare Rempubl. Daniel. 6. v. 6. Principes & Satrapæ surrepserunt Regi & sic locuti sunt ei: Dare Rex, in æternum viue. Consilium inierant omnes principes regni tui, Magistratus, & Satrapæ, Senatores & Iudices, &c. Nunc ergo, Rex, confirma sententiam & scribe decretū, vt non immutetur quod statutum est à Medis & Persis, nec præuaricari cuiquam liceat, & paucis Vers. 8.
interiectis subnectitur. Ad quos respondens Rex ait: Verus est sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod præuaricari non liceat. Hoc igitur venit in quæstionem, hoc totius controuersiæ caput est, magísne sit audiendus Darius ipse cum suis Satrapis & principibus regni, an Scaliger è Concilio Deorum cum illo supercilio demissus in Vers. 12.

terras, vt μεγίστην θεὸν τὴν Ἀλήθειαν maximam Deam Veritatem tot retro seculis, vel longâ Patrum inscitiâ, vel interpretum calumniis oppressam è ruderibus antiquitatis euolueret, vt ipse, in illa coronide, quam è Polybii verbis operi nouo, absoluto, perfecto imposuit, non obscurè gloriatur.

VII. Recapitulatio.

52 RESTITVT. Video constare omnia. Laborosoarchodus nouê duntaxat mensibus imperauit: Baltassar ad annos plures imperium propagauit: ille puer occisus est, hic iam vir inter viros agebat, iam habebat vxores & cōcubinas: ille 17. minimùm annis ante finē imperii Babylonici de medio sublatus est, ac proinde non fuit ille Nabuchodonosori nepos, cui gentes donec veniret tēpus terræ eius, & tempus ipsius, seruierunt: Baltassar is est filius filii, cuius clades imperii Babylonici ruinis implicata prædicitur, ille vel à Nabuchodonosori stirpe fuit alienus, vel filius filiæ: hic filius filii nuncupatur. Alius igitur fuit Laborosoarchodus, alius Baltassar, ne si è duobus vnum conflare voluerimus, non Chaldææ Regē, sed monstrum quoddam è diuersis pugnantibúsque naturis constituere videamur. In Scaligero, quod quidē huc pertineat, nihil pręter pompam & supercilium, nihil præter conuicia, nihil præter bullas ampullásque verborū, vt non vir doctus cum viris eruditis certare (omitto dicere cū SS. Patrib.) sed vel pannucia Baucis discinctis vernis, ocyma cātare, vel Scaliger videri possit insultare furciferis.

53 Sed ad Baltassarem reuertor, cū in eodē & stirps Nabuchodonosori & regnū Chaldææ defecerint, is aurē, in quo Medis ac Persis impressionem faciētibus, defecit Babyloniæ regnū, Nabonidus à Beroso, Labynetus ab Herodoro nominetur, necesse est idē fuerit cū Nabonido siue Labyneto. Nō igitur Nabonidus idē est cū Dario Medo successore Baltassari, Darius genere Medus fuit, vt liquet è Daniele, Nabonidus Babylonius, vt cōstat è Beroso: Nabonido, qua tēpestate vel maximè suspecta Babylonius erat Medorum potentia, regnū Chaldęæ cōmissum est: non igitur is Medus fuit, & filius Assueri, ne lupo præclaro custodi dicamus oues esse concreditas. Darius, vt probabiliter è scriptura colligitur, vno dūtaxat regnauit anno: ille 17. Darius regnare occœpit imminente fine Iudaicæ seruitutis, Nabonidus annis pene 20. priusquā illa captiuitas à Cyro laxata est. Nabonido regnū auspicante, non est diuisum imperium, & datum Persis ac Medis: quod è scriptura post necem Baltassari, cùm Darius Medus successit in regnum, certum est cōtigisse. Darius se Medorū Persarúmq; legibus imperium administrare profitetur: ipsi Principes & regni Satrapæ se Persas & Medos appellant: quæ Nabonido regnique Chaldaici Proceribus, cùm adhuc illū stante Babyloniorum imperio suis legibus vterentur, quadrare ne Suadæ quidem peroranti concesserim. Alius igitur Darius Medus, alius Nabonidus, nisi si forte Theocritus noster nouis argumentis aliud persuadet.

VIII. Quantum vetustis authoribus tribuere debeant sacrorum librorum interpretes

54. THEOCRIT. Mihi verò noui nihil occurrit, Restitute. Nondū tamen ille mihi scrupulus exēptus est, qui ex argumento veteri penitus insedit, Baltassar eadē nocte qua profano conuiuio sacra vasa polluerat, interfectus est Babylone: Nabonidus, vt à Beroso & Megasthene proditum, regno exutus à Cyro reliquum vitę tēpus in prefectura Carmaniæ priuatus exegit. Baltassar igitur alius est à Nabonido. Memini quid respōderis: Duobus hisce grauissimis authorib. vnū opposuisti Xenophontē, qui postremū Chaldææ Regē, Medis ac Persis Babylonē occupātibus, in conuiuio cæsū esse testatur. Sed non video, pace tua dixerim, cur vnus duob. Xenophō Beroso, gręcus Chaldęo de reb. Chaldaicis scribenti prępōderet. REST. Videris echinū peperisse, Theocrite noster: adeo tuus te partus stimulat & pungit. Tuus, inquam, partus; hoc enim argumentū quod vnum videri possit aliquam veri speciē obtinere, non solum Scaliger, sed etiā Petauius noster omisit, responsionem tamen optimis sanè verbis conceptā, & rei, qua de nūc agitur, percommodā non omisit, nihil esse tricandum, si quid fortè Berosus vel minùs Danieli consentaneum, vel explicatu difficilius adspersent. Cedo, inquit, quàm voles grauē & accuratum è profanis historicū, qui eandē quæ in sacris libris prodita sit, rei gestę narrationem attigerit: neminem reperies qui non multa aliter atque in scripturis traduntur, identidē immisceat. Ea prudentes annalium conditores aut interpretes, quantum fas est, comiter interpretantur, & ad scripturæ sensum inflectere studēt: nec ipsi nisi manifestè pugnantia sint, damnare & falsitatis arguere solent. Cur non igitur idē in Beroso & Megasthene tētemus, antequam indictâ causâ censurâ nostrâ & sententiâ percellantur? Hæc ad verbum vir eruditus. Lib 10. de doct. temp. cap. 11.

55. Ac videsis quantum vel Berosi, vel Megasthenis authoritati tribuamus. Illi post Nabuchodonosorum ad finem imperii

Babylonici, Reges quatuor enumeraui. Ab iis impunè diſſidere poteramus, quòd Ieremias gentes filio eius, & filio filii eius, donec veniret tempus terræ illius ſeruituras eſſe denuntiarit, neque plures adiecerit, Reges tamen quatuor etiam ipſi numeramus, & ne Beroſum relinquere cogamur, ſic eũ Ierem. conciliandum putamus, vt Neriglissarus ac Laboroſoarchodus per quinquennium imperarint, quia tamen Neriglissarus regnum parricidio partum per tyrannidẽ occuparat, & ad filium ſuum iniuſtè tranſmiſerat, nullã Ieremias vtriuſque putarit habendã eſſe rationem, ſignificat Ieremias eum de Nabuchodonoſori ſtirpe propagatum fuiſſe, qui ad ſupremũ & decretorium imperii Babylonici diem Chaldæç principatum obtinuit: idem non tantùm ex Herodoto ac Xenophonte, ſed etiam è Daniele colligitur: eum Megaſthenes nihil ad Laboroſoarchodi ſtirpem pertinuiſſe ſignificat: Megaſthenẽ comiter interpretamur, & vt ille cum Beroſo prodidit, Laboroſoarchodũ à Nabuchodonoſori genero procreatum fuiſſe cõcedimus, ſed eum è Nabuchodonoſori filia ſuſceptum negamus, vt Nabonidum poſtremũ Chaldææ Regem cum Ieremia Nabuchodonoſori ex filio nepotem fuiſſe, & cũ Megaſthene nihil ad Laboroſoarchodum pertinuiſſe dicamus. Poſtremus Chaldææ Rex Baltaſſar, vt à Daniele proditum, interfectus eſt Babylone Medorum ac Perſarum armis occupata: Hũc in Carmaniç præfectura cõſenuiſſe Beroſus ac Megaſthenes tradiderunt. Eos, quia nulla interpretationũ comitate ſcripturæ conciliari poſſunt, hac in parte deſerimus, iiſque Xenophontem anteferendum putamus, quòd eius narratio magis cum ſcriptura conſentiat.

56. Neque præterea decidimus plúſne ſit in hoc quã in illis authoritatis atq; momẽti. Etſi noſtro iure dicere poteramus Xenophõtem non ſolùm Philoſophiæ ſtudiis, quibus ab ipſo Socrate fuerat inſtitutus, ſed etiã imperatoriis laudibus, quibus iã inde ab Olympiade 95. ſpectatus fuerat, & cæteris ingenii nobiliſſimi monumẽtis id conſecutũ videri, vt inter viros doctos aliquid fidei poruerit inuenire. In Beroſo præter Aſtronomiã nihil cõmendatione dignũ fuiſſe accepimus. Nã ſi de antiquitate, cuius in referẽdis rebus antiquis apex eſt authoritas, quæritur, ſuam de rebus Chaldaicis hiſtoriam Antiocho Syriæ Regi poſt Alexãdr. 3. nũcupauit, vt oratione contra Græcos author eſt Tatianus: is autẽ Olympiade 113. regnare occœpit: & Torniellus, Salianus, Petauius, Scaliger aliique non pauci Olympiade 60. putant à Cyro captam eſſe Babylonem, ac proinde vt à capta Babylone, ad Cyri iunioris ἀνάβασιν, cui Xenophon interfuit, Olympiades 35. ſic ad Antiochum illum à Cyri iunioris expeditione, Olympiades item 35. numerantur, vt quanto Nabonidi calamitate recentior fuit Xenophon, tanto Beroſo fuerit antiquior.

57. Quare vnum illud eius eleuat authoritatem quod initio dicebã, *Cyrus ille à Xenophõte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii*, fateor equidẽ, non eadẽ, qua pleriq; ſcriptores, animi inductione Xenophon animũ ad ſcribẽdã, hiſtoriã adiecit, vt nudam rerum geſtarũ ſeriem deſcriberet, ſed vt optimi principis delinearet imaginẽ, & in vna eadẽque perſona ſummã grauitatẽ cũ ſingulari comitate cõiungeret, & præclaris illis rerũ à Cyro geſtarũ exemplis crebras interſereret conciones ac præcepta, quibus principes ad iuſtũ imperium erudiret. Eum autem ſcientem & volentem eſſe mentitum ne Cicero quidem quantumuis grauis author mihi perſuaſerit, cum Xenophon ipſe ſe quę & ab aliis acceperat, & ipſe ſentiebat, de Cyro ſcripſiſſe fateatur, ὅσα οὖν, inquit, καὶ ἐπυθόμεθα, καὶ ᾐσθῆσθαι δοκοῦμεν περὶ αὐτοῦ, ταῦτα πειρασόμεθα διηγήσασθαι: *Quæ igitur de illo & audiuimus & ſentimus, hæc in medium referre aggrediemur.* Cic. ep. 1. ad Q. fratrem.

58. Cur igitur ab Herodoto & Creſia tantopere diuerſus eſt? Quia cùm viis quatuor, vt ait Herodotus, rerũ à Cyro geſtarũ hiſtoria procederet, eam quiſque ſecurus eſt quã probabiliſſimam iudicauit. Quid igitur in hoc quadriuio faciemus? Herodotum ſequemur? Xenophon ad ſe reuocabit. Placet Xenophontis hærere veſtigiis? Aliò Cteſias auertet. Affectabimur Cteſiam? Nos ad ſe rapiet Herodotus. Quò nos igitur vertemus? hic, opinor, vnus modus, atque vna ratio eſt inueniendæ veritatis, vt nullis præiudiciis occupati ſcripturam ducem ſequamur, eius verbis in proprio germanóque ſenſu, quantum fieri poterit, acceptis hæreamus, inter profanos ſcriptores grauiorem eius authoritatem putemus, qui propiùs ad ſcripturam acceſſerit. Itaque ſi hæc viarum diuortia, velut ad compitum, ſic ad Danielis hiſtoriã confluxerint, id lucro licebit apponere: ſi vnus duntaxat ei ſuffragatus fuerit, hunc cæteris præferemus: ſi nemo, non anxiè quæremus. Ita denique nos geremus, vt ſacris profana, non profanis ſacra famulentur. Quod vt liquidiùs fiat, exoratum ambo te volumus, ô Theocrite, non quidem vt epitomen facias eorum quæ iſti de Cyro ſcripſerunt: hoc enim iam heſterna diſputatione factum à nobis eſt, ſed vt paucis oſtendas, quid ſit in quo ſcriptores illi primarii conueniant, quid in quo inter ſe diſſentiant.

IX. *Quid sit in quo veteres circa Cyrum conueniant, aut inter se dissentiant.*

59. THEOC. Conuenit inter Herodotũ & Xenophontem Cyri maternum auum fuisse Astyagem Medorum Regem, patrem Cambysem Persam. Sed hunc Persarũ Regem Xenophon, Herodotus genere nobilem, moribus quietũ, sed Medis etiam mediocribus inferiorẽ fuisse testatur, quib. intelligi potest ex Herodoti sententia Persarum Regem haudquaquã fuisse: & Nicolaus Syracusanus apud Diodorũ Siculum lib. 13. Bibliot. Cyrum laudat, quòd morum cõmoditate, & clementia conciliatis sibi mortaliũ animis è priuato factus fuerit Imperator, & Cãbysem mediocrẽ virũ fuisse scribit Trogus Põpeius. Ctesias Cyrũ fuisse negat vllo propinquitatis vinculo cũ Astyage coniunctum, sed eum ait post victoriam ab Amynti Astyagis filia, quam alii Mãdanen appellant, adoptatũ. Auus igitur ex omnium narratione maternus fuit Astyages siue naturalis, vt alii tradunt, siue vt maluit Ctesias, cõsilio & voluntate quæsitus. Verùm præter Mandanen alios liberos susceperit Astyages non constat, apud Herodotum, *ἄπαις ἔρσενος γόνου, virili prole destitutus*, Xenophon Mandanæ fratrem Cyaxarẽ, Ctesias Amyntis fratrem nomine Parmisem agnoscit, Xenophon vnicam Cyaxari filiam, quæ postea Cyro nupserit. Ctesias tres Parmisæ liberos adscribit, & Amyntim ipsam Cyro nupsisse cõmemorat.

60. De Cyri educatione notũ est quantũ Herodotus & Xenophon inter se dissentiãt. Ctesiæ & Herodoto conuenit Astyagẽ à Cyro superatũ, eóq; loco post victoriam habitum fuisse, nihil vt præter regium nomen, & annexas regno molestias amiserit. Author est Xenophon Cyri perpetuam in auum spectatam fuisse pietatem, vix vllas vnquã inter hos discordias extitisse, neq; priùs Astyagem regno quàm vita spoliatum. Ait Herodotus Medorũ copias ad Cyrum ab Astyage defecisse: Xenophõ à Cyaxare. Defectionẽ hanc Harpagi, quem Astyages Thyestæis epulis in odium sui concitarat, proditioni tribuit Herodotus: Xenophon referre mauult, ad Cyri comitatẽ, liberalitatẽ, industriam militarẽ, reliquásq; virtutes, quibus animos Medorũ allexit. PEREG. Rem vtriq; gratissimã feceris, ô Theocrite, si quoniam hęc hesterna disputatione leuiter attigimus, rem gestã quam plurib. verbis exequitur Xenophon, tu pauca cõtraxeris. THEO. Ego verò id faciã & libẽs.

61. Cyrus, cùm iam inde à teneris vnguiculis institutione puerili mores Persicos animo penitus imbibisset, anno vitæ 12. deductus à matre fuerat ad auum Astyagem Medorum Regẽ, & auum obsequio, Cyaxarem auunculum pietate, seniores obseruantia, æquales liberalitate, minores comitate, omnes deniq; morũ suauitate deuinxerat. Abeuntẽ prosecuti fuerunt vniuersi, & regia munera, quę in eum cõgesserat Astyages, ita partitus fuerat in socios, vt ingẽs sui desideriũ & virtutis admirationem in Media relinqueret, nihil inde præter optimas artes, & omniũ Medorum beneuolentiã auferret. Aliquot pòst annis Astyage demortuo, & filio Cyaxare recẽs ad imperium prouecto, Assyrii, qui iampridem in omnem inuadendæ Mediæ occasionem imminebant, & totũ aduersus Persas ac Medos cõmouerant orientẽ, accitis vndecunque auxiliis, innumerabiles copias cõpararunt, quas primo quoq; tempore in Mediã infunderent. Cyaxares petit à Persis auxiliũ, virorum à viris lectorũ 40000. mittitur: His Cyrus cõmuni Persarum suffragio pręficitur imperator. Is vbi copias cũ Cyaxare coniunxit, author est non expectandũ hostem, impressionem vltro faciendam, & bellum in Assyriam transferendũ, cúmq; admirabili celeritate Regẽ Armeniæ, qui in illo totius Asiæ motu iugum Medorũ excusserat, ad deditionem vno vel altero die cõpulisset, & summa cum grauitate, tum etiam clementia cæterarúmq; admiratione virtutum sibi penitus obstrinxisset, & eodem impetu Chaldæos qui mõtes Armeniã inter & Chaldæã interiectos insederant, ex illis mõtibus deiectos in quandam Armeniæ planitiem cultoribus vacantẽ positis armis, magno, tum ipsorum, tũ Regis Armeniæ cõmodo trãstulisset ac montiũ iuga Persarũ Medorũq; præsidiis occupasset, signa cũ ipsis Assyriis cõtulit, manus cõseruit, & dictò citiùs ingẽtes eorũ copias profligauit.

62. Hic Cyaxares, siue quòd rebus à Cyro tam præclarè gestis subinuideret, siue quòd parta victoria contentus modũ rebus secundis imponendum, nec iterum dubiam communis martis aleam subeundam putaret, statuit reuocare exercitũ. Instare Cyrus, orare, obsecrare, vt priusquã discederetur ab armis, ea quæ tot tantisque victoriis iam profligata fuerant, conficerentur. Abnuere Cyaxares, tergiuersari, variásq; caussas innectere. Ab eo tamen impetratũ deniq; vt Medos voluntarios, ad persequẽdas belli reliquias eum Cyro abire pateretur, missúsq; è proceribus vnus Cyro beneuolus in paucis, qui hæc exercitui nũtiaret. Quid plura? is alacriter ea legatione perfungitur, & tũ factam à Cyaxare potestatem exposuit, tũ illud adiecit se non cõmissurum, vt à viro pulcherrimo, & optimo, & quod maximũ est, à diis immortalibus genito discederet. His auditis non modò Persæ, Lib. 4. ineunte.

vt par erat, è castris egressi sunt, cum Armenis, sed etiã Medi prope omnes, domesticis & contubernalibus Cyaxaris exceptis: πορευομένων δ' ἐπεὶ νὺξ ἐγένετο λέγεται φῶς τῷ Κύρῳ, καὶ τῷ στρατεύματι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ προφανὲς γενέσθαι, ὥστε πᾶσι φρίκην μὲν πρὸς τὸ θεῖον ἐγγίγνεσθαι, θάρσος δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους. *Illis verò proficiscentibus, vbi nox facta est, dicitur lux & Cyro & ipsi agmini cælitus affulsisse. Quo factum est vt omnes horror & veneratio caperet, erga numen diuinũ, & aduersus hostes fiducia.* Cyrus primo crepusculo magnas Assyriorũ copias nec-opinãtes inuadit, infinitã stragem edit. Crœsus & Rex Phrygiæ fuga salutem expediunt. Reges Cappadocum, & Arabũ, qui in iisdem castris erant, cũ magna suorum parte internecione delentur. Quod ne fabulosum cuiquã videatur, quo nomine scriptor grauissimus iniustè laborat, Deus
Cap.45.1. ipse per Isaiam se facturum promiserat, 100., ampliùs annis priusquã euenirent. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subigam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo iannas & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, &c.* & pau-
Vers.7. cis interiectis. *Ego Dominus & non est alter formans lucem & creans tenebras.*

63. Sed ad Cyaxarem redeamus. Is vbi superiorib. victoriis Cyri virtute partis elatus totam illã noctem ludis & compotationibus exemisset, ad multam lucem comessationis crapulã exhalauit, Medos in castris mansisse ratus, & coniiciens è tumultu; calones enim & lixæ Medorũ vtpote heris absentibus dissolutè & potabant & tumultuabantur, quippe qui & vini & cæterarũ huiusmodi rerum è castris Assyriorũ magnum numerũ habebẽt. Sed cũ ad ianuas nemo præter paucos cõtubernales accederet, & castra vacua non solũ certis nuntiis, sed etiam oculis cõperisset, se proditũ à Cyro à suis destitutũ queri, excandescere, fremere, omnib. omnia minitari, per certũ hominẽ ad castra missũ Cyro grauiter exprobrare, Medos ad se reuocare grauissima quæque interminatus supplicia, nisi dicto se præbeãt audiẽtes. Cyrus per literas plenas dignitatis factũ excusat, rediturum se primo quoq; tẽpore pollicetur, cùm ea quæ in manibus habebat, affecta iam & profligata cõfecerit, & liberè monet ne quem velit ire, ad se quãprimùm eum minitãdo deinceps accersat, neq; dũ sẽ queritur esse solũ, multis simul interminetur, ne illos doceat imperiũ habere contẽptui. Tũ exulceratũ Regis animũ placaturus Medis imperat, vt post oblatas diis, Magorũ arbitratu prædæ primitias, ipsi seligãt quod ei sperent fore gratissimũ, illi cum risu respondent mulieres esse diligendas. Post alia preclarè gesta, cũ eius rogatu accersitũq; venitet ad castra Cyaxares, equitibus, quotquot armis equisque præstabãt magnâ catervã stipantibus obuiã procedit ostentans exercitũ.

64. At Cyaxares vt vidit & multos & præclaros, & bonos vnà Cyrũ sequi, secũ verò & paucos, & parui faciẽdos famulos, eo animo perturbatus est, vt nec vultũ à pudore, nec oculos à lacrymis abstineret: & tam miserabiliter suã solitudinẽ ignominiámque defleuit, vt ipsi quoq; Cyro lactymas expressit. Tandẽ vt Cyrus factorũ reddidit rationem & exulceratũ Cyaxaris animũ oratione leniuit, ad osculum, quod ille priùs auersatus fuerat, admissus equitib. Medis iussit, vt ad Cyaxarẽ suã cohortem applicarẽt, cùmq; ad castra deductũ in tabernaculo, quod ex omnibus manubiis pulcherrimũ ei selegerãt, & cùm alio apparatu quã potuerũt optimo, tũ mulieribus duabus ex omni captiuarũ turba delectis, totidẽmq; citharistriis instruxerant, honorificè collocarent. Huc vt primũ accessit, Medi certatim, alius pincernã honesta facie & liberali, alius bonũ obsonii instructorẽ, alius panariũ dulciariúmve pistorẽ, alius cantorẽ, hi vero pocula, illi vestem pulcherrimã partim sua spõte, partim Cyri iussu è manubiis obtulerunt, vt iam retexeret ille cogitationem suã, mutatáq; sententiã neque malis artibus à Cyro sollicitatum fuisse exercitum, neque se minùs, quàm superioribus temporibus à Medis obseruari fateretur. Atq; hoc est, opinor quòd postremũ Mediæ Regem, Medis ipsis ab Harpago Cyri consanguineo sollicitatis in Cyri gratiam, & ad defectionem cõpulsis regno deiectum posteà tamen à Cyro victore humanissimè regiéque tractatum homines doctissimi memoriæ prodiderunt, quamuis & in persona & in modo rei gestæ plurimũ à Xenophonte dissentiant.

65. Paulo post, cum Babylonius tanquã hydra nouis capitib. pullularet, & resumptis è vulnere viribus, militibus non tantũ ex omni propemodũ Asia delectis, sed etiã stipendiariis ex Ægypto, Cypro, Thracia, magna mercede eoductis, sollicitatis etiam Lacedemoniis. Crœso bellitotius imperatore, in Medorũ Persarũmq; perniciẽ incumberet, Cyaxares ad rerũ domesticarũ custodiam cũ tertia Medorum parte restitit, Cyrus autem quanta maxima celeritate potuit, hostibus ad Pactolũ occurrit, vidit, congressus est, vicit, Sardes vi cepit, Babylonem nocturna grassatione occupauit, seruatur Crœsus, Babylonius occiditur, Asiæ totius imperium obtinetur.

66. Vter autem euerso Chaldæorũ imperio primus obtinuerit totius Asiæ principatum. Cyaxarésne, cuius auspiciis res illæ gerebantur, an Cyrus qui manu bellũ confecit, possit ex eodẽ authore non immeritò dubitari. Nã Cyrus ipse lib. 5. dum Cyaxari satisfacit, eas prouincias, quas armis occupauerat, non sibi Persisq; vendicat, sed testatur in Medorũ ditionẽ concedere: τὴν μὲν σὴν χώραν αὐξανομένην ὁρᾷς, τὴν δὲ τῶν πολεμίων μειουμένην, *Regionem tuam auctam vides, hostium diminutam.* Cui Cyaxares: τήν τε γὰρ χώραν, ἔφη, ἐγὼ ἂν τὴν σὴν ἐβουλόμην τῇ ἐμῇ δυνάμει μείζω ποιεῖν, ἢ τὴν ἐμὴν ὑπὸ σοῦ ὁρᾶν οὕτως αὐξανομένην.

Ego

Ego enim mallem regionem tuam maiorem facere meis viribus, quam meam intueri hoc pacto amplificatam. Et paulo pòst, ἃ ἔλαβες τῇ ἐμῇ δυνάμει, ἄγεις δή μοι, καὶ τὴν ἐμὴν χώραν αὔξεις σὺν τῇ ἐμῇ δυνάμει. *Quæ meis cepisti viribus, ad me defers, & meam regionem auges meo cum exercitu.* E quibus liquere videtur Cyaxarem quãdiu superstes fuit earum prouinciarum dictũ fuisse Regẽ quas Cyrus imperio subiugarat. quare quod ait idem Xenophon, postquam proximè Babylonis cladem exposuit, ἐκ δὲ τούτου ἐπεθύμει ὁ Κῦρος ἤδη κατασκευάσασθαι ὡς αὐτὸς ὡς βασιλεῖ ἡγεῖτο πρέπειν. *Exinde cupiebat Cyrus iam parari etiam ipse, vt Regem decere existimabat:* id sic interpretor vt non statim post occupatam vrbem, sed aliquanto pòst, Cyaxare iam mortalitate exempto, regium nomen assumpserit.

61. Ac proinde iam inde ab initio belli sic inter eos conuenisse arbitror, vt quascunque Cyrus subegisset prouincias, eæ cederent in Cyaxaris ditionem. Cyrus autem eius filiam, vt author est Xenophon, vel matris suæ sororem, vt idem scribit ab aliis proditum, duceret vxorem, & dotis nomine in omnia regna succederet. Quæ præ-
Lib 8. posterè sanè dicit idem historicus confectis omnibus bellis, euerso iam Chaldæorum Imperio, Cyri parentibus etiam tum superstitibus & harum nuptiarum authoribus contigisse. Quo ad sciscitandam eorũ voluntatem in Persidem profecto: Cambyses pater in concilio Persarum, ita loquens inducitur, ἕως μὲν ἂν ἐγὼ ζῶ, ἐμὴ γίγνεται ἡ ἐν Πέρσαις βασιλεία· ὅταν δ' ἐγὼ τελευτήσω, δῆλον ὅτι Κύρου, ἐὰν ζῇ. *Atque donec ego in viuis sum, meum sit in Persis imperium: sed vbi ipse diem obiero, regnum scilicet erit Cyri si vixerit.* E quibus illud efficitur priùs subactos esse Babylonios, quàm Cyrus non modo Mediæ, sed etiam Persidis regnum obtineret. At si cæteros rerum gestarum scriptores audiendos putamus, priùs in Medis regnauit ac Perside, quàm Lydis & Chaldęis oppressis Asiaticum fundaret imperium.

62. Totum eius regnum Ctesias & alij passim annis triginta, Herodotus vndetriginta definiunt. De Xenophonte non satis liquet. Quid vetat eius verba producere? οὕτω δὲ τοῦ αἰῶνος προκεχωρηκότος, μάλα δὴ πρεσβύτης ὢν ὁ Κῦρος ἀφικνεῖται εἰς Πέρσας τὸ ἕβδομον ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, καὶ ὁ μὲν πατὴρ, καὶ ἡ μήτηρ πάλαι δὴ, ὥσπερ εἰκὸς, ἐτετελευτήκεσαν αὐτῷ. id est Francisco Philelpho interprete: *Verùm cùm ita æuum processisset, Cyrus iam admodum senex venit in Persas anno septimo Imperij sui, cuius pater matérque iamdiu, vt par erat, diem obierant:* Eumque subdit paulo post esse demortuum, cùm alteri liberorum, τῷ πρεσβυτέρῳ γενομένῳ, καὶ πλειόνων, ὥσπερ εἰκὸς, ἐμπείρῳ qui & prior natus erat, & rerum plurium, vt par est, peritus, totum imperium: alteri minori natu Satrapas aliquot tradidisset: Sed hæc, ni fallor, & seipsa collidunt, & omnes conturbant Chronologiæ rationes. Nam si iam rerum peritus dici potuit Cambyses, citra controuersiam cùm regnare occœpit, ex ephebis excesserat. Si septimo vel octauo post captam Babylonem anno mortuus est, nec ante subactos Babylonios duxit vxorem, quomodo Cambyses ex eo matrimonio susceptus moriente patre iam ad pubertatem, ne dicam ad iuuentutem peruenerat? Si parens vterque captæ Babyloni superstites fuerunt, qui septimo circiter post adeptum imperium anno æuum Cyro iam valdè seni processisse, & parens vterque iamdiu diem obiisse dicuntur? Denique si octo duntaxat regnauit annis, quid vniuersæ Chronologiæ faciemus? In qua nihil tanto scriptorum omnium consensu receptum est quàm ad Olympiadem quintam & quinquagesimam referenda Cyri primordia, mortem verò secundæ & sexagesimæ Olympiadi consignandam, vt annos præterpropter triginta regnauerit. Quæ abs te velim, Peregrine, nisi si fortasse tibi molestum est, paulo liquidiùs explicari.

X. *De duplici Cyri primordio, quando Cyrus regnare incœperit.*

63 PEREGR. Hæres in expedito, Theocrite, eósque tibi vis extricari nodos quorum solutionem velut aliud agens vno verbo iam superiùs attigisti. Narrat Lib. 8.
Xenophon euerso Babyloniorum imperio Cyrum in Mediam se contulisse, conuenisse Cyaxarem, ei dixisse ὅτι οἶκος αὐτῷ ἐξῃρημένος εἴη ἐν Βαβυλῶνι, καὶ ἀρχεῖα, *ædes ei & palatium erectum esse Babylone*, eique dona tum plurima, tum pretiosissima de manubiis obtulisse; quibus eodem tenore subnectit: Et hæc quidem Cyaxares accepit: προσέπεμψε δ' αὐτῷ· misit verò ad eum filiam, quæ ferret & coronam auream, & armillas, & torquem, & stolã Medicam, quàm fieri potuit, pulcherrimam, & puella quidem Cyrum coronauit. Subdit Cyaxarem Cyro non solũm filiæ suæ cõditionem & coniugium, sed etiam dotis nomine Mediæ regnum tradidisse, successoremq; suum declarasse. Sed hæc, vt aiebas ordine, præpostero, capta iam Babylone referuntur,

quæ credere par est, vel Astyage superstite, & harum nuptiarum conciliatore, vel statim post eius obitum, ipso bellorum initio contigisse, quem proinde Pharnabasus iam libro quinto ineunte Regem appellat. Itaque illud ἀόριστον, προέπεμψε sic interpretari debemus, vt temporis quod plusquàm perfectum Grammatici vocant, vim & significationem importet. Atque hoc est illud Cyri primordium, quod Chronologi passim, qui annos Cyri triginta numerant, anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ consignant, vnde Persicæ Monarchiæ caput arcessunt.

64. Quæ si admittimus, quæ de Cambysis ætate rerumque peritis tute tibi obieceras, non difficiles habent explicatus, potuit enim qua tēpestate mortuus est Cyrus, annum vitæ iam vndetrigesimum attigisse. Neque verò cæterorum Chronologiam conturbat Xenophon, eorumque mouet calculos, quamuis Cyri regnum octennio circumscribat, dum inter Astyagem quocunque modo, siue per mortem vt placet Xenophonti, siue per nepotis iniuriam, vt maluit Herodotus, regia dignitate priuatum, & Cambysem Monarchiæ Persicæ gubernaculis admotum anni triginta numerentur. Et magno sanè compendio, scripturæ quæ Iudæos primo Cyri Regis anno restitutos esse testatur, in proprio genuinoque sensu verba capiemus, ac proinde necesse non erit inuehere duo Cyri primordia, sed eum primum eius annum intelligemus, quo paulo post captam Babylonem, patre soceroque demortuis, totius Asiæ, quam priuatus quidem adhuc, sed iam successor imperij declaratus eorum auspiciis domuerat, obtinuit principatum.

65. Quanquam non video cur vir longè doctissimus (vt Scaligerum taceam, qui Iulium Africanum, & eum secutos meliorem partem veterum scriptorum, ineptissimè loqui, & pessimè solutam captiuitatem cum anno primo Imperij Cyri comparare testatur) non, inquam, video cur vir doctissimus recentiores Chronologos tam acri censura percellat, eosque vehementer alucinatos esse scribat, qui vnum & eundem annum Cyro putant imperij vtriusque dedisse primordium, & Olympiadi quinquagesimæ quintæ captam Babylonem, initium Monarchiæ Cyri, laxatamque Iudæorum captiuitatem assignant, & inde annos triginta numerant, qui passim eius imperio tribuuntur. *Qui manifestus*, inquit, *error vix est vt refutationem mereatur.*

De emend temp. lib. 6 pag. 274. & 275.

66. Quibus antequam respondeo, pretium videor operæ facturus, si ipsa Iulij Africani verba è tertio χρονογραφιῶν libro deprompta produxero, prout lib. 10. προπαρασκευῆς ab Eusebio referuntur. Μετὰ δὲ ὁ τῆς αἰχμαλωσίας ἔτη Κῦρος Περσῶν ἐβασίλευσεν, ᾧ ἔτει ὀλυμπιὰς ἤχθη νε'. *Post autem septuaginta captiuitatis annos Cyrus Persarum regnum obtinuit, quo anno acta est Olympias quinta supra quinquagesimam; vt è bibliotheca Diodori, è Thalli & Castoris historijs, è Polybio etiam & Phlegonte colligere licet.* ἀλλὰ καὶ ἑτέρων οἷς ἐμέλησεν Ὀλυμπιάδων· ἅπασι γὰρ συνεφώνησεν ὁ χρόνος. *Sed & alijs qui tempora per Olympiadas putarunt. omnes enim de tempore consentiunt.* Κῦρος δ' οὖν τῷ πρώτῳ τῆς ἀρχῆς ἔτει ὅπερ ἦν Ὀλυμπιάδος νε' ἔτος τὸ πρῶτον, *Cyrus igitur anno primo imperij sui, qui erat primus Olympiadis quinquagesimæ quintæ, per Zorobabelem, cui iunctus erat Iosedech, primo populi partem è captiuitate dimisit*, πληρωθείσης τῆς ἑβδομηκονταετίας, *annis septuaginta completis, vt ab Esdra proditum est.* Hæc ille, cui suffragatur Eusebius, & melior pars veterum scriptorum, vt Scaliger ingenuè confitetur.

67. Videamus igitur qui tam seuerè Patres reprehendunt, quibus argumentis opinionem suam suffulciant. In edicto suo ita præfatur Cyrus: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.* 2. Paralip. exeunte, & 1. Esdræ ineunte. Hoc non potuit Cyrus dicere, nisi vltimis temporibus imperij sui. Tunc enim longitudo imperij eius ab India ad Nilum, latitudo ab Oceano ad Caspium mare pertinebat. Deinde captus est Crœsus anno quarto Olympiadis 57. vt refert Eusebius, & Cyrus Sardes victor ingressus est Olympiade octaua & quinquagesima, authore Solino, & his rebus gestis subactisque omnibus continentis regionibus Assyrios inuasit, vt ex Herodoto liquet; non igitur Olympiade quinquagesima quinta obtinuit Babylonem. Accedit quod ne mente quidem concipi potest quomodo Cyrus vno & eodem anno Persidis regnum inuaserit, Mediæ regnum occupauerit, Crœsum potentissimum Regem vicerit, Sardes Lydiæ Metropolim, Babylonem totius Imperij caput, Asiam denique obtinuerit vniuersam, & de remittendis in patriam Iudæis, instaurandoque Dei templo cogitarit. quod non nisi profligatis bellis omnibus credibile est fieri potuisse.

68. Accedit Mathematici canonis & Xenophontis authoritas, quorum ille regnum Cyri Babylonicum nouennio, hic septennio, vel ad summum octennio circumscribit. Denique Ptolemæus libro magni operis 5. cap. 14. duas lunæ defectiones

obseruat, quarum alteram anno Nabopolassari quinto (Nabuchodonosori patet hic fuit,& vno ac viginti regnauit annis) alteram Cambysis septimo consignat. priorem anno Nabonassari 127. posteriorem eiusdem anno vigesimo quinto supra ducentesimum. E quibus efficitur inter annum Nabopolassari quintum,& Cambysis septimum,annos octo & nonaginta intercipi. Ex his porro si Cambysis annos sex,& Cyri triginta subtraxeris, relinquentur anni duntaxar sexaginta duo, quod cum Babyloniorum Regum serie cohærere non potest.
16. Nam si sedecim annis Napobolassari resi-
43. duis annos Nabuchodonosori 43. Euilme-
2. rodaci 2. nerigli ssari quatuor, Laborosoar-
4. chodi menses nouem, Nabonidi annos 17.
17. adieceris, menses nouem, anni octoginta
82. duo colligentur. Redundant igitur anni vnus & viginti, quos cùm aliis Regibus subducere non possimus, restat vt eos regno Cyri Babylonico detrahamus,eúmque dumtaxat annis octo dicamus tenuisse totius Asiæ principatum.

XI. *Diluuntur argumenta quibus recentiores Patrum de primo Cyri anno sententiam oppugnant.*

69. THEOCR. Hæ sunt igitur rationes. Hæc argumenta quibus eruditi viri Patrum opinionem tot iam seculis receptam, & ipsa vetustate corroboratam radicitus extirpare moliuntur. PEREGR. Equidem nihil dissimulaui, quod in eorum scriptis inuenerim. THEOCR. Vultis igitur,vt quoniam me iam aliquid audere, & vt ait quidam poëta, maiores nido pennas extendere docuistis, ego quoque experiar, ecquid eorum argumentis respondere possim, quorum priùs authoritate compulsus ea de Dario Medo sentiebam, quæ iam probabilia non videntur. PEREG. Tuo videlicet arbitratu.

70. THEOC. Dicere potuit Cyrus anno primo regni Persici omnia terræ regna data sibi fuisse diuinitus? Si priùs regnauit in Perside, quàm Lydiam & Babylonem obtineret,vt narrat Herodotus, verissimè dictum est. Sin vt ait Xenophon, priùs Asiam subegit vniuersam, quàm patri in regnum Persidis, auunculo Cyaxari eidémque socero suo in Mediæ regnum succederet, non video cur edicto suo præfationem illam grati animi religionísque suæ testem præfigere non potuerit. Quis autem Patribus præscribet,vt Herodotum, quem innumeris scatere fabulis negat nemo, Xenophonti, cuius summa est in cæteris historiis authoritas, anteponant? Olympiade octaua & quinquagesima victor Cyrus Sardes ingressus est. Quid si Solinus Sardes putauit esse captas aliquot annis post Babylonem, & homo Romanus Trogi Pompeij maluit quàm vel Herodoti vel Xenophontis inhęrere vestigiis. *Domitis demum plerisque,* inquit Iustinus lib.1. *cùm aduersus Babylonios bellum gereret, Babylonis Rex Lydorum Crœsus, cuius opes & diuitiæ insignes ea tempestate erant, in auxilium venit, victúsque iam de se sollicitus in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam compositis in Babylonia rebus bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris prælij percussum iam Crœsi exercitum nullo negotio fundit, Crœsus ipse capitur,* &c. Hæc ille, quem sequitur Paulus Orosius lib.2.cap.6. Cap.7.

71. Ne mente quidem concipi potest, quomodo Cyrus vno duntaxat anno Medos, Lydos, Babylonios, Asiam deniq; subegerit vniuersam. Quid necesse est tot & tanta bella in tantas inculcare temporis angustias. Censet Africanus capta iam Babylone Iudæorum captiuitatem esse laxatam eo ipso anno, quo Cyrus ad regnum Persicum & Asiæ totius imperium euectus est: quanto tempore tot bella confecerit nihil putat ad sacram Iudæorum Chronologiam pertinere. Itaque per eum cæterósque Patres licet bellis à Cyro gestis totidem annos, quot Alexandri victoriis adscribere, vt anno suscepti belli sexto, qui quintæ supra quinquagesimam Olympiadi primus illuxit, auunculo patríque successerit.

72. Tot aliis occupationibus districtus erat, vt initio regni non posset de dando Iudæis postliminio cogitare. Quasi verò, vt alios omittam, nesciamus Iulium Cæsarem tertio suo consulatu, post actos quatuor de Gallis, Ægyptiis, Pharnace & Iuba triumphos, fumantibus adhuc bellorum reliquiis, vel potiùs adhuc in ipso belli ciuilis incendio,cùm Pompeij liberi non superessent solùm,sed etiam immanibus copiis totam Hispaniam obtinerent, epulum magnificentissimum & visceratíonem populo Romano dedisse, populi censum habuisse, ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum è publico ad cẽtum quinquaginta retraxisse, amphitheatrum excitasse, spectacula varij generis, manus gladiatorum, ludos etiam regionatim vrbe tota,& quidem per omnium linguarum histriones, circenses, athletas,& aquis in campum Martium inductis naumachiam edidisse, varias leges de iudiciis, de sumptibus, de procreatione liberorum, de prouinciis tulisse,& quo fortasse nihil toti generi hu-

mano conferri potuit ab homine præstantius, annum ciuilem & fastos ad solis cursum inuentis bissextilibus ordinasse, vt omittam bellum in Hispania contra Pompeios gestum, & Anticatones duos sub ipsum Mundensis prælii tempus eodem anno perscriptos. Et Scaliger negabit fieri potuisse: vt Cyrus anno regni sui primo nondum compositis rebus & profligatis bellis omnibus de remittendis in patriam Iudæis cogitaret?

73. Sequitur Mathematici canonis & Xenophontis authoritas, sed cùm multos errores in illum canonem irrepsisse constet, cùm illi ipsi hunc in annis Nabonidi siue Nabonadii, quos triginta duos enumerat, alucinatum esse fateantur, non video quid in eius testimonio debeat esse momenti. De Xenophonte illud vnum dixisse sufficerit, cùm aduersarii rerum à Cyro Maiore gestarũ historiam nihil aliud quàm fabellam ad formandum egregii Regis exemplar, effictam esse defendant, caussæ nihil esse cur eius authoritatem sanctis Patribus, & recentioribus Chronologis quasi murum opponant.

74. PEREG. Imò, Theocrite, videndum ecquid viris eruditis fucum fecerit Xenophontis interpres. Non enim, ait Xenophon: Cyrum in Persidem venisse, τῷ ἑβδόμῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς, *anno septimo imperij sui*: vt transtulit Philelphus, sed τὸ ἕβδομον ἐπὶ τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς, *septimum*, siue *septima vice in imperio suo*, vt significetur non septimus annus, sed septimus in Persidẽ aduẽtus, ex quo Cyrus imperium susceperat. THEOC. Sunt ista verba, Peregrine. Non enim interpres authoris sui mentem satis expressit, sed meminisse debes eorum quæ paucis antè versiculis leguntur, Cyrum instituisse vt hyberno tempore degeret Babylone menses septem, ob aëris Babylonici clementiam, circa vernam tempestatem tres menses Susis exigeret, circa dies caniculares & summum æstatis calorem, duos Ecbatanis, atque ita factum vt verna temperie semper vteretur. E quibus apparet septimo Regis in Persidem & Susas aduentu septimum vel octauum eius annum non obscurè denotari. Quare fatendum est aduersariis potiùs quàm sanctis Patribus circa tempus captæ Babylonis fauere Xenophontem, sed cùm, vt dixi passim, eius authoritatem in cæteris huius controuersiæ partibus facessere iubeant, nihil est quod de illius Chronologia contra Patres sibi magnopere blandiantur.

75. Restat vt de Babyloniorum Regum temporibus & æra Nabonassari satisfaciam Ptolemæo. Nabuchodonosorus, qui Iudæos in seruitutem abduxit, binominis fuit, & Nabopolassarus etiam in canone Mathematico nominatur. Is patrem habuit Nabopolassarum seniorem, quẽ etiam Iosephus lib. 10. Antiquitat. perinde vt filium Nabuchodonosorum appellat, quod alterum nomen è Græco Tobiæ contextu manifestè colligitur. cùm enim Ninus Iosiæ temporibus fuerit euersa, non potest illud Nabuchodonosoro filio conuenire. Quanto tempore regnarit pater, certò definiri non potest, quod apud Iosephum lib. Antiquit. 10. & Euseb. lib. 9. præpar. excunte legatur εἴκοσι ἕν, vnum & viginti, lib. 1. εἴκοσι ἐννέα, viginti nouem, in aliis εἴκοσι πέντε, viginti quinque, neque citra controuersiam constiruere possimus, in quæ exemplaria mendum irrepserit, filius Nabuchodonosor omnium consensu quadraginta quatuor annos regnauit, è quibus si quinque deduxeris, triginta nouem supererunt; his adde Euilmerodaci duos, Nerigilissari quatuor, iam ab anno quinto Nabuchodonosori, annos quadraginta quinque numeramus, quibus, quòd expleti non fuerint, menses illos Laborosoarchodi nouem inuoluimus. His si accedant anni Nabonidi 17. Cyri triginta, Cambysis sex ante lunæ defectionem euoluti, à quinto Nabuchodonosori ad Cambysis septimum annos octo & nonaginta putabimus, quot Ptolemæus inter vtrumque lunæ deliquium numerauit, ac proinde Scaligero caussæ nihil fuit cur meliori veterum scriptorum parti pessimæ ratiocinationis & erroris absurdissimi labem adspergeret.

XII. *Confirmatur veterum de primo Cyri anno, sententia.*

76. PEREGR. Tibi gratulor, Theocrite, quòd tandem audeas contra viros eruditos, quorum splendor antea tuorum oculorum aciem præstrinxerat, & propemodum effascinarat,

Ὄμματα τοῖς ὀργοῖσι πεπηλέπει. Theocrit. Eidyll. 11.

Quod ad me quidem attinet, non solùm odio nouitatis, sed etiam studio veritatis antiquorum Patrum opinionem eò libentiùs amplector, quòd nisi certam statuamus epocham, & definitum siue Olympiadis, siue Regis alicuius annum, quo seruitus illa Iudæorum septuagenaria finiatur, habituri simus Chronologiam sacram planè dubiam & fluctuantem, nec omnino Iudæorum tempora cum Regum profanorum annis comparare possimus. Nam si duo placet statuere Cyri primordia, alterũ quo

regnare cœpit in Perside, anno 1. Olymp. 55. alterum quo cepit Babylonem & Asiæ totius obtinuit principatum, quæro quota tandem Olympiade, quoto regni Persici anno Cyrus Asiaticum illud imperium capta Babylone fundauerit, & Iudaicam laxauerit seruitutem.

77. Scio quidem Riberam, Torniellum, Salianum, Petauium, & alios viros sanè doctissimos initium regni Babylonici à Cyro fundati, datumque Iudæis postliminium anno regni Persici præterpropter vicesimo secundo & Olympiade sexagesima collocare. Scio Scaligerum, quamuis nescio quid de triplici Cyri primordio nugetur, adstipulari tamen reliquis, anno regni Persici secundo ac vigesimo captiuitatem Iudaicam esse laxatam. Sed cùm eorum multi nihil afferant præter authoritatem Xenophontis, à quo Cyrum ad fidem historiæ scriptum non putant, Petauius nihil præter canonem illum Mathematicum adiungat, quem plerisque locis corruptum esse non diffitetur, Scaliger nihil præter futilem coniecturam ex Herodoti contextu petitam opponat, non video quàm solidam firmamque Chronologiæ molem possimus è fundamentis adeo lubricis excitare. Quòd si scripturam eo sensu qui primus occurrit, interpretemur, & annum Cyri primum reddita Iudæis libertate nobilem, vt verba sonant intelligamus eum qui reuera Cyri regno primus illuxit, certum ac definitum habebimus primum quinquagesimæ quintæ Olympiadis annum, quo velut in compitum confluant illa sacræ profanæque Chronologiæ diuortia.

78. Hinc etiam illud emolumenti consequetur quòd quæstionem cæteroqui difficilem ac perplexam habebimus enodem, quæ haud scio an satis commodè possit ab aliis explicari. Ioannis 2. v. 20. Iudæi dicunt quadraginta & sex annis ædificatum esse templum. Magna quęstio est, quam & cuius templi substructionem intelligant. Nonnulli de templo Salomonis interpretantur, vt Nonnus in paraphrasi

Ὃν Σαλομῶν ποίησε λίθων ἑτερόχροϊ κόσμῳ, &c.

Quod Salomon vario lapidum discrimine fecit, &c.

Sed sententia stare non potest, tum quòd, cùm ista dicebant Iudæi, vix vllum extabat templi illius primi vestigium, tum quòd Salomon huic ædificando non vltra septennium impendit, vt dicitur 3. Reg. cap. 6. vers. 33.

79. Plerique veterum vt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius & Beda in Ioannem, Eusebius lib. 8. demonst. Euang. Eucherius quæst. 1. in Ioannem de templo Zorobabelis exponunt. Quam expositionem amplexi sunt omnes propemodum recentiores Ioannis interpretes, præter Iacobum Tirinum, qui aliam init difficultatis huius extricandæ rationem. Adeo vt doctissimus Ribera, quamuis commentariis in Aggæum regno Cyri Babylonico septem duntaxat annos adscribat, commentariis in Ioannem hunc nodum aliter expedire non possit, quàm si à iactis templi fundamentis anno Cyri Babylone regnantis secundo, ad Darij nonum annos quadraginta sex elapsos esse fateatur. Nimirum tanta vis est veritatis, vt quamuis oppressa tamen emergat, & sui confessionem à cordatis hominibus extorqueat. Sic autem ostendunt totam templi per Zorobabelum extructi molitionem annorum quadraginta sex interuallo constitisse.

80. Anno primo Cyri Regis Persarum propositum est edictum vt Iudæis liceret templum instaurare, vt legitur lib. 2. Paralip. exeunte, & Esdræ primo ineunte. Anno 3. Cyri iacta sunt templi fundamenta, cap. 3 v. 10. Sed aduersariorum calumniis intermissum est opus domus Domini, & non fiebat, vsque ad annum secundum Darii Regis Persarum, vt scribitur c. 4. v. 24. Quod opus tandem sexto Darii anno fuit absolutum cap. 6. v. 15. Iam cùm ex Herodoto Cyrus viginti nouem, vel etiam è Ctesia, Cicerone de diuinatione, aliisque primæ notæ scriptoribus, triginta regnarit annos, Cambyses Cyri filius annos septem, quinque menses expleuerit, & Smerdis Magus post Cambysem menses septem tenuerit regnum, cui successit Darius filius Hystaspis, si annis Cyri triginta, & octo Cambysis annos Darii sex adieceris, inuenies annos quadraginta tres à iactis templi fundamentis ad eius absolutionem euolutos. Lyranus vt sex & quadraginta solidos inueniat, Cambysem ait annis decem imperium tenuisse, & ab anno Cyri primo ducit initium. Maldonatus mira subtilitate rem enucleat. Sed fortasse non est ad viuum omnia resecare, cùm Iudæi subitò hæc effuderint, nec annorum summam ad calculos exegerint, aut cùm Ribera dicendum est templum quidem interius anno Darii sexto fuisse completum, vt è scriptura liquet, sed tribus deinceps annis adiectas fuisse porticus & peribola, vnde Iosephus lib. 11. antiq. cap. 4. opus non fuisse absolutum quatuor annis, sed septem, id est anno regni Darii nono, vigesimo tertio mensis vndecimi.

81. Qui annis paucioribus imperium Cyri Babyloniorum circumscribunt, mirũ in quot, & quàm auia distrahantur opinionũ diuortia. Vidi qui de instauratione templi ab Herode facta interpretarentur. Sed cùm, vt author est Iosephus lib. 15. Antiq. exeunte, Herodes annis nouem cum medio totum illud ædificium perfecerit, alia nobis interpretatio quærenda est: Vidi qui vt summam annorum sex & quadraginta conflarent, omnes templi substructiones temporibus distractas corraderent, vt præter annos illos duos & viginti quos à primordio Cyri ad annum Darij sextum euolutos putant, & illud Herodis nouennium, Neemiæ, Simonis, & Machabæorum opera coniungerent, iisque quindecim annos qui summæ deerant, supplendos putarent. Neemias enim ab Artaxerxe ligna petiit, quibus tegere posset *portas turris domus*. Neemiæ cap. 2. v. 8. *Simon Oniæ filius, sacerdos magnus in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum. Templi enim altitudo ab ipso fundata est duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.* Eccl. c. 50. vers. 1. & 2. & Machabæi receptis Ierosolymis, *acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificauerunt altare nouum, secundum illud quod fuit priùs, & ædificauerunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus* 1. Machab. cap. 4. v. 47.

82. Sed hæc nec vllo vel scripturæ, vel historiæ profanæ testimonio fulciuntur, quod quidem ad tempus tot molitionibus impensum attineat, & facilè sua subtilitate difflantur. Nam si annos penè quindecim eorum calculis interiacta templi sub Cyro fundamenta, & annum Darij secundum elapsos quibus ab opere cessatum est, annis ædificationis annumerant, cur annorum pene quingentorum quibus inter Darium & Herodem à templi substructione certis temporibus quieuerunt, nullam putant, habendam esse rationem? Omitto Ariam Montanum, cuius tacito nomine Maldonatus non immeritò securam miratur audaciam, qui nullo authore quadraginta sex annos ita partitur, vt Zorobabel ædificationi templi nouemdecim annos, Herodes Reges viginti septem impenderint. è quibus videtis, Restitue ac Theocrite, quanto tum cæteræ Chronologiæ, tum imprimis huius quæstionis Euangelicæ compendio maiores nostri regnum Cyri Babylonicum annis triginta definiendum putarint.

XIII. *Exponitur verosimilior sententia de duplici Cyri primordio, & fine Babylonicæ seruitutis.*

83. RESTIT. Macti animo, generosa Theologiæ germina, qui veterum authoritatem tanta sollicitudine tuemini. Quæ tamen à vobis in vtramq; partem dicta sunt, sic accipio quasi volueritis sanctos Patres potiùs ab acerbitate censuræ cuiusdam & Scaligeri supercilio vindicare, quàm ea quæ nobis hesterno die de duplici Cyri primordio placebant, hodierna disputatione rescindere. Etsi enim veterum quorumdam, & recentiorum pene omnium de quadraginta sex annis inter inchoatum sub Cyro templum, & regnante Dario perfectum euolutis opinionem, vt debeo, veneror, & veri speciem obtinere fateor, iis tamen libentiùs accedo, qui finem Iudaicæ deportationis, edictumque Cyri de instaurando templo in annum eiusdem regni Babylonici primum, Persicæ præfecturæ circiter vigesimum contulerunt: vt post Iudæos in patriam restitutos annis duntaxat octo regnauerit, & inter annum Cyri Babylone regnantis secundum ac Darij sextum, non plures quàm viginti duo numerentur.

84. Neque tam moueor superioribus illis argumentis, quæ quanquam verisimilitudinem habent, probabiliter tamen abs te diluta sunt, Theocrite, quàm grauioribus quibusdam & authoritatum & rationum momentis, quæ in alteram controuersiæ partem incumbunt: nam vt omittam Recentiores Riberam, Tornielum, Salianum, Petauium (quot & quales viros!) qui regnum Cyri Babylonicum octo circiter annis definiunt habemus antiquos Patres authores fundósque nostræ sententiæ: *Colligitur*, inquit Eusebius in Chronico, *omne tempus captiuitatis Iudæorum annis septuaginta, qui secundum quosdam à tertio anno Ioacim, vsque ad vicesimum annum Cyri Persarum Regis computantur.* Eam autem fuisse saniorem veterum scriptorum partem ex iis liquet quæ proximè subnectit Eusebius. *Porro secundum alios, à Iosia Iudæorum Regis anno decimo tertio, sub quo Ieremias propheta cœpit, vsque ad primum annum supradicti Cyri Regis.* Vt enim isti parum probabiliter anno Iosiæ decimo tertio captiuitatis initium consignant, quo tranquillis Iudaicæ Reipublicæ temporibus nullum adhuc seruitutis extabat vestigium, ita postliminium Iudæis datum ad regni Persici primordia non commodissimè re-

Ribera in Zachar. c. quem sequitur Sanctius ibidem Torniell. & Salian. in Annal. Petauius de doct. temp. lib. 10. c. 15.

tulerunt,quo tempore Cyrus nondum cœperat Babylonem. Pergit Eusebius, *Desolationis vero templi sub Dario Rege,complentur anni septuaginta.*

83. Iam, ne quod vereris, Peregrine, dubiam & fluctuantem Chronologiam habeamus, videndum ecquid indagare possimus certum captæ Babylonis & solutæ captiuitatis annum, ad quem historiæ sacræ profanæque tempora velut ad compitum reuocemus. Nabuchodonosor, vt ab Ezechiele proditum est, anno transmigrationis Iechoniæ vicesimo septimo, Ægyptum inuasit,vastauit, spoliauit, alios occidit, alios in captiuitatem abduxit. Qui superfuerunt Ægyptij calamitatem suam Apriæ Regis proditioni acceptam referentes, Amasim sibi Regem adsciuerunt, & Apriem ipsum collatis signis fuderunt, ceperunt, elisis denique faucibus infelici laqueo strangularunt. Amasi porro anni quadraginta quatuor ab Herodoto, quadraginta tres à Manethone tribuuntur. Mense sexto post eius obitum Cambyses anno regni sui quarto Ægyptum subegit.ac proinde inter Apriem & Cambysis initium anni duntaxat quadraginta computantur, E quibus Nabuchodonosor nouem quibus Ægyptiacæ cladi superstes fuit,filius, & cęteri qui vsq; ad captam Babylonem in Chaldæa regnarunt,annos viginti tres, menses nouem Berosi calculis excerpunt. Restant igitur anni fere octo quos regno Cyri Babylonico possimus adscribere.

86. Quod si certiora quærimus huius Chronologiæ vestigia, eorum meminisse oportet quæ fusiùs à nobis hesterno die disputata sunt, mi Peregrine, sed in gratiam Theocriti nostri videntur paucis esse repetenda. E libro 2.Paralip.cap.36.v.21. Ieremiæ cap 25.v.12.& cap.29.v.10. manifestè colligitur annum Iudaicæ transmigrationis septuagesimum cum imperij Babylonici fine, & anno Cyri primo concurrere, Zacharias cap.1.v.12. docet annum desolationis & ruinæ templi septuagesimum Darij secundo terminari. Aut igitur, quod impium est, vel animo cogitare, Spiritus sanctus calculos male subduxit, aut tantumdem temporis inter annum Cyri primum & Darij secundum, quantum inter duas aliquas deportationes interfluit, è quarum altera Ieremias, ex altera Zacharias annorum illorum septuaginta seriem euoluit.

86. Quod antiquis omnibus ita persuasum fuit.vt qui inter annum Cyri primum & Darii secundum annos quadraginta numerabant,ab anno Iosiæ decimo tertio,quo Ieremias prophetare cœpit, primæ transmigrationis, quæ anno Cyri primo finita est, caput accerserent. Quamuis ante tertium annum Ioacimi, qui Nabuchodonosoro primus illuxit, Iudæorum nemo translatus fuerit in Babylonem. Hoc enim anno Ioacim cum Daniele, aliisque non paucis in Chaldæam perductus est, anno septimo Iechonias siue Ioachinus, decimo octauo Sedecias, templúmque funditus euersum; Vnde Clemens Alexandrinus 1. Stromat. Augustinus lib.18.de ciuit cap.26. Hieronymus in Aggæum 1.in Zachariam 1. Ezechielis 4.& alibi, Theodoretus Zachar.1. Danielis 9. Ezech.9. aliique passim annos septuaginta seruitutis & vastationis, cuius meminit Zacharias, auspicantur, & quamuis Nabuzardan anno Nabuchodonosori vicesimo tertio quasdam Iudæorum reliquias transtulerit, hactenus tamen inuentus est nemo qui ab illa postrema deportatione annos captiuitatis septuaginta numeraret. E quibus efficitur inter Iudæos anno Cyri primo patriæ restitutos, & annum Darii secundum non plus temporis quàm inter primam & tertiam populi transmigrationem intercipi, annos videlicet octodecim, qui è duobus Darii, Cambysis & Magorum octo, Cyri totidem colliguntur. Quod si dato Iudæis postliminio iactisque templi fundamentis Cyrus, vt illi volunt, vitam annis pene triginta propagasset, profecto credibile non est, instaurationem illam templi diuina voluntate susceptam, vt ipse in edicto profitetur, iamdiu calumniis & malis artibus impediri potuisse.

87. Quæ si vera sunt, si scripturæ testimonio, patrum authoritate, Mathematica denique ratione constant, certum habemus annum, certam temporũ epocham, ad quam, velut ad compitum (sic enim loquitur noster Peregrinus) omnia sacræ profanæque Chronologiæ diuortia reuocentur. Consentiunt omnes annos illos triginta saltem inchoatos qui passim ab historicis regno Cyri tribuuntur, ab Olympiadis quinquagesimæ quintæ initio esse numerandos, siue patre Cambyse Persarum Rege, & auunculo Cyaxare Medorum item Rege superstitibus militare susçeperit imperium,& ab vtroque in regni spem & consortium adlectus, vt è Xenophonte colligitur, siue auo suo Astyage in ordinem redacto Mediæ regnum inuaserit, vt Herodotus & alii prodiderunt. Quibus si annos triginta,id est Olympiadas septem & annos duos adieceris,eius obitum Olympiade sexagesima secunda, anno secundo exeunte, vel ineunte tertio deprehendes, siue tran-

quilla suauíque morte naturæ concesserit, vt ait Xenophon, siue accepto in pugna vulnere, tertio die post adeptam de Derbicibus victoriam, inter filiorum & amicorũ manus rebus compositis occubuerit, vt narrat Ctesias, siue, vt patragœdiat Herodotus, in ipso conflictu perierit, & caput à Massagetis amputatum in vtrem sanguinis iniectum fuerit, vt qui cruorem sitierat, humano se cruore satiaret. Cum igitur probatum à nobis hactenus fuerit anno ante Cyri mortem octauo, vel nono desinente, qui regni Babylonici primus illuxit, Hebræorum seruitutem esse laxatam, si annos octo, id est Olympiadas duas subduxeris, inuenies finem Babylonicæ deportationis in annum Olympiadis sexagesimæ secundum incidisse, ad quem velut ad centrum confluent omnes sacræ profanæque Chronologiæ rationes.

XIV. *Quo sensu Iudæi dixerint templũ quadraginta sex annis ædificatum.*

88. QVod ad annos illos quadraginta sex immanibus templi substructionibus adscriptos attinet, in his violenter admodum enumerant annos pene quadraginta, quibus eorum calculis ab opere cessatum est. Cur enim quia ducentis & sexaginta post Cyrum annis Simon Oniæ filius suffulsit domum, corroborauit templum, & in maiorem altitudinem excitauit, eodem iure dicere non liceat annis ducentis & sexaginta templum ædificatum fuisse? cur non trecentis nonaginta sex, quia tot annis post Cyrum elapsis, Iudas Machabęus templum ab idolis mundauit, & Sancta Sanctorum, quæ à gentibus euersa fuerant, excitauit? Cur denique non penè sexcentis, quia tot inter iacta sub Cyro fundamenta, & nouam sub Herode templi molitionem anni numerantur? Nam si responderis annos illos inter diuersas templi substructiones elapsos, quibus ab opere cessatum est, censeri non debere, quæro cur illos enumeres, quibus inter annum Cyri secundum & Darii secundum ædificatio conquieuit.

89. Probabilissima est igitur responsio Baronii ad annum Christi trigesimum primum, quam Iacobus Tirinus tum Chronico sacro, tum notis in caput 2. Ioannis amplectitur; Iudæos de templo ab Herode restituto locutos fuisse, vt cùm dixerunt, *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, tempus respexerint à quo ab Herode cœptum est ædificari, ac deinde vsque ad præsentem annum sex & quadraginta numerarint. Quare videndum est quandonam templi ædificationem inchoauerit Herodes. Scribit Iosephus lib. 1. de Bello Iudaico, cap. 16. Πεντεκαιδεκάτῳ γοῦν τῆς βασιλείας ἔτει τὸν ναὸν ἐπεσκεύασε, &c. *Anno regni sui quintodecimo templum exstruxit, &c.* At lib. Antiquit. 15. cap. 14. quasi retexens orationem suam, ait extruendi consilium captum esse, ἐν τῷ Ἡρώδου βασιλείας γεγονότος ἐνιαυτοῦ, *decimo octauo regni Herodis anno.* Sed vt Iosephum Iosepho conciliemus, cùm annos quindecim numerat, à nece Antigoni sumit initium; cùm octodecim, respicit ad id tempus quo Herodes C. Domitio Caluino iterum, C. Asinio Pollione Coss. vtidem Iosephus author est lib. 14 Antiq. cap. 25. Duplex autem Herodis fuisse primordium ex eodem authore compertum est lib. 17. Antiq. c. 10. qui vita defunctum Herodem esse testatur post detrusum regno Antigonum anno 34. trigesimo septimo, postquam Rex declaratus est à Senatu. Annus porro decimus octauus post Caluinum & Pollionem Consules, quo suum de extruendo templo consilium Iudæis Herodes aperuit, incidit in annum ab vrbe condita 732 & M. Claudii Marcelli, L. Aruntii consulatum. Neque tamen statim manum operi admolitus est Herodes, sed aliquid temporis antequã vetus templum demoliretur, in comparanda materia consumpsit, οὐ πρότερον καθαιρήσειν φάμενος τὸν νεὼν, ἢ πάντων αὐτῷ τῶν εἰς τὴν συντέλειαν αὐτὰ ταῦτα δεήσειν οὐκ παρεσκευασμένων καὶ ἐψεύσατο. *Se non priùs demoliturum esse templum aiens, quàm omnibus ad operis perfectionem necessariis antè comparatis.* Faciamus igitur triennium comparandæ materiæ impensum, habebimus annum ab V. C. 736. inchoata templi substructione insignem. cui si quadraginta sex annos adieceris; annum ab V. C. 782. decimum sextum Tiberii, primũ prædicationis Euangelicæ deprehendes. Quamuis fortasse, vt iam monuit Peregrinus, necesse non est ad tenue rem elimare, atque omnes temporum minutias aucupari.

90. Neque verò quicquam roboris habet, quod obiicitur ex eodem Iosepho lib. 15 exeunte totum opus ab Herode citra decem annos esse perfectum, loquitur enim de mirandis illis operibus, quæ ibidem enumerat, non de omnibus omnino ædificiis quæ tum ab ipso posteà, tum à posteris adiecta sunt, nec ante tempora Neronis fuerunt absoluta. ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν τετέλεστο. *Iam enim tunc perfectum erat templum.* vt ait libr. 20. Antiq cap 8. Adiecit Herodes cryptam subterraneam quæ à turri Antonia ad templum pertinebat: accessit &

probatica

Ioan. 1. probatica piscina quinque porticus habens, & alia non pauca quæ ab eodem luculentissimo scriptore lib. 6. belli Iudaici, cap. 6. referuntur.

91. Hic igitur Iudæorum sensus fuit: hoc totum opus, quod oculis cernitur, ex quo primùm ab Herode inchoatum est, quadraginta sex annis, ad hanc, quam vides, molem excreuit; quomodo igitur tu, si destructum fuerit, illud denuo tribus diebus poteris excitare? Quæ cùm ita sint, nihil opus est ad expediendum hunc Euangelij nodum, in eas te tricas induere, quas multis verbis expedire non possis.

Restat vt ad præcipuum disputationis nostræ caput aliquando veniamus. THEOC. Age igitur, Peregrine, quoniam me, qui priùs mihi scire videbar Darium Medum Danielis eundem esse cum Berosi Nabonido, tam multis nihil scire docuisti, paucis expone tuam de illo sententiam.

XXIV. *Dijudicatio præcipuæ quæstionis quis fuerit Darius Medus.*

92. PEREGR. Quæris à me, Theocrite, de Dario Medo quid sentiam. Non tenebo te diutiùs expectatione suspensum. Non fuit Astyages Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos. At Cyri auus Astyages, quo tempore Cyrus cepit Babylonem, longè fuisset ætate prouectior, & annũ iam pene centesimum attigisset. Si quidem apud Herodotum in Herodot. lib. 1. hęc verba loquitur Harpagus iussus Cyrum recens natum interficere: Ἀστυάγης μὲν ἐστὶ γέρων, καὶ ἄπαις ἔρσενος γόνου. *Astyages quidem senex est, & virili sobole destitutus.* Quod autem dicitur Danielis 13. vers. 64. & 65. *Daniel autem factus est magnus in conspectu populi ab illa die & deinceps. & Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.* Sic interpretor, vt cùm Daniel ab anno vitæ duodecimo in cõspectu populi floruisset, post mortem Euilmerodaci, Nerighssaro eius interfectore regnum inuadente, & superiorum Regum, vt fit, amicos ad necem quærente, fuga salutem expedierit, & in Persidem secesserit, quo tempore mortuus est Astyages & Cyrus Persa regni Mediæ gubernacula suscepit, siue continuò supremam obtinuerit potestatem, siue, vt ait Xenophõ, quamdiu pater Cambyses, & auunculus Cyaxares superstites fuerunt, Persas ac Medos dicto audientes habuerit, rémque militarem administrarit, non vt Rex supremus, sed vt declaratus vtriusque regni successor, dum illi nomine tenus ac titulo personam regiam sustinerent.

93. E quibus planè castigandi sunt Ctesias & Herodotus, nisi si quis eos Danieli præferendos putat, à quibus reliqui deinceps magno consensu suas fabellas hauserunt, & Astyagem Mediæ Regem à Cyro Persa regno exutum aliquamdiu vitam priuatam egisse litteris prodiderunt. De Danielis in Persidem secessu liquet è cap. 8. ineunte, *Anno tertio regni Baltassar Regis visio apparuit mihi. Ego Daniel, &c. vidi in visione mea, cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam regione.* Quod ad tempus attinet, Daniel, vt inquit Ignatius mart. epist. ad Magnesianos, δωδεκαετὴς γέγονε κάτοχος τῷ θεοῦ πνεύματι. *Spiritu Dei afflatus est, & illos frustra canitiem gestantes senes, calumniatores, & alienæ pulchritudinis appetitores conuicit, natus annos duodecim,* atque ex his fontibus ad hominum commendationem emersit, & in omnium oculis, quamdiu Nabuchodonosor eiúsque filius Euilmerodacus vixerunt, magna cum sapientiæ laude versatus est. Quòd autem anno quo necatus est Euilmerodac, Cyrus regnare occœperit, inde planum est, quòd, vt Restitutus modò demonstrauit, anno regni Persici secundo & vicesimo Babylonem inuasit, quo tempore iam ab Euilmerodaci nece, anni Nerighssari quatuor, Laborosoarchodi mẽses nouem, Nabonidi siue Baltassaris anni septemdecim effluxerant. Cùm igitur annis viginti duobus ante Baltassaris obitum extinctus fuerit Astyages, bona Theodoreti veniâ, Darium Medum Baltassaris successorem alium ab Astyage quæremus.

94. De Cyaxare præter Hieronymi, Iosephi, & aliorum authoritatem vix vllum est argumentum quod aliquam veri speciem obtinere videatur. Nam quod vno duntaxat anno regnasse dicebatur Darius, quia Daniel vnius anni facit mentionem, id sanè leuiculum est, cùm Hebræis atque adeo Chaldæis vnum pro primo frequenter vsurpari vel ipsi tirones intelligant. Et cùm ex ipso Xenophontis contextu, qui vnus omnium antiquorũ Cyaxarem agnoscit, satis appareat Cyrum continuò post euersum Chaldæorum Imperium Babylonis imperasse, qui in Babyloniorum regum seriem Cyaxarem inculcant, nihil est cur sibi de Xenophontis authoritate blandiantur. Quamuis enim Cyrus occupata Babylone Cyaxarem conuenit, eíque dixit ædes ei Babylone electas esse, καὶ ἀρχεῖα, & principia, siue prætoria, non magis tamen ei regnum Babylonicum donauit, quàm cæteris amicis, quibus vt primùm vrbe poti-

Vv

tus est, ϰαὶ οἰκίας διεδίδου, ϰαὶ ἀρχεῖα, *ædes distribuebat & principia*, cùm interim Cyrus ipse circumpositis regio more stipatoribus, in Regia domicilium collocarit, vt libro septimo exeunte, & octauo ineunte narratur. Non negauerim tamen aliquas amplissimi illius imperij regiones Mediæ viciniores, regno Mediæ fuisse contributas, vt abs te probatum est, Theocrite, atque adeo secundum Danielis vaticinationem regnum Baltassaris verè propriéque fuisse diuisum, datúmque Persis ac Medis, donec iterum omnes prouinciæ Cyaxaris obitu paulo pôst in vnum imperium conuenirent. Meæ ratiocinationis hæc summa est: cùm ex vno Xenophonte Cyaxaris notitiam hauserimus, quamdiu nobis aliud occurret, non debemus contra Xenophontis ipsius mentem hunc Regem inuitis Babyloniis obtrudere.

95. Quis igitur iste Darius Medus tanto Chronologorum omnium conflictu, tanta interpretum altercatione vexatus? Cyrus ipse fuit, vt mihi quidem videtur, quod & ante me Peretius probabile censuit, & S. Patres à Theodoreto laudati memoriæ prodiderunt. Darius è genere Medorum, Cyrus materno genere fuit à Medis oriundus. Darius filius Assueri: Cùm Cyri filius Cambyses alio nomine dictus fuerit Assuerus, meritò suspicari possumus auum, quem tum Xenophon, tum Herodotus Cambysem appellant, Assueri cognomen habuisse. Darius postremo Babyloniorum Regi proximè successit: Cyrū Nabonido siue Labyneto postremo Babyloniorū Regi proximè successisse constans est omnium historicorum sententia. Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos: Cyrus anno regni Babylonici primo ad id ætatis peruenerat. Nam, vt ex Dionysio Persico refert Tullius 1. de Diuinat. *ad septuagesimum peruenit, cùm quadraginta natus annos regnare cœpisset.* Anno verò regni vicesimo secundo captam esse Babylonem supra docuimus, & Ribera, Tomiellus, Salianus, Petauius & alii confitentur. Hos annos circiter octo, si de septuaginta deduxeris, vel, quod idem est, si annos regni viginti duos quadraginta vitæ priuatæ annis adieceris, Cyrum inuenies anno vitæ sexagesimo secundo regni Babylonici gubernacula suscepisse.

Orat. 6. in Danielem, initio.

Cùm igitur omnia quæ Dario Medo Daniel adscribit, apprimè Cyro conueniant, cùm genus, ætas, & alia consentiant, cùm Cyaxares ille Xenophontis qua tempestate Cyrus annum vitæ secundum & sexagesimum attigerat, septuagenario maior fuerit, non video cur Darium alium à Cyro diuersum quærere debeamus.

96 THEOC. Atenim, mi Peregrine, quos ipse Daniel apertè distinxit, eos non ausim confundere. sic enim cap. 6. vers. 28. *Porro Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij regnúmque Cyri Persæ.* Quæ frustra diceret, si vtrumque nomen in vna & eadem Cyri persona constitisset. PEREG. Quid igitur faciemus Ecclesiastico? *In Iacob*, inquit, *inhabita, & in Israel hereditare.* Quid Isaia faciemus? *Creans te Iacob, & formans te Israel.* Et iterum: *Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum.* Quid Barucho? *Adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo.* Quid aliis Prophetis? Huius enim locutionis sexcenta proferri poterant exempla, de quibus ista carprim libauimus. Horum, opinor, vel ineptè redundans & superuacanea fuit oratio, vel ne id fateri cogamur, Iacob erit ab Israele diuersus. Maneat igitur illud literam ו apud Hebræos & Chaldæos non tantùm disiuncta connectere, sed etiam ἐπεξήγησιν & sententiæ superioris explanationem frequēter indicare, vt ego ipse dum hæc loquor ἐπεξήγησιν *& explanationem*, non ita particulam *&* vsurpo, vt diuersa coniungat, sed vt explanationi verbi superioris inseruiat. Quare cùm ait Daniel, *regnum Darij, regnumque Cyri*, perinde est atque si diceret, regnum Darij, id est, regnum illius qui Cyrus altero vocabulo nuncupatur, Cyrus Persis, quo nomine Solem Deorum suorum principem appellant, vt ait Ctesias, qui cùm in Artaxerxis aula vixerit annos septemdecim, Persarum linguam ignorare non potuit, quicquid Scaliger ineptiat, Darius Medis, quod nomen interpretatur Herodotus libr. 6. ἑρξείης, id est coërcitor, siue quòd Medos ipsos coërcuerit, Persarúmque subiecerit ditioni, vt plerique tradunt, siue quòd, vt ait Xenophon, à Medis accersitus fuerit, vt ingruentes in Mediam Assyrios coërceret. Hæc habui de Dario Medo quæ dicerem, quæ si cui minùs probata fuerint, author ei sum vt communiorem sequatur de Cyaxare sententiam.

Cap. 24. vers. 13.
Isaiæ 43. 1.
Is. 45. 4.
Bar. 3. 37.



SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER DECIMVSTERTIVS.

DE IVDITHA.

GREGORIVS, POLYDORVS, CALLINICVS.

1. GREGORIVS, Non sciscitor vnde venias, Polydore. Tempus enim & apparatus iste satis ostendunt, te ex Academia recentem accedere: sed illud ex te scire velim quid hodierna scripturæ prælectione venerit in quæstionem. Polydorus: Id vnum magna sanè Magistri solertia quæsitum est, Gregori, rectène an secus Nouatores librum Iudith è canone sustulerint, & in ordinem librorum, quos apocryphos appellant, coniecerint. GREGOR. Quid ille vero? POLYD. Quod videlicet necesse fuit, quod Concilij Tridentini decretum, quod communis Ecclesiæ sensus extorquet.

I. *Hæreticis caussæ nihil fuisse cur librum Iudith è Canone sacrarum scripturarum eraderent.*

2. EOrum rationes ad duo maximè capita referuntur, ad authoritatem Patrum, vt Athanasii in Synopsi, Epiphanii contra Epicuros, & potissimùm Hieronymi, tum in prologo Galeato, qui passim Latinæ Bibliorum editioni præfigitur, tum præfatione in Prouerbia Salomonis. Deinde ad inextricabiles, vt aiunt, difficultatum nodos, quibus ratio temporis implicatur. GREG. Non quæro quid ad Patrum authoritatem responderit: cum enim arbitror Bellarmini cap. 12. de Verbo Dei, Serarij Prolegomeno quarto in librum Iudith, & aliorum doctissimorum virorum vestigiis institisse, qui de diuina huius libri authoritate fatentur etiam inter Catholicos aliquando fuisse dubitatum, sed lapsu temporis, communi fidelium consensu, peculiari sancti Spiritus afflatu, sacrarum Synodorum authoritate, Summorum Pontificum responsis esse pro canonico susceptum, non quòd ab hominibus authoritatis diuinæ momentum acceperit, sed quòd paulatim agnitus fuerit à Spiritu sancto dictatus, & dies diei eructarit verbum, & nox nocti scientiam indicarit. Synopsin vel alterius esse quàm Athanasij, vel ante Nicenum Concilium ab eo esse digestam: Hieronymum priusquam in eiusdem Synodi Canones incidisset, eos duntaxat veteris testamenti libros, qui sunt in Hebræorum canone, pro canonicis recepisse, mutasse tamen postea sententiam: Nam, vt præfatione libri Iudith ipse testatur, *hunc librum Synodus Nicena in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse*, à cuius decretis sanctissimus Doctor discedere noluisset. Arbitror Patres bene multos ab eo lauda-

tos, nec paucas Synodos in hanc sententiam esse prolatas, imprimisque Concilium Carthaginiense, cui magnus Augustinus & interfuit, & subscripsit.

3. POLYD. Hæc sanè proferebat, Gregori, sed vnum etiam addebat, quod mihi potissimùm arrisit. Aiebat hunc librum Apostolorum etiam Pauli & Iacobi testimonijs comprobari, & plus in iis esse momenti quàm putasset Serarius 1. Corinth. cap. 10. v. 10. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Exterminatoris huius, qui murmurantibus Hebræis pœnam inflixerit, nullum nisi Iudith 8. v. 25. in veteri scriptura vestigium. *Improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt: exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.* Iacobus Epist. Canon. cap. 2. v. 23. *Suppleta est scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.* Hæc posteriora verba è quo fonte fluxerunt? ex eodem capite 8. Iudith, versu 22. *Abraham tentatus est, & per multas tentationes probatus Dei amicus effectus est.*

Liber Iudith à Paulo & Iacobo agnitus.

4. GREG. Imò, Polydore, multi sunt alij fontes in veteri instrumento, è quibus hanc appellationem possimus accersere, vt Paralip. cap. 20. v. 7. *Dedisti eam*, videlicet terram, *semini Abraham amici tui.* Isaiæ 41. v. 8. *semen Abraham amici mei.* Dan. 3. v. 35. *propter Abraham dilectum tuum*, τὸ ἠγαπημένον ὑπὸ σοῦ. E quibus incertum efficitur vtrùm Iacobus ad hunc Iudith locum alluserit. cur enim potiùs cùm ista scriberet, ad Iudithæ verba, quàm ad Isaiam, librum Paralipomenon aut Danielem animum calamumque conuerterat? POLYD. Cùm Iacobus non solùm significet Abraham in scripturis amicum Dei nominari, sed etiam hæc verba, *& amicus Dei appellatus est*, è scripturis esse deprompta, scripturæ locum quærendum aiebat verbis à Iacobo prolatis non absimilem: nullum autem reperiri qui propiùs ad eius mentem accederet, quàm ista Iudithæ verba, *Dei amicus effectus est.* Quid enim aliud est amicum appellari, quàm amicum effici? quid aliud vocari quàm esse? more videlicet Hebræorum, qui verbum קרא pro חנה frequenter vsurpant, vt Isaiæ 47. v. 1. *non vocaberis vltrà mollis & tenera*, & v. 5. *non vocaberis vltrà domina regnorum*, & alibi frequenter.

Kara pro hana.

5 Quæ locutio nec inusitata est Græcis Latinisque scriptoribus, vt Hesiodo in Theogonia.

Ἠγάγετ' εἰς μέγα δῶμα φίλην κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.

Est deducta domum coniux vt chara vocetur.

Vocari idē est atque esse.

Homero 3. Iliad.

Νικήσαντι φίλη κεκλήσῃ ἄκοιτις.

Victori tu chara vocabere coniux.

Rursum Iliad. 4.

σὴ παράκοιτις κέκλημαι.

tua coniux vocor. Quem in locum Eustathius. Κέκλημαι οὐκ ἐνδιασμὸν δηλοῖ, ἀλλ' αὐτὸ τὸ, εἰμὶ, κεῖται. *Vocor non dubitationem significat, sed pro sum vsurpatur.* Quid Latinus Poëta? cùm ait:

Quondam coniux tua dicta relinquor.

& *Quem legêre ducem & pecori dixêre maritum.*

Et ne ambitiosiùs videamur profanorum exempla corradere, Lucas cap. 1. cùm ait versu 32. *filius altissimi vocabitur.* & rursum v. 35. *vocabitur filius Dei:* an aliud significare voluit, quàm filium Dei reuera futurum, qui ex Maria nasciturus prædicitur? E quibus liquet Iacobum, cùm scripturam ait esse suppletam, librum Iudith præ oculis habuisse.

6. Quod ad rationem temporis attinet, quam inexplicabilem aiunt, bene monet Serarius *si ob difficiliorem temporis calculum historiam negare liceret, futurum profectò vt omnium pene diuinorum librorum labefactaretur authoritas. Quanta enim Chronologiæ in omnibus difficultas? norunt eruditi.* Hæc ille: quamuis tum ipse, tum Bellarminus de verbo Dei cap. 12. Gordonus in Chronologia cap. 10. Num. 36. Salianus in annum Manassis octauum, Tirinus commentariis in librum Iudith, Petauius lib. 12. de doctrina temporum cap. 26. aliique non pauci ante transmigrationem Babylonis commodum huic historiæ tempus assignant, quam volunt Manassis æuo, & quidem anno eiusdem, vt putat Salianus, octauo contigisse.

De ætate Iudith variæ sententiæ.

Recentiorum.

Nonnulli vt Melchior Canus, & Ioannes Catrio nullum huic rei gestæ tempus definiunt, tantùm asserunt Iuditham ante Babylonicum exilium floruisse, Genebrardus, sanè perincommodè, in Sedeciæ Regis tempora, Ioannes Benedictus & apud ipsum Ziglerus non multo commodiùs in Iosiæ regnum, hanc historiam contulerunt.

7. GREG. Si controuersiam scriptorum vel numero vel antiquitate decidimus, mi Theodore, multos paucis, recentioribus antiquos poterimus opponere. Iulius Africanus apud Suidam, Augustinus lib. 18 de ciuit. cap. 26. Eusebius, Ado Viennensis, Hermannus Contractus in

Antiquorum. Chronicis, Petrus Comestor in Histor. Scholast. Rabanus in primum Iudith, Venerab. Beda de temp. & lib. de sex Ætatib. Lyranus in Tobiæ fine, aliique quamplurimi rem à Iuditha sub Persarum Regibus, & post reditum ab exilio Babylonico, gestā esse testantur. licet vbi definiendus est Rex ille Persarum cuius temporibus gesta fuerit, diuidantur in aliquot sententiarum diuortia, & alii præclarum Iudithæ facinus sub Cambyse, vt Eusebius & alii multi, alij sub Xerxe, vt Iulius Africanus & Suidas, alii sub Artaxerxe Ocho, vt Seuerus Sulpitius in historia, alii denique sub aliis Persarum edictum arbitrentur.

8. Sed video quid dicturus sis, non tam illustris est recentiorũ, quàm Africanorum, Eusebiorum, Augustinorum, Bedarum, Sulpitiorum authoritas, omnia tamen diligentiùs examinant, quare magna Patrum nomina taceamus, & rem cùm re, rationes cum rationibus conferamus. Esto sanè: nihil hîc Augustinus, nihil Africanus, nihil alii quantumvis illustres & vel eruditione vel antiquitate venerandi huic caussæ preiudicent, taceantur authores, sola rationum momenta ponderentur. Vide quantum tibi largior: ais Holophernis cædem ante templi excidium contigisse: ego post eius instaurationem euenisse defendo: tu nullos habes ex antiquis authores fundósque tuæ sententiæ: ego meæ, vt cæteros omittam, Augustinum, & Africanum. Horum authoritatem, quæ vel sola confessionem veritatis extorquere potuit, tibi remitto, & rationis pondus duntaxat expendo.

II. *Constitutio Quæstionis.*

9. POLYD. Sanè placet ista conditio, mi Gregori: priùs tamen, si tibi videtur, circumscribamus certos cancellos disputationi nostræ, ne vltra limites euagetur oratio. Quæritur vtrùm ante vel post Sedeciæ cladem & templi subuersionem à Iuditha cæsus fuerit Holophernes. tu pòst, ego ante cæsum existimo. Et quidem annis minimùm septuaginta priusquam Iosias ab Ægypti Rege vita priuaretur, & filius eius Ioachas tertio post mense regno deiectus & vinctus in Ægyptum duceretur, cùm enim vt dicitur libro Iudith exeunte, Iudith manserit in domo viri sui annos centum quinque, & in omni spatio vitæ eius post Holophernis cædem exacto non fuerit qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis, necesse est inter Holophernis & Iosiæ necem anni complures effluxerint, ne Iuditham cùm populum suum liberauit, iam vetulam & propè decrepitam fuisse fateamur. Quare nihil est quod iis, qui Iudithæ facinus ad Iosiæ vel Sedeciæ tempora contulerunt confutandis diutiùs immorere. Hoc enim fieri non potuisse vltro concedimus: & expectamus illud vt ostendas primos Manassis annos historiæ Iudith non satis conuenire, cósque confutes qui anno Manassis octauo circiter cæsum aiunt Holophernem: ex quo tempore ad Iosiæ necem annorum septuaginta octo tranquillitas affulsit.

10. Et ne ego ipse qui tibi terminos circumscribo, vltra scammata transiliam, volo vicissim, vt quoniam hæc post finem Babylonicæ seruitutis ad Persarum monarchiam reficienda censes, paucis exponas sub quo Persarum Rege rem à Iuditha præclarè gestam existimes. GREG. Non te diutiùs suspensum tenebo, Polydore: non hæc arbitror Cambysis temporibus conuenire, quia cùm bellum exarsit, templum stabat, vt liquet è Iudith 4. v. 2. cuius instauratio Cyro regnante cœpta quidem fuerat, sed iussu Cambysis intermissa, & tandem anno secundo Darij Regis repetita, non anno decimo tertio Artaxerxis Ochi: quia inter hoc tempus, & Ptolemæum Lagi, qui Iudæos magnis cladibus afflixit, vix anni triginta numerantur: cùm inter cædem Holophernis & res Iudæorum denuo turbatas, annos saltem septuaginta computari necesse sit: sed iis assentior qui rem gestam ad Xerxis tempora contulerunt: quamuis Riberæ commentariis in Naum Prophetam, cap 7. Numer. 31. & Torniello in annum ab orbe condito 3572. aientibus Nabuchodonosorem illum cuius auspiciis bellum gerebat Holophernes, Assyriæ & Babyloniæ Satrapam fuisse, & à Xerxe defecisse post cladem à Græcis acceptam nullo modo possum subscribere: sed ipsissimum Xerxem arbitror, qui Nabuchodonosor ab Hebræis nominetur, & Græciæ bellum illaturus Holophernem præmiserit.

11. Remoueamus igitur quæ à præsenti quæstione seiuncta sunt, nec ea de quibus inter nos conuenit, oratione ventilemus, conuenit inter nos ea quæ libro Iudith narrantur, neque Iosiæ, neque Sedeciæ, neque Darij, neque Cambysis, neque Artaxerxis Ochi temporibus accidisse. illud vnum in quæstionem venit vtrùm sub Manasse ante Babylonicam seruitutem, an eâdem per Cyrum laxatâ, temploque iam instaurato sub Xerxe, Iudith Holofernem occiderit, & ciues suos ab interitu, templum ab incendio liberarit: *Hic saltus, hîc Rhodus.* Cùm tamē in nonnullis Græcus, Latinúsque tex-

tus dissentiant, priùs inter nos & illud conueniat necesse est, quanta vtriusque sit authoritas.

III. *De textu Græco & Latino libri Iudith, quid sentiendum.*

12. POLYD. *Apud Hebræos*, vt author est Hieronymus in præfatione, *Liber Iudith Chaldæo sermone conscriptus inter historias computatur.* Quid ipse in translatione præstiterit, ipse præfatur, aitque se *magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transtulisse.* Et, *Multorum*, inquit, *codicum varietatem vitiosissimam amputaui: sola ea quæ intelligentiâ integrâ, in verbis Chaldæis inuenire potui, Latinis expressi.* Hanc interpretationem, vt debemus, meritò veneramur; & iuxta Concilium Trident. sess. 4. integram cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuit, & in veteri vulgata Latina editione habetur pro sacra & canonica suscipimus: cùm tamen, vt bene monet Serarius prolegomeno tertio, caussæ dari nihil possit cur non Græca translatio LXX. Senioribus, quos diuino afflatos instinctu scripturam vertisse Patrum plerique sentiunt, accepta referatur, non ausim facilè, quoties cum Latina conciliari poterit, ab eius authoritate discedere. Nam & illi codices Chaldæos integriores, quàm Hieronymus, habere potuerunt, & cùm is se pleràsque clausulas, quæ propter vitiosissimam codicum varietatem intelligi non poterant, amputasse fateatur, non video cur quasdam facti circumstantias & periodos, Græcæ narrationi frequenter intextas, tanquam supposititias, respuamus, nisi si quando, vt in numeris euenire solet, error in codices Græcos incuriâ librariorum irrepsit. Esto igitur apud nos illibata Latinæ versionis authoritas, sed nisi manifesta ratio contrarium euincat in translatione Græca non leue momentum esse statuatur. GREGOR. Assentior tibi, Polydore, & expecto vt ante Sedeciæ cladem, & exeidium templi, Manassis temporibus Iuditham floruisse, & Hebræos ab interitu vindicasse demonstres.

IV. *Argumenta quibus probari possit Iuditham ante seruitutem Babylonicam floruisse.*

13. POLYD Circumuenisti me, Gregori: putabam mihi latissimum disputationis campum aperiri, si eos refellere statuissem qui vel sub Cambyse, vel sub Ocho remp. à Iuditha præclarè gestam esse voluerunt. Magnam argumentorum segetem subministrabat Eminentiss. scriptor Bellarminus, è cuius rationibus numero duodecim, sex omnino ad eorum confutationem collineant: tu tuis istis præscriptionibus sex argumenta de manibus extorques. Doctissimus etiam Salianus non pauca mihi suggesserat, quibus contra Riberam ostenderem Nabuchodonosorem illum, à quo missus Holophernes, & Arphaxadum Regulos non fuisse Regi Persarum subditos, qui post cladem à Græcis acceptam à Xerxe defecerint: sed cùm Nabuchodonosorem ipsum Xerxem esse dicas, aliam necesse est confutationis viam indagare. Statueram eleuare Græci textus authoritatem, si quando grauiùs in tuas partes incumberet: sed eò sum imprudens tuis interrogationibus adductus, vt iam non ausim citra grauissimam caussam à Græci textus authoritate discedere. Aggredior tamen & ea quæ mihi supersunt, è doctissimis huius superiorisque seculi scriptoribus argumenta depromam.

14. Quibus igitur vestigiis poterit Iudithæ Chronologia deprehendi? Post captiuitatem, inquit Serarius, vel Hierosolyma tum nulla erant, vel ita paulatim reædificabantur, vt contra finitimos sese tueri satis habeirent. Esdræ primo cap. 4. & 5. & lib. 2. cap. 4. Templum etiam tum vel prostratum iacebat, vel non nisi sensim excitabatur, vt ex iisdem locis & Aggæo perspicuum, &c. Assyriorum sceptrum conciderat, Medorum regnum Satrapia iam erat: omnia denique vna Persicorum Monarcharum ditione, atque dominatu tenebantur: At verò infrà cap. 4. v. 2. & 6. cap. 15. v. 9. cap. 16. vers. 22. Stat templum, vigent Hierosolyma, Pôtificatum gerit Eliachim. & cap. 1. Assyriorum Rex adhuc est: Niniue triumphat, Media regni adhuc dignitatem, & quidem prępotentis obtinet. Persidis verò fit cap. 1. mentio in Græco, & cap. 16. in Latino. Sed tanquam obscuræ adhuc regionis, & quam facile territaret adhuc Assyrius. Hæc ad verbum vir eruditus, iis prætermissis quæ ad Ochum & extrema Persicæ Monarchiæ tempora pertinebant.

In cap. 1. Iudith, quæst. 1.

Argumenta Serarij.

15. Quid? quòd Arphaxad cum quo pugnauit Nabuchodonosor, ædificauit Ecbatana, Iudith 1. at eum qui condidit Ecbatana, constat annis ducentis ante Xerxem floruisse, vt Herodotus, Eusebiúsque litteris prodiderunt. Alius igitur fuit Xerxes, alius Nabuchodonosor ille cuius auspiciis bellum gerebat Holophernes. Quid? quod Nabuchodonosor nomen est Assyrium, aut certè Babylonicum. non potest

Ecbatanorum conditor.

igitur Persarum Regibus conuenire. Quid? quod multis ante Cyrum annis Niniuem excisam funditúsque deletam isti coguntur rursus ædificare, nullo conditore, nullo reste? Quid? quòd in eadem vrbe Persarum Reges constituunt: qui, vt ex historia, tum sacra, tum profana liquet, menses septem Babylone, tres vernos in Susis, duos circa dies caniculares in Ecbatanis exigebant? Xenophon Cyrop. 8. & ἀναβασ. 3. Zonaras in Annal. Athen. 12. Deipn. aliique: nusquam autem reperiuntur in vrbe Nino regiam habuisse.

16. Accedit quòd Nabuchodonosor iste Ciliciam, Damascum, Palæstinam vicinásque regiones occupare conatus est: quas prouincias Reges Persarum iam inde à Cyro, citra controuersiam obtinebant: & Iudæi sic ab iisdem Persarum Regibus pendebant, vt eorum nutu templum ædificarent, aut ab eius ædificatione cessarent, atque adeo in omnibus se ad eorum voluntatem effingerent. Non igitur Persis ingruentibus restiterunt. Iam Holophernes Iudith 5. Principes Moab & Ammon interrogat. *Quis sit populus iste qui montana obsidet: aut quæ & quales & quantæ sint ciuitates eorum: aut quæ sit multitudo eorum, vel quis rex militiæ illorum.* Quorum nihil aut Rex Persarum, aut eius principes, qui paulo antè Iudæos abs se dimiserant, ignorare potuerunt. Nec omiserim probabilem scriptoris Eminentissimi coniecturam: Inter Esdram & Aaronem septemdecim generationum capita Esdræ septimo numerantur. id est inter Esdram & Iacobum saltem viginti: at inter Iuditham & eundem Iacobum duntaxat quindecim recensentur. E quibus probabiliter colligi possit inter Esdram & Iuditham aliquot ætates intercipi, vt illa sit isto longè antiquior.

Argumentum Bellarmini.

17. Sed vt propiùs ad Xerxem veniamus. Si eius auspiciis bellum Hebræis intulerat Holophernes, si Persarum Monarchia tantam à Iudæis sibi paulo antè subditis ignominiam acceperat, quî factum est vt nunquam posteà Persæ bellum repararint, nunquam ab ingratis & perduellibus pœnas tantæ, vt interpretari certè poterant, rebellionis & temeritatis exegerint, & inustam nomini suo labem Hebræorum sanguine delerint? Profectò fingi nihil aliud potest, quàm regnum illud potentissimum, vnde bellum Iudæis fuerat illatum, paulò post Holofernis necem, concidisse. constat autem circa Iosiæ tempora imperium Assyriorum funditus esse collapsum, vt meritò sub Manasse Iosiæ patre Iudith floruisse videatur.

18. Et ne quis refragari possit tam perspicuæ veritati, Esdræ 2. cap. 2. v. 13. considerabat Nehemias anno Artaxerxis, qui Xerxi successerat, vicesimo, qui post expeditionem Xerxis in Græciam trigesimus sextus illuxit, considerabat, inquam, Nehemias *murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.* Quæro quando contigerit ista dissipatio murorum & portarum incensio? Si ante descensum Holophernis, quo pacto cùm *muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ,* Iudith 4. v. 4. quomodo quos tremor & horror inuaserat, *ne hoc faceret Ierusalem & templo Domini, quod fecerat ceteris ciuitatibus & templis earum,* nullam inueniendæ ciuitatis curam habuerunt, vt Nehemias quinquagesimo fere pòst anno dissipatos adhuc muros Ierusalem, & portas igne consumptas inuenirer? Si post cladem Holophernis murus ciuitatis disiectus est, & porta ciuitatis incensæ, quomodo *in omni spatio vitæ Iudith non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis?* Iudith 16. v. 30. Maneat igitur illud Holophernis necem ante Sedeciæ cladem, & vrbis templique excidium contigisse.

19 Gregor. Vide quàm non reformidem, telum & quidem validissimum tibi subministro. Aio missum Holophernem à Xerxe, quem scriptura Nabuchodonosorem appellat, eo ipso tempore quo suam in Græcos expeditionem moliebatur: hunc autem anno regni sui quinto Græciæ bellum intulisse constans est omnium tum veterum tum recentiorum sententia. Anno vero decimo tertio Regis Nabuchodonosor impressionem in Iudæos ab Holopherne factam apertè scriptura testatur Iudith 2. v. 1. E quibus efficitur alium esse Xerxem, alium Nabuchodonosorem, aut certè aliud rebus à Iuditha gestis tempus esse quærendum, nè cum historia sacra pugnemus, & vnum idémque Iudithæ facinus quinto Xerxis anno & decimo tertio consignemus.

20. Polyd. Vide vt quas nebulas tibi ipse suscitasti, possis oratione detergere: interim quia iam liquere videtur Holophernis necem ad Persicæ Monarchiæ tempora sine incommodo non posse differri: restat vt paucis demonstremus Iuditham sub Manasse floruisse. Huius autem Chronologiæ non pauca reperiuntur impressa vestigia. Eo tempore condita sunt Ecbatana: cuius vrbis potentissimæ conditorem Deiocem Herodotus, Dioclem Eusebius appellat: Illius conditionem Iudithæ temporibus scri-

ptura consignat: neque mouete nos debet quod Plinius lib.6. cap.14. à Seleuco condita scribit Ecbatana, vel quòd scribit Diodorus libro secundo, vel vt alij distinguunt, lib.3. eam vrbem à Semiramide magnificentissimis ædibus ornatam, & fluuios in eam corriuatos: nam potest facilè fieri, vt optimè notat Bellarminus, vt ciuitas illa antiquissima aliquoties euersa, nunc à Diocle, nunc à Seleuco, nunc etiam fortasse ab aliquo alio condita fuerit.

21. Sub Manasse Summus Sacerdos erat Eliachim: huius mentio frequens in libro Iudith inuenitur. quem sub Ezechia, eiúsque filio Summo Sacerdotio functum significat Nicephorus Constantinopolitanus in Chronico, & ex Isaia liquet cap.22. vbi Sobna summus Pontifex Sacerdorio remouendus, eique subrogandus Eliacim apertè prædicitur, vers.15. *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum*, &c. vers.20. *Vocabo seruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius*, &c. vbi intelligendum, ait Hieronymus, *Sacerdotium eius ad Eliacim filium Helciæ fuisse translatum, vt illo eiecto nouus Pontifex fieret*: & vt videas eum de Summo Sacerdotio loqui, ista subtexuit. *Ipse habebit cerimoniarum omnium potestatem.* Cum igitur Eliacim summum Sacerdotium obtinente cæsus fuerit Holophernes, eius autem Pontificatus ad Manassæ tempora referatur, caussæ nihil habemus cur historiam Iudith vltra Regis huius ætatem differamus.

Sobna an Pontifex.

22. Accedit, quòd, vt notat Bellarminus, hac ratione facile sit inuenire tempus illud longissimæ pacis, quod fuit toto tempore vitæ Iudith, & deinceps annis multis. Si enim cum eodem statuas necem Holofernis anno Manasse decimo sexto contigisse, cum ab hoc tempore ad Iosiæ cladem anni 72 numerentur, Iudith autem vixerit annos quinque supra centesimum, si cum præclarum illud facinus edidit quadraginta iam annorum fuisse ponatur, annis quinque & sexaginta superstes fuit Holopherni, superstesq; septem anni tranquillitatis eiusdem obitum consecuti. Quanquam eruditissimus Salianus in annum 3344. Num.8. ait, nobilissimum illud Iudithæ facinus eodémque Holofernis non posse vltra annum nonum Manassæ differri, qui est vigesimus tertius eius Regis, qui in eodem libro vocatur Nabuchodonosor, idémque decimus tertius ex quo tam Niniues, quàm Assyriorum factus est dominus, & ad Babylonios imperium transtulit: duodecimo pugnauit contra Arphaxad Medum, vndecimo qui est vigesimus, primus postquam regnare cœpit in Babylone, contra Iudæos bellum gessit, & Manassem captum Babylonem abduxit. Quæ cum ita sint, & Genebrardus, Gordonus, Torniellus, Samerius, Mercator, Functius, Buttingus, aliique Merodacho Babyloniorum Regi, qui Ezechiæ post morbum depulsum legatos miserat, ad quinquaginta duos regni annos tribuant, placet cum eodem Saliano totam disputationem hoc epiphonemate concludere. *Maneat igitur & scriptura, & ratione, & multiplici auctorum consensione firmatum Regem hunc qui Manassem cepit*: non fuisse Assyrium Assaradonis filium, vt putauit Serarius, sed, vt mauult Bellarminus, *Fuisse Babylonium, eundémque Merodachum filium Baladam à scriptura sæpius memoratum.*

23. GREG. Imò, Polydore, vide ne sine caussa, telum quod me plus cæteris exterruit, tibi de manibus extorqueri patiare. Aiebas rationem reddi non posse cur Persarum Reges nouis copiis in Iudæam immissis adspersam cæde Holofernis, imperio suo labem Hebræorum sanguine nunquam abstersetunt: & hinc effici volebas res à Iuditha gestas non ad Persarum Monarchiam, sed ad imperium aliquod potentissimum quidem, sed quod paucis post annis conciderit, esse referendum; non multis autem post Manassem annis, Ninum esse deletam, & Assyriorum imperium concidisse; adeóque sub hoc Rege rem gestam videri. Quare mihi crede, sequere Serarium: argumenti tui vis integra remanebit: sin aliorum vestigiis insistes, dicésque cum trita multorum Chronologia, Nabuchodonosorem istum fuisse Merodach Babyloniæ Regem, qui Assyriorum extructo principatu, subactóque Medorum Rege Iudæis Holopherne duce bellum indixerit, argumenti tui vis elíditur, tibíque ipsi reddenda ratio est, cur potentissimi Babyloniorum Reges ab vna fœmina fusi prostratique post tantam ignominiam per annos ampliùs septuaginta sibi ab inuadenda Iudæa temperarint.

24. Fortasse dices, quod in hac controuersia quidam vsurpant. *Cor Regis in manu Dei, & quocunque voluerit, inclinat illud.* Sed mihi crede, quod aiunt non adeo scriptura, ratione, multiplicique scriptorum consensione firmatum est, vt propterea debeas tuæ ratiocinationis aciem hebetare. Quæ enim scriptura? quæ ratio? qua probetur Doctorum conspirantium authoritas? Quæ scriptura Isaiæ 31.v.8. Assyrios vectigales

gales fore prædicitur. *Et iuuenes eius*, inquit, *vectigales erunt*. Quid tum? suspicari possumus, inquiunt, post Sennacheribi cladem, Merodachum ab Assyriis defecisse, Assaradoni tributa imperasse, quæ is vel prælio victus, vel metu prælii pependerit annis aliquot, & anno regni sui decimo Merodachum ab Assyriis ad Babylonios summam imperii transtulisse. En quas suspicionės Isaiæ locus inuexerit.

25. Sed rationem paulisper videamus, Nabuchodonosor nomen est Chaldaicum. Quid deinde? ergo qui misit Holophernem, fuit Merodac Babylonius, quem constat Manassis æuo floruisse. Id autem vnde liquet? ex ipsa scriptura. Dicitur enim Merodac ad Ezechiam anno regni Ezechiæ decimo quinto misisse legatos qui receptam gratularentur diuinitus sanitatem. Sed quid si Merodac paulò post missam legationem diem obiit extremum? Genebrardus, Torniellus, Samerius, Mercator, Functius, Buttingus Merodaco tribuunt annos duos, & quinquaginta. O Illustres vltimæ antiquitatis authores! atqui inter Merodachi legationem, & nonum Manassis annum, quo cæsum Holophernem volunt, anni tres & viginti numerantur: anno autem Nabuchodonosoris decimo tertio, vt è scriptura patet, necatus est Holophernes, alius igitur à Merodacho Nabuchodonosor, nobis quærendus est. Suspicamur, inquiunt, Merodach anno post legationem decimo Assyriorum imperium ad Babylonios transtulisse: cui si tredecim annos adieceris, annum Manassæ nonum, Nabuchodonosoris à fundato Babyloniorum imperio decimum tertium Iudithæ facinore nobilem deprehendes.

26. Vnde liquet imperium anno post legationem decimo translatum? Hoc, inquiunt, possumus suspicari: & ego, Polydore, tibi sum author, vt alia omnia suspiceris, credásque penes Assyrios imperium fuisse, cùm Iudæis bellum intulit Holophernes, sed non multis post annis esse collapsum, antequam Rex Assyriæ nouas copias in Iudæam immitteret. Vides me propemodum præuaricari, caussámque prodere, dum nihil impensiùs expeto, quàm tuas probationes videri firmissimas. Polydorvs. Iampridem me tenes expectatione suspensum, Gregori, aueo scire quibus argumentis tua disputatio fulciatur, & vnde tibi tanta sit oborta fiducia, vt aduersario tela subministrare nequaquam verearis. Greg. Non tergiuersabor diutiùs, Polydor. Priùs tamen quàm ad probationem venio, duo scripturæ testimonia velim paulò enucleatius explicari. Polyd. Ecce commodùm noster Callinicus accedit, nullis adhuc præiudicatis opinionibus occupatus: vis tuas illi quæstiones proponere, & quod ille dixerit, amplecti? Greg. Ehodum Callinice, aduentu nobis tuo nihil potest esse optatius.

27. Callinicvs: Tamen verebar ne quid meus accessus molestię vobis adferret. Polyd. Hui! molestiæ. Quasi verò quicquam nobis esse possit amicissimi viri colloquio iucundius. Callin. Verebar equidem ne de rebus arcanis sermo vobis esset, quem non expediret alienis auribus deponere? Polyd. Alienis? accessu tuo, mihi crede, nihil de secreti ratione libatur: tu alter es Gregorius, alter Polydorus; amicorum omnia communia. Deinde nescio quid inter nos de scripturis in vtramque partem ventilamus: quæ res nullum secretum desiderat. Et quoniam duo scripturæ testimonia, Gregorius noster explicatiùs enucleari voluerat, timendum erat ne vterque suis præiudiciis occupatus, non suum sensum scripturæ, sed suo sensui scripturam accommodaret, expositione tua stare decreuimus. Nondum autem suas ille quæstiones exposuit; eum, si placet, audiamus.

28. Gregorivs. Duo sunt, mi Callinice, quæ priusquam accederes, à Polydoro nostro audire cupiebam: ille autem, vbi te adspexit, me quidem annuente, voluit abs te liquidiùs explicari. Alterum est quomodo, quod ait scriptura mansisse Iudith, in domo viri sui annos centum quinque, intelligendum putes, an videlicet totum illud tempus in domo mariti exegerit, an etiam primi pueritiæ surgentis anni debeant hoc numero comprehendi, vt annos quinque & centum in domo mariti sui mansisse dicatur; non quòd omnes illos annos in domo mariti sui vixerit, sed quòd illos annos, quorum aliqui iam in domo patris erant exacti, priusquam in domum mariti conueniret, in ea domo compleuerit. Alterum quàm certò ex Isaia 22. capite, colligatur Sobna & Eliacim summos fuisse Pontifices.

V. *Explicantur illa verba Iudith vltimo vers. 28. mansit autem in domo viri sui annos centum quinque.*

29. Callinicvs. Duram imponis mihi prouinciam, Gregori, qui me iubeas meridiano soli lucem

affundere. Nam si legem illam magno Theologorum omnium consensu in exponenda scriptura receptam admittimus, vt in historia sacra natiuam genuinámque verborum significationem sequamur, & eo sensu qui primus obuius esse solet, sincere capiamus, nisi è verbis proprio sensu acceptis aliquid falsi, vel absurdi consequatur, magis probari non potest his verbis, *mansit in domo viri sui annos centum quinque*, significari Iuditham mansisse totidem annos in domo viri sui, quàm aut totum maius esse sua parte, aut cùm sol lucet, solem lucere, aut cætera quæ prima, & immediata principia nominantur. Quia tamen eruditissimi viri sic interpretantur, quasi Iudith annos vixerit omnino centum & quinque, & illud vitæ spatium in domo mariti sui compleuerit, eámque locutionem in scriptura tritam esse confirmant, cogimur huic soli, quod aiunt, facem admouere.

30. Et primum, huius locutionis exempla videamus. Exodi 12. v. 40. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, non est sensus, inquiunt, hos omnes annos in Ægypto fuisse transactos, sed annos quadringentos & triginta, qui ab Abrahami vocatione effluxerant, eo tempore quo ex Ægypto discesserant, fuisse completos. Et passim in libro Iudicum, vt capite quinto exeunte. *Quieuítque terra per quadraginta annos*, volunt hoc annorum quadraginta numero Chanaaniticam seruitutem, quæ filios Israel per annos viginti vehementer oppresserat, contineri.

Interpretatio aduersariorum.

31. Sed huic interpretandi licentiæ nisi frenum iniicimus, si citra grauissimam caussam à proprio sensu verborum impure discedimus, omnes conturbabimus sacræ profanæque Chronologiæ, vel potiùs omnis historiæ rationes. *Viginti quinque annorum erat Amasias, cùm regnare cœpisset, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem*: secundo Paralipomen. capite vigesimo quinto, versu primo, & rursum capite vigesimo nono, versu primo. *Ezechias regnare cœpit, cùm viginti quinque esset annorum, & viginti nouem annis regnauit in Ierusalem*. Dicamus vtrúmque regnasse annos duntaxat quatuor, dici tamen vndetriginta regnauisse, quòd vitæ quæ annorum vndetriginta fuerat, spatium regnando compleuerint, Romulus regnauit annos duodequadraginta tres, & quadraginta Numa-Pompilius: sic intelligendum, quasi Romulus non reapse totidem regnarit annos, sed cùm anno vitæ decimo octauo regnare cœpisset, annis viginti regni gubernacula tractarit, & regnans anno vitæ duodequadragesimo diem obierit extremum, & Numa Pompilius annis aliquot ante mortem ad regnum euectus, ad annum vitæ tertium, & quadragesimum regnando peruenerit. Quæ si huiusmodi interpretatiuncularum offuciis oblinere licet, comburantur annales, discerpantur historiæ, oblitterentur vetustatis omnia monumenta: ex ipsis denique sacris historiis certi nihil hauriri fateamur. Quotus enim quisque non poterit eadem facilitate cæteras etiam scripturæ partes in suam detorquere sententiam, & quoties commodum fuerit, fucum oblinere veritati?

Refutatur.

32. Atenim ait Augustinus decimo sexto de Ciuitate, capite decimo quarto, annos Tharæi quinque ducentos in Charra factos dici Genesis vndecimo exeunte, *non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt*. Fateor equidem: sed aliud est annos vitæ factos esse siue perfectos, & ad finem perductos, aliud Tharæum annis ducentis quinque in Charra mansisse. Dicunt septuaginta seniores factos dies Thare in Charra ducentorum quinque annorum: sed Tharæum quinque ducentis annis mansisse non dicunt. Quanquam hæc verba in *Charra* non videntur esse septuaginta interpretum, cùm & sensum obscurent, & absint non solùm à textu principe, sed etiam à Chaldæa Latináque translatione: sed ab eadem manu inculcata, quæ in computandis Patriarcharum annis, vt ipse fatetur Augustinus, numeros toto illo capite vitiarat.

Excusatur Augustin.

33. Et quidem ille grauissimam habuit caussam cur mallet ista paulo violentiùs interpretari, quàm à Græci textus, qui tum communis habebatur, authoritate discedere. Qui enim non lectione textus Hebraici, sed peritorum relatione acceperat, in annorum supputatione codices Hebræos à Græcis esse diuersos, non dubitauit Hebræorum rationes Græcorum calculis anteferre. Hoc autem loco neque monitus fuerat, duas illas dictiunculas *in Charram* apud Hebræos non extare, neque dum habebat Latinam interpretationem totius Ecclesiæ suffragio comprobatam, ad cuius amussim suos commentarios exigeret. Debuit igitur communem, tum temporis editionem tueri, & eam potiùs duriusculè torquere, quàm conuincere falsitatis. Si enim

interpretatus esset Tharæum in Charra mansisse annos quinque ducentos, eum Abrahamo filio superstitem fuisse necessariò sequeretur, quod est apertè scripturæ contrarium. Hanc ille contortulæ interpretationis caussam habuit. Sed isti quid tandem adferunt rationis, cùm tenuibus quibusdam coniecturis Iuditham ante Sedeciæ cladem floruisse collegerint, tum verò tempus pacis quæ eius vitæ tempore Iudæos excepit, inquirunt, & quia non adeo diutinam pacem inueniunt, ei mortem accelerant, adeóque non suum sensum è scriptura, sed scripturam è suo sensu moderantur.

34. Atenim, inquiunt, Latinus textus etsi paulo est obscurior, è Græco tamen aliquid ei luminis affundi potest. Equidem nihil hîc obscuritatis aduerto. *Mansit autem in domo viri sui centum quinque annis*. Nihil hic obscurum, nihil fucatum, nihil figuratum: pura verba, nitida & simplex oratio. Sed videlicet nox est quicquid anticipatis eorum rationibus refragatur. Videamus igitur quid lucis Latino textui Græcus affuderit, ἐγήρασεν ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ἀνδρὸς ἑαυτῆς ἔτη ἑκατὸν πέντε, *consenuit in domo viri sui annos centum & quinque*. Quis non videt Latinam translationem, ita perspicuam, vt pene solis ipsius radio scripta videatur, & quidem Græca versione longè clariorem, nisi orationis hiatum vna voce suppleueris hoc pacto: *Consenuit manens in domo viri sui centum & quinque annos*, aut si contendunt illos annos ad contractam in mariti domo senectutem, non ad mansionem esse referendos, eam planè iam profligata iuuentute, in flexu ætatis ad senectutem paulatim inclinantis in domum mariti venisse fatendum est, vt verbi caussa quadragesimo quinto ætatis anno nupserit, sequenti maritum amiserit, quinquagesimo patriam ab interitu liberarit, sic enim propriè in viri domo per annos centum & quinque consenuisse dicitur, quæ planè videtur Suidæ fuisse sententia: ἐτελεύτησεν, inquit, ρϛ' ἔτη βιώσασα, *mortua est cum annos centum & quinquaginta vixisset*, igitur ætatis anno quadragesimo quinto, in domum mariti conuenerat.

35. Quid igitur? volumus è textu Græco, quòd plurimùm aduersariis officiat, Iudithæ vitam ad id ætatis prorogare? Ne metuant: quod remitti potest, remittimus, anno ætatis decimo quinto eam, si volunt, nupsisse concedimus, id vnum nobis concedi postulamus annos quindecim, quos ante matrimonium exegerat, ab annis centum & quinque, quibus in domo viri sui mansisse dicitur, esse seiunctos, neque quicquam aduersariis commodiè Græca translatione redundare. Restat igitur extremus ille receptus, vt nullo teste, nullo facti vestigio, nulla probabili coniectura, Iuditham in domo mariti sui natam & educatam esse confingant, quod & asserere, & refellere videtur eiusdem esse leuitatis. Venio nunc ad alteram Gregorii nostri quæstionem.

VI. *Vtrum ex Isaia certo colligatur Sobnam & Eliacim fuisse summos Sacerdotes.*

36. Mittitur Isaias capite vigesimo secundo, versu 15. *ad eum qui habitat in tabernaculo*, vel vt septuaginta transtulerunt εἰς τὸ παστοφόριον, vt Symmachus, πρὸς τὸν σκηνοποιοῦντα, *ad tabernacula facientem*: vt Aquila πρὸς τὸν σκηνοῦντα. Rabbi Ionathan in Chaldaica paraphrasi פרנסא *ad gubernatorem*. Pagninus, Sobna an Pontifex.
Vatablus aliique multi Hebraizantes *thesaurarium* dicere maluerunt, in textu principe legitur הסכן *hassoken*. Cuius vis intelligi fortasse poterit è tertio Regum capite primo, versu secundo, vbi enim dicitur. *Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege, vt foueat eum, dormiátque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem*, habet textus Hebraicus. *Quærant Domino meo Regi puellam virginem, & stet ad facies Regis* ותהי לו סכנת *dormiátque in sinu tuo*, Soken &
&c. vbi libenter interpretet, *& sit ipsi* Sokeneth quid He-
sokeneti, d est, *præfecta cubiculo siue thalamo* bræis.
Regis, sed Hieronymus commodissimè transtulit, *& foueat eum*, quia eo fine thalamo præficienda fuit, vt Regem qui cùm operiretur vestibus, calefieri non poterat, confoueret. Subditur versu quarto, *& erat puella pulchra nimis, dormiebátque cum Rege*, pro quibus extremis habetur in textu primario ותהי למלך סכנת quod etiam interpreter, *& erat Regio cubili præposita*: & vt Græci loquuntur θαλαμηπόλος, sed ideo cubili præposita, vt cum Rege dormiret eúmque confoueret, quod spectauit Hieronymus in Latina versione, secutus septuaginta interpretes, qui θάλπουσα transtulerunt .i. calefaciens, קרבא *propinqua* maluit dicere Chaldæus Paraphrastes. Sed omnes, opinor, conspirant in eandem sententiam.

27. E quibus suspicari quis possit eum qui habitare dicitur in tabernaculo & *hassoken* in scriptura nominatur, fuisse regii thalami præfectum, quem summum camerarium more nostro diceremus. *Vade*, inquit, *ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi.* Hebraïcè אשר על הבית, quæ verba de Eliacim qui Sobnæ suffectus est, prolata Hieronymus Isaiæ 36. v. 3. *Qui erat super domum*, & 4. Reg. cap. 18. vers. 18. *præpositum domus* interpretatur; LXX. verò seniores Σουμνὰν τὸν ταμίαν, *Sobnam quæstorem*, siue *thesaurarium* dicere maluerunt. Quia tamen diuersæ sunt eruditorum interpretationes, & alii Sobnam Pontificem fuisse putant, alii præpositum domus Regiæ, prudenter Hieronymus qui alibi præpositum domus dixerat, hoc loco templi vocabulum vsurpat, ne interpretibus videatur, in alterutram partem præscribere, cùm alioquin vox templi sit τῶν μίωτ, & possit tam profanis quàm sacris ædibus conuenire. Vnde & Varro Latinæ linguæ non ignarus libro sexto de lingua Latina, errare dicit quosdam glossarum scriptores qui omne templum sanctum arbitrantur. Nam, inquit, curia Hostilia, quæ Tulli Hostilii regia fuerat, templum est, nec tamen sanctum est, & *Laurentis Regia Pici Templum augustum, ingens* à poëta non imperitissimo nuncupatur. Vnde fortasse per templi præpositum regiæ præfectus, & maior domus possit intelligi, cùm præsertim regia templum dici possit, templum autem domus Dauid, cuius clauis Eliacimo promittitur eodem capite, versu vigesimo secundo, dici fortasse non possit: nam quod aiunt templum domum Dauid vocari quia Dauid de ædificando templo cogitarat, & iam parauerat impensas, id vero videtur esse contortulum.

Templum pro Regia.

38. Quia tamen audito templi nomine, omnes passim templum Salomonis sanctum diuinóque cultui dicatum intelligant, nec in explicanda scriptura volo citra grauissimam necessitatem à communi verborum notione discedere, Sobnam templi Salomonici præpositum fuisse statuamus: illud iam quæritur quæ fuerit illa præfectura. *Somnas*, inquit Cyrillus Alexandrinus Commentariis in hunc locum, *fuit quæstor ærarÿ, & custos pecuniarum sacrarúmne & templo deputatarum, an regiarum, incertum, videtur autem potiùs sacræ pecuniæ colligendæ, & rebus necessario, & vtiliter interdum ad restaurationem sacrorum vasorum expensis præstitutus fuisse. Narrant etiam illum ex sanguine Leuitico esse, & Sacerdotÿ ornamentis insignem habitum fuisse.* Hæc Cyrillus. At Hieronymus libro quinto in Isaiam, ait: *Sacerdotium eius ad Eliacim filium Helciæ esse translatum, vt illo eiecto nouus pontifex fieret.* Quare si placet, assentiamur Hieronymo, & potestatem hanc quæ ad Eliacim transferenda prædicitur, sacerdotium fuisse faciamus.

39. Cùm tamen plures fuerint Pontifices, vlteriùs quæri potest an summum fuerit Sacerdotium. Id insinuat Hieronymus: Lyranus apertè testatur, & Gabriel Aluares accuratè defendit, & videlicet omnes dicere coguntur, qui res à Iuditha gestas sub Manasse putant contigisse, & colligi videtur è tunica & cingulo quibus Sobnas exuendus prænuntiatur. Quanquam interpretari possimus cum Mariana de trabea & cingulo militari, si præpositum domus regiæ, &, vt loquitur Vatablus, præfectum prætorio fuisse censeamus: &, vt verum fatear, in Hieronymo quædam valdè perplexa sunt, vt cùm explanans illa verba, & *peribit quod pependerat in eo*, id *deiecto Sobna nequaquam factum esse* testatur, sed intelligit, hoc dici, *quòd deposito Sobna Pontificatum acceperit Eliacim cuius Sacerdotÿ dignitatem subuertit extrema captiuitas.* Iam Eliacim anno Ezechiæ decimo quarto, Sobnæ successerat, & erat על הבית super domum, siue ὁ οἰκόνομος, vt septuaginta transtulerunt, cum Sobnas eo deiectus officio esset à Commentariis, vt liquet è quarti Regum decimo octauo, & Isaiæ trigesimo sexto. Cum igitur ab anno Ezechiæ decimo quarto, ad extremam captiuitatem anni centum viginti quinque numerentur, qui fieri potuit, vt eius Sacerdotii dignitatem subuerteret extrema captiuitas? Sed ipsum Hieronymum audiamus, libro septimo in Isaiam. *Præcipitur*, inquit, *Isaiæ Prophetæ, vt ingrediatur ad eum qui habitat in tabernaculo, quòd Hebraicè dicitur* סכן *ad Sobnam præpositum templi, siue vt septuaginta transtulerunt* ταμίαν, *hoc est quæstorem, & dispensatorem thesaurorum domus Dei. Sochen autem, vel tabernaculum interpretatur, vel* παστοφόριον, *hoc est thalamus, in quo habitat præpositus templi.* Hæc ille, è quibus videas, quàm parum promoueant, qui vt summum Eliacim Pontificatum adstruant, tanti doctoris authoritatem nobis obtendunt.

Hier. sent. de Sobnæ & Eliacimi Pontificatu.

40. Cornelius à Lapide Pontificem,

ſed vnum de minoribus Pontificibus eſſe confirmat: in Nicephori Conſtantinopolitani Chronico inter ſummos Sacerdotes vterque numeratur: Pontificum, qui ſtante Salomonis templo ſummi Sacerdotii munus obiuerunt, Chronologia minor Hebræorum, quæ Seder Olam Zuta dicitur, & Ioſephus libro de Antiquitatibus decimo, capite decimo, ſeriem accuratè texuerunt: in his nullum Sobnæ, vel Eliacimi veſtigium. Qui ſi hac dignitate fulſerunt, ſanè mirum eſt ſcripturam, quæ cæteros paſſim ſummos Sacerdotes & principes Sacerdotum appellat, in his duobus duntaxat à conſuetudine loquendi diſcedere, & his verbis eorum exprimere dignitatem אשר על הבית *qui ſunt ſuper domum*. Nam quod dicitur Iudicum vigeſimo, verſu vigeſimo octauo. *Eo tempore ibi erat Arca fœderis Dei, & Phinees filij Eleazar, filij Aaron præpoſitus domus*, in Hebraico non habetur, ſed illud duntaxat עמד לפניו *ſtans ad facies eius*, id eſt, ſtans ante arcam.

41. Adde quod nullum profertur exemplum quo templum domus κατ' ἐξοχὴν nullo adiecto nuncupetur: ſed vel dicitur domus Dei, vel domus orationis, aut aliquid eiuſmodi: & quòd in libro Iudicum laudato Phinees dicitur, *præpoſitus domus*: verſu vigeſimo ſexto explicatur, *venerunt in domum Dei*: at vbi dictum eſt Eliacim fuiſſe præpoſitum domus, vel ſuper domum, nulla domus Dei mentio præceſſit.

42. Sed eſto ſanè, ne cauſſæ deſperatione diutiùs in verbis tricari videamur, Sobnam, vt magis verba ſonant, templi Salomonici, non Regiæ domus præpoſitum fuiſſe ſtatuamus. An ideo neceſſe eſt eum Principem Sacerdotum agnoſcere? Quid ſi ne Sacerdos quidem fuit? Sacerdotem dico? Quid ſi nec de Tribu Leuitica? Optimis Reipublicæ temporibus: *Cùm ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodirentur propter Oniæ Pontificis pietatem*, erat *Simon* quidam *de Tribu Beniamin Præpoſitus Templi*, προστάτης τοῦ ἱεροῦ, *conſtitutus*, ne quis exiſtimet eum contra fas, & inſtituta maiorum, vel gratia in hanc templi præfecturam irrepſiſſe, vel vi & armis irrupiſſe, & is quidem *contendebat obſiſtente ſibi principe Sacerdotum iniquum aliquid in ciuitate moliri*, ne quis templi Præpoſitum eundem cum ſummo Pontifice fuiſſe arbitretur. E quibus liquet non modò aliud fuiſſe ſummum Sacerdotium, aliud templi præfecturam, ſed ne Leuitas quidem neceſſariò fuiſſe, qui eo munere fungerentur.

[2. Machab. cap. 3. v. 1. — Verſ. 4. — Ibidem]

43. Quia tamen Ezechiæ temporibus Eliacim Sobnæ ſuffectus eſt, & viri docti, quorum authoritatem, vt debeo, veneror, hiſtoriam Iudith ad Manaſſæ, qui Ezechiæ filius fuit, regnum aiunt eſſe referendam; conſtat autem è ſcriptura, qua tempeſtate res à Iuditha gerebantur, ſummum Pontificem nomine Eliacim floruiſſe: eas ob res quod ad illorum officium ſpectat, id faciendum reor quod olim Iudices cùm cauſſas ampliarent, & de Sobnæ, & Eliacimi, ſiue Magiſtratu, ſiue Sacerdotio, quodnam illud fuerit, cum Sanccio pronuntio NON LIQVERE.

44. Habetis, Gregori & Polydore, de vtroque quid ſentiam: annis illis centum & quinque quibus Iudith in domo viri ſui vixiſſe dicitur, annos quos ante matrimonium in domo patris egerat, haudquaquam contineri, & admodum incertum eſſe vtrùm Sobnas & Eliacim fuerint aliquando ſummi Pontifices. Sed iam illud à vobis viciſſim poſtulo, vt quoniam inter vos de ſcripturis neſcio quid diſputatum eſſe dicitis, paucis, quæ dicta fuerant, repetantur, ſic enim faciliùs aſſequar quæ reliqua diſputatione dicenda ſunt.

VII. *Recapitulatio*

45. GREG. Allata ſunt argumenta quædam quibus probari poſſit Iuditham ante Sedeciæ calamitatem, & templi Salomonis excidium, & quidem Manaſſis tempore floruiſſe. Sed quia *malè verum examinat omnis corruptus iudex*, & tu de Polydori noſtri doctrina videris affectu potiùs quàm ratione iudicare, rem tibi ſincere proponam, quid vterque ſentiat poſtmodum intelliges. Rationes, quibus ante Babylonicum exilium Holopherni probatur illata nex, poſſunt ad hæc capita reuocari. Florebant Aſſyrii, Niniue triumphabat, ſtabat templum, tam potens erat Hieroſolyma, vt auderet potentiſſimo Regi reſiſtere, Medi proprium adhuc Regem habebant; regnabat adhuc anno ſuperiore Ecbatanorum conditor, quem Deiocem Herodotus, Euſebius Dioclem, Arphaxadum ſacer textus appellat. Poſt captiuitatem & datum Hebræis à Cyro poſt-

liminium nihil horum : Persæ Syriam, Ciliciam, totam Asiam obtinebant.

46. Accidit & illa probabilis ratio quod Iudithæ stemma per pauciores quàm Esdræ ab Israële deducitur, vt hinc etiam colligi possit Iuditham esse stirpi viciniorem, & inter hanc & Esdram aliquot hominum ætates intercesse. Adde quòd Nabuchodonosor non Persicum nomen est, sed Chaldæum, neque Persarum Reges in vrbe Nino, sed vel Babylone, vel Susis, vel Ecbatanis habitabant : & cùm longa pax secuta fuerit, neque Nabuchodonosor, aut eius successores bellum repararint, credibile est paulo post necem Holophernis imperium Nabuchodonosoris concidisse, quæ de Monarchia Persica dici non possunt : cùm præsertim postremis eius temporibus non Eliacim, sed Iaddus summo Sacerdotio fungeretur. E quibus effici videtur Iudith luctoriam ante Babylonicum exilium contigisse. Et vt cætera dissimulemus, in libro Iudith fit quidem Persarum mentio, sed tanquam gentis obscuræ quam adhuc Assyrius facilè territaret.

VIII. *Diluuntur argumenta quibus probari videbatur Iuditham ante seruitutem Babylonicam floruisse.*

47 CALLINICVS. Video vos. *Floriferis vt apes in saltibus omnia limant*, omnia vos itidem argumenta decerpsisse tum è Bellarmino, tum è Serario cæterisque viris eruditissimis, quibus probari posset historiam Iudith ad tempora Manassis esse referendam, quibus fateor me non admodum commoueri. Nam quod dicitis adhuc Assyrios Iudithæ temporibus floruisse, nullus à vobis dissentio : sed quid prohibuit eos sub Persico florere dominatu ? aut Persarum Regem, quisquis ille fuit, à quo missus dicitur Holophernes, Regem Assyriæ nominari ? an insolens est hæc appellatio ? an sacris ignorata scriptoribus ? cur igitur Iudæi templo permissu Darii Regis instaurato, *fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor Regis Assur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel*; Esdræ capite sexto, exeunte. Quis est iste Rex Assur ? aliquisne ex antiquis Assyriorum Regibus ab inferis est excitandus, qui instauratione templi manus Hebræorum adiuuerit : citra controuersiam Darius fuit Hystaspis, qui anno regni secundo ædificationem templi iussu Cambysis intermissam reuocauit. Quid ? quod 4. Reg. capite decimo septimo, versu 6. dicitur Israel translatus in Assyrios, quem tamen, vt ex eodem versiculo liquet, Salmanasar in ciuitates Medorum transcripserat ? Quid ? quod 2. Machab. capite primo, versu 19. Iudæi dicuntur in Persidem abducti ? an aliud quàm Babylonem intelligendam putatis ? maneat igitur illud Persas, Medos, Assyrios, Babylonios, tum propter viciniam, tum propter imperium, quod sibi quasi de manu in manum tradiderunt, in scriptura plerúmque confundi, neque quicquam obstare quominùs Nabuchodonosor ille, qui Rex Assyriorum fuisse dicitur, Persarum fuerit imperator.

48. At enim Ninus euersa fuerat ante obitum Tobiæ, quem certum est in Iosiæ, qui Manassæ nepos fuit, regnum incidisse : qui autem res à Iuditha gestas ad Persicam Monarchiam differunt, gratis ædificant nouam Niniuem, nullo teste, nullo conditore. Quis Ninum ex antiquæ ruinis & vestigiis excitarit, ignorare me fateor : graues tamen testes habeo qui Ninum Cyri temporibus extitisse confirment. Athenæus lib. 12. Dipnos, Ἀμύντας δὲ ἐν τρίτῃ σταθμῶν ἐν Νίνῳ φησὶν εἶναι χῶμα ὑψηλόν, ὅπερ κατασπάσαι Κῦρον ἐν τῇ πολιορκίᾳ, ἀναχωννύντα τῇ πόλει. *Amyntas lib. Mansionum tertio ait in Nino esse aggerem excelsum, quem Cyrus in obsidione conuellerit, vt prope mœnia terræ cumulos excitaret.*

49. Stabat templum, ingruente in Iudæam Holopherne; stante 6. Darii Hystaspis annum, quo absoluta est templi constructio, Holophernem ingruisse diceremus, hæc fortasse ratio non mediocre momentum obtineret : sed cùm graues authores infra Darium contigisse putent hanc impressionem, non video quid ex hoc capite necesse sit oculos ad anteriora conuertere. Post Babylonicam transmigrationem ægrè se Ierusalem cõtra vicinos tutari poterat, nedum totius Asiæ Regi potentissimo restitisset. Quid enim facerent aliud quàm in totius prouinciæ perniciem imminenti resisteret, & vel Dei patrocinio vinceret, vel quod gladiatores facere solent, honestè moreretur, victoris immanitatem obsequio mitigare conarentur ? at vicinorum qui se sponte subdiderant seruituti, præsens habebant exemplum, Isaiæ 1. c. 6. v. 5.

Tantúsque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores principes, & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis, nec ista tamen facientes ferocitatem pectoris eius mitigare potuerunt: nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit. Iudith 4. à versu 9. ad decimum tertium.

50. Persæ Syriam, Mesopotamiam, Ciliciam, totam denique Asiam obtinebant, & proinde caussæ nihil habuerunt, cur eos iampridem sibi obnoxios vellent imperio suo subiugare. Quasi verò non potuerint à Persis desciscere, & armis ad officium reuocari.

Plures in Esdræ quàm in Iudithæ stemmate numerantur. Quid tum? ergo Iudith fuit aliquot seculis antiquior. Dicamus igitur Eleazarum filium Aaronis aliquot seculis antiquiorem quàm Iosue, quia Eleazar quintus, Iosue duodecimus à Iacobo censetur.

Nabuchodonosor Chaldæum nomen est: sed & Persicum nomen est Holophernes, & si Rex ob appellationem Chaldaicam negatur fuisse Persa, cur non Rex Chaldææ potiùs quàm Assyriæ nominatur?

Persarum Reges Susis, Ecbatanis, & Babylone regnabant: quis eos, cum libitum esset, in Assyria, & Niniue versari prohibebat?

Longissima pax cædem Holophernis excipit: quam Persarum Reges sui Ducis necem vlturi sine dubio turbassent. Cur si, vt plerique volunt, excepto Serario, Merodachus is fuit quem aiunt Assyriæ Monarchiam ad Babylonios transtulisse, non vel ipse, vel eius posteri per annos amplius septuaginta nullam Iudæis calamitatem intulerunt?

51. Postremis Monarchiæ Persicæ temporibus summus Sacerdos non erat Eliacim. Sed verùm ante captiuitatem Babylonicam fuerit, nulli compertum est: laxata captiuitate constat inter Iosue filium Iosedech, & Eliazib Ioacim summum Pontificem floruisse, & liber Iudith eum qui tum summo Sacerdotio fungebatur, modò Ioacim, modò Eliacim appellat.

Fit mentio Persarum tanquam gentis obscuræ, & quam adhuc Assyrius facilè terreret. Imo Persæ videntur etiam Assyriis anteferri. *Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius. Tunc vlulauerunt castra Assyriorum*, &c. Iudith 16. vers. 12.

52. At enim Græcus capite primo, Obiectio
postquam dixit Assyriæ Regem misisse, ἐπὶ πάντας τοὺς κατοικοῦντας Περσίδα, *ad omnes qui Persidem incolebant, & ad omnes habitantes versus Occidentem*, item ad Iudæos Ægyptios, aliósque non paucos, vt eos in belli quod contra Arphaxadum gerebat, societatem inuitaret, versu decimo subtexuit, καὶ ἐφαύλισαν πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν, *& vilipenderunt omnes habitantes terram, verbum Nabuchodonosor Regis Assyriorum*, καὶ οὐ συνῆλθον αὐτῷ εἰς τὸν πόλεμον, *& non conuenerunt illi in bellum, quoniam non timuerunt eum.* Iam igitur ad Græcos prouocant, quorum vbi commodum est, nullam, putant habendam esse rationem, & Eusebium, Augustinum, Sulpitium aliósque graues authores in hac historia suo tempore collocanda Græcorum codicum aiunt authoritate deceptos.

53. Sed ne vim argumenti subterfugere videamur, esto sanè, summa sit Græci textus authoritas: quid ex eo colligerut? Nabuchodonosorem Persarum Regem non fuisse. Quid ita? Persæ non ei dicto fuerunt audientes. Vnde liquet? omnes, quos ad belli societatem acciuerat, eius imperium respuerunt. Imò satis expressit Sacer historicus ad eos duntaxat extendi qui habitabant versus Occidentem, cum *iurauit per thronum & regnum suum quod defenderet se de omnibus regionibus his*, qui eius imperium neglexerant: & dixit Holopherni. *Egredere* Iudith 1.12 Iudith 2.5.
aduersum omne regnum Occidentis, &cæt. ἐξελεύσῃ εἰς συνάντησιν πάσῃ τῇ γῇ εἰς δυσμάς, ὅτι ἠπείθησαν ἐν τῷ ῥήματί μου, *Exibis in occursum vniuersæ terræ ad Occidentem, quia verbo meo non paruerunt.* Persis autem Assyriæ comparata declinat ad Orientem, ac proinde non debet earum regionum, quæ Nabuchodonosoris contempserunt imperium, numero comprehendi.

POLYDORVS. At certè hærere videris in Ecbatanorum conditore, qui cùm ante Babylonicam seruitutem floruerit, & quidem temporibus Manassæ, satis indicat ad eadem tempora necem Holophernis esse referendam.

IX. *Vtrùm Arphaxadus sit ille qui Deïoces ab Herodoto nominatur.*

54. CALLINICVS. Mihi ſanè non excidit hoc argumentum, ô Polydore, ſed illud in vltimum agmen conieci, vt à cæteris expeditus iam totus in confutationem huius incumberem. Sic ratiocinari ſolent viri cumprimis eruditi, quorum authoritatem vt veneror, ita rationes examinare ſoleo, vt meo potiùs ſucco viuere videar quàm alieno. Sic, inquam, ratiocinantur. Arphaxad cum quo pugnauit Nabuchodonoſor fuit Ecbatanorum conditor, Iudith primo: ſed Ecbatanorum conditor fuit Deïoces, quem ex Herodoto & Euſebio annis penè ducentis ante captam à Cyro Babylonem (quo tempore dato Iudæis poſtliminio finita eſt Babylonica ſeruitus) floruiſſe conſtat, igitur ante Cyrum & Perſicam Monarchiam cæſus eſt Holophernes. Quibus ego reſpondeo; tradit Diodorus Siculus Ecbatana iam ante Semiramidem extitiſſe: παραγενομένη δὲ εἰς Ἐκβάτανα πόλιν ἐν πεδίῳ κειμένην, κατεσκεύασεν ἐν αὐτῇ πολυτελῆ βασίλεια, &c. *cum Ecbatana veniſſet vrbem in planicie ſitam, regiam in ea magnificentiſſimam extruxit.* Dicamus igitur Iudith ante Semiramidem floruiſſe. Plinius libro ſexto, capite decimo quarto, eandem vrbem à Seleuco conditam eſſe teſtatur: dicamus Seleucum eſſe Arphaxadum Ecbatanorum conditorem, ac proinde poſt Alexandri magni tempora copias Aſſyriorum à Iuditha profligatas.

Lib. 2. p. 11. edit. Henr.

55. Hæc, inquiunt, mouere nos non debent. *Nam poteſt fieri, vt ciuitas illa antiquiſſima aliquoties euerſa, atque iterum condita nunc à Deïoce, nunc à Seleuco, nunc etiam fortaſſe ab aliquo alio fuerit.* Audio: ſed ſi vnius & eiuſdem vrbis plures eſſe poſſunt diuerſo tempore conditores, quis dicere prohibet alium fuiſse Deïocem, alium Arphadaxum, & hunc alio, illum alio tempore floruiſſe? cùm præſertim vtriuſque opera videantur eſſe diuerſa. Herodotum, ſi placet, Latinè, vel ſi quando neceſſe fuerit, interdum, Græcè loquentem audiamus. *Mœnia conſtituit magna & valida,* ταῦτα τὰ νῦν Ἐκβάτανα κέκληται, *illa quæ nunc Ecbatana nuncupantur.* E quibus intelligas nomen illud non inditum ab ipſo Deïoce, ſed ab alio recentiore. Quis autem hanc appellationem indiderit non patitur ſcriptura nos ignorare ipſo libri Iudith initio: *Arphaxad*, inquit, *Ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quam appellauit Ecbatanis.* E quibus ita ratiocinari poſſumus. Arphaxad appellauit Ecbatanis, Deïoces autem non appellauit Ecbatanis, ergo Deïoces non eſt Arphaxadus.

Libro 1.

56. Sed pergit Herodotus ea mœnia deſcribere, ἕτερον ἑτέρῳ κύκλῳ ἐνεστῶτα: *Alterum altero in orbem circumdata, ſic nimirum conſtitutis mœnibus, vt ambitus ſinguli alteris gradatim eſſent ſublimiores, ſoliſque pinnis prominerent, adiuuante ipſo loci ſitu, vt qui collis eſſet. Sed acceſſit maior etiam ars & induſtria, factis ſeptem ambitibus inter ſe contiguis, in quorum poſtremo regia eſt, & theſauri: eorum autem ampliſſimus magnitudine plùs minùs circuitum Athenarum exæquat. Súntque primi ambitus pinnæ albæ: ſecundi, nigræ: tertij, puniceæ: quarti, cæruleæ: quinti, ſandaracenæ: poſtremi verò duo, alter argentatas, alter inauratas habet pinnas.*

57. Hæc ille: quæ nemo non videt ab iis penitus eſſe diuerſa quæ ſcriptura facta dicit ab Arphaxado: Nam, vt verbis vtar eruditiſſimi Saliani, *in Herodoto, ſeptem ambitus murorum ponuntur, in ſcriptura vnus duntaxat: illi muri rotundi ſunt, iſte quadratus: illi colorati ſunt, iſte decolor; ibi nulla turrium mentio, hîc verò maximè.* Atque hoc illi fatentur, qui Arphaxad eumdem eſſe cum Deïoce contendunt: quibus & accedere potuiſſet quòd Arphaxad ciuitatem muro è lapidibus quadratis & ſectis amplexus eſt: ille verò ſeptem murorum ambitibus non ipſam vrbem, ſed regiam & ærarium circumdabat: ſic enim ſubnectit Herodotus, ταῦτα μέν τοι ὁ Δηιόκης ἑαυτῷ τε ἐτείχεε, καὶ περὶ τὰ ἑαυτοῦ οἰκία. τὸν δ' ἄλλον δῆμον πέριξ ἐκέλευε τὸ τεῖχος οἰκέειν, id eſt, ſecundum Vallæ tranſlationem ab Henrico Stephano comprobatam. *Et his quidem munimentis Deïoces ſe ſuámque Regiam circumſepſit ac reliquum populum ſeorſum circumquáque habitare iuſſit.*

E quibus vides vrbem extra murum extremum regiæ conſtitutam fuiſse, & ſanè regiæ totiúſque illius munitionis locus erat κολωνὸς, ſiue collis mediocriter aſſurgens, vrbem autem fuiſſe ἐν πεδίῳ κειμένην, in planitie iacentem, iam oſtenſum eſt verbis Diodori.

58. Neque

58. Neque verò mirum cuiquam videri debet, si regiæ vnius amplitudo cum Athenarum ambitu comparetur. Si meminerit ingentes illos Medorum paradisos regiæ septis inclusos, & tantam Neronianæ domus laxitatem, *Vt porticus triplices milliarias haberet, item stagnum maris instar circumseptum ædificiis ad vrbium speciem, rura insuper aruis atque vinetis & pascuis, siluísque varia cum multitudine omnis generis pecudum & ferarum.* vt ait Tranquillus in Nerone, c.31. Maneat igitur aliud fuisse Deiocis opus, aliud Arphaxadi. Responderi potest, inquiunt, valere hoc quoque loco accusationem Ctesiæ, & in mœnibus hisce, quæ fama vbique celebrabat, facetum Herodoti ingenium ludere voluisse. Dicere volunt Herodotum esse mentitum, cur igitur eius authoritate abutuntur, vt probent Arphaxadum ante Persicam monarchiam floruisse?

59. Sed alterum habent authorem in cuius testimonio plus putent esse momenti. Quem? Eusebium. Videamus igitur quanti sit apud eos huius authoritas. Scribit Eusebius Deiocem secundo Ammonis Regis Iudæorum anno periisse. Arphaxadum autem è scriptura liquet vno anno ante Holophernem esse deletũ. Nam quod dicitur Iudith 1. vers. *Pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit eum.* in Græco textu planiùs explicatur, καὶ ἔλαβε τὸν Ἀρφαξὰδ ἐν τοῖς ὄρεσι Ῥαγαῦ, καὶ κατηκόντισεν αὐτὸν ἐν ταῖς ζιβύναις αὐτοῦ, καὶ ἐξωλέθρευσεν αὐτόν. *Et cepit Arphaxadum, in montibus Ragau, & iaculis suis confixit eum, & interfecit eum.* Quare si idem est Deioces cum Arphaxado, ísque secundum Eusebium anno Ammonis secundo mortuus est, anno Iosiæ primo cæsus est Holofernes, & cùm eius necem pax annorum duntaxat triginta secuta fuerit, necesse est Iuditham nonaginta præter propter annorum fuisse, cùm & amaretur, & puella diceretur.

60. Quæ cum absurda videant, hîc etiam suum facessere iubent Eusebium: & mortem Deiocis ad annum, quo in scriptura cæsus dicitur Arphaxadus, reuocandam putant. *Quod*, inquiunt, *facere licet, Herodoti Chronologia minimè repugnante.* Mirum quidem illud: duo laudantur authores: quibus vnis cum suam sententiam roborare velint, tamen vtrumque confutant. Sed tamen Herodoti Chronologiam tantisper consulamus. constat ex Herodoto nonaginta septem annis ante translatum ad Persas imperium, Deiocis obitum contigisse: quibus si viginti circiter annos, vt communis est opinio, ante captam à Cyro Babylonem euolutos adieceris, habebis annos 117. ad captam Babylonem à nece Deiocis elapsos, à quibus rursum si Babylonicæ captiuitatis annos septuaginta deduxeris, Deiocem mortuum esse comperies annis quadraginta septem ante Babylonicam seruitutem.

61. Iam si doctissimum Salianum audimus anno mundi 3429. Num. 9. *Sententia omnium longè optima maximéque probabilis est septuaginta*, Babylonicæ seruitutis, *annos ab vltima clade Hierosolymitana, vrbis templíque conflagratione inchoandos esse.* Hic fuit annus vndecimus Sedeciæ, à quo si septem & quadraginta numerentur, inuenies Herodoti calculis Deiocis obitum anno Iosiæ sexto contigisse: ac proinde si Deioces est Arphaxadus, cùm anno sequenti cæsus fuerit Holophernes, & toto tempore Iudith multísque post eam annis tranquilla fuerit Hebræorum Respublica, & ab anno Iosiæ septimo ad eius necem & bellum ab Ægyptiis illatum anni duntaxat quatuor & viginti computentur, Iuditham, cùm decollauit Holophernem, necesse est fuisse puellam annorum circiter centum. Quæ si planè ridicula sunt, nihil est quòd sibi quisquam de Herodoti Chronologia blandiatur. Quòd si aliud captiuitatis initium aliunde volueris ordiri, quod equidem faciendum puto, tamen vnde-vnde principium probabiliter accerses, non plures annis duobus & viginti de numero decedent, & Iudith octoginta circiter fuerit annorum, cùm necem intulit Holopherni.

62. Et, vt liquidiùs videre possimus alium esse Arphaxadum scripturæ, alium Herodoti Deiocem: *Arphaxad itaque Rex Medorum*, inquit Sacer historicus, *multas gentes subiugauerat imperio suo:* Δηϊόκης μὲν ὦν τὸ Μηδικὸν ἔθνος συνέστρεψε μοῦνον, καὶ τούτου ἦρξε. inquit Herodotus lib. 1. quod sic interpretor, *Deioces igitur solam Medorum gentem sibi subiecit, & in ea regnauit*, non quidem armis, sed simulatione iustitiæ, quo factum vt eligeretur communi Medorum suffragio, vnde fortasse illud συνέστρεψε meliùs interpretemur, *ad se conuertit.* Subdit quidem Medos in sex fuisse genera distributos: sed profectò cùm dicitur Arphaxad Rex Medorum multas gentes imperio suo subiugasse, is significatur extra Mediam imperij fines protulisse: & cum Herodotus suam mentem his verbis expresserit, ἔστι δὲ Μήδων τοσάδε γένεα, non video quàm commodè vir eruditus interpretetur: *Sex enumerat gentes Herodotus quæ regnante Deioce Medis parebant, & ad Medicam nationem pertinebant.* Aliud est enim esse Medorum

genus, aliud Medis parere: & illud *ad Medos pertinere.* nonnihil videtur esse captiosum, cùm & illi pertinere dici possint ad Medos qui sint pars aliqua nationis, & illi qui cùm extranei sint, tamen in eorum ditionem concesserint.

63. Sed iam fortasse nimiùm multa, cùm præsertim non contentionis prurigine hæc à me disputatio suscepta sit, sed studio veritatis: & iam vereor ne quoniam ab initio alterum me Gregorium esse dixistis, alterum Polydorum, in hac controuersia, quæ sanè difficilis & perplexa est, ab altero me vel potiùs ab vtroque dissenserim. Quare illud à vobis vicissim postulo, vt exprimatis animi vestri sensum, nec me diutiùs teneatis expectatione suspensum.

X. *De Manasse & eius vinculis.*

64. POLYD. Imò, mi Callinice, antequā scias ab vtro dissenseris, aliud est quod, vt etiam pro Gregorio nostro respondeam, abs te velimus enucleatiùs explicari. Variæ sunt auctorum de Manasse capto sententiæ. Quidam, vt Salianus, quē honoris caussa nomino, eius abductionem ad annum regni septimum, reditum ad octauum, cædem Holophernis ad nonum retulerunt. Magno vt vides compendio. faciliùs enim hoc pacto longissimæ pacis, quæ Iudithæ facinus excepit, tempus inuenitur, anno ætatis octauo decimo captum putat Serarius. Iudith cap. 17. Quæstiuncula 7. captus est enim νέ☉-ὢν, *cum iuuenis esset*, inquit Iosephus lib. 10. cap. 4. Bellarminus constare dicit initio regni eam captiuitatem accidisse. De verbo Dei, c. 12.
Cap. 24. Torniellus anno circiter decimoquinto. Chronicon Hebræorum, Genebrardus, & Gordonus cap. 10. Num. 36. secundo & vicesimo Manassis vincula consignant. Dauid Kimhi in 4. Ezechielis quadraginta totos annos impiæ ipsius vitæ, quindecim duntaxat resipiscentiæ tribuit apud Genebrardum: cui adstipulantur Functius, Pradus & Cornelius in Ezechielem, cap. 4. in hac sententiarum varietate, illud auemus audire quam cæteris anteponendam putes.

65. CALLIN. Hodierno die tibi parēdum est, Polydore, basilicè tam quid vis imperas, vt me vel inuitum dicto facias audientem. Quare quid sentiam, paucis accipe. Quæ sexto vel septimo regni anno Manassæ captiuitatem adscribit, sententia, cohærere mihi vix videtur. Manasses fuerat à sanctissimo patre Ezechia sanctissimis motibus imbutus, & quidem vt credere par est, ab Isaia consanguineo suo institutus.

Nemo repente fuit turpissimus: *Duodecim annorum erat Manasses cùm regnare cœpisset.* 4. Reg. c. 33.
credibile non est eum in hac ætatula potuisse statim ruptis omnibus obseruantiæ seniorum, pietatis, & verecundiæ repagulis ad omnia scelera prosilire. Paulatim, vt fieri solet, paternæ institutionis oblitus, neglectis maiorum consiliis, improborum aulicorum consortio blanditiisque corruptus voluptatum lenocinia sectatus est, dein per omnium scelerum abrupta deuolutus, ad idololatriæ magiæque voraginem prolapsus est: & emensis pueritiæ spatiis cum aliquo pietatis, quàm cum lacte matris hauserat, sensu, ad postremum in flexu ætatis, hæsit ad metas. sic enim viuitur, *Nemo*, vt iterum dicā, *repente fuit turpissimus.* Nec dubium est puerum duodennem à patre tutoribus sanctissimis esse commendatum, quos tam citò amolitus non videtur.

66. Quid? quod tam multa tum 4. Reg. cap. 21. tum 2. Paralip. cap. 33. de Manassæ sceleribus & impietate referūtur, vt vix aut ne vix quidem credibile sit hæc à puero vel sceleratissimo præstari potuisse, optimo Patri successerat. Is vndetriginta regnauit annis, & toto regni sui tempore veri Dei cultum cerimoniasque promouit. *Ipse anno & mense primo regni sui aperuit valuas domus Domini*, quas Achasus ipsius pater occluserat, *& instaurauit eas.* 2. Paralip. 29. 2. & vt dicitur cap. sequenti cùm tam tribum Iuda, quam cæterarum tribuum siue regni Israëlitici reliquias ad resipiscentiam hortatus esset. *In Iuda facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum Regis, & principum, verbum Domini.* Vers. 12.
Facta est, inquit, manus Domini, id est, interprete doctissimo Saliano, vberior gratiæ diuinæ influxus & copia, vt vnanimes Regis voluntati consentirent, plurimorum enim conspiratio & consensus in bonum, magnum Dei beneficium est. E quibus intelligas Iudæos sincerè & ex animo tunc ad Deum esse conuersos.

67. Quis igitur credat puerum paucis annis religionem sine fuco fallaciáque susceptam, & viginti nouem annorum spatio à tam pio Rege, ab Isaia cæterisque prophetis tanto studio corroboratam ex eorum animis euellere potuisse? Fac voluisse, & ab ipso regni principio de extirpando veri Dei cultu cogitasse. Prius profectò necesse fuit Regi vim & authoritatem inesse, quæ lapsu temporis acquiritur, neque puer aut improuidis fucum facere potuit, aut nolentes ad idololatriam suppliciorum metu compellere. Manasses autem, antequam vinctus Babylonem abduceretur, po-

pulum partim decepit, & in fraudem induxit, partim suppliciis & terrore superstitionem inuexit.

68. Quæris dolum & fallaciam? 4. Reg. cap. 21. v. 9. *Seducti sunt à Manasse vt facerent malum super gentes, quas contriuit Dominus.* 2. Paralip. 33. v. 9. *Manasses seduxit Iudam & habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel.* Quæris terrorem atque supplicia? *Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Ierusalem vsque ad os, absque peccatis suis quibus peccare fecit Iudam, vt faceret malum coram Domino.* 4. Regum 21. v. 16. Quæ quis existimet ab adolescentulo nondum confirmatis viribus fieri potuisse?

69. Sed esto sanè, ante annum ætatis decimnm octauum tam versipellis & astutus fuerit vt prudentissimum quemque miræ calliditatis retibus illaqueatum implicaret, tam potens vt fortissimum quemque supplicij metu territaret, & ipsum Isaiam consanguineum suum serra medium dissecaret, instaurauerit excelsa quæ demolitus fuerat Ezechias pater eius, construxerit aras Baalim, fecerit lucos, altaribus domũ Dei complerit, filios suos in valle Ben-Ennom igne lustrauerit: cætera denique omnia ante annum vitæ duodeuicesimum fecerit, quæ in scriptura facta referuntur: etiámne Dei longanimitatem & patientiam, præfractamque populi in suscepta semel impietate contumaciam primo illo regni sexennio contineri censebimus? aut cuiquam errasse videbitur Abulensis, dum ex illis verbis 2. Paralip. cap. 33. v. 10. *Locutúsque est Dominus ad eum, & ad populum illius; & attendere noluerunt:* colligit impietatem hanc ad multos annos fuisse propagatam.

70. Sed quid opus pluribus, cùm illi ipsi qui Manassem sexto vel septimo regni anno captum esse definiunt, nihil se præter suspiciones & authoritatem Iosephi, quem videlicet magni facere solent, habere fateantur? quasi verò iuuenis dici non possit; quamuis eum cùm Hebræis anno regni vicesimo secundo, ætatis tricesimo quarto in vincla compactum esse faciamus. Bonâ tamen eorum veniâ flagitabo, vt à Iosepho, cui perpetuum pene bellum indicunt, mihi semel liceat discedere, vt putem in extrema Manassæ tempora, eiusdem Regis carcerem incidisse, eóque partim absente, partim restituto & superstite filium Ammon patris sui vicarium regni gubernacula tractasse: cùm enim eum duodecim annis regnasse scribant LXX. Seniores, cuius regnum textus princeps & translatio Latina duobus annis definiunt, aliter inter se conciliari non possunt, quàm si dicamus Hebræos & Latinos solum illud tempus quo patre demortuo regnauit Amon, præ oculis habuisse, Græcos autem etiam decem extremos Manassis annos, quibus filius abducto patre, vel restituto, clauum Reipublicæ tractauit, sed viderint eruditi.

71. Omitto quòd ad concinnandam suam de Iuditha Chronologiam mira fingere coguntur, vt quòd anno sequenti remissus fuerit Manasses, eo ipso tempore quo bellum Iudæis moliebatur Assyrius. Sed ipsi nimitum vltrò tei mirabilitatem exaggerant, & multis diuinæ in Iudæos prouidentiæ exemplis conglobatis: Haud scio, inquiunt, an vllum illustrius exemplum fingi possit, eo quod habemus in manibus, Manassis libertatem, & regnum obtinentis à principe Babyloniæ dimissi, eo ipso tempore quo is habebat in animo omnem terram suo imperio subiugare. Quid istis facias, qui nouo artificio nostras obiectiones occupant, & inde diuinam prouidentiam mirantur, vnde nos rem gestam probabiliter negare poteramus? Sed adferunt illi non paucas facti rationes: nimirum *cor Regis in manu Dei, & quocunq; voluerit, inclinat illud.* Timuit fortasse Nabuchodonosor pro Manasse pugnantem Deum qui recẽtem cladem Sennacheribi meminisset. Exterruit eum fortasse per visum Dominus, sicut olim Laban & Esau (& alia in eãdem sententiam) sicque inspiratus & improuisus ad suos reuersus est, & quidem, vt apparet cum sociis eiusdem seruitutis. Miror cur repudiandam putarint illam Iudæorum traditionem de qua Hieronym. 2. Paralip. cap. 33. Manassem diuinitus capillis sublatum, *& reductum in regnum suum; & in modum Habacuc reductum, sicut ille deductus fuerat in Babylonem.*

72. Ista non confuto: tanti sint, quanti quisque existimat; caussas ostendi cur satis efficaces non videantur eorum rationes qui Iuditham negant sub Persarum monarchia floruisse: nolo tamen alterutram in partem videri præiudiciis occupatus, & qua tempestate Iuditha vixerit, mihi non liquere profiteor, & iampridem aueo scire quid sentiatis, & ab vtro dissensetim.

XI. *Noua propositio.*

73. POLYD. Paucis accipe, quid nostrum vterque sentiat. Arbitrabar ante Babylonicum exilium Iuditham floruisse.

Arbitrabar, inquam, sed tu me iam dubitare coegisti, non ita tamen vt hanc historiam demonstraueris ad Persarum tempora referendam videri, sed vt ostenderis non satis firmas esse rationes, quibus mihi videbar probasse contrarium. Ait autem Gregorius noster præclarum Iudithæ facinus anno Xerxis quarto contigisse: restat vt audiamus quibus argumentis rem hactenus inauditam collegerit. GREG. Video totam controuersiam tres in partes esse distributam. Primo quærendæ sunt rationes cur Holophernem à Iuditha cæsum negemus ante Babylonicam seruitutem: deinde cur eam credamus sub Persarum Monarchia floruisse: Tertio cum id probabili ratione constiterit, videndum cur eum Xerxem fuisse dicamus quem scriptura Nabuchodonosorem Assyriæ Regem appellat.

XII. *Probatur historiam Iudith non ante exilium Babylonicum contigisse.*

74. Expectas forsan, Callinice, dum ego, qui Iudith ante Sedeciæ cladem templique excidium floruisse non arbitror, sententiam meam Africani, Eusebij, Augustini, Sulpicij, Bedæ, cæterorum denique omnium qui primis quindecim Ecclesiæ seculis quæstionem hanc ventilarunt, authoritate confirmem. Vide quantum Polydoro nostro concesserim: remitto quicquid ponderis ex testimonio Patrum orationi meæ poterat accedere, & cùm Africanos, Eusebios, Augustinos, Sulpitios meæ sententiæ fundos & authores exhibere possim, controuersiam nostram non authoritatum, sed rationum momentis examinandam esse concedo.

75. Quibus igitur argumentis liquebit soluta Babylonica seruitute datoque Iudæis postliminio præclarum Iudithæ facinus contigisse? Ingruente Iudæis Holopherne, *Tremor*, vt dicitur Iudith 4. v. 2. *& horror inuasit sensus eorum ne hoc faceret Ierusalem & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & templis earum.* Quod translatio Græca luculentiùs expressit ϗ περὶ Ἰερουσαλήμ, ϗ τ̃ ναοῦ κυρίου θεοῦ αὐτῶν ἐταράχθησαν, ὅτι προσφάτως ἦσαν ἀναβεβηκότες ἐκ τ̃ αἰχμαλωσίας. *& de Ierusalem & templo Domini Dei sui turbati sunt, quia recèns adscenderant à captiuitate.* ϗ νεωστὶ πᾶς ὁ λαὸς συνείλεκτο. *& nuper omnis populus fuerat congregatus.* Hîc appello lectoris fidem: Qui nullis præiudiciis occupatus ad lectionem huius translationis accesserit, an aliud quicquam interpretabitur, quàm publicam illam captiuitatem à Cyro & Dario relaxatam?

76. Sed ipsi de remisso Manasse malunt intelligi, qui cùm Rex fuerit, non solus Babylonem abductus est, nec solus postliminio restitutus. Quid igitur an cum Rege captam ciuitatem, & magnam populi partem abductam credemus, vt dici possit populus denuo congregatus? At etiam aduersarii factum id negant: neque si factum fuisset, rem tam insignem scriptura tacuisset. *Dolum aliquem militarem siue stratagema existimare fas est*, inquit eruditissimus Salianus, *eoque iuuenem Regem temere foras abductum, & insidijs interceptum: captarunt fortasse Regis ad venationem excursum, vt venator ipse in casses indueret sese comitesque suos*, & numero sequenti. *fortasse ingentem pecuniam petierunt, tributi iampridem Assyrijs debiti, & obsides fratres Manassis aut filios, vt dimitterent iam captum Regem: quibus acceptis & illos cum thesauris retinuerunt, nec Regem dimiserunt, sed omnia secum Babylonem transtulere.* Felices isti quibus omnia suspicari permittitur: sed nos, qui disputationes nostras, quantum fieri potest, à suspicionibus abstinemus, eo contenti simus, quod vltrò liberaliter indulgent. fatentur paucos cum Manasse in captiuitatem abductos: non igitur postliminio captiuis qui cum Manasse fuerant abducti, dato, commodè dicitur populus congregatus. hic enim loquendi modus innuit partem populi non mediocrem à reliquis esse distractam. Et ne sola Græcorum codicum authoritate stare videamur, cap. 5. v. 25. etiam secundum editionem Latinam *ex dispersione, qua dispersi fuerant*, dicuntur *adunati*.

Anno mūdi 3340. Num. 17.

77. Quid quòd in hac historia nullam Regis videmus fieri mentionem? Rerum summam summus Sacerdos administrat: quicquid præcipitur nomine summi Sacerdotis, Senatus authoritate præcipitur: legatur editio Latina: Græci codices consulantur: nullum regiæ potestatis vestigium. An non hæc apertè significant fuisse tempus illud in gubernatione positum summi Sacerdotis & Senatus, ac proinde post Babylonicam seruitutem. cap. 4. v. 9. *& fecerunt filij Israel* ϗ προσέταξεν αὐτοῖς Ἰωακεὶμ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας, ϗ ἡ γερουσία παντὸς δήμου Ἰσραὴλ, οἳ ἐκάθηντο ἐν Ἱερουσαλήμ. *sicut præceperat ipsis Ioacim summus Sacerdos, & Senatus vniuersi po[puli] qui Hierosolymis residebant.* Qui citra controuersiam, si Rex tum temporis fuisset & saltem tanquam truncus Regis titulum sustinuis-

ſet, non ſuo ſed Regis nomine præcepiſſent in iis quæ ad rem bellicam attinebant. Iudith ipſa cap. 11. v. 14. fingens Hebræos eſſe præuaricatos in Dei legem & ſpe falſa lactans Holophernem ait eos velle, *conſumere quæ nec manibus liceret contingere*: & horum datam ἄφεσιν παρὰ τῆς γερουσίας, *remiſſionem à Senatu*. cur non etiam ab Rege? hoc enim ad eius propoſitum vel plurimùm faciebat, vt perſuaderet *certum* eſſe *quòd* ob caſtus cerimoniaſque violatas *in perniciem dabuntur*. Nam vt morbus à capite in reliquum corpus, ita faciliùs calamitas in Remp. à Regum ſcelere dimanat.

78. Reſpondent nullam hoc bello Regis fieri mentionem, *quia non acceſſit bellum ad ipſam vrbem Ieruſalem*. Cur igitur Senatores nominantur qui, vt ait ſacer textus in Græca tranſlatione Hieroſolymis reſidebant? Addunt reuerſum Babylone Manaſſem, diuinoque beneficio patriæ ſibique ipſi reſtitutum, rorum, & ſub reditus initium maximè in Dei cultu occupatum fuiſſe: adeo vt penes quos ipſo abſente, fuerat Reip. adminiſtratio, penes eoſdem adhuc maneret; videretúrq; ſeſe Regis poteſtate libenter abdicaturus, ſi vel illi voluiſſent, vel filium, quem ſuum in locum ſufficeret, habuiſſet: gauiſúmque fuiſſe Regem ea quæ de ſummo Eliacimi ſacerdotio & paterna in Hebræos authoritate vaticinatus fuerat Iſaias, re ipſa compleri. Sciebam equidem hominibus doctis & ingenioſis, præiudicataque ſententia ſemel occupatis ſuſpiciones, quibus ad iſta reſpondeant, nunquam defuturas. Felices iterum quibus licet omnia ſuſpicari ſed cum incertis admodum fundamentis iſta fulciantur, velintque ante ſuſceptum Amonem filium, exempta Manaſſæ vincula, & Eliacimum Iſaiæ vaticinio in locum Sobnæ, ad ſummi Sacerdotij dignitatem eſſe prouectum, haud ſcio an facilè cuiquam, qui dictorum à Callinico meminerit, ſuſpiciones ſuas poſſint intrudere.

79. Quid? quòd *manſit Iudith in domo mariti ſui annos centum quinque*, quos ex eiuſdem Callinici diſputatione liquet ab annis pueritiæ, priuſquam in familiam mariti tranſiret, exactis, eſſe ſeparandos, vt vitam ad annum præter propter centeſimum & viceſimum propagarit, nec minùs certum videtur Manaſſem in impietate ſua diutiùs perſtitiſſe. vnde ſi ſub eo caſus eſt Holophernes, & quidem Rege iam reſtituto, vt aduerſarij volunt, neceſſe eſt in extrema eius tempora præclarum Iudithæ facinus incidiſſe: anno autem poſt eiuſdem Regis obitum trigeſimo tertio bellũ exarſit. Ioſias interemptus, tertio poſt menſe Ioachas eius filius in Ægyptum abductus. quibus quaſi prælудiis ex calamitates connexæ fuerunt, quæ 2. Paralip. cap. 36. referuntur. vbi igitur pax illa longiſſima, de qua cap. 16. Iudith exeunte, *In omni autem ſpatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis*. niſi, ſi vt iam dictum eſt Iudith cùm acceſſit ad Holophernem, erat puella centum circiter annorum.

80. Sed quid opus eſt pluribus argumentis, cùm verbis diſertè conceptis expreſſam habeamus Scripturæ ſententiam? *Ante hos annos*, inquit Achior Ammonita Iudith 5. v. 22. *cùm receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati ſunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti ſunt in terram non ſuam*. Cùm de filiis Iſrael loquatur generatim, quis non videt eum de variis, tum regni Iuda, tum regni Iſrael vexationibus habere mentionem? & ſanè *exterminati ſunt prælijs à multis nationibus*, vt per ſe patet. *& plurimi eorum abducti ſunt in terram non ſuam*. plurimi eorum, inquit: quamuis enim Theglat-Phal-Aſſar terram Galaad, Galilæam, vniuerſámque terram Nephtali ditioni ſuæ ſubiecerit, & Hebræos ibi degentes in alias terræ plagas tranſcripſerit, quamuis aliquanto pòſt temporis interuallo Salmanaſſar plurimos è reliquo Iſraëlis populo tranſtulerit in Aſſyrios, non omnem tamen populum tranſtulerunt. Nam Scriptura ſacra etiam Ioſiæ temporibus reliquias Iſrael frequenter agnoſcit, vt cùm 2. Paralip. cap. 34. v. 9. congregatæ pecuniæ dicuntur, *De Manaſſe, & Ephraim, & vniuerſis reliquiis Iſrael, ab omni quoque Iuda & Beniamin, & habitatoribus Ieruſalem*; quibus in verbis adhuc inter regnũ Iſrael & regnum Iuda diſcrimen agnoſcitur, quod Iudith æuo ſublatũ fuerat, cùm ἡ γερουσία παντὸς δήμου Ἰσραήλ, *Senatus totius populi Iſrael*. Hieroſolymis ſedens vniuerſæ Reip. præſideret. Sed ad reliqua veniamus.

4. Regum cap. 15.

4. Regum cap. 17. & 18.

81. Etiam *plurimi* de regno Iuda *captiui abducti ſunt in terram non ſuam*. Siquidem Nechao Rex Ægypti Ioachaſum Ioſiæ filium, *tulit ſecum & abduxit in Ægyptum*. 2. Paralip. cap. 36. v. 4. Deinde Ioacimus, Ioachinus, & Sedecias, cum plurimis qui à Ieremia cap. vlt. numerantur, abducti ſunt Babylonem. & quamuis poſt vrbis excidium Nabuzardan *reliquam populi partem* tranſtuliſſe dicatur 4. Reg. cap. 25. v. 11. tamen *de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas*. vt verſiculo ſequenti ſubnectitur. vt meritò dixerit Achior non

omnes, sed plurimos eorum in seruitutem abductos, & filios Israel exterminatos à multis nationibus videlicet Assyriis, Chaldæis, Ægyptiis. Neque mouere quemquam debet, quod de pauperibus illis agricolis & vinitoribus residuis sacer historicus eodem cap. 26. subtexuit: *Consurgénsque omnis populus à paruo vsque ad magnum, & principes militum venerunt in Ægyptum timentes Chaldæos:* vt hinc putet Achiorem si de extrema clade loqueretur, non *plurimos*, sed *omnes* dicere debuisse. Agebat enim Achior de illis duntaxat, qui abducti fuerant in seruitutem: hi autem vt seruitutem vitarent, in Ægyptum fugiebant.

82. Sed pergit Achior vers. 23. *Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt & adscenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem, vbi sunt Sancta eorum.* Quis non intelligit publicum hunc fuisse reditum, publicam adunationem, qua tam multi ex dispersione conuenerint, vt non solùm vrbem, sed etiam omnia mõtana coloniis occuparent. ϗ κατῳκίσθησαν ἐν τῇ ὀρεινῇ, ὅτι ἦν ἔρημος, *& habitauerunt in montanis quia deserta erant.* traductis siquidem Israelitis, Chuttæi quos Salmanasar eorum loco submiserat, relictis montibus in planicie & minùs infesta belluis, & vberiore subsederant, vnde reuersi Hebræi in montibus habitarunt. quo tempore videntur Bethuliam, Nazareth, & oppida quędam alia priscis ignota temporibus in montium superciliis condidisse. Huius autem publicæ adunationis quodnam ante Cyri Persicæque monarchiæ tempora vestigium? Eos interpretantur qui cum Manasse redierunt. Mirum quidem istud: Manasses, vt aiunt, cum aliquot venationis comitibus interceptus fuerat, & abductus Babylonem, & anno sequenti tanto numero redierunt, vt desertos montes, coloniis occuparent.

83. Sed quid opus est hæc miracula fabricari? an vt suum sensum scripturæ, an potiùs vt suo sensui Scripturam accommodent? Equidem aduersariorum non solùm doctrinam admiror, vt debeo, sed etiam veneror pietatem: vellem tamen vt vim illam ingenij sui paulo diligentiùs scripturæ Græcis potissimùm verbis conceptæ intenderent: Viderent enim præsentem historiam post templi excidium contigisse, ϗ ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, *& templum Dei ipsórum solo æquatum est*; aut quanquam insolens fuerit Latinis auribus ista locutio, *factum est in pauimentum.* Hîc videlicet æstuant, sudant, in omnem se partem vertunt. Itaque quidam exponunt *fieri in pauimentum*, templi sanctitatem ita violari, quasi commune quoddam publicúmque solum esset, quod omnium iam pedibus conculcaretur: alij dicunt Achiorem esse mentitum omnes passim scriptoris eminentissimi pronuntiatum, quasi tessellam & emblema suis scriptis imponunt. *illa verba supposititia videri; quandoquidem S. Hieronymus qui fidelissimè transtulit hunc librum è Chaldæo sermone in Latinum, nihil de euersione templi in sua editione posuit, & fortasse ista additio Græci textus in caussa fuit, cur tot grauissimi authores, Eusebius, Augustinus, Sulpicius, Beda, in hac historia suo tempore collocanda decepti fuerint.* Fateor equidem Hieronymum hunc librum fidelissimè transtulisse. Quis enim negat? sed propter *codicum varietatem vitiosissimam, sola ea, quæ intelligentiâ integrâ in verbis Chaldæis inuenire potuit, sic Latinis expressisse*, ipse non diffitetur. E quibus efficitur non esse repudiandum, quicquid in Latinis codicibus non potuerit inueniri. Sit igitur prima Latini textus authoritas: eique falsi nihil subesse fateamur: sed editioni Græcæ, quoties Latinæ manifestè non repugnat, aliquid momenti tribuamus.

84. Sed esto: sola Latinorum codicum authoritate nitamur. Iudith cap. 8. cùm vocatis senioribus vers. 16. dixisset, *Humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato*, &c. duobus sequentibus versiculis adiecit, *de nostra humilitate gloriemur, quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt Deos alienos, pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.* Quæ qua fronte Iudith paulo post Manasse è vinculis exemptum dicere potuisset? Quando sceleratiùs quàm sub Manasse in omnem se idololatriam effuderunt? mittebantur ad illos prophetæ: Deus per Mosem multa præceperat: *Illi verò non audierunt, sed seducti sunt à Manasse vt facerent malum super omnes gentes, quas contriuit Dominus à facie filiorum Israel.* 4. Regum, cap. 21. vers. 9. Quid hoc loco dicemus? verba esse supposititia? at ipsissima est interpretatio Hieronymi, quam Ecclesiæ confirmat authoritas. Iudith esse mentitam? at nulla fuit caussa mentiendi. Quod enim istud artificium, mentiri & falsò tibi iustitiam arrogare, vt Dei misericordiam implores? Iudithan loqui non de omnibus Israëlitis, sed de Bethuliensibus duntaxat, quos nulla superstitione imbutos fuisse pronuntiat. Sed textus

Græcus hanc etiam exceptionẽ repudiat: οὐκ ἀνέστη ἐν ταῖς γενεαῖς ἡμῶν, οὐδ' ἔστιν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ σήμερον, οὔτε φυλὴ, οὔτε πατριὰ, οὔτε δῆμος, οὔτε πόλις ἐξ ἡμῶν οἳ προσκυνοῦσι θεοῖς χειροποιήτοις. *Non surrexit in generationibus nostris neque tribus, neque familia, neque populus, neque ciuitas ex nobis qui adorent Deos manufactos.* Quæ cùm Manassæ temporibus conuenire non possint, aliud tempus huic historiæ quærendum est, & fatendum

XIII. *Iudithæ memorabile facinus sub Persarum Regibus contigisse.*

85. NOn est quod in re perspicua diutiùs immoremur. Non contingit Holophernis cædes ante templi excidium, vt probatum est; non temore Babylonicæ seruitutis, vt per se liquet: neque quisquã hactenus hæc gesta fuisse sub Græcorum vel Romanorum monarchia somniauit: restat igitur vt ad Persarum tempora referamus. & sanè qui diligentiùs inspexerit, non pauca reperiet morum Persicorum vestigia. nomen Persicum est Holophernes, Reges magni vocabantur: in edictis hæc verba præfari sueuerãt, τάδε λέγει, &c. vt aduertit eruditus Brissonius lib. 1. de regno Persarum, & ex edicto Cyri compertum est 2. Paralip exeunte, & Esdræ primo ineunte: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum.* Nabuchodonosor in codicibus Græcis Iudith 2. v. 4. suam Holopherni voluntatem in hæc verba proponit. τάδε λέγει ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας: *hæc dicit Rex Magnus.*

86. Scio hanc dicendi formulam aliis etiam Regibus placuisse, sed qui post extinctum Assyriorum imperium, præter Persarum Reges, Rex magnus solemni formula diceretur, haud scio an quisquam possit reperiri. at Regem Magnum appellat etiã Latina translatio, ne ex solis Græcorum fontibus nostræ sententiæ probationem haurire videamur. Persarum Reges, cùm aliquibus gentibus bellum inferebant, AQVAM ET IGNEM petebant: hoc ipsum iussu Nabuchodonosoris, vt paulò post dicemus, petebat Holofernes. Accedit quòd tempus illud Iudæis fuit ab idolorum cultu penitus alienum. Etsi enim Esdras & Nehemias populum identidem reprehendunt, quòd vxores alienigenas matrimonio multi sibi copularint, nusquam tamen eos superstitionis accusat.

Cap. 3. v. 2.

87. Et cùm sub Persico dominatu nullum aliud in Iudæos bellum exarserit, commodè dicetur in omni spatio vitæ Iudith, nõ fuisse qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis, quamuis eam seruatã patriã centum ipsos annos vixisse faciamus. Cur igitur, si Persarum Rex fuit iste Nabuchodonosor, Rex Assyriæ nominatur? Non est insolens ista scripturæ locutio. Darius Hystaspis Persarum Rex templum regiis impensis instaurari permiserat; eo tandem absoluto Hebræi *fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificauerat eos Dominus, & conuerterat cor Regis Assur ad eos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.* Esdræ 1. cap. 6. versu vltimo. Sed antequam progrediamur vlteriùs, ex te scire velim, mi Polydore, quid sentias.

XIV. *De Xerxis initio.*

88. POLYD. Mihi verò (quanquam vereor tuis istis interrogationibus circumueniri) mihi inquam, nihil videtur eius initio præclarius. Cùm enim, vt author est Iustinus lib. 2. post Darii patris obitum cum Artamene fratre de regno contenderet, hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphamem veluti ad domesticum iudicem detulerunt, *Qui domi cognitâ caussâ Xerxem præposuit, adeoq; fraterna contentio fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus indoluerit, ipsóque litis tempore inuicem munera miserint, & iucunda quoque inter se, non solùm credula colloquia habuerint. iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine conuicio fuit. Tanto moderatiùs tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.* vt in scripturarum campo ludere, dissidere nonnunquam, veritatémque Persarum gazis pretiosiórem diuersis indagare viis salua fraterna charitate possimus: & Artamenes quidem apud Plutarchum auditâ patrui sententiâ, statim prosiliit, fratrem adorauit, & dexterâ prehensum in solio regio collocauit.

Opusculo de Fraterno amore.

89. GREGOR. Hanc igitur litem inter fratres, post obitum patris, disceptatore patruo contestatam fuisse putas? POLYD. Non equidem arbitror, mi Gregori, sed Herodoto res suorum temporum scribenti magis assentior: controuersiam hanc in illud tempus incidisse, quo Darius bellum Atheniensibus atque Ægyptiis inferre cupiebat. GREG. Potes meminisse quibus ille verbis suam mentem expresserit lib. 7. ineunte. POLYD. His, opinor: *Dum expeditionem in Aegyptum & Athenas Darius molitur, ingens inter eius liberos de principatu exorta dissensio est.* ὡς δεῖ μιν ἀποδέξαντα βασιλῆα κατὰ τὸν Περσέων νόμον οὕτω στρα-

ἰκνέεσθαι. *Quoniam secundum Persarum legem oportebat ita demum ire in expeditionem cùm successorem regni declarasset.* Greg. Audis successorem ex lege fuisse declarãdum, priusquam Rex ad bellum procederet? Polyd. Audio sanè. Sed quorsum ista? Gregor. Atqui iam priùs in Scythas expeditionem Darius susceperat, atque, vt author est Ctesias in excerptis rerum Persicarum, *Bosphoro Istroque ponte iunctis, contra Scythas adscendit,* ὁδὸν ἐλάσας ἡμερῶν ιέ, *quindecim dierum itinere ingressus.* E quibus efficitur regni successorem ante bellum illud Scythicum ex lege declarari debuisse.

90. Hoc autem bellum Scythicum quoto Darii Regis anno gestum fuerit, cùm neque Ctesias, neque Herodotus definitè circumscriptéque tradant, neque vel Eusebius recentioréisque Chronologi, qui cum eo certum expeditioni tempus assignant, quicquam adferant præter suspicionem & coniecturam, ab iis si qua conciliandæ scripturæ necessitas incumbat poterimus bona cum eorum venia discedere; dummodo nihil inuehamus quòd manifestè pugnet cum ea rerum gestarum serie quæ ab Herodoto libris 5. & 6. contexitur. Neque quicquam repugnabit assignari duo Xerxis initia aut etiam tria: vnum quo patre Scythicam expeditionem moliente, Regium nomen puer obtinuit: alterum, quo iam adolescentulus aliquas Reip. partes administrauit: tertium quo patre demortuo, solus imperii gubernacula suscepit: vt annus ille primus possit, si reliqua consentiant, adepti nominis Regii decimus septimus, rerum cum regia potestate gestarum administratæque Reip. duodecimus nominari. Polyd. Planè nihil habeo quod opponam. Sed perge porro.

XV. *Probatur Historiam Iudith Xerxis ætati conuenire: & Xerxem eum esse quem scriptura Nabuchodonosorum appellat.*

91. Greg. Nihil hic coniecturis & suspicionibus indagabo: omnia quæ à me dicentur, scriptoris antiquissimi, quemque Xerxis ipsius ætate floruisse constat, authoritate dicentur. cùm è dictis liquidò pateat historiam hanc sub Persarum Regibus contigisse, tempus quærendum est quo Medi à Persis defecerint. Herodotus lib. 1. pag. 62. Henricianæ editionis, ἀπέστησαν, inquit, ἀπὸ Δαρείου, ἀποστάντες δὲ ὀπίσω, κατεστράφθησαν, μάχῃ νικηθέντες. *A Dario defecerunt, ac secutis temporibus subuersi sunt, pugna superati.* Quando autem vel qua occasione defecerint, idem liquidiùs ostendit libro septimo ineunte, quàm vt possit in dubium reuocari. Ait enim post pugnam Marathoniam cùm noui delectus haberentur, totam Asiam per triennium fluctuasse. ἡ Ἀσίη ἐδονέετο πᾶσα ἐπὶ τρία ἔτεα. *Vniuersa per tres annos Asia concussa est.* Et quamuis nullam Medicæ defectionis nominatim mentionem faciat, contentus eam superiùs verbis iam allatis obiter attigisse, caussæ tamen nihil est cur alio tempore factam esse dicamus.

92. Polyd. Imò, Gregori, caussæ nihil est cur hæc Medorum defectio potiùs ad Darii Histaspidæ, qui Xerxis pater fuit, quàm ad Darii Nothi tempora referatur. Ab hoc enim rebellasse Medos disertè tradit Xenophon libro primo de rebus Græcanicis, eiúsque rebellionis finem Olympiadi nonagesimæ tertiæ consignat. Gregor. Atqui probabile non est huius mentionem ab Herodoto fieri potuisse; cùm ne Thucydides quidem, quem adhuc puerulum auditis Herodoti Musis illacrymasse ferunt, & ipsius Herodoti suasu literarum studiis à parentibus applicatum fuisse: historiam suam eo vsque perduxerit. Quare, vt iterum illud inculcem, cum Medos à Dario desciuisse scribit Herodotus, nullum alium quàm Darium Hystaspis filium, Xerxis patrem intelligit.

93. Rebellionis eius authorem Arphaxadum scriptura indigitat, qui Mediæ regnum vsurpans multas gentes suo subiugauit imperio, atque vt regnum firmiùs stabiliret, mœnibus sepsit Ecbatana. In hoc communi totius Asiæ motu τετάρτῳ ἔτεϊ, *anno quarto* post pugnam Marathoniam, Ægyptii qui fuerant à Cambyse subacti, ἀπέστησαν ἀπὸ Περσέων, *à Persis defecerunt,* Dariúsque, cùm bellum in perduelles pararet, altero post Ægyptiorum defectionem, sexto post pugnam Marathoniam anno, de vita sublatus est. Huic successit filius Xerxes, qui iam ante annos præterpropter quindecim, puer adhuc patre Scythicum bellum meditante, regium nomen obtinuerat: & ante decem circiter annos iam adolescentulus cum patre Reipub. gubernacula tractare occœperat. Primam Regis appellationem spectant Græci interpretes, dum Nabuchodonosoris de Arphaxado victoriã anno regni decimo septimo consignant: publicæ administrationis initium Hieronymus, dum eadem victoria 12. Nabuchodonosoris annum illustrat. Quam coniecturam conciliandis scripturæ translationibus apprimè necessariam, si cætera conueniant,

equidem non video cur aspernari debeamus.

94. Neque verò dubium cuiquam esse potest, quin Xerxes patri demortuo suffectus vsus fuerit copiis à patre conscriptis, & primo quoque tempore, populis qui tota passim Asia rebellarant, bellum indixerit. Cæteros prætermittit Herodotus, solisque rebus Græcanicis intentus hæc de rebellibus generatum dixisse contentus est. *Anno post Darij mortem secundo, primùm aduersus rebelles expeditionem suscepit*, quorũ rebellium numero certum est Medos comprehendi, qui, vt iam vidimus in illo totius Asię motu à Dario defecerant. Pergit Herodot. τούτους μὲν νυν καταστρεψάμενος, *his igitur subactis, & tota Aegypto in arctiorem quàm sub Dario fuerat, seruitutem redactā, &c.* Quæ, si placet, cum scriptura conferantur.

95. Asia per triennium concussa est vniuersa: scriptura plerosque recenset Asiæ populos, *qui omnes vno animo contradixerunt* nũtiis à Nabuchodonosore missis, *& remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt.* Rebellauit Ægyptus: Scriptura Græca perduellibus accenset, πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Αἴγυπτον. *Omnes habitatores Aegypti.* Xerxes rebelles subuertit & ad officium reuocauit. Iudith 1. v. 5. *Anno igitur 12. regni sui Nabuchodonosor Rex Assyriorum qui regnabat in Niniue ciuitate magna, pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit eum*, imò, vt in Græco legitur, etiã ἐξωλόθρευσεν *interemit.*

Polyd. Quot verba, tot arietes in tuam Chronologiam impacti. Audis Nabuchodonosoris nomen, annum regni 12. Regem Assyriorum: Niniuem imperii sedem, quæ tu videris quam bellè in Xerxem Persarum Regem, eiusq; annum à patris obitu 2. quadrare possint, maximè cùm Persarũ Reges, non in vrbe Nino, sed, vt iam dictũ est, partim Babylone, partim Susis, partim Ecbatanis habitarēt. Greg. Ictu frustrato cursus in eandem cautem arietas, ô Polydore. Iudæi Xerxem excidium templo patriæque suæ molientem similitudine quadã Nabuchodonosorem vocabant, quemadmodum Spartacus, Mithridates aliusvè quispiam hostis nomini Romano acerbissimus Annibal diceretur. Secundus hic annus fuit ab obitu Darii, sed 12. ex quo regia cum potestate cœperat administrare Rempubl.

96. Atque hæc ad explicandã scripturam necessaria videantur, neutiquam tamen iis officiunt quæ de exorta inter fratres controuersia Iustin. & Herodot. literis prodiderunt. Neq; enim quicquam repugnat quin Xerxes longè ante, patris iudicio primum in Regis appellationem, deinde ad gerendam cum eo Remp. allectus fuerit, quod scripturæ ratio postulat, & Artamenes paulo ante patris obitum mouerit illam de regni successione controuersiam, superiori patris iudicio non acquiescens, eóque demortuo litem parte superstite contestatam fuerit disceptatore patruo prosecutus. Quæ si gratis à me finguntur, quo tandem operæ cõmentique sui pretio, quam veterum authoritate recentiores Chronol. & Iudithæ Nabuchodonosorũ eum esse defendunt, quem Ptolemæus Mardocēpadũ sacer Regũ historicus Merodac appellat, & eius initiũ duplex inculcāt, vt annus Nabuchodonosori 12. alicui Manassis anno quoquo modo respondeat.

97. Iam vidimus Darium Xerxis patrem Regem Assur Esdr. 1. c. 6. v. 22. nuncupari neq; difficilis & intricata responsio est, cur cũ cæteri Persarũ Reges mēses hybernos 7. exigerēt Babylone, Nabuchodonosor iste, quem Xerxē esse volumus, in vrbe Niniue regnauerit. Cùm enim Darius Babylonem nobili illa Zopyri virtute recepisset, *cum egregiè remuneratus est, cùm dãdo quotannis* quæ *apud Persas sunt honoratissima, atque alia permulta*, tum καὶ τὴν Βαβυλῶνα οἱ ἔδωκεν ἀτελέα νέμεσθαι, μέχρι τῆς ἐκείνου ζωῆς, *tradita Babylone immuni, quoad viueret in peculiarem portionem*, vt author est Herodot. lib. 3. exeunte. Iure igitur Darius & Xerxes, quamdiu Zopyrus superstes fuit, in vrbe, quæ propter vicinitatem eodem esset aëris temperamento, sibi sedem hybernam elegerunt: nulla porro commodior occurrit quàm Niniue, Assyrii quondam imperii caput, quam ex allatis Amyntæ scriptoris antiquissimi verbis fuisse constat è superioris Niniuæ ciuitatis magnæ vestigiis excitatã.

98. Anno igitur post obitum Darii 2. rebelles Medos ad imperium reuocauit Xerxes, & eodem impetu victorem exercitum ex Herodoto colligitur Ægyptiis intulisse. Quibus subactis Niniuem reuersus per dies centũ & viginti siue mensis 4. ῥαθυμῶν καὶ εὐωχούμενος, *quiescens*, & *epulis indulgens* hyemauit, vt in Græco textu dicitur Iudith 1. v. 12. Arphaxado deuicto, *exaltatum est regnũ Nabuchodonosor, & cor eius eleuatũ est, & misit ad omnes*, quorũ longa series versic. 7. 8. 9. contexitur, legationis quidem caussa, reticetur in latino textu, sed in Græco v. 10. perspicua est. *Vilipenderunt omnes habitantes terram verbum Nabuchodonosor Regis Assyriorũ*, καὶ οὐ συνῆλθον αὐτῷ εἰς τὸν πόλεμον, *& ad bellum cum ipso non venerunt*, è quibus intelligitis inuitatos ab eo fuisse, qui citeriorem Asiam & Aegyptum incolebant, vt ad debellandum Arphaxadum conuenirent, sed cùm partim iam palam defecissent, vt Aegyptii, partim adhuc ancipites vtrimque nutarent, audientes dicto

non fuisse. *Tunc indignatus Nabuchodonosor Rex ad omnem terram illam, iurauit per thronũ & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his* (v. 11.) quæ videlicet eius imperium contempserant. Quid autem est *defenderet se?* Græcis ἐκδικήσειν *vlcisceretur* iniuriam? Hoc citra controuersiam indicat eos qui parere noluerant, fuisse perduelles, quod haud scio an vllis Persarum Regibus præter quàm Dario & Xerxi conuenire posse videatur. Sed ad reliqua properamus.

Iudith 2. vers. 1. 99. Anno 13. Nabuchodonosor Regis, ex quo videlicet ad Reip. gubernationem accitus fuerat, *vigesima & secunda die mensis primi*, qui Lunæ Martiæ respondet, *factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, vt defenderet se, vocauitque omnes maiores natu, omnésque duces & bellatores suos*, hoc ipsum de Xerxe tradit Herodotus pag. 438. σύλλογον ἐπίκλητον Περσέων τῶν ἀρίστων, *præstantißimos quosque Persarum in concilium vocauit*. Pergit sacer historicus, *& habuit cum eis mysterium consilii sui*, arcanũ fuisse Xerxis consilium de bello Græcis inferendo, liquet ex facto Demarati, quod etsi commode ab Herodoto libro 7. exactè narratur, malo tamen Latinis Iustini lib. 2. verbis exponere. *Hoc vbi primùm didicit Demaratus Rex Lacedæmoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriæ post fugam, quàm Regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratibus perscribit, easdémque cerâ superinductâ delet, ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet; fido deinde seruo perferendas dedit, iusso magistratibus Spartanorum tradere. Quibus perlatis Lacedæmone quæstioni res diu fuit, quòd neque scriptum aliquid viderent, neque frustra missas suspicarentur, tantóque rem maiorem, quanto sit occultior, putabant, hærentibus in coniectura viris, soror Regis Leonidæ* (quam Gorgo vocat Herodotus & vxorem Leonidæ fuisse restatur) *consilium scribentis inuenit, erasâ igitur cerâ belli consilia deteguntur*. Hæc ille.

pag. 439. 100. Nabuchodonosor *dixit cogitationem suam in eo esse vt omnem terram suo subiugaret imperio*. Xerxes apud Herodotum, ita loquens inducitur, γῆν τε τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν. οὐ γὰρ δὴ χώρην γε οὐδεμίαν κατόψεται ὁ ἥλιος ὅμουρον ἐοῦσαν τῇ ἡμετέρῃ, ἀλλὰ σφέας πάσας ἐγὼ ἅμα ὑμῖν μίαν χώρην θήσω. *Terram Persidem ætheri Iouis conterminam reddemus: nullam enim regionem vicinam spectabit sol, sed eas omnes ego vobis vnam faciam regionem*. Nabuchodonosor prætexuit vindictam: Xerxes τιμωρίην τε καὶ τίσιν *vltionem & vindictam* ambitioni suæ prætexuit: Nabuchodonosoris dictum placuit omnibus, Iudith 2. v. 4. Xerxi vnus dissensit Artabanus: qui cùm iussu Regis ornatus veste regia, in regio solio resedisset, & deinde in regio cubili dormisset, nocturnis visis monitus Regis sententiam suo suffragio comprobauit. Nabuchodonosor in textu Græco promisso aduersum omne regnum Occidentis Holopherni, ἀπαγγελεῖς αὐτοῖς, inquit, ἑτοιμάζειν μοι γῆν καὶ ὕδωρ, *renuntiabis illis, vt mihi præparent terram & aquam*. pag. 446.
Xerxes *postquam Sardis aduenit, principio caduceatores misit in Græciam* (quæ ratione Persidis & Assyriæ inter Occidentis regna computatur) misit, inquam, caduceatores αἰτήσοντας γῆν τε καὶ ὕδωρ, *qui peterent terram & aquam, & cœnas Regi parandas indicerent*. Promisit Nabuchodosor Holopherni se mox cùm ingentibus copiis esse secuturum. Sed iampridem vereor Græcis orationi Latinæ toties intextis vestras aures obtundere. pag. 452.

101. CALLIN. Imò Gregori, rem nobis gratissimam feceris, si quoniam in hoc vno totius disputationis cardo versatur, vt ex Herodoti sacrique textus comparatione statuatur vtrùm sit ille Xerxes, quem scriptura Nabuchodonosorem appellat, non modo suâ linguâ loquentem Herodotum producas; sed etiam textum scripturæ Græcum proferas, si quod in eo deprehendes quod editio Latina minùs expresserit. GREGOR. Audite igitur Nabuchodonosorem verbis Græcis præcipientem Holopherni, cùm denuntiari iussisset regnis omnibus ad occasum vergentibus, vt terram & aquam præpararent, hanc adiecit præcepti rationem, ὅτι ἐξελεύσομαι ἐν θυμῷ μου ἐπ' αὐτοὺς, καὶ καλύψω πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς ἐν τοῖς ποσὶ τῆς δυνάμεώς μου, *quia exibo in furore meo ad ipsos, & cooperiam omnem faciem terræ in pedibus exercitus mei*: & rursum, σὺ δ' ἐξελθὼν προκαταλήψῃ μοι πᾶσαν ὅριον αὐτῶν. *Tu verò exiens omnem terminum eorum ante me occupabis*.

E quibus liquet Holophernem non habuisse sub signis omnem Assyriorum exercitum, sed partem à cæteris distractam, multóque maiores fuisse copias quæ secutæ sunt, quàm quas Nabuchodonosor in Occidentem sub Holopherne præmiserat, εἰς πορείαν τοῦ προελθεῖν βασιλέως, *in viam vt praecederent Regem*, vt dicitur versu vndecimo. Quis autem non videt his verbis Xerxis descensum denotari, & innumerabiles illas, copias in Occasum infusas à quibus

etiam epotos amnes non mediocres, tum alii passim historici, tum imprimis Herodotus memoriæ prodiderunt?

Iudith 3. v. 13. 102. Holophernes lucos passim excidit, & templa concremauit. *Præceperat enim illi* Iudith 4. v. 2. *Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus, diceretur Deus ab illis nationibus quæ potuissent Holophernis potentia subiugari.* Nihil frequentius apud authores, qui Xerxis in Græciam descensum attigerunt, istis templorum incendiis, cùm, vt ait Cicero lib. 2. in Verrem, Persæ *bellum toti Græciæ, diis hominibúsque indixissent.* Vnde apud Lycurgum oratione contra Leocratem extat iurisiurandi formula, qua se Græci apud Platæas contra Xerxis copias dimicaturi, conceptis verbis obstrinxerunt, nunquam se instauraturos templa, quæ à Persis incensa vel diruta fuerant, vt æternum extaret impietatis barbaricæ monumentum. Eruditus Baron. lib. 2. de regno Persarum, Æschylum, Isocratem, Curtium, Maximum Tyrium, Pausaniam, Diodorum, & alios laudat authores, & Herodotum nostrum pag. 373. Sed quoniam Herodoto, quo puero ista gesta sunt, antiquiorem habemus Æschylum, quem sub aduentum Xerxis iam floruisse constat, eum tantisper audiamus, qui in Persis vmbram Darii de Persis loquentem inducit.

Οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ' ὐ θεῶν βρέτη
ᾐδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νεώς.
βωμοὶ δ' ἄϊστοι, δαιμόνων θ' ἱδρύματα
πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.

Terrã petentes Græciam haud statuas Deũ
Spoliare metuunt, tẽpla nec flammis dare,
Abolentur aræ: signa confertim Deûm,
Radicitus conuulsa sternuntur solo.

103. Xerxem autem ab iis nationibus, quæ potuissent ipsius potentiâ subiugari, Deum dici voluisse, tum ex eo compertum
Herod. li. 7. pag. 525. esse potest quod Hellesponto tanquam Deo minori sibi subdito trecentas plagas iussit infligi, & in eius pelagus par compedum demitti, & misit qui tanquam seruo fugitiuo stigmata inurerent, tum ex eo quòd apud Æschylum Chorus Altossæ Xerxis parenti, quæ Darii coniux fuerat ita loquens inducitur,

Θεοῦ μὲν εὐνάτειρα Περσῶν, θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ
ἔφυς,

Vxor ô Dei Persarum, Persici mater Dei.

104. Accedit quòd inter viros eruditos dubitatur vtrùm Eliacimus ille qui Sobnæ suffectus est ex Isaiæ vaticinio, summus Sacerdos fuerit, an aliquis è secundariis Sacerdotibus, an etiam fuerit præfectus Prætorio: & vt summum Sacerdotem fuisse faciamus cùm 4. Reg. cap. 18. v. 18. & Isaiæ *36. v. 3.* על הבית *super domum*, siue præpositus domus fuisse largiatur, ac proinde quindecim annis ante Manassæ regnum, Sobnæ successerit, adhuc incertum est vtrum Eliacimus vitam ad Manassæ vincula propagarit: apud omnes autem in confesso est, & è scriptura etiam aduersarii manifestè deducunt Ioacimum summum Pontificem nepotem Iosedeci, filium Iosuæ, patrem Eliasib Xerxis æuo floruisse: cum autem qui tempore Iudith summo fungebatur Sacerdotio textus Græcus Ioacimum constanter appellat, Latinus vtramque appellationem vsurpat, & Eliacimum vocat Iudith 4. v. 5. at cap. 12. vers. 8. Ioacimum.

XVI. *Recapitulatio.*

105. Quid igitur agimus? Iudithæ quærimus ætatem: quæritur tempus quo certum sit summum Pontificem nomine Ioacim floruisse: de Xerxis æuo consentiunt omnes, de regno Manassis in vtramque partem inter viros doctissimos disputatur. Quæritur tempus quo Israelitæ, qui priùs à multis gentibus afflicti fuerant, & in diuersa distracti rursus conuenerint, & diuersos montes nouis coloniis occuparint. Equidem aliud inuenire non possum, quàm illud quod Tobias senior moriens filio suo prædixerat. Tob. 14. v. 16. *& fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam; omnis autem deserta terra eius replebitur, & domus Dei quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur.* Quæritur tempus ante quod templum æquatum solo fuerit, & non ita pridem instauratum, anno Darii 6. fuit instauratio eius absoluta. Quæritur tempus quo verè dicere potuerit Iuditha. *De nostra humilitate gloriemur, quoniam non sumus* Iudith 8. 18
secuti peccata patrũ nostrorum, qui dereliquerunt Deũ suum, & adorauerunt Deos alienos. Manassæ temporibus Hebræi fuerant omnibus superstitionibus imbuti, nullum apud eos ætate Xerxis idololatriæ vestigium.

106. Quæritur tempus quo pax annorum non minùs 80. necem Holophernis excepit. Quo tempore Manasses fuerit postliminiò restitutus, non constat: sed quocunque tempore factum esse diuinent, nullis aliis rationibus inducti quàm vt implicatos suæ Chronologiæ nodos extricent, obiectionique respondeant, tempus explicandæ scripturæ sufficiens inuenire vix possunt. At ab anno quarto Xerxis ad Ptolomæum Lagi filium, à quo post diuturnam pacem denuò vexati cœperunt, anni centum & duo sexaginta

numerantur. Quo temporis interstitio perpetua fuit Reipubl. tranquillitas. Nam etsi anno Artaxerxis, vigesimo Hebræis murum Ierusalem instaurantibus, Sarabella variis artibus & calumniis id impedire conatus est, & Arabes, Ammonitæ & Azotii *congregati sunt omnes pariter vt venirent, & pugnarent contra Ierusalem, & molirentur insidias.* Nehemiæ 4. v. 7. tamen ab incepto destiterunt, nec vltra minas progressi sunt. Quod etiam de Ester dici potest: quocunque enim tempore floruisse dicatur, quamuis nomen Hebræum delere voluerit Aman, nihil tamen Hebræis reipsa calamitatis illatum est, sed *quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersariis vindicare.* Esther 9. 1 Quanquam de tempore Estheris quot capita, tot pene sententiæ, nihil vt ex eo contra stabilitam à nobis opinionem duci posse videatur.

Quæritur Rex in quem omnia quadrare possint, quæ libro Iudith de Nabuchodonosore referuntur, ex Herodoto & Æschylo, quorum vterque Xerxis ætate floruit, ostendimus Xerxi omnia conuenire.

107. Hæc igitur dictorum summa esto. Is videtur esse Xerxes quem scriptura Nabuchodonosorem appellat, qui Babylone Zopyro concessa, in Niniue, quàm iam inde à Cyri temporibus instauratam fuisse ex Amynta compertum est, maiorem anni partem exigebat. Is anno regni duodecimo Medos & Arphaxadum, deinde rebelles Ægyptios subiugauit, anno sequenti ineunte cùm non solùm Græciæ, sed etiam omnibus occidentis regnis inhiaret, velletque priùs, citerioris Asiæ populos, qui post pugnam Marathoniam à patre defecerant, & ad bellum contra Medos inuitati Xerxi dicto audientes esse noluerant, ad officium reuocare, præmisit Holophernem, cuius apud historicos nulla mentio, quòd ante cæsus fuerit, quàm ad terram Græciam adspiraret, anno post Darii mortem quarto, quo tempore Xerxes Græciam petiturus iam erat in procinctu, cæsus est Holophernes, & Xerxes qui tum maiora versabat animo, totique Europæ iampridem imminebat, tantisper Hebræorum vltionem differendam putauit. Cur igitur è Græcia reuersus non vltus est necem principis militiæ suæ, cladémque exercitus? tam multas clades acceperat, vt ipsa copia vnius obliteraret memoriam, & vt Iustini verbis vtar, lib. 3. ineunte, *Xerxes Rex Persarum terror antea gentium bello in Græcia infeliciter gesto, etiam suis contemptui esse cœpit*, nedum de vlciscendo vnius fœminæ facinore cogitaret.

108. Accessit Hebræorum prudentia, qui ne exulceratum Xerxis animum nouis suspicionibus offenderent, supersederunt Hierosolyma munire, vsque ad annum Artaxerxis vicesimum, & si Cherilo apud Euseb. lib. 9. προπαρ. fidem habemus, auxiliares Xerxi bellum Græcis anno sequente inferenti copias obtulerunt. Quanquam grauiores hactenus testes à nobis producti sunt, quàm vt necesse sit à poëta leuissimo post annos centum & quinquaginta scribente, fidem orationi nostræ corradere, cùm præsertim Herodotus in accuratissimo Xerxis copiarum Catalogo Iudæorum ne meminerit quidem.

109. Polyd. Propemodum extorques vt tuis rationibus assentiar, Gregori, non video tamen quo consilio Iudæi, qui vt dicitur Iudith 4. v. 4. ingruente Holopherne, *præoccupauerunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ*; non, inquam, video cur eo tempore non refecerint murum vrbis Ierusalem, & vt scriptura loquitur, eius cicatricem obduxerint. Greg. Difficile est, & non necessarium, Polydore, consiliorum omnium præstare rationem, fortasse tamen dici possit & instaurationem muri difficiliorem fuisse, propter vrbis vastitatem, & pauciores fuisse Iudæos quàm vt tantam vrbem inuadentibus vndecúnque Persis, tutari possent, & hostium è diuersa parte ruentium impetus sustinere. Prudenter summus Sacerdos Eliacim omissâ vrbis muniendæ curâ, scripsit ad *vniuersos per quos via transitus esse poterat, vt obtinerent adscensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & illic custodirent, vbi angustum iter esse poterat inter montes.* Iudith 4. ver. 6. Etenim, vt in Græco textu disertiùs narratur, ἦν εὐχερῶς διακωλῦσαι αὐτοὺς προσβαίνοντας, στενῆς τῆς διαβάσεως οὔσης ἐπ' ἄνδρας τοὺς πάντα δύο, *facile erat prohibere eos accedentes, cùm angustus transitus esset ad viros, ad summum duos.* Hæc habuit quæ contra viros amicissimos, quorum pietatem & doctrinam suspicio, pro veritate amicissima disputarem.

Esdræ 4. 7.

XVII. *Conclusio.*

110. Callin. Paucis exponam, Gregori, quid in hac opinione mihi potissimùm arrideat. Patrum authoritatem tueris, qui omnes historiam hanc ad Persicæ Monarchiæ tempora contulerunt, li-

cet inter ipsos de Persarum Rege, sub quo gesta res est, non omnino conueniat. De Xerxe adstipularis Africano, cuius, vt omnium antiquissimi Chronologorum, & Apostolorum supparis prima censeri debet authoritas, alii multa diuinant, multa suspicantur: Medos post Sennacheribi tempora volunt imperium amisisse, & in Assyriorum aut certè Babyloniorum concessisse ditionem: quæ si vera sunt, necesse est, vt iterum, ante Cyri tempora nouum imperium fundarint, aut certè falsa sint omnia quæ ab omnibus passim historicis de Medorum imperio referuntur. Dies me deficiat si singula eorum figmenta de Deioce, de regno eius armis prolato, de tempore quo captus est Manasses, coner euoluere.

111. Si quæras ab iis cur ista procudant historiæ miracula, nihil se præter suspiciones habere fatebuntur, dicéntque profanas historias è sacris esse corrigendas. Crederem, si priusquam historiam profanam è sacra corrigerent, de germano historię sacræ sensu constaret; sed cùm scripturæ verba violenter ad suum sensum suspicionémque detorserint, tum demum, authores suorum temporum historiam exequentes, si quid huiusmodi suspicionibus contrarium dixerint, non tam è scriptura quàm è suis opinationibus emendant. Quid dico scriptores profanos? etiam sacrum historicum obtorto iugulo compingunt in equuleum.

112. Dicitur Iudith mansisse in domo mariti sui annos 105. hos annos non ab initio mansionis, sed ab initio vitæ deducunt vt sensus sit Iudith annos 105. vixisse, quorum partem extremam in domo mariti sui exegerit. Dura interpretatio, sed necessaria, si suis de tempore Iudith suspicionibus obsequantur. Dicuntur Israelitæ nuper ex dispersione qua dispersi fuerant adunati, adscendisse montana omnia, & Ierusalem iterum possidere. Interpretantur de quibusdam qui cum Manasse capti fuerant: dura & hæc interpretatio: ferenda tamen, imò necessaria, ne locum hunc de soluta Babylonica captiuitate intelligendum esse fateantur.

113. Dicuntur Iudæorum plurimi abducti in terram non suam: hoc de quibusdam Manassæ comitibus in venatione captis intelligendum esse defendunt. Duriusculè quidem: sed quid facias, suas illi suspiciones aliter tueri non possunt. Dicitur in textu Græco templum ante hæc tempora γενέσθαι εἰς ἔδαφος, solo æquatum fuisse: interpretantur pollutum & profanatum, aut quod est etiam asperius hęc verba communi Patrum vsu recepta, quæ & extant in ęmendatissima Sixti V. editione, supposititia esse contendunt. Quid ita? quia vel derelinquenda est Græci textus authoritas, vel illa suspicio qua sibi persuadent historiam Iudith ante seruitutem Babylonicam incidisse. Et hoc esse dicunt historias profanas è sacris emendare. Tu autem, Gregori, nihil suspicionibus indulges, nullam obtrudis regnorum mutationem antiquis authoribus ignotam: nullum scripturæ verbum ab eo sensu detorques qui primus legenti solet occurrere. Quicquid ais vel ipsius scripturæ verbis, vel eorum qui Xerxis æuo floruerunt, authoritate confirmas.





SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER DECIMVS-QVARTVS.

DE ADVENTV MESSIÆ, ET DE LXX. HEBDOMADIBVS DANIELIS.

EVDOXVS ET IOSEPHVS.

1. EVDOXVS. Noſtine Barachiam, mi Ioſephe? IOSEPH. Illum, opinor, ais apellam, inter Hebræos quidem eruditum in paucis, ſed quod huic genti familiare eſt, iſti autem præcipuum, σκληροκάρδιον, pertinacem, Chriſto contumelioſum, Chriſtianis omnibus infeſtum, in interrogationibus vafrum, in reſponſionibus verſipellem, illum denique Proteum, qui ne veritati ſuffragetur,

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum.

EVDOXVS. Illum ipſum, Ioſephe, ſed narro tibi,

----vbi nulla fugam reperit fallacia, victus
In ſeſe redit, atque hominis tandem ore locutus.

Nimirum abſtulit ab eo Deus cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Hic, inquam, veritati dedit manus, & Meſſiam veniſſe confeſſus eſt. IOSEPHVS. Bonum factum. Sed ex te ſcire velim, niſi tibi ſecùs videtur, quibus tandem rationibus ab eo fuerit tam luculentæ veritatis expreſſa confeſſio.

2. EVDOXVS. Heſterno die cùm ad Euſtorgium noſtrum de communibus ſtudiis acturus pro veteri familiaritate veniſſem, offendi eum in horto propter riuulum, in molli gramine reſidentem, & magnis, vt videbatur, de rebus cum Barachia diſputantem. Proſiliit vterque, atque vt vitæ communis officiis perfuncti ſumus: Peropportunè, inquit Euſtorgius, ades, Eudoxe: Iactatur enim inter nos de Aduentu Meſſiæ vetus altercatio, cui te vt etiam pro Barachia reſpondeam, auemus tanquam honorarium arbitrum intereſſe. His dictis eius inuitatu conſedimus.

3. Et ille. Quærebamus, inquit, inter nos vtrùm iam veniſset ille Meſſias, qui paſſim à prophetis venturus eſſe prædicitur. Hic videlicet negat: ego veniſſe defendo.

Quia tamen non solùm dies, sed etiam annus nos deficeret, si singula legis & prophetarum de Christo venturo testimonia seorsum enucleare vellemus, conuenit inter nos vt vterque propheram vnum suo sibi legeret arbitratu, è cuius effatis suspensas haberet disputationis suæ rationes. Hic Isaiam optauit, ego Danielem. Tuæ sunt igitur partes, Barachia, nisi tibi molestum est, ex Isaia tui dicti probationem accersere. Tum ille magna sanè confidentia, vt isti solent; Accersam verò, inquit, quanquam hic non arbiter honorarius, vt ais, sed tibi suffragator accessit? ita tamen accersam, vt vel ab inuitis, &, pace vestra dixerim, anili superstitione iam pridem occupatis confessionem veritatis extorqueam.

II. *Futilia argumenta quibus Iudæi probare volunt Mesiam nondum venisse.*

Cap. 2.

4 ET *erit*, inquit Isaias, *in nouißimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Hæc de tempore Messiæ dicta, ne ipsi quidem negatis. Atqui si diligenter attendere volumus, & singula verba suis examinate momentis, inueniemus hactenus nihil eorum contigisse quæ Propheta Messiæ tempore futura prænuntiat. *In nouißimis*, inquit, *diebus*. Qui sunt isti nouissimi dies? Ii citra controuersiam qui proximè mundi conflagrationem antecedent. At iam ab obitu vestri illius IESV NAZARENI, quem Christum esse tam præfractè defenditis, annos minimùm sexcentos & mille numeratis, nec tamen hæc elementorum compages hactenus deflagrauit.

Nouissimi dies.

5. *Et erit præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles.* Si quis à vobis sciscitetur quem euentum in aduentu vestri Messiæ sortita fuerit ea vaticinatio, ne hiscere quidem poteritis. Nisi si forte vos Christiani cæteris mortalibus oculatiores vidistis aduentu vestri Messiæ montes è suis radicibus euulsos ad ciuitatem sanctam prorepere: nisi vidistis Carmelum Tabore exaggeratum, vt coniunctis vterque molibus, montem Morea suis impositum ceruicibus sustinerent. Quod & expectari iubent verba prophetiæ, & nostri Sapientes adueniente Messia futurum disertè pronuntiant in expositione Psalm. 86. ad illa verba: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Dixit, inquiunt, Rabi Phinees in nomine Raban Ruben, *futurum vt Deus Sanctus & benedictus adducat Tabor & Carmelum, ponatque Ierusalem in capitibus eorum.* Imò, vt legitur in quarta parte Talmud libro primo, positione tertia, quæ apud nos bauabatra, id est, positio postrema nuncupatur, dixit Rabi Iohanan futurum, vt Deus eleuet Ierusalem tribus leucis sursum. Quod ne potiùs è suo sensu, quàm è diuinis deprompsisse videatur oraculis, Zachariæ vaticinio confirmat capite decimo quarto, v. 10. וראמה וישבה תחתיה, *& exaltabitur, & sedebit sub se.* Quemadmodum enim sub ipsa tres leucæ fuerunt antiquitus, vt Rabba de quodam sene qui Ierusalem in suo statu viderat, se comperisse testatur, ita noua Ierusalem tribus leucis supra veterem eminebit. Neque verò metuendum est ne ciuitatis illius recidiuæ ciues tam editum montis verticem superare non possint, & tam ardui conscensus laboribus exhausti, interceptisque spirituum meatibus ægrè spirantes in ipsa via fatiscant. De his enim disertè Propheta, dum nouæ ciuitatis felicitatem miris modis exaggerat; *Qui sunt*, inquit, *isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* Sed reliqua prosequamur.

Galatinus lib. 5 c. 3.

Hebræorum nugæ.

Isaiæ 60. 8.

6. *Et fluent ad eum omnes gentes.* Quæro quando ad vestrum IESVM NAZARENVM gentes omnes confluxerint: lustremus Europam, Asiam, Africam: regna Turcarum, Persarum, Sinarum, Iaponum, aliarum denique tot tantarúmque gentium, si pedibus non licet, cogitatione tantisper obeamus; videmus vix in Europa Religionis Christianæ superesse vestigium: cæteras terrarum plagas, aut cæcæ gentilitatis tenebris, aut Mahumetanis superstitionibus occupatas.

Isaiæ 2.

7. *Et ibunt*, inquit, *populi multi, & dicent, Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Reuoluamus annales, videamus vtrùm post vestri IESV NAZARENI exortum populi multi ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob ascenderint. Imò paulò priùs quàm ille nasceretur, Herodes tum aliis modis templi sanctitatem violarat, tum supra maiorem portam templi aquilam auream magni ponderis dedicarat. Quàm cùm eo pene tempore quo vester ille natus est, adolescentes fortissimi studio pietatis, & auitæ religionis accensi reuulsam securibus concidissent, eos Herodes cum Matthia

Ioseph 17. Originum cap..

tam præclari facinoris authore viuos exuſſit.

Origin. 17. cap. 12. Paucis diebus euolutis cùm iam Herodes teterrimum ſpiritum edidiſſet, tumultuantibus horum adoleſcentium amicis & conſanguineis, Archelaus deſignatus à patre regni ſucceſſor barbaros milites in templum immiſit, ſacrificiis occupatos inuaſit, ſacrum illud pauimentum miſerorum eruore reſperſit, & ad tria prope millia trucidauit. Quid? quòd cùm Archelaus regni confirmationem à Cæſare petiturus in Italiam nauigaſſet, ortâ contra Sabinum Cæſaris Procuratorem ſeditione, cùm Iudæorum pleríque templi porticus occupaſſent, atque inde Romanos tanquam è ſuperiore loco telis impune configerent, Romani porticibus illis opere, magnitudine, omníque ornatu mirabilibus faces ſubdiderunt. Quo factum eſt, vt illi flamma ſubitò comprehenſi, aut in hoſtes deſilirent, ab iiſque contrucidarentur, aut è muro ſe præcipites darent, aut deſperata ſalute incendium ſuis gladiis occuparent.

De excidio lib. 2. cap. 1.

Orig. 17. cap. 16. De excid. 2 cap. 3.

Omitto ſacri theſauri expilationem, omitto cæteras clades, quæ ſub ipſum veſtri Meſſiæ exortum, vel paulo poſt contigerunt, è quibus planè liquet alium à nobis expectandum, cuius auſpiciis populi multi ſe ad celebrandam domum Dei Iacob mutuo cohortentur.

8. *De Sion*, inquit, *exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Quæro ecquid veſtri Meſſiæ Aduentu lex de Sion, aut verbum Domini de Ieruſalem exiuerit? Scio quid reſpondere ſoleatis: Eius Apoſtolos diuino afflatos inſtinctu ad promulgandam Euangelii legem è Ieruſalem prodiiſſe. Euangelii legem? imò lex illa dicenda non eſt, ſed adulterium legíſque corruptio. Quid enim magis legi diuinæ contrarium, quàm quod Apoſtoli veſtri non ſolùm Hebræis, ſed etiam gentibus obtruſerunt? Deus Abrahamo circumciſionem præceperat: vos abrogatis. Abſtinentiam à certis cibis indixerat, vos diſcrimen omne ſuſtuliſtis, certos ſacrificiorum ritus iuſſerat cerimoniáſque ſeruari: vos ſeruatis eorum nihil. Sed quid opus eſt ire per ſingula?

In ipſis etiam decem verbis diuina manu conſcriptis maiorum veſtrorum temeritas inuenit quod carperet, & de legis integritate libaret. Deus Sabbatum conſecrarat, illi teſerarunt; & tum celebritatem tum quietem in ſequentem feriam tranſtulerunt. Sed pergamus cum Propheta noſtram telam detexere.

9. *Et iudicabit*, inquit, *gentes, & arguet populos multos.* Volo vti mihi reſpondeatis, quas gentes Nazarenus ille iudicauerit, quos populos arguerit. Nullum in veſtra ſcriptura iudicii veſtigium.

Imò ſi vel ipſi fidem habemus, nullam habuit iuris dicundi poteſtatem. Eum his verbis compellarat quidam de turba. *Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem. At ille dixit illi: Quis me conſtituit iudicem vel diuiſorem ſuper vos?* Quòd ſi ne in cauſſis quidem priuatis, & exiguis iuris habuit dictionem, multo minùs iudicaſſe gentes, & populos multos arguiſſe credendus eſt. Lucæ 12. v. 13.

10. *Et conflabunt*, inquit Iſaias, *gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Quod alius Propheta prædixerat, *& orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.*

Hic à vobis ſciſcitor ecquid Hebræi vel aliæ gentes poſtquam præclarus ille Meſſias veſter exortus eſt, gladios ſuos in vomeres & lanceas ſuas in falces aliquando conflarint? ecquid minùs quàm antea totus terrarum orbis bellis exarſerit? Pſal. 77.

Herodes tertio circiter menſe poſt veſtri Seruatoris exortum fato conceſſit, vt veſtri Chronologi Torniellus, Salianus, Petauius, & alii viri ſanè grauiſſimi è Ioſepho, Dione, & Mathematicis obſeruationibus, Lunæque defectu collegerunt. Nos, ſi placet, altercationis vitandæ cauſsâ, tantorum virorum veſtigiis hæreamus, videamúſque quæ tandem in diebus eius abundantia pacis exorta ſit.

11. Omitto grauiſſimas illas ſeditiones duas vel potiùs inteſtina bella contra Archelaum, & Sabinum Cæſaris procuratorem concitata: quorum finis is fuit, vt tria circiter Iudæorum millia ceciderit Archelaus, & Quintilius Varus Sabino ſubſidium ferens Iudæis in fugam verſis, ſeditionis authores, ad duo circiter millia cruci ſuffixerit. Eodem tempore Idumæam duo veteranorum rebellium millia lacerabant. Iudas quidam magna militum manu collecta, ruptis

Regiis

Iosephus antiquit. 17. Et lib 2. de bello Iudaico.

Regiis armamentariis, & omnibus, quos circa se habebat, armatis, Galilæam vastabat: trans flumen Simon quidam è seruis Regiis imposito sibi diademate omnia ferro flammisque miscebat: Pastor nescio quis assumpto Regis nomine & ornatu quasi quædam calamitas omnibus Iudææ partibus incumbebat; atque hæc anno vestri Messiæ primo contigerunt.

12. Neque verò dicere potestis quod vestri solent crebris vsurpare sermonibus, eum tunc esse natum, cùm clausis Iani portis, totus orbis terrarum bellis tum ciuilibus, tum externis fatigatus annum iam duodecimum pace tranquillissima frueretur. Hoc, inquam, dicere non potestis. Non enim Prophetæ prædicunt eum in pace nasciturum, sed pacem in diebus eius orituram. Et si verum quærimus eo duodecim annorum interuallo totus orbis terrarum tam multis bellis exarsit, vt facile non sit eorum seriem euoluere. Pannonij rebellantes non semel subiugati: Ligures in seruitutem redacti: Bosphorani ad officium reuocati: Sicambri, Vsipetæ, Frisij, Dalmatæ, Thraces, Bessi, Sialetæ subacti. Daci & Dalmatæ rursus arma capientes à Tiberio compressi, Catthi, Cherusci, Sueui, aliæ gentes Germanicæ à Druso superatæ.

13. At enim pax illa Iesu Nazareni ortum annis duodecim non antecessit: sed vt verbis vtar Orosij lib. 6. cap. 22. *Anno ab vrbe condita* DCCLII. *Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septemtrione in Meridiem, atque per totum Oceani circulum cunctis gentibus vna pace compositis Iani portas tertiò ipse tunc clausit: quas ex eo per duodecim ferè annos quietissimo obseratas otio ipsa etiam rubigo consignauit: nec priùs vnquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsata, & Atheniensium seditione & Dacorum commotione patuerunt*, & paucis interiectis: *Igitur eo tempore, id est, eo anno quo firmissimam verissimámque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cuius aduentui pax illa famulata est.*

Iani Portæ clausæ.

14. Equidem quo tempore Iani portas tertiùm clauserit Augustus, nescire me fateor quòd Liuius non infra Drusi mortem historiam suam produxerit, suam Tacitus non supra extremum Augusti annum inchoârit, Tranquillus, Florus, Velleius gestarum rerum summa duntaxat secuti sint fastigia: in historia Dionis, è cuius vnius fontibus certam horum temporum notitiam haurire poteramus, labes sit aliquot annorum. Scio tamen ea tempora quæ Messiæ vestri natalibus Chronologi consignant, & aliquot annos deinceps fuisse admodum turbulentos. Cùm enim docti penè omnes quæstionem de natali Iesu Nazareni diu variis altercationibus ventilarint, hactenus tamen repertus est nemo, qui vel vltra C. Antistium Veterem, Decium Lælium Balbum consules remouerit, vel citra C. Cæsarem, & L. Æmilium Paulum Coss. nostris temporibus admoueret. At si Dionem audimus lib. 55. Antistio & Lælio Coss. Armeniam ἀλλοτριουμένην deficientem & Romanis ademptam Phraates occupauit, & iussus ea cedere, tùm adeo non paruit, vt tum alia superbè contumeliosèque rescripserit, tum sibi ipsi Regis Regum nomen arrogarit, Augustum nudo Cæsaris vocabulo affecerit.

Christi natalis annus.

15. Iam cùm Nazarenus vester natus sit in diebus Herodis Regis, omniúmque scriptorum testimonio liqueat priùs Armeniam receptã non fuisse, quàm Caius Cæsar Aug. nepos in Orient. profectus est; profectus autem eò fuerit post Herodis, obitum vt è Iosepho compertum est, qui Antiquit. lib. 17. adhuc eum Romæ fuisse, & in eo consilio quo Rex ab Augusto post Herodis obitum declaratus est Archelaus, interfuisse, primúmque locum habuisse testatur, quis adeo bardus, &, vt Augusti verbum vsurpem, baceolus, vt hanc sibi persuasionem intrudi patiatur in illo negotiorum tumore, cùm Parthus desciscens à societate Romana, adiecit Armeniæ manum, & Regi Regum potentissimo contumeliosissimóque bellum inferre parabat Augustus, ab eodem Augusto belli portas claudi potuisse?

16. Quid? quòd Tiberius protinus ab adoptione missus est in Germaniam, videlicet Sexto Ælio Cato, & C. Sentio Saturno Coss. ibi iam *ante triennium* immensum exarserat bellum, quod à M. Vinicio quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum, feliciter, vt auctor est Velleius, qui cum Tiberio Nerone missus in Germaniam, rerum ab eo gestarum per annos continuos nouem, Præfectus aut Legatus spectator fuit, & pro captu suæ mediocritatis, adiutor, vt nefas sit de ipsius auctoritate dubitare. Iam si ab illo Cati & Saturnini consulatu, gressum ad anteriora promoueris, bellum illud immensum quod ante triennium exarserat, Augusto & Luc. Paulo Coss. initum deprehendes, qui annus tum à viris doctissimis, tum quod maius est, ab ipso Martyrologio Romano, Messiæ vestri natali præfigitur.

Bella circa Christi exortum, excitata.

17. Neque verò deinceps per annos duodecim discessum ab armis, Ianique

portas non eſſe clauſas, illud indicio eſt, & quidem certiſſimo, quòd, vt iam vidimus, Velleius triennio poſt initium belli profectus in Germaniam per annos continuos nouem ſub Tiberio militauit. τρία δὲ δὴ τότε καὶ εἴκοσι στρατόπεδα, ἤ, ὥς γε ἕτεροι λέγουσι, πέντε καὶ εἴκοσι πολιτικὰ ἐτρέφετο. *Alebantur eò tempore legiones vrbanæ viginti tres, aut vt alij dicunt quinque & viginti.* E quibus videas quanta tum bellorum moles incumberet. Quid, quòd in eadem tempora congerit Dio Sardiniam aliáſque pop. Romani prouincias à prædonibus fœdè laceratas, vrbes non paucas defectionem molitas, bellum Iſauricum, & Getulicum à Cornelio Coſſo confectum. Addere potuiſſet Marmaridas & Garamantas, eodem, vt ſignificat Florus, tempore ſubactos à Curinio. ſed rerùm oppreſſus multitudine ſignificat ſe multa ſtudio prætetire, ſolis Pannoniæ Dalmatiæque rebus intentus, vbi tanta certatum opum vi, &, vt cum Velleio loquar, *Tantus etiam huius belli metus, vt ſtabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientiâ Cæſaris Augusti animum quateret atque terreret. Habiti itaque delectus, reuocati vndique milites veterani, &c. Audita in Senatu vox Principis, decimo die, ni caueretur, poſſe hoſtem in vrbis Romæ venire conſpectum*, &c. Addit. *vltimam impoſuerat Pannonico ac Dalmatico Cæſar manum, cùm intra quinque conſummati tanti operis dies, funeſtæ ex Germania epiſtolæ cæſi Vari, trucidatarúmque legionum trium, totidémque alarum, & ſex cohortium*; &c. Ite nunc & Meſsiæ veſtri exortu tranquilla fuiſſe tempora defendite, dicite factum quòd Iſaias prædixerat futurum, vt eius aduentu conflarent gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuaret gens contra gentem gladium ſuum, nec exercerentur vltrà ad prælium.

Dio lib. 55. ab v.c. 758.

ab v.c 759.

Cap. cx. cxi.

Cap. cxvsi.

18. Sed, credo, poſt promulgatam Euangelij legem, pòſt quam de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem, humano generi pacis tranquillitas affulſit. Quid ſi magis etiam quàm priùs armorum furor incanduit? omitto tot bella ciuilia, tot externa, tot gentium tranſmigrationes, totum Septemtrionem in populi Romani Prouincias effuſum, Gallias à Francis, & Burgundis, & Longobardis, Hiſpaniam à Gothis & Saracenis, Africam à Vandalis, Italiam, ipſamque adeo Romam ab Herulis & Gothis, Aſiam minorem, Græciam, Thraciam, Macedoniam à Turcis occupatas. Vel ætas hæc noſtra quantum nobis bellorum ſegetem ſubminiſtrat? Ecquid non videmus Principum Chriſtianorum diſsidio terrarum orbem Chriſtianorum ſanguine ſtagnantem, maria cædibus decolorata, vrbes ciuibus exhauſtas, agros vacantes cultoribus, campos ſepultos oſsibus inſepultis? ecquid non videmus paucis annis amplius centies centenis hominum millibus fame, morbo, flamma, ferro, domorum ruinis, aliis bellorum caſibus periiſſe? Et hæc eſt illa pax quæ aduentu Meſſiæ nobis à Propheta promittitur?

Bella poſt promulgatum Euangelium.

19. Sed iam ad alia properemus. Vndecimum Iſaiæ caput ad Meſsiam pertinere ne ipſi quidem itis inficias. Quæro quando tandem acciderint, quæ à commatè 6. ad 9. futura prænuntiat. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur: ſimul. requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas: & delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus eſt, manum ſuam mittet*, &c. Quæ ſi probatis aduentu Nazareni veſtri contigiſſe, nihil habeo quod defendam: ſin autem, anilem iſtam ſuperſtitionem deponite, & alium Meſſiam nobiſcum expectate. *Nam*, vt optimis Rabbi Moſis Maimonis filij verbis vtar, *cuncti Prophetæ prædixerunt, Chriſtum redempturum, & ſeruaturum Iſraël, collectorúmque eorum diſperſionem, confirmaturum denique illorum legem. Iam iſte cauſſam præbuit vt periret Iſrael, diſpergerentur eius reliquiæ, humilis & abiectus efficeretur, peruerteretur lex, errore imbueretur maxima mundi pars, coleretur alius præter Deum.* Atque his dictis Barachias

Cap. xr. Deuteronomij de legibus Regum & præliorum apud Genebrard. in calce Chronici.

Conticuit tandem, preſſóque obmutuit ore.
Hic ego tot argumentorum futilitate commotus quaſi ſubditis facibus, continuò ſic exarſi, vt mihi temperare non potuerim, quin Euſtorgium paucis reſponſionibus occuparem, &

III. *Iudæorum contra priorem Meſsiæ aduentum, argumenta diluuntur.*

20. Tametsi, inquam, Barachia, non eo conſilio veneram, vt tecum de aduentu Meſsiæ hodierno die diſputarem, quia tamen me potiùs aduerſarium, quàm arbitrum habere maluiſti, neque linguam à contumeliis in Chriſtum & Apoſtolos iactandis abſtinere potuiſti, paucis accipe quam facilè tuorum conuiciorum.

Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Diſsiliat ——

& oborta veritatis luce offusa tuarum rationum caligo dissipetur.

21. Ais extremos dies eos appellari non posse quibus gentes ad Christum confluxisse, nouámque legem Euangelij de Sion exiuisse defendimus, quòd annos videamus ex illo tempore iam saltem mille sexcentos euolutos. At cùm Rabini vestri (quibus maiore periculo quàm ipsi legi Mosaicæ fides abrogatur, vt è Thalmud, ordine quarto, cap. 4. distinct. 10. Sixtus Senensis ostendit) cum, inquam, Rabini tempus omne in legem naturæ, quam ipsi inanitatem appellant, in legem scriptam, & dies Messiæ distinxerint, non video cur extremos dies appellare non possimus annorum illa duo millia, quæ à Rabinis Talmudicis tractatu Sanedrin, capite Helec, pagina 124. Messiæ tribuuntur: *Docet domus Eliæ. Sex annorum millibus erit mundus. Duobus millibus inanitas, duobus millibus lex: duobus itidem millibus annorum dies Messiæ.* Quibus vel inuiti fatentur venisse Christum, cum vel secundum eorum rationes iampridem annus ab orbe condito quinquies millesimus numeretur. Quid si nouissimos dies appellat, qui extremi Synagogæ, Legi, Sacerdotio, sacrificiis illuxerint? Quid denique, si cum ait *in nouissimis diebus*, intelligi voluit aliud nihil quã dies posteriores באחרית הימים qui videlicet hoc Isaiæ vaticinium suo tempore consequentur. Sic Iacob Genes. 49. v. 1. congregat filios suos vt iis annuntiet, quæ ventura sunt illis *in diebus nouissimis*, quorum pleraque ante mundi conflagrationem iam acciderunt.

[Margin: Biblioth. sanctæ, l. 2.]

[Margin: E collectaneis Rabi Iacob apud Genebrar. in calce Chronographiæ. Vide Paulū Riccium epitome Talmudicæ doctr.]

22. Messiam negas adhuc venisse, quòd nondum succollantibus Tabore & Carmelo, mons Domini supra verticem montium fuerit eleuatus. Vide quid non ego, sed R. Moses Maimonis filius in Deuteronomio, cap. 12. de legibus Regum & præliorum ad ista respõdeat. *Ne in animum tuum inducas*, inquit, *tempestate Christi quicquam defecturum è cursu mundi, aut aliquid immutandum è primo naturæ opificio atq; ordine, sed mundum pro suo more & cursu administrandum scito*, &c. *sunt enim figuratæ parabolicæque locutiones. Diebus autem Christi intelligetur cuiusnã rei sint parabolæ, quamque rem designent.* Quid? quòd Rabi Selomon hunc ipsum Isaiæ locum explanans? In capite montium, inquit, in monte qui erit caput omnium montium בחשבות quantum ad pretium & dignitatem. *& eleuabitur super colles.* Quoniam scilicet magnificabitur Deus miraculo quod in eo fiet maiore miraculis montis Sinai, Carmeli & Tabor. Quid ni igitur per montem domus Domini interpretemur lapidem illum qui *abscissus est de monte, sine manibus, & percussit statuam* Nabuchodonosori per somnum oblatam, *& factus est mons magnus & impleuit vniuersam terram*? De quo Daniel ipse, vers. 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti quòd de monte abscissus est lapis sine manibus*, &c. quem in locum Hieronymus, *abscissus est lapis*, inquit, *Dominus atque Saluator: sine manibus .i. absque coitu & humano semine, de vtero virginali.*

[Margin: Apud Genebrard. ibid.]

[Margin: Apud Galat. l. 5. c. 3.]

[Margin: Daniel. 2. v. 35.]

23. Neque sanè locutionem hanc vestrorum sapientum aures respuunt: liber qui Bereschit Rabba .i. expositio Genesis inscribitur in caput Geneseos 38 sic Zachariam, cap. 4. v. 7. explanet: *Quis tu mons magne coram Zorobabel? mons magnus iste est Messias: & quare ipsum vocat magnum? quia maior est quàm patres.* Etsi lapidem hunc qui abscissus est de monte sine manibus, & factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram, de regno Messiæ, quod est Ecclesiæ, non inuitus interpretor; Abscissum de monte, videlicet è Synagoga: sine manibus: *Gratia enim*, inquit Apostolus, *estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Quis porro non videt Ecclesiam, quæ initio, tanquam paruus lapis à monte abscissus paucos discipulos, non ex operibus legis, sed Christi gratia vocatos & segregatos in Euangelium Dei colligebat, factam esse montem adeo magnum vt vniuersam terram impleuerit? monti cõparatur: *Etenim*, inquit Cyrillus Alexandrinus commentario in Isaiam, lib. 1. orat. 2. *Verè est excelsa & illustris, & omnibus vbique notissima. Aliter etiam excelsa est, quoniam terreni nihil sapit, at suprà res terrenas est, & gloriam Dei quatenus licet, animi oculis intuetur, & sublimibus admodum de Deo opinionibus gloriatur.*

[Margin: Ephes. 2. 9.]

[Margin: Rom. 3. 28.]

[Margin: Ecclesia mons.]

24. Quòd si non Christum, non Ecclesiam, sed, vt verba sonant, montem in quo templum fundatum fuit, intelligendum putas, nec ego magnopere refragabor, fuit enim reuera mons ille positus in vertice montium, & tanto supet colles Oreb & Sinai eleuatus, quanto vmbra corpori, figuræ veritas antecellit. Quia nimirum de Sion exiuit lex & verbum Domini de Ierusalẽ? lex, inquam, noua, quam à Messia feren-

dam Prophetæ tanto ante prædixerant. Iſaias 51.v.4. *Attendite ad me, popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet.* Item cap. 42.v.1. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum: iudicium gentibus proferet.* verſ. 4. *Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius inſulæ expectabunt.* Vbi per inſulas gentiles intelligit Rabbi Selomone interprete. Ierem. cap. 31. v. 31. quem etiam locum Paulus ad Hebr. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus,* &c. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam,* &c.

Cap. 8. v. 8.

25. Sed quid opus eſt ambitioſiùs iſta teſtimonia conquirere, cùm in Midras Tehilim .i. in expoſitione Pſalmorum, Pſal. 20. id apertè Rabbini fateantur? Dixit R. hanina: *Non eſt Rex Meſſias venturus niſi ad dandum noua præcepta gentibus.* Et tu hàc legem à Meſſia ferendam, à prophetis prædictam, à veteribus Rabbinis approbatam legis adulterium appellas? Quid ita? Ea lege circumciſio, ciborum delectus, ſacrificia legis veteris, caſtus, cerimoniæ, ipſum denique ſabbatum abrogetur? Quaſi verò Deus non hæc omnia ſuo tempore ſe repudiaturum eſſe prædixerit? Iſaiæ 1. v. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit Dominus. Plenus ſum, holocauſta arietum & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & hircorum nolui.* verſ. 13. *Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi: Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram,* &c. Quibus v. 46. de Baptiſmo, vt videtur, iſta ſubnectit. *Lauamini, mundi eſtote*, Malachiæ 1. v. 11. *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Et hoc tu legis adulterium appellas.

Galatinus l. 10. cap. 1.

Abrogatio cerimoniarum legalium

26. Quid ſi Chriſtus noſter legem illam veterem adeo non corrupit, vt eam potiùs adimpleuerit? Quid ſi iure dicere poſſumus Moſaicam legem, poſtquam Chriſtianæ fidei lux oborta eſt, tum demum ſuis abſolutã fuiſſe numeris, & vndecumq; perfectam. *Nolite*, inquit, *putare, quoniam veni ſoluere legem, aut prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis; donec tranſeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Sic enim legem adimpleuit Chriſtus vt obſcuris lucem affuderit, promiſſa exhibuerit, veritatem quibuſdam figurarum integumentis inuolutam atque adumbratam explicuerit, inchoata & primis veluti lineamentis informata perfecerit. Quid enim aliud putas his verbis adumbratum fuiſſe, Exod. 34. de Moſe Synagogæ principes & omnes filios Iſrael alloquente: verſ. 33. *Poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* & v. 35. *Sed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.* Quid, inquam, aliud putas his ſignificatum figuris, quàm quod ait noſter Apoſtolus: *Vſque enim in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum: quod Chriſto euacuatur, ſed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper caput eorum. Cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.* Vnde & Chriſto, qui ortu, vita, morte, præceptis & doctrina ſua caliginem legi & prophetis offuſam amouerat, animam exhalante, *Ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum*, vt Euangeliſtæ noſtri litteris prodiderunt: quod cùm luce, palam, in oculis totius ciuitatis geſtum fuerit, non eò deuenerant impudentiæ, vt tantum oſtentum confingerent, ſeque manifeſti mendacii alligarent.

Matt. 5. 17.

Chriſtus legem perfecit.

2. Cor. 3. 14.

27. Legem igitur Chriſtus non ſoluit, ſed adimpleuit. ὅσα γὰρ ἐκεῖνος ἐσκιογράφησεν, inquit Theophylactus in Matth. ταῦτα οὗτος τελείως ἐζωγράφησεν. quæcunque enim illa delineauit, hic perfectè pinxit. Sic, *non occides*, eſt delineatio quædam & inchoatio præcepti: illud autem, *non iraſceris*, eſt mandati perfectio, & velut extrema manus quæ tabulæ apponitur: ὥσπερ καὶ ὁ ζωγράφος οὐ καταλύει τὴν σκιογραφίαν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀναπληροῖ. Sicut & pictor adumbrationem ſiue prima lineamenta non delet, ſed magis illuſtrat, adimplet. Quare cùm ais lege noua veterem adulteratam, perinde facis atque ſi diceres adulterari colores cùm eos ſua luce ſol adſperſerit: adulterari lucem auroræ cùm ſol idem ſe totum rebus infuderit: adulterari ἰχνογραφίαν in ædificiis, foſſáſque iaciendis fundamentis perductas, quòd eas architectus magnis lapidibus implérit, ædéſque magnificas in hiſce veſtigiis excitarit, adulterari primam tabulæ delineationem, quòd eam pictor viuis coloribus animarit.

Quomodo Chriſtus legem impleuit.

28. Ad ſabbati præceptum quod attinet,

in eo duo spectanda sunt, quorum alterum ex ipsa natura, alterum è mera legislatoris voluntate depēdet. naturale est quòd tempus aliquod diuino cultui deputetur; voluntarium, quòd hic potiùs quàm ille dies, septima potius quàm prima feria religiosè celebretur. Nihil Christus ex altero libauit, quòd ex ipsis naturæ fontibus hauriatur. ipsam celebritatem in sequentem transtulit diem, tum quòd is primæ rerum conditioni primus illuxerit, tum quòd eo die secundum naturam humanam conceptus fuerit, eo die natus, vt communis est opinio, eo die à mortuis excitatus.

Sabbati præceptū.

29. Nam quod ais in Europa quidem aliquod Christianæ religionis extare vestigium, sed cæteras terrarum plagas partim Mahumedi, partim idolis esse mancipatas, hortarisque vt totum terrarum orbem cogitatione lustremus, tu te ipse impedis, ipse tu tua disputatione implicaris. Nam, quoniam ita vis, age sanè: Europam, Asiam, Africam, si corpore non possumus, animo saltem obeamus. Antequā Iesus noster nasceretur: omnes præter Iudæos offusa caligo gentilitatis inuoluerat. Postulauit à Patre, & dedit illi gentes hereditatem suam, & possessionem terminos terræ. In visceribus misericordiæ Dei nostri visitauit nos Oriens ex alto. illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedebant, & ipso facto repræsentauit, quod Isaias hoc ipso, quod in manibus versatur, capite subtexuit, *& eleuabitur Dominus solus in die illa, & idola penitus conterentur.* Et sanè cùm à Iaponia, Sinarúmque regno discesseris, vix vllum reperies idololatriæ vestigium. Quanquam & in Iaponia non ita pridem septies centena Christianorum capitum millia censebantur, & in ipso Sinarum regno cùm non solùm multi de plebeiis, sed iam nonnulli de magistratibus Præfectisque prouinciarum, quos ipsi Mandarinos appellant, magna spes affulget, fore vt primo quoque tempore in illis etiam regionibus agnoscatur publicè Christus noster, & quod prædixit Isaias, idola penitus conterantur.

Psal. 2.

Lucæ 1.

Cap. 2 17. Iapones & Sinæ Christiani.

Christiana sacra susceperunt.

30. Quid iam de nouo illo terrarum orbe loquar, vnde tantos in horreis Christi manipulos comportatos esse constat, vt, quamuis per Europam, Asiam, Africam Christi nomen & religio longè latéq; spargatur, iam tamen, adiectis Americæ regionibus, alterum tantum ad Ecclesiam Romanam accesserit? Quid gentes illas immanes commemorem quæ cùm priùs carnes humanas in deliciis haberent, & hostium suorum visceribus iucundissimè vescerentur, iam non tantùm ad humanum victum mansuetudinémq, traductæ sunt, sed etiam ad Christi religionem abiectis & conculcatis idolis, animū appulerunt. Adeo Deus apud Malachiam ab ortu solis vsque ad occasum magnum esse nomen suum in gentibus meritò gloriatur. Sed vt ad nostrum terrarum orbem antiquis cognitum postliminiò redeamus, Æthiopes Rutheni, Moscouitæ Schismatici sunt illi quidem; sed tamen Christiani: multi sunt in Europa Catholicæ fidei perduelles, qui ex antiquis hæresibus nouas hæreses inuexerunt, vel potiùs ex Orci faucibus inhalarunt. Christiani sunt tamen, & nostri Messiæ nomen vtcumque venerantur.

Americani Christiani.

31. Plura dicturus eram, cum Barachias: At enim, inquit, Eudoxe, si quia Iesu Nazareni nomen longè latéque propagatum videmus, hinc effici vis eum esse Messiam, vide ne præferendus sit & Mahumedes, cuius cultus & veneratio non paruam Europæ partem, vniuersam pene Asiam & Africam occupauit. Imò, inquam, quia Mahumedis nefaria religio longè latéque manauit, & pene totum infecit Orientem, hinc etiam posse mihi videor non futilem orationi probationem accersere. Quo, inquit ille, modo? Tum ego: Vbicunque legitur Alcoranus, non solum Iesu Christi nomen auditur, sed etiam tanta veneratione celebratur, vt eum etiam Mahumeti suo quibusdam in rebus anteponant.

Obiectio.

Responsio.

Mahumetani Christum venerantur.

32. Atque equidem Alcoranum ipsum qui passim in manibus est, poteram hoc loco producere, sed quoniam quo liberius tuum stomachum in Christum euomeres, Rabbi Mosem, Ægyptium adhibere voluisti, Rabbi Samuelem Marrochianum libro, qui *veri Messiæ parastasis*, inscribitur, cap 27. loquentem audire nihil prohibebit. *De Maria, inquit, dicitur sic in Alcorano de familia Adamar: Dixit Angelus Gabriel ad Mariam: O Maria, Deus te elegit, & docuit gratiam, & prælegit super omnes mulieres omnium seculorum, & posuit te quasi nouum medium diuidens inter homines terrenos, & angelos Dei in Paradiso deliciarum. Dicunt etiam omnes Sarraceni, quòd Christus sine Messias habuit à Deo potestatem faciendi miracula, sanandi omnem langorem & infirmitatem, & eyciendi dæmonia, & suscitandi mortuos, & sciuit omnia secreta cordium, & credunt omnia miracula Iesum fecisse, quæ Euangelium commemorat. Et hoc expressè testificatur Alcoranus in capite prædicto. quod Messias sciuit & scit omnia etiam secreta cordium. vnde verba Mahometi fuerunt talia: sciuit Eise, id est Iesus, omnem librum, & om-*

Habetur in orthodoxographis, pag 1180.

Testimonia Alcorani de Iesu & Maria.

nem ſapientiam, & etiam totam legem Moſis: & quid homines comedebant, & bibebant in domibus ſuis, & reponebant in theſauris ſuis. & paucis interiectis in hanc ſententiam, ſubnectit idem Rabbi: *Dicunt etiam in Alcorano quòd Eiſe, id eſt Ieſus Chriſtus, eſt Verbum Dei, & hoc ſcilicet eſſe Verbum Dei eſt Ieſu Chriſti apud Saracenos quaſi nomen proprium, ita quòd nullus alius homo vocatur hoc nomine niſi Ieſus.* Hæc ille, & alia quæ breuitatis ſtudio viſum eſt hoc loco præterire.

33. Sed quorſum iſta? inquit. Quorſum Batachia? Profectò vt intelligas Ieſu gloriam latiùs manare, quam Mahumedis vanitatem. Nam, vt iam dixi, vbicunque legitur Alcoranus, ibi magnum eſt nomen Ieſu: Nemo autem eſt Chriſtianis ſacris initiatus qui non vel ipſum Mahumedis nomen auribus reſpuat, animo adſpernetur, ipſa cogitatione perhorreſcat. Quæ cùm ita ſint, libet hanc diſputationem cum Tertulliano concludere. *Chriſti regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus vbique tribuitur æqualiter: non Regis apud illum maior gratia, non barbari alicuius imperioſa lætitia, non dignitatum, aut natalium cuiuſquam diſcreta merita, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus, ac dominus eſt.*

34. Iam vt ad illud veniamus in quo tua triumphauit, & nobis inequitauit oratio, negas Ieſum eſſe Meſſiam, quòd eo naſcente pax haudquaquàm fuerit vbique terrarum conſtituta, imò in ipſa Iudæa maximæ ſeditiones exarſerint. Vide quàm paucis ad multa reſpondeam. Auguſtus *Ianum Quirinum*, verba ſunt Tranquilli in Auguſto cap. 22. *ſemel atque iterum à condita Vrbe, memoriam ante ſuam clauſum in multo breuiore temporis ſpatio, terra marique pace parta, ter cluſit.* Primùm quidem anno ab V.C. 725. quinto Cæſaris Conſulatu, confectis omnibus bellis ciuilibus, ſed
Dio lib. 51. cùm adhuc Cantabri, Vaccæi, Aſtures in armis eſſent, iterum apertus, iterum clauſus anno ab V.C. 729. nono Cæſaris Con-
Dio lib. 54. ſulatu. Quem paucis poſt annis tertiò reſeratum fuiſſe dubitabit nemo qui bella maxima contra Cantabros, Rhetos, Vindelicos, Æthiopas, Boſpotanos, Thracas, Beſſos, Pannonios, Germanos, aliáſque genres à Romanis geſta, & ſuis quæque annis à Dione conſignata diligenter expendet. Quando igitur tertiò clauſus? fateor non liquere. illud tamen liquet è verbis Taciti quæ apud Oroſium lib. 7. cap. 3. te-

Templum Iani clauſum.

feruntur, non niſi extremis Auguſti temporibus eſſe patefactum. *Deinde*, inquit, *Sene Auguſto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes ſæpe ex vſu, & aliquando cum damno quæruntur, vſque ad Veſpaſiani durauit imperium: huc vſque Cornelius.*

35. Quare ſi verum ſuſpicionibus indagare licet, videtur clauſus Ianus Quirini C. Antiſtio Vetere, Decio Lælio Balbo Conſulibus, qui annus à Ioanne Keplero Chriſti natali præfigitur. Neque his officit, quòd auctor eſt Dio Caſſius hoc anno defeciſſe Armeniam. Nam & priùs claudi potuit quàm defectionis nuntius ad Cæſarem perueniret, neque, quod ait Dio, Tiberio mandatum eſt vt eam armis reciperet, ſed, vt ſcribit Velleius teſtis oculatus, poſtquam Tiberius Rhodum ſeceſsit Phraates Armeniæ manum adiecit: &, vt hoc anno prouinciam hanc impoſitam ei fuiſſe, fingamus, non ſequitur tamen tum belli portas eſſe patefactas, cùm nec ille profectus eò fuerit, nec priùs aperiri ſolerent, quàm belli futurus imperator proficiſceretur paludatus in Prouinciam.

36. Iam cùm, vt tute fateris, poſt Herodis obitum ac proinde poſt Chriſti Seruatoris exortum Caius Cæſar profectus fuerit in Orientem, & Phraates Armenia ſine conflictu deceſſerit, imò, vt refert Velleius qui interfuit, pace compoſita, *prior Parthus apud Caium in noſtra ripa, poſterior hic apud Regem in hoſtili fuerit epulatus*, cùmque inter Antiſtium & Balbum Conſules, & relegationem Archelai, qui Herodi ſucceſſerat, & nouem regnauit annis, vix & fortaſſe ne vix quidem extet vllius belli veſtigium, quod non ante oppreſſum fuerit, quàm aures populi Romani rumor afflaret, hinc efficitur Ieſum Nazarenum eo tempore & natum eſſe, & primam egiſſe pueritiam, quo tranquillitate pacis oborta duræ ferro & compagibus arctis clauſæ tenebantur belli portæ. Atenim ſtatim ab obitu Herodis inteſtina bella ſeditionéſque Iudæam fœdè lacerarunt. Audio: ſed Chriſtus è Iudæa profugerat, neque tanti fuerunt illæ tempeſtates, vt propter eas pars orbis terrarum turbata videretur.

37. Sed quid opus eſt ſignis & veſtigiis indagare pacem in imperio Romano, Chriſto naſcente conſtitutam, cùm eam in cubilibus, vt ſic loquar deprehendere poſſimus. Anno ab V.C. ſeptingenteſimo viceſimo quinto, poſt necem Antonii & Cleopatræ, ſedatis tandem bellis ciuilibus, Ianum clauſit Auguſtus, & ſolus obtinuit principatum. hinc ad initium Neronis, anni

Chriſtus in pace natus.

septuaginta quinque colliguntur. Totidem si placet annos ante Monarchiam elapsos cum his Augustorum temporibus conferamus, inueniemus profecto tam atrocibus bellis arsisse Romanum imperium superioribus annis, vt eorum comparatione consequentes annos summa tranquillitas pacis exceperit. Omitto Cimbros & Teutonas qui copias innumerabiles in ipsam Italiam per Alpes infuderunt, Cæpionem, Manlium, Carbonem, Silanum fuderunt, & exuerunt exercitu, Aurelium Scaurum consulem trucidarunt, & vt scribit Annæus Florus. *Actum erat, nisi Marius illi sæculo contigisset.* Secutum est bellum sociale. Quod, vt ait Velleius, amplius trecenta millia Italicæ iuuentutis absumpsit cuius tam varia atque atrox fortuna fuit, vt per biennium continuò duo Romani Consules, Rutilius ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus populi Rom multis in locis funderentur, vtque ad saga iretur, diúque in eo habitu maneretur.

Bellum Teutonjū.

Lib.3.c.3.

Sociale.

38. Has intestinas Italiæ clades Mithridaticum bellum excepit, cuius si diuturnitatem spectes, in annum quadragesimum propagatum est: si prouincias populo Romano ereptas, Cycladas, Delon, Eubœam, ipsas Athenas, Asiam minorem inuasit Mithridates: si magnitudinem; vsque in Hispaniam legatos misit, vt cum duobus in locis disiunctissimis, maximéque diuersis, vno consilio à binis hostium copiis bellum terra marique gereretur populus Romanus ancipiti contentione distractus de imperio dimicaret. Si atrocitatem: vno die vno nuntio, vna litterarum significatione, ciues Romanos tota Asia iussit interfici. Taceo bella ciuilia Marianum, Cinnanum, Sertorianum, & alia quibus Italia, Sicilia, Hispania, Africa conflagrarunt. Taceo autem quòd tot cladium magnitudinem verbis æquare non possim. Exinde bellum seruile duplex castella, oppida, vicos, totam denique Siciliam horreum populi Romani miserabili direptione vastauit. Quibus bellis, vt alia prætercam, Prætores sex exuti castris à L. Annæo numerātur. Iisdem pene temporibus Spartacus gladiator, seruis ad vexillum vocatis ingentem conflabat exercitum, Italiam cædibus, direptionibus, incendiis lacerabat, prætorios exercitus fundebat: *Inde iam Consulares quoque aggressus, in Appennino Lentuli exercitū percecidit, apud Mutinam Cay Cassij castra deleuit:* & iam de inuadenda Vrbe deliberabat, nisi M. Crassus corroboratam tanto rerum successu gladiatoris fregisset audaciam.

Mithridaticum

Bella ciuilia.

Bellum seruile.

Florus lib. 3.c.19.

Spartaci.

39. Quid bellum piraticum? *Interim dum populus Romanus per diuersa terrarum distractus est, Cilices inuaserant maria: sublatísque commerciis, rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate præcluserant,* Auctísque paulatim viribus, nouorum subinde pyratarum accessu eò denique (potentiæ dicam? an impotentiæ?) venerunt, vt mille nauibus omnes maris Mediterranei portus, omnes sinus, latebras, & recessus infestos haberent, promontoriis, fretis, insulis, peninsulis, omnibus imperii Romani partibus imminerent, commeatum intercluderent, vrbes caperent, quas ait Plutarchus fuisse quadringentas, in Italiam ipsámque adeo viam Appiam excurrerent, portum Caietæ plenissimum nauium, inspectante prætore, diriperent, ex Miseno filiam alterius Prætoris abducerent, in ipso Ostiensi portu classem cui Consul præpositus erat, in suam redigerent potestatem, & ad ignominiam populi Romani velis purpureis, auratis transtrorum columellis, argentatis remorum palmulis, cùm cantu & symphonia volitarent. In eorum manus si quis Romanus inciderat, ísque se ciuem Romanum esse dicebat, enimuerò ipsi metum simulantes genibus aduoluti veniam ab eo precabantur, togæ & calceis ornabant, ne cui deinceps esset ignotus, mox vbi satis illuserant, cùm is se pulchrum & beatum putaret, demissis è naui scalis eum cogebant in medios pelagi fluctus descendere. Neque in vnum alterúmve, sed in plures annos huiusmodi clades propagata est, donec tandem, vt tritum illud Oratoris vsurpem *tantum bellum, tàm diuturnum, tam longè latéque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte verè suscepit, media æstate confecit.*

Florus lib. 3.cap.6.

Bellum piraticum.

In Pōpeio.

40. Quid loquar de bello Catilinario, quod etsi sapientia ciuis vnius oppressum est, propiùs tamen abfuit nihil, quàm vt vniuersum populi Romani nomen extingueret? Neque verò, cùm de bellis loquor, bellorum Hispanici, Germanici, Cretici, Parthici facio mentionem, ne rerum quidem à Lucullo & Pompeio in vlteriore Asia gestarum quòd hæc bella non hæserint imperii Romani visceribus nihílque obstaret quò minùs Ducibus Romanis ad Oceanum, Hircanum mare, Tigrim, Euphratem, Rhenum & Pontum bella gerentibus, vrbs ipsa & Prouinciæ tranquillissima pace fruerentur, licet Cęsar in Britannia classem penè totam vi tempestatis amiserit, & vnam in Gallia legionem, &

Crassus sua filiique cæde,& vndecim legionum iactura inexplebilem auri Parthici, cui inhiabat, cupiditatem expiarit.

Lib.4.c.1. 41. Iam igitur Annæum Florum de bello ciuili loquentem paucis audiamus. *Mariana quidem*, inquit, *Cinnanáque rabies intra Vrbem se præcluserat, quasi experiretur: Sullana tempestas latiùs intra Italiam tamen detonuerat: Cæsaris furor atque Pompeij, Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique, qua patebat, imperium, quodam quasi diluuio & inflammatione corripuit:* mox enumeratis vtriusque copiis, locum & spatium

Bella ciuilia. notat, vbi commissum est, *intra Italiam, inde se in Galliam Italiámque deflexit, reuersumque ab Occasu totis viribus in Epiro Thessaliáque consedit; hinc in Aegyptum subitò transiliit, inde respexit Asiam, inde Africæ incubuit, postremo in Hispaniam regyrauit, & ibi aliquando defecit.* Cætera bella ciuilia, quæ ex hac radice pullularunt, nec minores inuexerunt impetio calamitates, per annos quindecim ab Augusto contra Decimum Brutum, contra Lucium Antonium, contra Brutum & Cassium, contra Marcum Antonium denique & Cleopatram, gesta subnecterem, nisi vestræ satietati occurrendum putarem. Et hæc satis supérque cuilibet esse possunt vt intelligat annis ante pugnam Actiacam circiter septuaginta, non solos Imperij Romani terminos, sed ipsum, vt ita loquar, vmbilicum & viscera bellis ciuilibus, socialibus, seruilibus, gladiatoriis, piraticis, externis fuisse misere laniata.

42. Iam victo Antonio & extinctis cum ipso bellis ciuilibus quanta Reip. Romanæ tranquillitas affulsit? Frequenter quidem à Romanis deinde bella suscepta sunt: sed quæ in finibus orbis terrarum gererentur. Arabes, Æthiopes, Garamantes, aliæ gentes appetuntur. Ad Rhenum, ad Albim & Danubium cum Dacis, cum Bessis, cum Bastarnis aliisque frequenter confligitur. Sed interim si bellum Pannonicum excepetis, quod aliquem Imperio terrorem incussit, in Italia Prouinciisque vicinis magna securitas.

Sub aduentum Christi pax tranquilla.

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almáque faustitas:
Pacatum volitant per mare nautæ.

Si qui populi, vt Rheti, Vindelici, Astures, Cantabri rebellabant interdum, contra maiestatem Romanam, castella sua, tanquã nidulos scopulis affixa, vel potiùs Alpes & Pyrenæos satis habebant suæ libertati prætendere, vixque vicinis Prouinciis calamitatem inferebant, vt nullus dubitem quin pleræque nationes populo Romano subiectæ tunc temporis gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces conflauerint.

43. Et hoc non solùm Augusto rerum potiente, ne quis humanæ prudentiæ tribuendum putet; sed Tiberio Capreis in omnem libidinem & impuritatem effuso, insaniente Caligula, stupente Claudio, Nerone sceleribus omnibus seruiente. Quare libet hunc locum optimis Orosij verbis cõcludere. *Sæpe de conditione temporum suorum conquestus est* Caligula, *quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur.* Lib.7.c.5. *O beata germina temporis Christiani, quantùm prævaluistis in rebus humanis, vt etiam crudelitas hominis magis potuerit clades desiderare quàm inuenire! Ecce de tranquillitate generali feritas ieiuna conqueritur.*

—furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Serui fugitiui & rebelles gladiatores perterruêre Italiam, Siciliam deleuêre, iam pene vniuerso humano generi toto orbe metuendi. In diebus autem salutis, hoc est temporibus Christianis conuellere quietem non potest vel Cæsar infestus.

44. Hic finem impositurus eram orationi meæ, cùm Barachias iam, vt videbatur, commotior: Vide, inquit, Eudoxe, qua fide rem tanti momenti tractandam enucleandámque susceperis. Quæsieram ex te quando Nazarenus ille iudicauerit gentes, & populos multos arguerit: tu dissimulas, non, opinor, eorum quæ à me dicta sunt, oblitus, sed quòd hisce cete contrà non possis. Quæsieram, ecquid æterna pax Isaiæ vaticinio promissa vestri Messiæ exortum exceperit? ecquid gentes vltrà non exercuerint se ad prælium? Tu Angerona taciturnior respondes omnino nihil. Quanquam dum pacem illam Antonij & Neronis obitu circumscribis, in eos te laqueos induis imprudens, è quibus expedite te non possis. Quæ enim pax habet aliquid extremum, in æternitatem haudquaquam se porrigit. Quæsieram ecquid feræ & immanes belluæ vestri Seruatoris exortu, deposita feritate cum agnis & ouibus cubarent, & ingluuiem ab esu carnium abstinerent? Tu, quasi te lupi viderint priores, omnino tacuisti. Obiectio.

45. Tum ego. Non est, inquam, Barachia, quòd meam hac in re vel memoriam, vel fidẽ desideres. Inductus studio breuitatis ea prætermittenda putaui, quæ faciliores habebant explicatus. Iudicauit occultéque, sed iusto iudicio discreuit gentes, Responsio.
dum

dum aliam reliquit, aliam assumpsit, aliam vocauit in admirabile lumen suum, aliam passus est cæcis ignorantiæ tenebris obuolutam in Mahumetismi vel idololatriæ sordibus volutari. Quod ais Isaiam his verbis, *& non exercebuntur vltrà ad prælium*: pacem æternam polliceri: Fateor, equidem has dictiunculas לא עוד *non vltrà*, pro *nunquam* vsurpari, tempúsque significare nullis terminis finitum ac limitatum, vt Genes. 8. 21. *Non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem sicut feci.* & cap. 9. v. 11. *Nequaquam vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij.* v. 15. *& non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendum vniuersam terram.* Frequentiùs tamen tempus breue significant, vt Exodi 9. v. 33. *cessauerunt tonitrua & grando, nec vltra stillauit pluuia super terram.* Cùm tamen dubitari non possit quin pluuia post illud tempus in Ægyptum stillauerit, 1. Regum 7. 13. *Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerant vltrà in terminos Israel.* Cùm nihilo seciùs dicatur c. 13. v. 5. *Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima*, &c. 4. Regum, cap. 24. 7. *Et vltrà non addidit Rex Aegypti vt egrederetur de terra sua.* Qui tamen paucis pòst annis ad opem Sedeciæ ferendam egressus est.

Psal. 71. 46. Quia tamen Regius Psaltes futurum prænuntiat, vt oriatur in diebus eius, iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna, necesse est, vt si natus est Christus, vel potius quia natus est, pacem quandam æternam nullisque terminis circumscriptam secum adduxerit. Ea nimirum, ea est quam eo nascente militia cælestis hominibus bonæ voluntatis apprecatur: ea quam ipse Iesus suam appellat, dat Apostolis suis, nec quomodo mundus dat, eam se dare profitetur: ea pax Dei, quæ, vt loquitur Apostolus, exuperat omnem sensum, & exultans in fidelium cordibus ad æternitatem propagatur.

Pax Christi.

Isaiæ 11. vers. 6. 47. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ouis, simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Hoc loco, si placet, Rabi Mosen audiamus 1. tract. lib. qui More inscribitur. *Scito*, inquit, *quòd clauis intelligentiæ vniuersorum quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere metaphoras, parabolas, similitudines atque ænigmata.* Quod tum aliis scripturæ testimoniis, tum hac Dei Ezechielem alloquẽtis authoritate demonstrat: *Fili hominis propone ænigma & narra parabolam*, &c. Quinam igitur lupis, pardis, ac leonibus comparantur? Opinor gentes illæ barbaræ & immanes feris quàm hominibus propiores, quæ cùm priùs carnibus humanis vescerentur, iam ad mansuetudinem reuocatæ cum ouibus & agnis, id est cum populis mitibus & humanioribus accubant Christiana pace deuinctæ.

48. Sed vt veteres illos anthropophagos, Scythas, Massagetas, Essedonas omittam, quibus vbi primùm Christianæ fidei radius affulsit, excussæ sunt ferales epulæ quibus antea vescebantur, cùm primùm homines Societatis Iesu in Brasiliam appulsi sanctum Euangelii lumen iis gentibus intulerunt, tanta illarum feritas, tanta immanitas, vt humanam fidem videatur excedere. *Si quos in bello capiunt*, verba sunt Orlandini lib. 9. historiæ Societatis Iesu. N. 89. *multâ curâ saginant, dum ad extremum in amicorum conuentu, ingenti cum gaudio bene farti pinguesque mactentur. Eæ optatissimæ Brasilis epulæ sunt*, &c. *Bellorum caussa inter eos iræ meræ, quibus sunt vehementer obnoxij, & leuissima occasione cientur. Si quis forte mutuo incursu offendat alterum, statim se ad saxa baculosque conuertunt, morsibus sese appetunt, mutuóque dilaniant, quinetiam in pungentes bestiolas perinde atque in homines excandescunt & vlciscendi gratia in ventrem auferunt.* Et lib. 9. N. 113. *Tanta erat apud eos corruptela malæ consuetudinis, vt vel è corpore migraturi nefandas epulas flagitarent, negaréntque vllum sibi fore suauius edulium, nec maiori voluptati, quàm si suorum inimicorum carnibus saturi de vita discederent: quòd si eæ non inuenirentur, vrgenti se cum mærore decedere.* Brasilorũ immanitas fertur.

49. At ô mutatio dexteræ Excelsi! ô magna vis fidei Christianæ! postquam in illis tenebris Euangelij lux oborta est, *vitulus & vrsus pascuntur: simul requiescunt catuli eorum, & leo quasi bos comedit paleas.* Qui priùs fusi per agros ac dispersi belluarum instar, humanis carnibus ingluuiem explebant, iam vnum in locum cœtumque congregati, & ex feritate ad mansuetudinem traducti cupiditates libidinésque suas ab epulis illis feralibus abstinere didicerũt. Nimirum puer paruulus minauit eos. non solùm paruulus qui datus est nobis, & Messias verus Dei filius, qui natus est nobis, sed etiam ipsi Brasilorum filii parentes ad Christum adduxerunt. Nam vt eiusdem Orlandini verbis vtar: *Patres, cùm in colendis natu grandioribus animaduerterẽt nequaquam respondere operæ fructum, teneræ ad ætatis culturam, quæ cùm faciliùs ad Christum flectitur, tum iactam tempestiuè sementem fo-* Isaiæ 11. v. 7. Isaiæ 9. 6. Brasili lege Christiana mansuefacti.

uet altius, ſuas vigilias contulerunt. Ij non ſolum humanitate expoliti, ſed etiã Chriſtianis myſteriis initiati eos breui progreſſus in virtute morúmque ſanctitate fecerunt, vt non ſolùm plurimos ad Euangelii lucem ſuis exemplis allexerint, ſed etiam apud Ethnicos ipſos, quantumuis vt aſpides ſurdæ obturarent aurem ſuam, & vt reguli veneno priſcæ ſuperſtitionis imbuti ſerperent ſéque per humum conuoluerent, magnam noſtrarum rerum opinionem concitarint: *Tantum autem*, inquit idem Scriptor, *his pueris Ethnici tribuebant, vt quacunque noſſent eos iter habere, vias ſternerent, & iter illud ornarent, eóſque veluti ſingulari quadam ſanctimonia præditos omni ſignificatione honoris & humanitatis exciperent: nec in eorum conſpectibus auderent aliquid ex humanis carnibus delibare.* Adeo verum fuit in iis illud Iſaiæ vaticinium. *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet, non nocebunt & non occident in vniuerſo monte meo.*

Lib. 12. n. 73.

Cap. 11. v. 8.

50. Hæc ego cùm dixiſſem, tum Barachias fremere, ſudare, pallere, æſtuare, huc & illuc ſe conuertere, & quaſi Protheus quidam in varia ſe mutare, &, vt aiebas,

4. Georg.

Omnia transformat ſeſe in miracula rerum.
Spumat aper, fluit vnda, fremit leo, ſibilat anguis,

Licentius apud Aug. epiſt. 40.

Longum eſt verbis exequi quam fuerit aſtutus, & verſipellis in eludendo, lubricus in elabendo, malignus in congerendis offuciis. modò negare quod conceſſerat, concedere quod negauerat, modò tricas implicare, vt verborum & interrogationum tendiculis auditorẽ minùs attentum irretiat, modò, niſi cauetur, per anfractuoſas ſyllogiſmorum, vel potiùs ſophiſmatum ambages in errorem inducere, & perplexis neſcio cuius labyrinthi flexibus impedire. Eo tamen omnia referuntur vt Meſſiam veniſſe neget; quia non venit in maieſtate, nec ignis ante ipſum præceſſit, & in circuitu eius tempeſtas valida, quod omnes Prophetæ eius aduentu futurum eſſe pronuntiant. Sed hæ obiectionum nubeculæ facili diſtinctione diſſlantur. *Duobus enim aduentibus eius ſignificatis*, inquit Tertullianus, *primo qui iam expunctus eſt, in humilitate conditionis humanæ: ſecundo qui concludendo ſæculo imminet, in ſublimitate diuinitatis exertæ, primum non intelligendo, & ſecũdum quem manifeſtiùs prædictum ſperant, vnum eſſe exiſtimauerunt.* Quos aduentus, vt par eſt, inter ſe ſi diſtinguant, quod vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, citra controuerſiam auferetur.

Apologetico.

2. Cor. 3. 14.

IV. *Recapitulatio.*

51. IOSEPHVS. Vis igitur, Eudoxe, vt dum interiungis & aliquantiſper reſpiras, paucis digeram diſputationis vtriuſque compendium? EVDOX. Tuo videlicet arbitratu. IOSEPHVS. Septem ſunt, opinor, argumenta, quibus Barachias opinionem ſuam ex Iſaia Propheta probare conatus eſt. Negat Meſſiam veniſſe, quòd nondum nouiſſimi mundo dies illuxerint. Tu interpretaris vel abſolutè dies poſteriores & prophetæ vaticinium conſequentes, ſecũdum proprietatem dictionis hebraicæ, vel dies extremos Synagogæ; cui nouæ legis aduentu finis imminebat, vel denique totum illud tempus, quo lex gratiæ per Chriſtum terris infuſæ (qui tertius & nouiſſimus eſt militantis Eccleſiæ ſtatus) legi Moſaicæ ſucceſſura fuit à prima Euangelii prædicatione ad extremi iudicii diem propaganda. Is Meſſiam veniſſe negat quod nondum fuerit mons domus Domini in vertice montium conſtitutus, & omnes gentes ad Ieſum Nazarenum domúmque Dei Iacob haudquaquam affluxerint. Tu montem illum in capite montium poſitum figuratè dictum interpretaris, Hebræorum Rabinis ſuffragantibus, & Chriſtum eſſe reſpondes, vel eius Eccleſiam, illúmq; adeo lapidem, qui abſciſſus de monte Synagogæ, & quidem abſciſſus ſine manibus, non ex operibus legis, ſed ex mera gratia vocantis Chriſti continet idola, factus eſt mons magnus, & repleuit terram vniuerſam. Ad hunc quippe iam propè gentes omnes fluxerunt, & Meſſias noſter ita totum terrarum orbem gloriæ ſuæ maieſtate compleuit, vt non ſolùm inter Chriſtianos, ſed etiam vbicumque legitur Alcoranus, eius nomen magna veneratione celebretur.

52. Ille Chriſtum veniſſe negat, quòd legem ſoluerit & adulterarit, quòd nec iudicauerit gentes nec populos multos arguerit is quem nos Meſſiam eſſe defendimus. Tu legem nouam à Chriſto perlatam eſſe dicis, non quæ veterem ſolueret: ſed abſolueret, eius obſcura illuſtraret, promiſſa exhiberet, vera figurarum & allegoriarum integumentis euolueret, rudia & primis informata lineamentis ad perfectionem adduceret omnibus numeris abſolutam. iudicauit gentes & arguit populos multos, dum & per Apoſtolos eorum conuicit errores, & gentes occulto iudicio diſcreuit, vnam ſibi aſſumens ad gloriam, alteram relin-

quens in exitio sempiterno. Ille Iesum negat Messiam fuisse quòd eius aduentu nec bella cessarint, nec gentes arma Martis in Cereris instrumenta conflauerint, nec pardi, lupi, leones, vrsi cæteræque belluę immanes insitam posuerint naturæ feritatem. Tu qua tempestate natus est Christus, pacem adeo tranquillam affulsisse demonstras, vt gentes qui se prius toto Imperio Romano, tanta peruicacia colliserant,& in bellorum socialium, seruilium, ciuilium, aliorúmque salo tamdiu fluitarant, iam velut ad portum appulsæ summa pacis & otij tranquillitate fruerentur, nec iam Romani rerum Domini bellis aliis districti tenerentur, quàm vt ad extremos orbis terrarum limites imperium suum promouerent: in ipsis autem Imperij visceribus Prouinciæ non exercerentur vltrà ad prælium, sed gladios & lanceas possent in vomeres falcésque conuertere. Christianæ porro doctrinæ vis ea fuit, vt multæ gentes immanitate barbaræ, quibus olim suauius erat nihil, quàm vt humanis ferculis vescerentur, iam suam illam exuerint feritatem, séque ad humanitatem mansuetudinémque traduxerint: quod Propheta verbis ænigmaticis adumbrarat, fore prædicens vt exorto Messia, leo, quasi bos comederet paleas, & pardus ac vrsus tum ouibus & agnis accubaret. Hæc sunt, opinor, disputationis vestræ capita, nunc, nisi tibi fortè molestum est, aueo scire quibus tandem argumentis Eustorgius noster ab ore illo ferreo,& corde plusquam adamantino confessionem Christianæ veritatis, à qua tantopere abhorrebat Barachias, potuerit exsculpere.

V. *Transitio ad probationem Aduentus Messiæ.*

53. EVDOXVS. Vt primùm Barachias ex illa vehementi commotione se recepit, tum Eustorgius comiter, vt solet: Vbi sunt, inquit, qui Barachiam nostrum (noster enim dicendus est, motum suauitate doctrina, humanitate, quamuis in religione dissentiar) vbi sunt, inquam, qui Barachiam aiunt in rebus quidem Hebraicis, scriptura, maiorum traditionibus non mediocriter esse versatum, sed humanitatis studia reconditioresque litteras, vt extremis digitis attigisse, & labris, vt vulgo dici solet, degustasse primoribus? Equidem, vt de me fatear, mi Barachia, semper ego te magnum hominem, ingenio summo præditum, ad inquirendam sagaciùs veritatẽ, ab ipsa natura fictum putaui, superasti tamen expectationem meam, sed ita superasti, vt quamuis oratione tua delectatus singulis quæ abs te dicebantur, auidius inhiabam, nihilo tamen minus dolerem tantum ingenium, tantam eruditionem, tantam indolem tam malæ caussæ, quod pace tua dixerim, patrocinio implicari.

54. Sed nimirum, magna vis est consuetudinis in vtramque partem, nec facile est quod semel inoleuit, eradere. Agitur inter nos de aduentu Messiæ, tu expectandum adhuc, ego iam venisse defendo. Vterque simul atque in lucem editus ac susceptus est, suæ religionis iniit elementa, tu expectatione Messiæ venturi circumcisus, ego fide in Messiam iam natum vndis salutaribus expiatus, vt cum lacte nutricis opinionem de Christo suam vterque suxisse videatur. Accessit domestica disciplina: à parentibus vterque suis sic institutus est.

Vt teneris meditans verba illuctantia labris.

cùm primos illos locutionis articulos expedire potuit; alter Messiam primo quoque tempore mitti rogaret, alter iampridem missum inuocaret. Hac in opinionum dissimilitudine pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis spacia confecimus, & quisque abundauit in suo sensu. Nunc illud in quæstionem venit, vter nostrûm viam veritatis, & æternæ salutis insistat, aut per erroris abrupta deuolutus in exitium ruat, & exitium animæ sempiternum.

Neque enim leuia, aut ludicra petuntur, 12. Æneid.
Præmia. ἀλλὰ περὶ ψυχῆς, non, vt ait ille, Iliados 10.
Ἕκτορος ἱπποδάμοιο, sed de vtriusque nostrûm æterna salute certatur.

55. Quare, mihi crede, Barachia, non est quòd hac in controuersia pueriliter velitemur, & inanem vel eruditionis, vel ingenij gloriolam aucupemur. Nam & ipse mihi conscius sum tarditatis meæ, & vtrumque iam ita disputatione tua mihi probasti, vix vt ad meam opinionem de tua vel iudicij maturitate, vel doctrinæ varietate conceptam fieri possit accessio. Quanquam omisso rixandi studio, pro tua prudentia videre potuisti, sic ab Eudoxo tuis rationibus satis esse factum, vt non modò tua tela retunderet, sed etiam ex eodem armamentario depromeret sua, demonstraretque ex eodem Isaiæ vaticinio Messiam venisse, quo tu nondum venisse probare voluisti.

Hic Barachias iam aliquanto sedatior, Imò, inquit, Eustorgi, non me solum, sed etiam teipsum fefellit Eudoxus noster. Quo pacto? inquam, Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Plurima, inquit, de pace dixisti, qui te paucis ad multa responsurum esse promiseras. Hic cum aliquantisper risissemus: Iam vt videas, adiecit Eustorgius,

qua fide, qua sinceritate, quàm sine fuco & fallacia tecum agere velim, nuda tibi Danielis verba proponam, & quia te non minori candore expositurum scio, eodem sensu capiam, quo tu explananda censueris.

7. Æneid. 56. Talibus Eustorgii dictis *defixa* Barachias,

Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret
Intentos voluens oculos.----

Quasi quid hac in re facto sit opus apud se deliberet, debeátne animum obfirmare, & propriis suæ genti calumniis quicquid probatum fuerit, eludere, an agnitam amplecti veritatem. Tandem radius ei diuinæ lucis affulsit, & detersa nube, quæ hactenus fronti insederat, vultu ad serenitatem explicato, voce iam planè tranquilla: Equidem, inquit, Eustorgi, fatebor ingenuè quod sentio: hactenus ita quibusdam sententiis addictus fui, antiquius vt habuerim nihil, quàm eas quoquo modo tueri, & vel perspicuè falsis, vario distinctiuncularum fuco speciem oblinere veritatis. Nunc animum affero alienum à contentione, vnius veritatis auidum, & examinatum paribus vtrinque momentis, eò denique ferri paratum, quò maius viderit, vel scripturarum, vel rationum pondus incumbere.

Tibullus carm. ad Messalam.

Iusta pari premitur veluti cũ põdere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis inæquatum si quando onus vrget vtrinque,
Instabilis nutat alterno depressior orbe.

Et vt animi mei candorem agnoscas, imponendam abs te suscipio prouinciam, sed ea conditione vt & interdum inscitiam confiteri meam, tuámque sententiam rogare, & veterum Rabbinorum, quantùm vel scriptura vel ratio patietur, liceat inhærere vestigiis. Age igitur, Eustorgi, ad Danielem. Ad hæc Eustorgius. Hic, inquit, erat Danielis locus, cuius explanationem abs te sciscitabar.

Dan. 9. 24. VI. *Septuaginta Hebdomadæ abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.*

57. HÆc sunt quæ abs te velim liquidiùs explicari. Primò, quid per hebdomadas intelligat: deinde quo sensu abbreuiatæ dicantur: tertiò cur *populum tuum* potiùs dixerit, quàm populum Dei: quartò qui sint effectus illi Gabrielis oraculo prænuntiati: Denique quis ille Sanctus Sanctorum qui post hebdomadas illas septuaginta vngendus esse prædicitur. Hic Barachias. Etsi vereor, inquit, Eustorgi, quorsum euasura sit disputatio nostra, præsagítque iampridem animus fore vt ex hoc Danielis testimonio, tanquam è nube fulminibus & procellis grauida, grauis opinionum mearum fundo calamitas impendeat: nolim tamen eò prolapsus impudentiæ videri, vt velim cum Porphyrio quodam, natione quidem Hebræo, sed hæresi Sadducæo, Danielem è canone scripturarum expungere. Etsi enim nostris in codicibus seorsum à reliquis prophetis, inter hagiographa computatur; non minus tamen in eo quàm in cæteris, debet esse momenti, nec sanè leuior hagiographorum quàm prophetarum habetur authoritas: ac proinde sapientes nostri cum Ieremiæ, Baruch, Aggæo, Zachariæ, Malachiæ, & aliis adiungunt, & eum Iosephus lib. 10. Antiq. exeunte, Prophetis omnibus anteponit.

Galatinus lib. 4. de arcanis, c. 14.

2. Parte Talmud. tract. Megilla, cap. Megilla nikret.

58. Sed quid opus est hominum ambire suffragia, cùm singularem eius sapientiam, & arcanorum omnium notitiam Deus ipse suo calculo comprobarit, Tyriorum Regem εἰρωνικῶς ita compellans: *Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum à te.* Vt omittam morum sanctitatem, qua promeritus est, vt eum Deus cum Noe & Iob, in exemplum iustitiæ produceret: cur igitur eum maiores nostri inter hagiographa potiùs quàm inter Prophetas referre maluerunt? Quia nimirum quamuis somniorum interpretationes, futuræ regnorum mutationis clarissimas reuelationes, si quis alius, sibi diuinitus infusas acceperit, nusquam tamen, vt cæteri Prophetæ, legitur missus ad populum, nusquam, vt cæteri, Prophetæ munus exercuit; populum non monuit, non reprehendit, non erudiuit.

Ezec. 28. 3.

Ezec. 14. v. 14. & 20.

59. Sed vt omissis impii Sadducæi nugis, ad rem ipsam aliquando veniamus, Daniel cùm è Ieremiæ vaticiniis intellexisset instare finem Babylonicæ seruitutis, vereretúrque ne Deus populi peccatis offensus decretum asserendę libertatis diem proferret, & absoluta non fuisset ea prophetia, sed certis quibusdam conditionibus adstricta, videlicet vt à peccato sibi temperarent, animam suam coram Deo in preces effuderat, confessus fuerat tum sua, tum populi pec-

cat, Deúmq; rogauerat, vt populo suo tot flagitiis cooperto peccata dimitteret, & tot afflicto cladibus primo quoque tempore subueniret. Ac vide prolixam Dei in homines bonitatem. Preces suorum auteuertit; & ab exordio mittit Gabrielem, qui Danieli futura denuntiet: nec solùm promittit fore vt iterum ædificetur Ierusalem tempúsque definit quo recidiuam hanc vrbem conseruaturus erat; sed etiam addit futurum vt post certam temporum euolutionem consummetur, præuaricatio, finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna. *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum.* Quæris

VII. *Quid Propheta per Hebdomadas intelligat.*

60. RECentiores Rabbini, si quando suam de expectando Messia sententiā hoc Danielis testimonio labefactari senserint, vt omni se molestia faciliùs euoluant, Hebdomadas vel seculorũ, vel iubilæorum, vel decenniorum intelligendas esse cõfirmant. Quę si probare posśēt, hebesceret acies omnium telorũ, quæ contra nos ex hoc loco deprompta iaciuntur. Id tamen, ne quid hodierno die dissimulem, aut futurum videar oblinere veritati, nemo nostrorum hactenus scripsisse compertus est, vt meritò queratur Lyranus de Christianis quibusdam quos eò sua prouexerat temeritas, vt magis hac quidem in parte Iudaizarent quàm nos ipsi Iudæi, hebdomadas iubilæorum aut etiam seculorum interpretarentur, nugas suas litteris mandarent, neque quicquam ex hoc loco de aduentu Messiæ colligi posse defenderent. Galatinus pag. 230.

61. Et sanè habemus in scriptura dierum hebdomadas, vt Genes. 29. 27. *Imple hebdomadam dierum.* habemus & annorum, vt Leuitici 25. 8. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem*, cæteras hebdomadas non habemus. Quare nouus hic hebdomadæ modus temere confictus inuitis etiam scripturis obtruditur. Quam fingendi licentiam si nobis concessam putamus, nihil certi continere potest hæc prophetia, vt bene vester Soares advertit (fateor enim me diffisũ ingenio meo quærere adiumenta doctrinæ, & non nostrorum sed etiam externorum, tum gentilium, tum Christianorum monumenta frequenter exoluere.) Nihil, inquam, certi continebit. Quotus enim quisque non poterit arbitratu suo comminisci nouas heb- Hebdomadæ dierum. Annorum.

domadas septingentorum aut septem millium annorum, vt conuinci non possit eas esse completas? Quid? quòd ex verbis Angeli liquidò constat tempus illud iam esse transactum, cùm hostia defecerit & sacrificium, cùm ciuitas & Sanctuarium nostrum vastata sint, quòd vel exactis hebdomadibus, vel in earum fine fore prænuntiarat. In 3. p. Disput. 1 § 1.

62. Cùm igitur constet nec harum hebdomadum in scripturis extare vestigia, nec de dierum hebdomadis, quæ sesquianni spatio clauderentur, quo res tot & tantæ claudi minimè potuerunt, hoc vaticinium interpretari possimus, restat vt de annorum hebdomadis intelligendum esse fateamur, vt hebdomadis illis septuaginta, anni quadringenti & nonaginta colligantur, quo temporis interstitio necesse est euenerint ea quæ Gabriel euentura prænuntiat. Etsi non errauerit fortasse, qui dixerit hac Danielis prophetia duplices hebdomadas, & Christos adumbrari duos, hebdomadas dierum, quas abbreuiatas appellat, quasi cæteris hebdomadis breuiores, quarum finis ad vnctionem Cyri, quem Deus Isaiæ 45. v. 1. Christum suum appellat, pertinebit: hebdomadas annorum quibus euolutis Christus alter, quisquis ille est, occidendus esse prædicitur. Nondum tamen huic interpretationi penitus acquiesco: de qua priusquam enucleatiùs disputo, videndum cur hebdomades istæ dicantur

VIII. *Abbreuiatæ.*

63. EX hoc fonte tria duci possunt interpretationum diuortia. Quidam abbreuiatas dici volunt, quòd Deus Sanctorum precibus & piis desideriis inflexus citiùs & maturiùs præuaricationem consummare, peccatum finire, iniquitatem delere decreuerit; non quòd sententiam mutarit & nouam de integro inierit rationem, sed quòd præuisis Sanctorum meritis æterno decreto nostræ calamitati subuenire festinarit; qui, nisi præuidisset eorum merita, suum illud auxilium longius protulisset. Quærunt aliqui si sic breuiatæ sunt hebdomades istæ vt factæ fuerint è pluribus pauciores secundum quam veritatem futuræ fuerint plures, nisi breuiarentur. Quibus responderi facilè potest id è Sanctorum precibus fluere, qui nunquam abbreuiari dies redemptionis suæ periissent, nisi se impetraturos esse sperassent. Vnde & Angelus Gabrieli: *Ego veni vt indicarem tibi*, videlicet hebdomadas esse breuiatas; quia *vir desideriorum es*, & tempus quo Aug. ep. 80.

finiatur peccatum & deleatur iniquitas, accelerari magnopere deſideras: etſi virum deſideriorum amabilem & Dei amore dignum Hieronymus veſter exponit,& Græci quidam interpretes virum ἐπιθυμητὸν *deſiderabilem*, tranſtulerunt.

64. Altera interpretatio eſt vt hebdomadas ſeptuaginta .i. annos quadringentos nonaginta certos, præciſos, definitè circumſcriptéque decretos, nec plures, nec pauciores intelligat. vnde & legitur in codicibus hebræis Septuaginta hebdomades נחתך *deciſum eſt*, quaſi hac enallage numerorum ſignificet, rem eſſe deciſam, ſiue præciſum determinatúmque temporis ſpatium, quo quæ prædicit, euentura prænuntiat.

Alij denique hebdomadas abbreuiatas interpretantur hebdomadas non annorum ſolarium, ſed lunarium, qui ſunt diebus vndecim ſolaribus breuiores; de quibus multa ſanè dici poſſent in vtramque partem, ſed his prætermiſſis ad alia properemus. Abbreuiatæ ſunt, inquit.

IX. *Super populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam.*

65. EQuidē cùm iſta conſidero, têperare mihi non poſſum quin & animo perhorreſcam & toto corpore contremiſcam, vt interdum verear ne Deus populum ſuum in perpetuum abiecerit. Peccauerat quidem olim populus Dei, vitulum ſibi fecerat conflâtilem, eum adorauerat,
Exod.32. v.7. & tanquam Deo victimas immolarat. *Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen dicens: Vade, deſcende: peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti.* quibus verbis abdicare populum & repudiare videbatur. Sed ad reconciliandam gratiam ſequeſter
v. 11. interuenit. *Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens*: Cur *ſuum* præter conſuetudinem adiecit? planè ἐμφατικῶς Moyſis erat Deus, populi Deus eſſe nolebat. Sed quid orabat Moyſes? *cur*, inquit, *Domine iraſcitur furor tuus contra populum*, non dicam meum, ſed *tuum*, *quem eduxiſti de terra Ægypti*? Quid impetrauit? *Placátúſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum*, Cuius autem? Moſis? minimè gentium cuius igitur? *aduerſus populum ſuum*. è quibus liquet Moſis precibus Deo reconciliatum fuiſſe populum, & redintegrata gratia receptum, quem priùs Deus abdicarat. Hîc côtrà Daniel orationem ſuam in hæc verba conce-
Dan. 9. 16. perat. *Auertatur obſecro ira tua & furor tuus à ciuitate tua Ieruſalem, & monte ſancto tuo. propter peccata enim noſtra & iniquitates patrum noſtrorum Ieruſalem, & populus tuus in opprobrium ſunt*, &c. Et illud *tuus* identidem inculcarat.

66. Adeſt Gabriel, & quaſi Danielis orationem inuertens, *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreuiatæ ſunt, ſuper populum tuū, & ſuper vrbem ſanctā tuam*. vt propemodum (dicere refugit animus, ſed tamen dicendū eſt) hæc Danielis oratio Deo per Gabrielem loquenti non ſatis probata videatur. quaſi dicat, Quid eſt Daniel quod populū hunc Dei populum appellas? imò tuus eſt.
Hunc enim portauerat, ſuper alas aquilarum, hunc ſibi Deus in peculium de cunctis gentibus, in regnum ſacerdotale, & gentem ſanctam aſſumpſerat: ſed iam eum quaſi filium ingratum & cōtumelioſum in patrem repudiare decreuit. Quid interim Daniel? hiſcere contrà non audet, aut inter Deum & homines ſe medium & ſequeſtrem pa- Exod 19. v. 4.5.
cis immittere. Quid ita? nouit de ſe nominatim exceptum Ezechielis 14. *Terra cùm peccauerit mihi, &c. & Noe, & Daniel & Iob fuerint in medio eius, viuo ego, dicit Dominus, quia filium & filiam non liberabunt, ſed ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas*, vt plerumque verear ne nimiùm vera de nobis ſit communis veſtra tranſlatio: quæ verſu 26. poſt illa verba: *& occidetur Chriſtus*: vbi nos duntaxat legimus ואין לו *& non ei*: hāc paraphraſim contexuit, *& non erit eius populus qui eum negaturus eſt*. Hęc ſunt, Euſtorgi & Eudoxe, quæ ſingula diligentiùs conſideranti nullum mihi neque diurnæ, neque nocturnæ ſpatium quietis impertiunt. Cùm præſertim videam hebdomadas ſeptuaginta definitè circumſcriptas. Ver.14. & 20.

X. *Vt conſummetur præuaricatio.*

67. QVID autem eſt conſummari? augeri, opinor, exaggerari, & ſic ad ſummum improbitatis faſtigium adduci, nihil vt ad eam poſſit accedere, quaſi hac vna præuaricatione in ſummam & ὁμάδα præuaricationum omnium vniuerſitas colligatur. Quo etiam ſenſu poſſit & illud quod ſequitur, exponi, *& finem accipiat peccatum*. finitur enim non ſolùm quod eſſe deſinit, ſed etiam quod in ſuo genere perficitur, ſuæque naturæ finem, & quaſi metam attingit, quò cùm peruenerit, non poſſit vltrà procedere. finem igitur accepiſſe dicetur peccatum, cùm integrum completúmque fuerit, & omnibus malitiæ numeris abſolutum & vndiquaque perfectum, ſiue *ſigillatum*, vt LXX. viri commodè tranſtulerūt τῷ σφραγίσαι τὰς ἁμαρ-

חטאת ad sigillandum peccata. neque enim publicis, aut priuatis litteris nisi perfectis & ad vmbilicum adductis, sigillum apponi solet, vnde facta translatio. & sanè Rabbini nostri in ipso textu legi ולחתם *ad sigillandum* negare non possunt, quamuis margini lectionem alteram, quam veriorem putabant, adscipserint ולהתם, ad finiendum, siue vt perficiatur, vt compleatur, vt finem accipiat, peccatum.

68. Quid? quòd sequentia *& deleatur iniquitas*, si Hebræos fontes adeamus, possunt huic accommodari sententiæ ולכפר עון. Quid est autem כפר? Verbum hoc duos significatus habet. est enim vel *expiare*, quod passim secuti sunt interpretes, vel *picare*, *pice oblinere*, iniquitas autem pice adstringi siue agglutinari dicitur, cùm tenaciùs hæret, quàm vt facilè possit aboleri. Ad quam expositionem, si animum applicare vellemus, huc etiam trahi possent quæ sequuntur. *Et adducatur iustitia sempiterna*, quasi peccatis nostris sempiternam diuina iustitia vltionem intentet. Quæ cùm ita sint, equidem nos in perpetuum abiectos, & relictos arbitrarer, commouerérque vehementiùs, nisi me reficeret & recrearet expositio, quam video pluribus tum Hebræis, tum etiam Christianis probatam esse scriptoribus, quàm ipsissimis Hieronymi vestri verbis attexere non pigebit. *O Daniel, scito quòd à die hac, qua tibi nunc loquor, erat autem annus primus Darij qui occidit Balthasar, & regnum Chaldæorum in Persas Medosque transtulit: vsque ad septuagesimam annorum hebdomadem, hoc est annos quadringentos nonaginta, hæc populo tuo per partes accident. Primùm propitiabitur Deus, quæ nunc magnopere deprecaris, & delebitur peccatum, & finem accipiet prænaricatio. Nunc enim vrbe deserta, & templo vsque ad fundamenta destructo, in luctu est populus constitutus: sed non post grande tempus instaurabitur; & non solùm hoc fiet in his septuaginta hebdomadibus, vt ædificetur ciuitas & templum instauretur, sed nascetur Christus, id est, iustitia sempiterna*, &c. Quamuis nostri tum de principio hebdomadum, tum de Christo dissentiunt.

XI. *Et adducatur iustitia sempiterna.*

69. NOstri per iustitiam, iustificationes externas, cerimoniasque legales, & cultus religionis intelligunt: vos Christiani, etsi cerimonias externas haudquaquã respuitis, tamen hoc loco internam animi sanctitatem denotari putatis. imò vt ex Hieronymo vidimus, ipse Messias est iustitia sempiterna. Quod equidem qui fieri posit non video. Esto enim dicatur iustitia, quòd iustitiam & sanctitatem suis impertiat: an etiam dicetur iustitia sempiterna, vel, vt legitur in textu principe iustitia עלמים seculorum, quibus verbis significari videtur hanc iustitiam non ad futura solum, sed etiam ad præterita secula pertinere. Sequitur illud,

---

XII. *Et impleatur visio & Prophetia.*

70. VBi videtur olim eadem fuisse lectionum varietas quæ superius annotata est, quamuis hoc loco Rabini nostri nihil ad marginem adscripserint. nam pro *vt impleatur*, Aquila τοῦ τελέσαι, *ad finiendum* siue *perficiendum*, LXX. τοῦ σφραγίσαι, ad sigillandum transtulerunt, eadem, opinor, sententia. Nam impleta, perfecta, finita, vel etiam sigillata dici potest prophetia, cum Deus aperire cessat futura mortalibus, & prophetiam quasi clausam & obsignatam occultat ne proferatur, & cum euentus ita prophetiæ respondet, vt omnes prædictiones exhauriat, & ipso rerum euentu tanquam apposito Regis Regum sigillo, prædictionum veritas roboratur. Quis autem illi fuerit euentus, nõn dicam, Eustorgi, ne quid videar orationi tuæ præcerpere,

---

XIII. *Et vngatur Sanctus Sanctorum.*

71. SI punctis Masoreticis hærendum putamus, legendum est ולמשח קדש קדשים *vt vngatur Sanctum Sanctorum*, vel *Sanctitas Sanctitatum*, quibus verbis Rabini passim sanctissimam Templi partem, siue Sanctum Sanctorum interpretantur, certis vnctionibus conseruandum. Si primam dictionem his punctis insigniendam ducemus ולמשיח. sensus erit & Messiæ sanctitas sanctitatum, siue sanctitas excellens, & modis omnibus absoluta Latinus interpres Masoreticis in prima dictione consentiens קדש קדשים pronuntiandum putauit. Sed quis iste Sanctus qui inungendus esse prædicitur? Alij Iesum filium Iosedech, alii Zorobabelem alij Neemiam intelligunt, alii quibus & libens accedo, Cyrum, qui necdum natus sanctus, & iustus, & Christus ab Isaia nominatur. Sanctus siue Sanctificatus, cap. 13. vers. 3. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos.* Cyrum videlicet cum Persis & Medis sanctificatum, & à Deo deputatum excidio Babylonis iustus, cap. 45. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*, &c. & v. 13. *Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias* — Sanctus Sanctorum quis?

eius dirigam: ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet. Christus eodem capite ineunte: *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Vos, opinor, de vero Messia, quem Cyrus & alij, quibusdam figuris adumbrarunt, prophetiam hanc interpretandam esse defenditis.

72. Verùm, quoniam hodierno die nihil in pectore clausum tenere constitui, illud me non mediocriter in hac caussa mouet, quòd video iampridem has septuaginta annorum hebdomadas, id est annos nonaginta supra quadringentesimum euolutos, nec tamen video prophetiam esse completam, & ipso rerum euentu sigillatã, quocumque tandem sensu interpretandum esse statuamus. Nam si consummari præuaricationem & finem accipere peccatum nihil aliud est quàm peccata vetera nouis scelenibus, & quidem maioribus exaggerari, maioribus certè se criminibus, idololatria præsertim, quæ peccatorum omnium caput est & summa, patres nostri se stante priore templo, quàm posteriore deuinxerant. Sin consummari præuaricationem & finem accipere peccatum, est consumi, deleri, abstergi, penitus aboleri, video, templi secundi temporibus non solùm pauca superfuisse *prisca vestigia fraudis*, sed etiam multa, quamuis idolorum cultu leuiota, grauia tamen secundum se flagitia viguisse, quæ ne nunc quidem duobus annorum millibus ab illa prophetia iampridem euolutis,

Irrita perpetuâ soluunt formidine terras.

Vt veramus in partem interpretere, veritas illius vaticinij cohærere vix possit, neque liqueat quo pacto hebdomadis illis septuaginta deleta iniquitas & adducta fuerit iustitia sempiterna. Quæ cùm ille dixisset, tum Eustorgius.

XIV. *Veteres Hebræorum punitiones cum postrema comparatæ.*

73. Meritò formidas, inquit, Barachia, ne Deus Hebræorum gentem despexerit, repudiarit, in perpetuũ abiecerit, quod tacente prophetia res ipsa loqueretur, *& si ipsi non confiterentur,* inquit Tertullianus Apologetico aduersus gẽtes, *probaret exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, palabundi, & cœli & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* hæc ille ante annos mille quadringentos. Quid si vidisset calamitatem hanc in nostra tempora propagatam? Sed ne seruitutem vestrã verbis atrocibus exaggerare videar, & excitare testem ex ipsis accusatorum subselliis. Age sanè, Rabbi Samuelem, prout ex Arabico translatus est, loquentem audiamus. *Completum est etiam, inquit, Domine mi, quod dixit Daniel, postquam fuerit occisus Christus, remanebit desolatio perpetua, in qua desolatione sumus, iam sunt mille anni & vltrà. Dixit Isaias, Relicta est, in vrbe solitudo, & sibilabit terra eorum sibilo vsque in sempiternum. Dixit etiam Ieremias, Argentum reprobum vocate illos, quia Dominus proiecit eos. Dixit etiam Isaias: Ambulate in lumine ignis vestri, & flammis quas succendistis vobis. In quibus flammis sumus, iam mille anni sunt. Et dixit etiam Amos. Domus Israel cadet, & non est qui erigat eam. Et videtur mihi, Domine mi, quòd Deus induxit nobis hanc ruinam, post aduentum iusti huius, postquam Propheta nullus surrexit in nobis, quia nos manemus in incredulitate, non recipientes fidem illius, sed negantes, & alia non pauca,* quibus ille generis vestri dispersionem mirum in modum exaggerat. Veri Messiæ paratitasi c. 15.

74. Quòd si iustus est Deus, & ad iustitiã pertinet pœnas maiores maiorib. culpis irrogate, profectò necesse est, vt immane scelus designauerint patres vestri, & quidẽ scelus, quod & etiamnum posteritatis suffragio comprobetur, quos Deus, cuius natura bonitas est, cuius misericordiæ super omnia opera eius, tam atrocibus suppliciis affecit. Qua tempestate Iudices Reip. vestræ gubernacula tractabant, prisciilli Hebræi frequenter ad idola defluxerant, sacrificauerant sculptilibus Chanaan, liberos suos dæmoniis immolarant, eorum idololatriam expiabat Deus paucorum annorum seruitute, suscitabátque iudices qui à populi sui ceruicibus iugum seruile depellerent.

75. Sub Regum dominatu toties ad idolorum cultum desciuerant: fana diis gentium excitarant, aras & statuas & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam erexerant. *Sed & effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Deus ante faciem filiorum Israël.* Maacha Regis vxor princeps fuerat in sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat cum simulacro turpissimo. Direptis omnibus vasis domus Dei atque confractis clauserant ianuas templi Dei, & fecerant sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalem. filios suos in valle Benennon in igne lustrauerant, aut etiam combusserant, secundum Hebraïcam veritatem. Estne aliquid quo progredi possit eorum amentia? Sculptile quoque & conflatile signum in domo Dei posuerãt, Prophetas occiderant, sanguinem innoxium

1. Reg. c. 14. & 15.

2. Paralip. c. 28. v. 24.

Ibid. v. 3.

xium fuderant multum nimis, donec implerent Ierusalem vsque ad os. Saltem iis se finibus eorum sacrilegia continerent, progredientur vlteriùs: quò tandem? excogitarine poterit ad hunc malorum cumulum improbitatis accessio? reperietur. Quid? Luce, palam, in oculis ciuitatis; ciuitatis autem? imò in conspectu sanctuarii, in ipso templo muliercularum operâ texebant ex arborum ramis domunculas, siue potiùs vmbracula, in quibus effœminatos, id est, catamitos puerósque meritorios omnium libidini prostare iussos, tanquam in publicis lupanaribus collocarent. O propudium! ô sordes! (4. Reg. c. 23. v. 16.)

76. Quid iam restabat nisi vt Deum ipsum è sua sede detruderent? id etiam affectant, arcam fœderis è sanctuario proferunt? vel potiùs eiiciunt, extrudunt, & Leuitarum humeris, quod vnum pietatis superfuit, in impietate vestigium; Leuitarum, inquam, humeris impositam, velut exulem, vagam, errantem tota Iudæa circumferunt. Quo id constabit indicio? Iosias expiato templo dixit Leuitis: *Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificauit Salomon filius Dauid Rex Israel, nequaquam enim, eam vltrà portabitis.* Saltem plagis, & suppliciis eruditi reuerterentur ad Deum, & aliquem superstitionibus suis modum imponerent. Latiùs propagatum est hoc malum, & altiùs insedit, quàm, vt sine totius gentis clade possit euelli. (4. Reg. 23. v. 7.)

Anno transmigrationis Iechoniæ sexto, cùm iam Nabuchodonosor duabus deportationibus partem populi nobilissimam è complexu gremióque patriæ auulsam transtulisset, seniores populi qui relictus fuerat, idolis reptilium, & cæterorum animalium thus adolebant, *& vapor nebulæ de thura consurgebat.* In ipsa domo Domini, *mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Quidam etiam, *inter vestibulum & altare*, abominationes maiores his faciebant. (Ezech. 8. — Vers. 11. — Vers. 14. — Vers. 16. 17.)

77. Quis non diceret tunc temporis Iudæos ad summum, quod excogitari potest, impietatis perueniisse fastigium? Quis non eos dignissimos putaret, qui in perpetuum abiicerentur à Deo, & æterno exilio plecterentur? Tamen, ô diuinam in homines benignitatem! post annos quatuor quàm hæc viderat Ezechiel, anno decimo Sedeciæ Regis, cùm vltima & decretoria tam vrbi quàm templo clades impenderet, Deus harum superstitionum, vtique non oblitus postliminium pollicetur. *Posuerunt*, inquit, *idola sua in domo, in qua inuocatum est nomen meum, vt polluerent eam, & ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennon, vt initiarent filios suos, & filias suas Moloch: quod non mandaui eis, nec adscendit in cor meum, vt facerent abominationem hanc.* Cedo quid postea? *Ecce congregabo eos de vniuersis terris, ad quas eieci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi, & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidenter. Et erunt mihi in populum, & ero eis in Deum.* (Ierem. c. 32. v. 34. & 35. — Vers. 17. & 38.)

78. Iam videamus quod supplicium Deus tot, & tantis sacrilegiis irrogarit. Ierusalem obsidetur, vrbs & templum incenditur, ciues in captiuitatem abducuntur, Rex ipse capitur, & ad victorem Babylonium perducitur, post graues contumelias, & probra liberos coram se videt interfici, tum oculis, quibus tam acerbum hauserat dolorem, orbatus vinctúsque catenis Babylonem perducitur. Quo tempore videntur Hebræi quemadmodum patres eorum in Ægypto laboribus attriti fuerant, Babylonem magnificentiùs extruxisse, Euphratem carpsisse canalibus, riguis distraxisse, & ad Tigrim fossa perduxisse, si Alexandro Polyhistori fidem habemus afferenti quoddam Ieremiæ vaticinium, Iudæos, σκάψειν τὰς τοῦ Τίγριδος καὶ Εὐφράτου διώρυχας αἰχμαλωτισθέντας, *fore vt Iudæi captiui Tigris, & Euphratis fossas ducerent.*

Graue supplicium, non pauca tamen interuenerunt, quæ seruitutis, & laborum acerbitatem velut affuso diuinæ suauitatis oleo mitigarent. Etenim quæ res afflictos & captiuos duæ consolari plurimùm possunt, eas iam inde ab initio transmigrationis ambas habuerunt, & quidem diuino promisso subnixas, spem recuperandæ libertatis, & spem vltionis ab iis exigendæ, è quibus passi fuerant iniuriam, & quod maius est, vtriusque tempus definitè circumscriptéque notatum à Propheta.

79. Quid quòd ipse Sedecias certum eiusdem Prophetæ vaticinium habuit, quo solari posset, & liberûm, & luminum orbitatem? *Audi verbum Domini, Sedecia Rex Iuda: Hæc dicit Dominus ad te morieris in gladio, sed in pace mo-* (Ierem. 25. v. 11. & 12. c. 29. v. 10. — Ierem. c. 34. v. 4. & 5.)

bus annuente Barachia rursum Eustorgius. Vestri maiores in illa Babylonica seruitute suas leges, suos Iudices, iurisdictionem, ius vitæ ac necis, denique non adumbratam duntaxat imaginem, sed solidam, & eminentem libertatis effigiem habuerunt, vt ex illa historia planè compertum est. Daniel. 15

84. Quod si carpendis fluminum canalibus, & exstruenda Babylone labores cum cæteris gentibus in seruitutem abductis exantlabant, eo certè melior Iudæis erat conditio, quòd præfectos operum Ananiam, Azariam, & Misaelem habebant è sua gente delectos: Daniel, licet non supremam; tamen decimo tanto maiorem, quàm Dauid ac Salomon, habuit potestatem. Hunc enim Nabuchodonosor condito Babyloniorum imperio, & longè latéque propagato, *in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super omnes sapientes Babylonis.* Dan. 2. 48.

E quibus intelligi facilè possit à facie olei computruisse iugum Babylonicæ seruitutis, & cùm rectè culpæ grauitas pœnæ momentis examinetur, non fuisse præuaricationem maximam, & consummatam, grauissimúmque peccatum, quod stante priore templo sibi ex idolorum cultu contraxerant. Nunc pretium operæ fuerit paucis videre,

XV. *Quæ sit illa consummata præuaricatio maximumque peccatum quod à Gabriele prædicitur.*

83. MErito sanè per sibi mirum videri scribit Rabbi Samuel, cur cùm omnes consentiant necessarium esse, vt maiores vestri maximo contra Deum peccato post solutam à Cyro captiuitatem, & instaurationem templi se obstrinxerint, nemo tamen vnus reperiatur qui dicat quod sit illud peccatum, propter quod in calamitatem hanc, quam videmus ad posteros per tot sæcula transmissam, inciderunt. *Et si aliquis*, inquit, *cognoscat nostram caussam, & peccatum propter quod incurrimus tanta mala, nullus tamen id aperit proximo suo, nec ipsemet qui cognoscit, in suam vtilitatem conuertit.* Cap. 5. de veri Messiæ parallasi.

Hunc igitur defectum, si placet, hodierno die suppleamus, quæramúsque quod fuerit illud peccatum post Babylonicam seruitutem admissum à vobis, tantò Maiorum superstitionibus, & impietate grauius, quantò captiuitatem illam hodierna seruitus ad vos iam seculis facilè sexdecim propagata superat interuallo.

86. Ac primò statuendum tria esse peccatorum genera pro varietate personarum in quas offensio redundat, quorum alia contra nosmetipsos, alia contra proximos, alia contra Deum admittimus, eóque, cæteris paribus maiorem esse noxam, quò persona maior offenditur. Quare cùm præuaricationem consummatam, & perfectam, siue, vt cum Apostolo loquar, *supra modum peccans peccatum* inquirimus, caussæ nihil est, cur in duobus primis generibus hæreamus, sed omnibus vestigiis indagandum ecquid Iudæi post templi instaurationem maiori, quàm patres eorum, sacrilegio se obligarint: ecquid maiorem, quàm stante priore templo, impietatem vel conceperint animo, vel lingua & manu in Deum ipsum exprompserint, propter quam & ipsi. *Et nati natorum, & qui nascentur ab illis*, in eos omnium calamitatum fluctus inciderint, è quibus per annos supra millesimum iam ferè sexcentos nondum potuerunt emergere, neque ante seculi finem, & decretorium mundi tempus emergendi spem habent, quæ vel diuina fideiussione, vel ratione probabili fulciatur. Rom. 7. 13.

87. Quæ fuit igitur post exilium Babylonicum impietas tot facinoribus & sacrilegiis implicata, vt in eam grauius, quàm in superstitionem superiorum temporum debuerit animaduerti? Si rectè considerare voluerimus, paucis exceptis qui sub Antiocho Illustri, vel spe præmiorum inescati, vel metu suppliciorum territi superstitionibus externis animum applicuerunt, nullum stante secundo templo reperiemus idololatriæ vestigium. Quanta, religione dicam? an superstitione? Sabbara, neomenias, cæteros legis castus cerimoniásque seruarunt? Quoties de vita maluerunt, quàm de religionibus depelli? &, dum rerum suarum iactura repræsentari legis incolumitas posset, fortunas, coniuges, liberos, semetipsos omnibus periculis obtulerunt. Post obitum Alexandri Ptolemæo Lagi filio Ierosolymam obsidenre, cùm is Sabbato impressionem fecisset, eam passi sunt in eius potesta- Iosephus lib. 12. Ant. cap 1.

temvenire, & ait Agatharcides Cnidius, παλαλαβεῖν οὐ θελήσαντες διὰ τὴν ἄχαρον δεισιδαιμονίαν χαλεπὸν ὑπέμειναν ἔχειν δεσπότην, *dum propter ſuperſtitionem grauantur arma ſumere, grauem dominum receperunt.*

Iuſtinus lib. 30. 88. Ptolemæus Philopator, cùm ſibi regnum parricidio peperiſſet, *& ad necem vtriúſque parentis cæde, etiam fratris adiuncta*, Antiochum Magnum ingenti prælio ſupetaſſet. Sancti ſanctorum adyta penetrare conatus eſt. Huic tam tetræ immaníque belluæ tot parricidiorum conſcientia tanquam furiarum tædis ardentibus ad omnem impietatem concitatæ, & ob recentem victoriam, quæ naturâ ſua inſolens eſt, in omnium legum, ac religionum buſto tripudianti, Sacerdotes in ſacris veſtibus ad exorandum numen in genua prouoluti magno animo reſtiterunt. Cúmque nihilo ſeciùs in incœpto perſiſteret, & ſacrilegii quod ille moliebatur, fama

Quæ totam luctu concuſſit funditus vrbem,

ad ciuium aures manaſſet, tum verò virgines è cubiculorum ſeptis, cinere capitibus inſperſo prodire, gemitibus ac lamentis, plateas ciuitatis vicóſque complere, matres & nutrices, lymphatis ſimiles relictis infantibus in templum congregari, Iuuenes, etſi Ptolemæi copiis longè impares, fremere tamen, tumultuari, clamare, τὴν ὁρμὴν ἐπὶ τὰ ὅπλα ποιήσασθαι, καὶ θαῤῥαλέως ὑπὲρ τοῦ πατρῴου νόμου τελευτᾶν, *ſe ad arma ituros & fortiter pro patria lege mortem oppetituros.* Quam Hebræorum pietatem Deus ſibi gratam eſſe non obſcuris ſignificationibus indicauit, & τὸν ὕβρει, καὶ θράσει μεγάλως ἐπηρμένον ἐμάστιξεν, αὐτὸν ἔνθεν καὶ ἔνθεν κραδάνας αὐτὸν ὡς κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου, *Hominem contumelia, & audacia vehementer elatum, hinc & inde concuſſum, inſtar arundinis vento iactatæ flagellauit*, adeo vt membris reſolutis prouolutis ad pauimentum iam neque facere neque dicere quicquam poſſet, iuſti iudicii laqueis irretitus. Qui cùm ad tempus ceſſiſſet, aliquantò poſt ad ingenium rediens, pleróſque Iudæorum cum liberis, & coniugibus in catenis ferreis Alexandriam abductos elephantorum quos ad quingentos habebat, vino multóque thuris ſuffitu ferocientium pedibus obterendos in circum produci iuſſit; ſed eos diuina quædam prouidentia ſemel, iterum, tertiò, non ſine grandi miraculo, ab interitu liberauit, vt fusè narratur libro, qui Latinis auribus ignotus apud Græcos tertius Machabæorum inſcribitur.

89. Cùm Anthiochus Illuſtris omnem in Iudeos crudelitatem expromſiſſet, templum omni ſacrilegio polluiſſet, vrbem ciuibus exhauſiſſet. (*Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati*, vt alias innumerabiles cædes omittam multique duce Mathathia occulta deſerti loca petiiſſent miſſi ſunt è Regis exercitu, qui cum eis Sabbato dimicarent, *& non reſponderant eis, nec lapidem miſerunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta*, ne videlicet die ſanctitatem, & quietem opere violarent, quo factum eſt, vt *vſque ad mille animas hominum* eo die occiderint. Et quamuis cæteri, ſi laceſſerentur, etiam Sabbato repugnare decreuerint, ne ſi nimium religioſi eſſe vellent, totum Iudaicum nomen extingueretur, non omnis tamen circa Sabbatiſmum ſcrupulus è poſterorum animis exemptus eſt. Pompeio templum obſidente, aggeris ſubſtructionem Sabbato nemo prohibebat. *Prohibere enim*, inquit Ioſephus libro decimo quarto Antiquitatum, capite octauo, vim inferentes lex permittit, ſed opus facientem hoſtem, *impedire nos non ſinit. Quod vbi animaduerterunt Romani Sabbatis, neque eminus inceſſebant telis Iudæos, neque manus cum eis conſerebant: tantum erigebant aggerem, & turres machináſque admouebant, vt eis poſtridie aduerſus nos vti poſſent*, & ita factum, vt templum facilè caperetur.

2 Machab. cap 5.

1 Machab. c 2 v. 37.

Verſ 41.

90. Sed vt ad poſtrema Synagogæ tempora veniamus, omitto aquilam illam auream maiori templi portæ alis expanſis imminentem ab Herode conſecratam, quam fortiſſimi iuuenes zelo religionis accenſi, luce, palam, inſpectante tota ciuitate detractam in fruſta conciderunt, & eam ob rem, vt iam dictum à nobis eſt, viui traditi ſunt flammis vſtulandi. Qua tempeſtate IESVS noſter primùm innotuit, cùm Pilatus nocte intempeſta opertas Tiberii Cæſaris imagines Hieroſolymam intuliſſet, vis magna Iudæorum legem violari putans, ſi vel vnum ſtatueretur in vrbe ſimulacrum, illico profecta eſt Cæſaream ad Pilatum, & ſummis ab eo precibus contenderunt, vt imagines aliò trans-

Ioseph. de bello Iud. lib. 2. cap. 8. & Antiq. lib. 18. c. 5. ferret. *Pilato autem supplicantibus abnuente, circa domum, eius proni corruerunt, & immobiles quinque diebus continuis noctibúsque mansêre.*

Post autem Pilatus tribunal adscendens studio magno conuocat multitudinem Iudæorum, quasi qui eis vellet dare responsum: cùm subitò milites accepto signo (sic enim iam fuerat præparatum) armati Iudæos acie triplici circumsistunt, & ille denuntians trucidaturum se omnes, nisi imagines Cæsaris susciperent, annuit militibus, vt educerent gladios. Quis non putaret Iudæos in re quæ leuissima videri potuit, & legis iugulum non petebat, cùm præsertim in numismate census Cæsaris imaginem viritim tererent, aliquid de nimia religionis contentione remissuros, vt ferrum à iugulo suo depellerent? vel saltem tantisper quieturos, dum nubes illa detonaret? imò omnes vno quasi consilio repente conciderunt, & ceruices nudatas excipiendis ictibus pararunt, vociferantes se vniuersos interfici malle, quàm legem profanari. O admirabilem in tuenda religione constantiam? Et sanè Pilatus circa religionem studium populi demiratus, confestim ex vrbe sancta statuas iussit auferri. Atque hæc, vt è Iosepho colligitur, non multo post susceptam à Pilato præfecturam gesta sunt.

De sua legatione ad Caium. 91. Quid? quæ, vt è Philone colligitur, extremis eiusdem Pilati temporibus contigerunt, cùm iam ille rapinis, direptionibus, contumeliis, hianti atque imminenti auaritia Iudæam fœdè lacerasset? Prætorio clypea quædam aurea, neque imaginem habentia, neque quicquam eorum quæ lege prohibentur, nihil denique præter necessariam inscriptionem, affixerat, summis ab eo precibus rogarunt Iudæi vt ea refigeret, nullámque nouitatem in leges patrias, & instituta maiorum induceret. A quo cùm nihil impetrarent, ad minas venerunt memores superstitionis, immemores periculi quod ab irato Præside intentari potuit, suásque ad ipsum Cæsarem querimonias detulerunt, qui & Pilatum grauiter reprehendit, & clypea refigi iussit, deportarique Cæsaream.

92. Caius cognomento Caligula colossum aureum in templo statui iusserat, eique negotio Petronium Syriæ Præsidem præfecerat. Quem vbi ad exhauriendum Imperatoris mandatum cum simulacro venire rescitum est, tantus Iudæorum animos occupauit dolor, tantus, ne quid religiones patriæ detrimenti paterentur, metus impleuit, vt omnes, priusquam illatione statuæ incessaretur Regio, ex vrbibus, oppidis, villis effusi extra fines suos in Phœniciam obuiam procederent, & Iudæa ipsa conuulsa sedibus suis propemodum videretur, & in sex ordines descripti hinc senum, iuuenum, puerorum, inde anuum, matronarum, virginum, vbi primùm Petronius è superiore loco conspectus est, vniuersi cum ramis oleæ vitta redimittis, qui supplicantium mos erat, ad terram prouoluti luctuosas voces, & vlulatum miserabilem ediderunt, iusśique stare, & accedere propiùs, vix tandem surrexerunt, & puluere capitibus insperso, lacrymis vbertim per ora manantibus, reductis post terga brachiis accesserunt.

93. Hic quid dixerunt, aut quid tacuerunt? Pretium operæ fuerit ex Hebræorum eloquentissimo pauca libare. *Decedimus*, inquiunt, *vrbibus nostris, Decedimus priuatis ædibus, atque possessionibus, suppellectilem, pretiosissima quæque, & quicquid prædæ esse potest, vltro proferemus: eaque putabimus non dare, sed accipere, vnum pro his omnibus postulamus: nihil in templum nouitatis induc, sed illud intactum illibatúmque seruari, prout à maioribus nostris accepimus. Id si impetrare non possumus, nos ipsos in mortem tradimus, ne viui malum ipsa morte grauius videre cogamur*, & cæt. *ceruices ferro paratas exhibemus, cædant, mactent, in frusta concidant*, & cætera. *Quid opus exercitu? nos ipsi præclari Sacerdotes immolabimus victimas, in templo statuemus vxores vxoricidæ, fratres, & sorores fratricidæ, pueros, & puellas innocentem ætatulam puericidæ, tragicis enim nominibus in tragicis calamitatibus vtendum est: Deinde stantes in medio, abluti cognato sanguine, (nam talia lauacra properantibus ad inferos conueniunt) admiscebimus, & proprium nosmetipsos insuper iugulantes.* O incredibilem animi pietatem, ô singularem in adspernanda idololatria constantiam!

94. Verùm ista sub Caio Cæsare contigerunt, quo tempore nondum mores in deteriora prolapsi sensim ad idolorum venerationem superstitionémque

defluxerant. Quid si Claudio & Nerone rerum potientibus, maioribus, quàm antea facibus patriæ religionis zelus exarsit?

Quid si (quantum quidem in hominum consilio positum fuit, quamuis Deus aliud quiddam vlcisci cogitaret) ex eodem seruandæ legis studio conflatum est bellum, quod vrbem euertit, templum incendit, vniuersum pene Iudaicum nomen internecione deleuit, reliquias toto terrarum orbe dispersit, addixitque misertimæ seruituti? Extremis Claudii temporibus, miles quidam libros Mosaicos in quodam vico inuentos protulit, eósque lacerauit in conspectu omnium multis debacchatus, & in legem & in gentem totam conuiciis. Hoc vbi ad Iudæos perlatum est, facto concursu, agmine magno petunt Cæsaream, in qua tum Cumanus Iudææ Procurator degebat, supplicantes, vt non suam, sed læsi numinis vlcisceretur iniuriam. Tum Præses veritus defectionem populi, de amicorum consilio militem illum legis violatorem securi percussit, & hoc modo tumultum sedauit.

Iosephus lib 2. c. 4.

95. Sub Nerone in vrbe Cæsarea, cùm Iudæi Sabbato conuenirent in Synagogam, seditiosus quidam ad id ex composito missus, posito vase Samio alites pro Synagogæ foribus immolabat. Hoc factum ita Iudæos accendit, vt deinceps coerceri non potuerint: legem quippe suam eo sacrilegio contumeliam pertulisse, & locum ipsum clamabant esse pollutum.

Iosephus lib. 2. de bello Iud. cap. 14.

Quid plura? reclamantibus frustra senioribus, & eius experiendum iudicio dicentibus, grauis oritur

Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iámque faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Educuntur à Cæsariensibus gladii, Iudæis *quod cuique repertum est*, rimanti, telum ira facit, & atrox vtrimque pugna committitur. Iudæi cùm Cæsariensium multitudine obruerentur, secesserunt ex vrbe Cæsarea, & secum libros legis raptim extulerunt. Tum Gessius Florus Iudææ Præses, qui in omnem vexandæ gentis occasionem imminebat, hanc legum exportationem cupiditati suæ prætexuit: è qua scintilla belli, & illius immensæ cladis, quam Daniel abominationem desolationis appellat, exarsit incendium. Adeo bellum illud, & vestri generis extrema calamitas idolorum cultu vestrarúmque ceremoniarum neglectu conflata non est, vt potiùs obstinata quadam legis obseruatione, quasi seditionis flabello fuerit ventilata.

96. Ac proinde cùm Deus tanto grauiorem posterioribus Iudæis qui post instauratum à Zorobabele templum ab omni specie superstitionis semper abhorruerunt, quàm patribus eorum qui stante templo priore toties publicè nefaria sacra susceperant, liberos suos idolis immolarant, Prophetas à Deo missos occiderant, templi sanctitatem constitutis in eo catamitorum, & effœminatorum lupanaribus violarant, pœnam inflixerit, etiam atque etiam quærendum est, quod fuerit illud peccatum idololatriâ grauius, & consummata præuaricatio, quæ gentem vniuersam diuinæ iustitiæ laqueis inuoluit. *Igitur inquiram* (verba sunt Rabbi Samuelis, ne si quid asperiùs dixero, mihi fortasse succenseas) *& non cessabo quærere quod peccatum est id tantum, propter quod sumus in hac captiuitate mille annis & vltrà, nec habemus Prophetam, nec Regem, nec Sacerdotem, nec Altare, nec Sacrificium, nec Vnctionem, nec Incensum, nec Purificationem, imò facti sumus abominabiles toti mundo, sicut Deo, & contemptibiles: in solo corde tantum nostro regnat superbia, qua nos præferimus toti mundo.* Hæc ille. Quapropter, si nihil hodierna die dissimulandum est, Maiores vestri sacrilegium quoddam immane designarunt, Deo soli peccarunt, & malum, cui vos etiamnum mordicus hæretis, coram eo fecerunt; vt iustificetur in sermonibus suis, & vincat cùm iudicarit.

Lib de veri Messiæ præstasi c. 5.

97. Non solùm è personæ grauitate, quæ offenditur, æstimare debemus iniuriæ grauitatem, sed multo magis ex animi inductione, & modo quo infertur iniuria. Etsi enim cæteris paribus ante dictum à nobis est, persona principis maiori, quàm priuati cuiuspiam scelere violatur, magni tamen refert ad iustam offensionis æstimationem scire vtrùm certo determinatóque ictu petitus fuerit, an plagam feræ, vel vili mancipio destinatam medius interceperit, aut alieno vulnere per eorum latera fuerit sauciatus.

Quare cùm in omni peccato, quod contra nosipsos, contra proximum, contra Deum, aut mente concipitur, aut verbo editur, aut operatione adolescit, duo spectanda sint, quorum alterum conuersionem ad creaturas; alterum auersionem à creatore Theologi sapientes appellant, in examinanda peccati grauitate, non tam conuersionis, quæ per se mala non est, sed materia malitiæ substracta, quàm auersionis, siue præuaricationis à Deo, quæ est ipsa forma ratióque malitiæ, debemus habere rationem.

In peccato non tam spectatur conuersio ad creaturam, quàm auersio à Creatore

Etenim si quis in omni libidine se effunderet, affluentes vnde-vnde voluptates omnibus, & corporis, & animi modis hauriret, probrum castis, labem integris inferret, & tanquam admissarius omnium thalamis adhinniret, direptionibus, cædibus, incendiis pasceretur, idque, quod sanè fieri nequit, citra præuaricationem, & auersionem à Deo faceret, nullius peccati vinculis animum obligaret. Neque enim honores, diuitiæ, voluptates per se malæ sunt, sed earum appetitus extra legem æternam præscriptúmque rectæ rationis exorbitans, & in medio positæ perinde se habent, vt eorum animus, qui se ad illas conuerterit.

98. Quod si meram liquidámque præuaricationem, nullis inescatam voluptatibus, nullis diuitiarum cupiditatibus immersam, nullos honores aucupantem, ab omni denique materia seiunctam inuenire possemus, ea demum cumulata & consummata præuaricatio diceretur. Sed nimirum, οὐδεὶς εἰς τὸ κακὸν ἀποβλέπων ποιεῖ ἃ ποιεῖ. *Nemo ad malum intendens operatur*, vt ait magnus ille Areopagita, & quisque peccat, adumbratum bonitatis idolum pro vera solidáque bonitate, vt Ixion in fabulis, pro Iunone nubem amplectitur, vnde, tanquam Centauri, præter intentionem peccati monstra generantur.

De diuinis nominibus cap 4.

Quare cùm præuaricationem consummatam quærimus, non ad viuum omnia resecamus, nec illam puram, putam, nullique materiæ concretam indagamus, quæ animo cogitari potest, in rebus ipsis inueniri non potest, sed aliam quandam diuinæ Maiestatis offensam, quæ quo sincerior defecatiórque fuerit, & rectiùs in Deum collinearit, eò propriùs attinget improbitatis fastigium.

99. Quod est igitur peccatum illud idololatria, & superstitione grauius? illud citra controuersiam, quod non iam per anfractus, & ambages, sed recto cursu, & impressione diuinum numen aggreditur, &, vt sic loquar, immediatiùs inuadit.

Etenim idololatriæ deformitas eo maximè continetur, quòd cultum & religionem vni Deo debitam creaturis impertiat, necesse tamen non est, vt qui diis seruiunt alienis, omnem abdicent Deo debitam seruitutem, & ceruices omni religionis iugo subducant. Testes ii, quos Rex Assyriorum collocauit in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui *cùm Dominum colerent, diis quoque suis seruiebant, iuxta consuetudinem gentium de quibus translati fuerant*, & quidem adeo superstitiosè, vt eorum nonnulli diis suis Adramelec & Anamelec filios suos igni comburerent. 4. Reg. 17. 33.

100. Est autem aliud quoddam peccatum idololatriâ grauius, quod videlicet ex genere suo, ira diuinam illam Maiestatem debitis obsequiis, amore, veneratione priuatam, & quantum in peccante situm est, velut è suo solio deiectam offendit, vt, si modò voluntarium est, ne cogitatione quidem possit ab eius iniuria separari. Illud videlicet si Deum, vel oderis animo, vel negaueris ore, vel facto manúque violaris, &, quantum homuncioni licet, occideris; illud, inquam, peccatum, de quo paucis interiectis, eadem prophetia Danielis ista subtexit. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur* CHRISTVS: quem & Deum, & hominem futurum, tum affirmant Prophetæ, tum antiqui Rabbini consentiunt, quod, vt alias omittam, Soares, & Galatinus grauiter, & solidè docuerunt, quamuis eorum alter in prophetis, alter in Rabbinis potissimùm immoratur. E quibus, si fortè Messiam Deum esse non putas, præcipua quæque libabimus. Cap. 9. v. 26.

Soares in 3. partem to. 1. disp. 2. sect. 3.

Galat lib. 6 de arcanis Catholicæ veritatis ca. 1. 2. 3. 10.

Nihil, sanè inquit Barachias, opus est, Eustorgi. Nam, & eorum mihi recens est memoria, quibus illi contra recentiorum Rabbinorum opiniones, rem planè, qua de nunc agitur, euincunt, & si quid obliuione deletum est, adiri priuatim poterunt authores, ne actum, quod aiunt, agamus, & frustra quæstiones quæstionibus implicemus. Quare perge porro.

101. Tum Eustorgius, Ait igitur Pro-

pheta, *occidetur Chriſtus*, & raris turbatur vocibus hiſcens, quod odioſum erat planiùs eloqui, ipſa dicendi breuitate obſcurat, ואין לו *& non ei*, quod ſanè commodiùs explicari non poſſit, quàm verbis quæ Hieronymus in translatione communi ſubtexuit, *& non erit populus eius qui eum negaturus eſt*, niſi ſi quis Auguſtini verba magis putat ad rem noſtram pertinere. (Epiſt. 80.) *Occidetur* CHRISTVS, *& non erit eius, id eſt, non erit eius ciuitatis, quoniam ſic alienatus eſt à Iudæis, qui eum propterea Saluatorem, Redemptorémque ſuum non eſſe crediderunt, quia occidere potuerunt.*

Hæc eſt videlicet illa præuaricationis conſummatio perfectióque peccati per tot annorum ſeriem ad poſteros propagati, cui vos etiamnum mordicus hæretis, & maximam partem (prô dolor!) vſque ad nouiſſimos mundi dies hærebitis, parentum veſtrorum diris, & exectatione deuoti. *Sanguis eius*, inquiunt, *ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Illi Deum in Meſſia, vel potiùs Meſſiam Deum negarunt, vos eum repudiatis: illi Meſſiæ, non quidem ſecundum eius diuinitatem, (neque enim fieri poterat) ſed ſecundum naturam humanam, quam aſſumpſit, necem acerbiſſimam conſciuerunt: vos eorum, vt ita loquar, deicidium veſtro ſuffragio comprobatis, dum eum quem tot editis miraculis, tot prophetiis adimpletis, tot Sybillarum oraculis, omni denique teſtimoniorum genere Meſſiam eſſe conſtat, iure cæſum eſſe defenditis.

Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populúmque fluxit.

Quæ cùm ita ſint, Barachia, merito formidas ne Deus gentem tuam in perpetuum abiecerit, ne ſemper vagi errantéſque ſine foco, ſine lare, Iudæi omnibus inuiſi, exules, execrationibus ac diris omnibus deuoti, conſcientiam omnibus omnino criminibus contaminatam vix ac ne vix quidem patiantur. Ne *ſanguis eius* (Meſſiæ ſcilicet) *ſuper vos, & ſuper filios veſtros*, qui aliis (nempe Chriſtianis atque Catholicis) lauacrum regenerationis fuit, æternum vobis, poſt calamitoſam adeò vitam, augeat tormentorum incendium.

XVI. *Quomodo per Chriſtum deleta iniquitas, & adducta iuſtitia ſempiterna.*

102. MActe tamen virtute: *Filius non portabit iniquitatem patris.* (Ezech. 18. 20.) Sua quemque fraus, ſuum ſcelus ſua perfidia diuini iudicii laqueis inuoluet. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Viuo ego dicit Dominus nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat. Conuertimini, conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael?* (Ezech 33. v. 11. 12.) Definiuntur hebdomades ſeptuaginta, vt *deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna.* Quæ non in eam partem interpretari debemus, quaſi prædicat Gabriel futurum, vt his hebdomadibus ad finem euolutis nullum ampliùs extet peccati veſtigium, & iniquitas ita radicitus excidatur, vt repullulare deinceps & reuiteſcere non poſſit, aut qui ſemel deterſa peccati maculâ gratiam ſanctificantem, ſiue iuſtitiam acceperit, non poſſit deinceps vllis flagitiorum ſordibus inquinari; ſic enim mentitus eſſet Gabriel vnde-vnde hebdomadarum ſeptuaginta caput acceſſas, cùm & annos illos quadringentos & nonaginta iam pridem exactos, & adhuc iniquitatem plus æquo vigere videamus.

103. Quibus igitur modis iniquitas per Meſſiam deleta eſt, &, vt Hebraicus textus magis ſonat, expiata? Primùm quòd Meſſias diuinæ Maieſtati peccatis hominum violatæ fecerit ſatis, & quidem ad rigorem iuſtitiæ, vt Theologi loquuntur, ac planè cumulatéque reſarcierit iniuriam, tum quòd pœnam præuaricationis Adami ſuſtulerit, & iuſtis, quibus iam inde à lapſu primi parentis, cœlorum aditus intercluſus fuerat, ex inferorum carcere liberatis intrare in gaudium Domini ſui permiſerit: (Quot modis Chriſtus peccatum deleuerit.) deinde quòd penitus exſtirparit idololatriam, quam peccatum, & iniquitatem ſcriptura identidem appellat; Pòſt quòd Meſſias exemplo ſuo præluxerit hominibus ad rerum humanarum deſpicientiam; & quantum in ipſo fuit, ex eorum affectu diuitias, honores, voluptates, vnica vitiorum alimenta, & elementa prauæ cupiditatis eraſerit: tum quòd diabolum omnis iniquitatis authorem, vt canem rabidum ita catenis obligarit, vt eminus quidem latrare poſſit, iam ta-

men nisi voluntarium & sponte propiùs accedentem mordere non possit: quòd induerit nos armaturam Dei, vt possemus stare aduersus insidias diaboli: subministrari t galeā salutis, gladium spiritus, quod est verbum Dei, vt staremus succincti lumbos nostros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possemus omnia tela nequissimi ignea extinguere: deinde quòd vberem largitus fuerit gratiam, & e passione sua tanquam ex abundanti fonte deriuarit, cuius ea vis est, vt vel minimâ eius stillâ peccati sordes penitus eluantur, vt ne puncto quidem temporis peccatum mortale possit cum illa consistere. postremò quòd instituerit sacramenta, quæ nisi nos obicem ponamus, omnem peccati maculam abstergunt ex opere operato.

Ephes. 6. 11. v. 17. v. 14. 15. 16.

Cùm igitur Gabriel tot modis prædicere potuerit iniquitatem per Christum abolendam, quod sub finem annorum quadringentorum & nonaginta fieri necesse fuit, quamuis adhuc à multis admitti scelera videamus, nihil est quòd ex eo capite, vel de prophetiæ veritate, vel de aduentu Messiæ dubitemus.

104. Nam quod ais te non videre quo pacto dicatur iustitia sempiterna, siue iustitia seculorum, quæ adducenda prænuntiatur, quæstio non est admodum impedita. Christus dicitur iustitia Sanctorum, non quòd ipsi iustitia propria & inhærente careant, sanctique sint duntaxat per Christi iustitiam extrinsecus imputatam (Hæc enim est non Catholicorum & verè Christianorum, sed Lutheri delirantis opinio, non à scriptura solùm, sed etiam à ratione exorbitans.) Sed quòd sit absolutissimum omnis perfectionis exemplar, quod gratiam nobis promeritus fuerit, cuius intuitu *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis:* quòd, vt Deus gratiæ sit effector, eámque nostris mentibus infundat, vt homo pro peccatis nostris mortuus fuerit. *delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulerit de medio affigens illud cruci*, resurrexerit propter iustificationem nostram, vt conformes essemus eius imagini. Quo pacto Iesu, vt iterum cùm Paulo nostro loquar, *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio nostra.* Quæ abs te in eam partem accipi nolim, mi Barachia, quasi testimoniis ex instrumento nouo depromptis tibi probare velim nostram de Christi aduentu sententiam, sed vt appareat quo

Christus quomodo iustitia nostra. Rom. 5. 5. Ephes. 2. 14. Rom 8. 29. 1. Cor. 1. 30.

pacto Messias siue iam venit, siue adhuc expectatur, dici possit ea iustitia quæ septuagesima hebdomade adducenda prænuntiatur. Quod si tibi prophetarum authoritas magis arridet, *In tempore illo*, dicit Dominus apud Ieremiam, *germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* quibus addit. *& hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus iustus noster.*

cap. 33. v. 15. v. 16.

105. Quamuis nihil prohibet hoc Gabrielis oraculum interpretari, de iustitia quam Theologi formalem appellant, sanctis inhærente, qua videlicet à Deo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, vt hæretici delirant, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes. de qua Iesus noster Samaritanæ: Qui biberit ex aqua, quā ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hæc enim iustitia, siue eadem est siue distinguitur ab illa charitate Dei quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis; hæc inquam, iustitia perinde vt charitas, secundum naturam suam est sempiterna; fides tamdiu manet dum videmus per speculum in ænigmate, & tantùm ex parte cognoscimus. est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Cùm igitur,

Concil. Trident. sess. 6. c. 7. Ioan 4. 1. Cor. 13. v. 12. Heb. 11. v. 1.

----Omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus atque humida circùm
Caligat, nubem----

Eripuerit Deus, cúmque videbimus facie ad faciem, tum desinet fides, & velut officio suo perfuncta claræ decedet visioni. Spes etiam tamdiu viget, quamdiu peregrinamur à Domino, & quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum. ita sitientes ad Deum fortem viuum futuris æternæ vitæ gaudiis inhiamus: cùm autem inebriabimur ab vbertate domus Dei, & voluptatis diuinæ torrente potabimur, restincta siti, spem præteritam excipiet boni fruitio, & in adepta saturitate conquiescet. Charitas autem nunquam excidet, sanctitas & iustitia, nisi te in lethalis peccati lutum sponte demerseris, non solùm in hac vita interire non potest, sed etiam in futura clarior & defecatior euadet detersis omnibus, vel minimæ culpæ labeculis.

Iustitia & charitas sempiterna cùm cæteræ virtutes non sint sempiternæ. Fides, spes.

106. Quid de cæteris virtutibus loquar, quas Philosophi morales appellant? Ecquid non perinde vt spes ac fides interitui sunt obnoxiæ? Quis in cælo fortitudinis locus, vbi nulla difficultas eluctanda superérit,

nullum periculum Beatorum ceruicibus imminebit? Quis temperantiæ, vbi, poſtquam corpus hoc animale, quod corrumpitur & aggrauat animam, ſpirituale ſurrexerit, non nubent neque nubentur, nec homines magis quam Angelos Dei titillabunt obſcœnæ voluptates? Quis morali iuſtitiæ cum Deus erit omnia in omnibus, neque quicquam erit de cuius iure vel poſſeſſione poſſint inter ſe contendere? Quis denique prudentiæ, quæ in recta mediorum electione conſiſtit, vbi poſt adeptam ſummi boni poſſeſſionem, nullum medium, quod ab beatitudinem perducat, ſupererit eligendum? Virtutes igitur cæteræ (ſi earum actum ſpectemus: nam de habitu viderint eruditi) per ſe temporariæ ſunt, & anguſtis huius vitæ finibus circumſcriptæ: charitas autem, ſanctitas & iuſtitia, quas inter ſe diſtingui grauibus Theologis non placet, ſempiternæ.

1 Cor. 15. 44. Marc. 12. 25. — *Vide Aug lib. 14 de Trinit. c. 9.*

107. Quòd autem hæc iuſtitia (ſiue Chriſtus ipſe eſt, ſiue ſanctitas inhærens, & per merita Chriſti mentibus noſtris infuſa) dicitur in textu primario iuſtitia ſeculorum, hinc meritò ſignificari putas eum non ad futura ſolum, ſed etiam ad præterita ſecula pertinere. Meſsias enim eſt plenus gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine omnes accepimus. Eſt fons quidam inexhauſtus, qui copioſo gratiarum æſtu in omnia ſeculà redundauit. Cuius è ſanctiſsima paſsione quotquot in lege naturæ ſancti, quotquot in lege ſcripta, quotquot in Euangelica floruerunt, hauſerunt internam illam animi ſanctitatem, vt eos omittam qui nunc gratioſi ſunt apud Deum. *Et qui poſt alios erunt in annis.*

XVII. *Euentus Prophetiæ.*

108. Venio nunc ad euentum, qui prophetiam impleuit, aut etiam ſigillauit, quem attingere noluiſti, ne quid, vt aiebas, de mea diſputatione prælibares. Hic videlicet prophetiam, & viſionē euentus impleuit. Vnctus eſt Sanctus Sanctorum, ſiue vt alij transferunt, ſanctitas ſanctitatum. Quæ porro iſta ſanctitas? Templi Sanctuarium, quod ſcriptura Sanctum Sanctorum appellat? Minimè gentium. Quid ita? Dedicatio templi facta eſt anno Darii ſexto. aut certè proximè ſequenti, quem Hebræi (rectè an ſecus nihil ad hoc tempus) volunt in hebdomadem duodecimam incidiſſe: hîc autem ſeptuaginta præfiniuntur hebdomades ad eam, quæ prædicitur, vnctionem. Adde quòd è quinque rebus, quæ, cùm in priore templo fuerint,

Eſdr. lib. 1. c. 6. v. 17.

poſteriori defuerunt, oleum vnctionis à veſtris Rabbinis numeratur. *Galatinus l. 4. c. 9.*

109. Quænam igitur Sanctitas ſanctitatum, quæ inungenda prædicitur? Ieſus filius Ioſedec? Zorobabel? Nehemias? Cyrus denique, qui tibi præ cæteris arridet? Longè etiam minùs. Quam ob rem? Tum propter eamdem temporis rationem, tum quia, quamuis ſcriptura multos identidem Sanctos appellet, nemo tamen purus homo Sanctus Sanctorum, nedum Sanctitas ſanctitatum dictus vſpiam reperitur. Quis igitur? Verus, verus, inquam, ille Meſsias, quem Deum & hominem eſſe credimus omnes verè Chriſtiani, & de Thalmudicorum Rabbinorum ſententia, quorum tanta, & pene diuina eſt apud vos authoritas probat egregiè Galatinus, lib. 6. de arcanis Catholicæ veritatis. Chriſtus, inquã, verè Sanctus ille Sanctorum, qui cùm per ſe Sanctus ſit, non ex accidenti, ſed ipſa ſubſtantia & eſſentia primariæ Sanctitatis, quæ Deus eſt, creatáque Sanctitate ſiue gratia præ conſortibus ſuis, vt cum ſcriptura loquar, velut quodam oleo lætitiæ delibutus, è quo vt ex abundantiſſimo fonte ſanctitas omnis & gratia profluxit, meritò Sanctus Sanctorum, aut etiam Sanctitas Sanctitatum per excellentiam nominatur. *Capp. 1. 5. 17.*

110. Cæterùm cùm duo ſint vnctionis illius tempora, alterum quo primùm in eo inhabitare cœpit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ſanè credimus, vel ſaltem à vobis, niſi placet maiorum veſtrorum ſcita reſcindere, ſuo tempore inhabitatura ſperatur, alterum quo primùm coram hominibus Euangelij prædicandi à Deo patre poteſtatem accepit, inficias ierit nemo, quin & Gabriel & Iſaias eandem ſpectauerint vnctionem. *Spiritus*, inquit, *Domini ſuper me* (vbi teſte R. Dauid Kimhi in libro radicum, Propheta Meſſiam loquentem inducit) *eo quòd vnxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis* (vel vt alij reddunt, ad euangelizandùm pauperibus) *miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiàm*. Quam prophetiam Chriſtus noſter in ſe completam eſſe teſtatur: Cùm in Beatæ Virginis vtero conceptus eſt, tunc verè cœpit eſſe Meſſias ſiue Χριστὸς, id eſt Vnctus, διὰ τὴν θεότητα, *propter diuinitatem*; inquit Gregor. Theologus, Orat. 4. de Theologia, Χρίσις γὰρ αὕτη τῆς ἀνθρωπότητος, οὐκ ἐνεργείᾳ, κατὰ τοὺς ἄλλους χριστοὺς ἁγιάζουσα· παρουσίᾳ δὲ ὅλου τοῦ χρίοντος· ἧς ἔργον ἄνθρωπον ἀκοῦσαι τὸ χρῖον, καὶ ποιῆσαι θεὸν τὸ χριόμενον, *Diuinitas enim humanitatis vnctio eſt, non operatione, vt in aliis Chriſtis, ſan-*

Coloſſ. 2. 9. — *Cap. 61. v. 1. Luc. 4. 18.*

ctificans, sed totius vngentis præsentia. efficacius dicere potuisset, hypostatica vnione. *Cuius vnctionis effectus est, vt id quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat.*

111. Alia tamen est peculiaris vnctio, de qua tum Isaiam, tum Danielem interpretamur, cum videlicet vt loquitur Petrus, Act. 10. v. 8. *vnxit eum Deus Spiritu sancto & virtute*, eumque ad nuntiandum mansuetis & pauperibus Euangelium missurus, apposito propheciis & visionibus sigillo eum esse docuit, quem toties prophetæ venturum esse prædixerant, & missionem eius legitimam tum suo, tum Spiritus sancti testimonio comprobauit: *Factum est autem*, inquit Lucas, cui cæteri ad vnum omnes Euangelistæ suffragantur, *cùm baptizaretur omnis* Luc. 3. v. 21. 22. *populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Quamuis enim quo primum temporis puncto humanitas Christi per hypostaticam vnionem Verbo coniuncta est, delibuta fuerit totius diuinitatis vnctione, ac multo magis quàm Ioannes plenus fuerit Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ, nihil vt deinceps potuerit internæ sanctitatis accedere, nouo tamen & peculiari modo per spectabilem diuini spiritus illapsum dicitur vnctus fuisse, quasi initiatus, atque ad prædicandum Euangelium destinatus & consecratus.

112. *Quid autem est quod dicit signari visum & prophetiam?* (Tertulliani verba sunt libro qui aduersus Iudæos inscribitur.) *Quoniam omnes prophetæ nuntiabant de illo, quod esset venturus, & pati haberet: igitur quoniam adimpleta est prophetia per aduentum eius, propterea signari visionem & prophetiam dicebat; quoniam ipse signaculum omnium prophetarum adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nuntiauerant.* Et paucis interiectis in eandem sententiam, *Baptizato enim*, inquit, *Christo, id est, sanctificante aquas in suo baptismate, omnis plenitudo spiritualium retrò charismatum in Christo cessaerunt, signante visionem & prophetias omnes, quas aduentu suo adimpleuit. vnde firmissimè dicit aduentum eius firmare visum & prophetias.* vt meritò Iesus noster impletis omnibus quæ de ipsius ortu, vita, passione, vel à prophetis pronuntiata, vel legis antiquę cærimoniis cæterisq; figuris adumbrata fuerant, in hæc verba, *Consummatum est*, animam exhalarit. quarum seriem bene longam euoluere facilè poteramus, nisi Tertullianus idem, Pomerius Iulianus, Rabi Samuel, quotquot denique de aduentu Messiæ scripserunt, id ante nos cumulatissimè præstitissent: cóque facilius quòd inter cæteros Isaias non tam res à Christo gerendas, vt Propheta, quàm penè gestas, vt Euangelista narrarit, vel potiùs in lectorũ oculis defixerit. Quare, mi Barachia, nisi quid dictis opponendum tibi videtur, restat vt reliquam Gabrielis prophetiam explanes.

XVIII. *Scito ergo & animaduerte: ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Et rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum.*

113. Videtur hîc, inquit Barachias, prophetarum consuetudine, qui obscuris vera libenter inuoluunt, & de industria non solùm ænigmaticas, sed etiam hyperbaticas locutiones vsurpant, nonnihil orationis ordo turbatus: sic enim commodè digeri potuisset oratio: *Scito ergo & animaduerte*, vel vt Hebręa sonant, *& scies, & intelliges. Rursum ædificabitur platea Ierusalem & muri eius in angustia temporum, & ab exitu sermonis, &c.* תשוב ונבנתה quæ Lxx. transtulerunt καὶ ἐπιστρέψει καὶ οἰκοδομηθήσεται *& conuertet*, siue & *reuerti faciet*, id est, & reducet Deus captiuitatẽ Iudæorum, *& ædificabitur*, Pagninus & Galatinus, *redibit & ædificabitur*. Neq; tamen mãca est aut hiulca latina translatio. Nam vt aduertunt Grãmatici, verbum שוב ante aliud verbum continuò positum significat iterationem actionis, quæ isto verbo exprimitur, & per rursus, rursum, aut denuò explicari potest. vt Psal. 85. v. 7. *Deus tu conuersus*, vel *conuertens viuificabis nos*, nihil aliud est quàm, Deus tu denuò nobis vitam imperties.

114. Quæ sequuntur ובצוק העתים, ἐκκενωθήσονται οἱ καιροὶ *& vacuabuntur siue exinanientur tempora*, transferunt Lxx. Seniores, quorũ Tertullianus vitiosa lectione deceptus legit ἐκκαινισθήσονται, & innouabuntur. alij in *coarctatione temporũ*, alij *breui* transtulerunt. Quorum opinor, (Tertullianum excipio) verbis diuersis subest eadem planè sententia. Nam exinaniri tempora dici possunt quæ citò prætereuolant, & coarctari, siue in angustias redigi quæ modico tempore finiuntur. Quibus verbis significat vel angustum superesse temporis 1. Esdr. 6. interuallum ad instaurationem ciuitatis, vel certè tantam operarum industriam vt diebus duobus & quinquaginta muri substructionem absoluant.

115. Quanquam viris eruditis placet ad ærumnas & angustias quibus à vicinis gentibus vexati sunt Hebræi, Gabrielem alludere. Siquidem illis vim inferre, & opus disturbare molientibus, vt vim vi repellerent, *media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum,* &c. *vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Sed nos in explanatione prima, quæ mihi semper magis arrisit, si modò vobis non displicet, hæreamus. Id breui fiet, ô Daniel, quod tantopere desideras, neque tua, neque populi peccata, quod vereris, efficient quo minus annis septuaginta prætterlapsis, secundum Ieremiæ vaticinium, soluatur vestra captiuitas, & paruo pòst tempore Ierusalem instauretur. Addo & aliud maioris momenti, cui proinde diligentet animum oportet adhibere.

2. Esdræ 4. 15. 17.

XIX. *Ab exitu sermonis vt iterum ædificetur.*

116. מן מצא דבר Rabbini plerique recentiores quibuscum olim sentiebam, vt vim prophetiæ huius eneruent, negant hac dictione מן significari terminum à quo hebdomadum septuaginta caput accersitur, & interpretantur *de*, hac videlicet sententia: scito & animaduerte quæ dicentur de exitu sermonis, vt exitus ille sermonis non sit principium à quo septuaginta computantur hebdomades, sed nudum cognitionis obiectum. Verum vt ingenuè fatear, hactenus ita sensi quadam potius peruicacia quàm studio veritatis. Cum enim ea dictiuncula sæpe materiam significet ex qua fit aliquid, sæpe caussam efficientem, à qua producitur effectus, sæpe partem è toto subductam, sæpe principium & terminum siue loci, siue temporis à quo longitudo vel diuturnitas computatur, nullum tamen adhuc illius significationis, quam recentiores affingunt potui reperire vestigium. Et vt eam, quam isti volunt, huic particulæ quibusdam in locis vim esse faciamus, in prophetia tamē Gabrielis alia significatio quærenda est. Quid enim eo fuisset infantius, si hebdomadas annorum vsque ad Christum ducem voluendas definitè circumscriptéque numerare volens, ne verbo quidem insinuaret tempus à quo numerus ille tanquam à capite duceretur? Maneat igitur illud, quod non Christiani solum, sed etiam veteres Rabbini constanter tenuerunt, hac vocula principium siue terminum figi à quo sint hebdomades illæ septuaginta numerandæ.

117. Quæ huic dictioni connexa sunt מצא דבר distrahuntur in aliquot interpretationum diuortia. Quidam enim per *exitum verbi*, productionem perfectionémque negotii quod verbo denotatur, exponunt. Verbum enim non modo sermonem ore prolatum, sed etiam rem siue negotium plerumque designat. Ex horum igitur mente, exitus sermonis vt iterum ędificetur Ierusalem, est Hebraica circumlocutio, qua perfecta & ad exitum perducta ciuitatis instauratio denotatur. Quidam exitū sermonis interpretantur egressionem siue profectionē & emanationem sermonis, qui tum exire dicitur, cum, vt loquitur Homerus, extra septum dentiū erumpit. Quorum expositio rursum discedit in tria fastigia. Nam is sermo vel est aliqua prophetia, qua prædicitur instauratio ciuitatis: vel locutio Gabrielis ad Danielem: vel aliquod Regum Persidis edictum, quo tum vrbs ipsa, tum murus vrbis rursus ædificari permissus est.

118. Qui prophetiam intelligunt, cum multæ de integranda ciuitate reuelationes præcesserint; è quibus dari potest hebdomadarum initium, necesse est eos admodum dubios fluctuare. Qui regium edictū, cum Persarum Reges de restituendis Iudæis quater edixerint, Cyrus anno primo, Darius anno secundo, Artaxerxes anno septimo, & iterum vicesimo, certi nihil habent, vbi sine prolapsione, vel saltem prolapsionis periculo figant vestigium. Tertullianus translatione quadam persuasus (ea, opinor quæ Italicæ nomine viritim apud Latinos vsu publico terebatur) ita Gabrielis verba concepit: *Et intellige & conyce à perfectione sermonis respondere me tibi hæc.* Vnde hebdomadas ab anno primo Darij censuit computandas. Non est meum inter viros doctissimos tanquam arbitrum honorarium sedere: illud tamen dicere mihi posse videor, ab exitu sermonis, quisquis ille est, hebdomadas esse septuaginta numerandas. Nisi enim terminus aliquis ab ipso Gabriele præfixus est, eum quisq; pro libidine sua submouebit, vt, verbi caussa, cùm decies centum annorum myriades effluxerint, tum demum annos quadringentos & nonaginta superesse dicat, vsque ad Christum ducem, quo non video quid fingi possit absurdius.

XX. *Vsque ad Christum ducem.*

119. Videlicet Christum נגיד *naghid*, id est secundum LXX. Seniores, τὸ ἡγούμενον, *Ducem*, aut vt alij exponunt *Prin-*

cipem, principalem, annuntiatum, coram factum, eximium, magnum, nuntiantem, Hæc enim Hebraïca dictio *Naghid*, vt ait Rabbi Dauid Kimhi in libro radicum, à נגד *Neghid*, quod propriè *coram* significat, deriuatur. Adfert inter cætera illud Prou. 8. v. 6. Audite me, quia נגידים אדבר *Neghidim edabber*. quod *principalia* exponit. LXX. σεμνὰ γὰρ ἐρῶ. *splendida enim, loquar, augusta, veneranda, maiestatis & venerationis plena*, Theodotion ἡγεμονικὰ *principalia*, alii *præcipua, eximia, nobilia, præstantia, digna* transtulerunt. quæ omnia Latinus interpres eleganter vno verbo complexus est: *Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum.*

120. Ad hæc Eustorgius. Quid igitur, inquit, Barachia? ad hunc Messiam τὸν πάνυ, τὸν σεμνὸν, Augustum, eximium, cæterorum Christorum principem atque antistitem, ais hebdomadas septem, & iterum sexaginta duas .i. omnino sexaginta nouem à Gabriele numerari? Equidem, inquit ille, diffiteri non possum. Aut igitur, subiecit Eustorgius, mentitus est Gabriel, aut hebdomadibus illis vndeseptuaginta, iampridem elapsis, venit Christus, quod vnum positum erat in quæstione. Imò, inquit, Eustorgi, vide quid sapientes nostri, cùm hoc & aliis scripturæ testimoniis vrgeri se vident, dum audiunt non ablatum iri *sceptrum de Iuda, donec ve-*
Gen. 49 10. *niat qui mittendus est*, dum legunt apud
ca. 2. v. 8. 9. 10. Aggæum magnam fore gloriam domus nouissimæ plusquam primæ, quia stante templo secundo venturus erat desideratus cunctis gentibus, & Deus impleturus domum istam gloria: vide, inquam, quid ad ista respondeant. Deus, inquiunt, suas illas promissiones certis conditionibus adstrinxerat, vt videlicet Iudæi se à peccatis abstinerent. Itaque vt legitur in Talmud, tractatu Sancdrin, cap. Helec. pagina 124. fatentur. ex
Apud Genebrard. in fine Chronici. pronuntiatis Magistri expletos omnes esse terminos, aduentui Messiæ constitutos, sed cùm propter iniquitates nostras, quæ multiplicatæ sunt, annis illis iampridem elapsis nondum aduenerit, rem pendere dicunt, ex pœnitentia, & bonis operibus.

121. Alii natum esse concedunt, & quidem eodem die quò sanctuarium incendio deflagrauit, negant tamen eum adhuc apparuisse mortalibus, sed asserunt eum in Eden siue Paradisum voluptatis esse translatum, quem R. Iosue filius Leui Heliæ
Geneb. ib. Galatinus lib 4 c. 12. monitu in porta Romæ (id est, vt interpretatur Rabbi Iacob, in porta Paradisi quæ Romam respicit) inter pauperes doloribus affectos siue lepra conspersos sedentem inuenerit, vbi cunctis ligantibus simul plagas suas, ille vicissim vnam soluebat, & ligabat.

122. Tum Eustorgius: Atqui Barachia, si diligenter attendere volumus, responsionis vtriusque futilitas, vel ipsa Gabrielis voce, vel sua ipsius manitate vanescet. Nam si quo tempore inungendus erat Sanctorum, consummanda præuaricatio, & ad summum improbitatis fastigium adducenda prædicitur, consummata Iudæorum præuaricatio non offecit quo minùs suo tempore Messias adueniret. Sin autem vngendus hebdomade septuagesima prænuntiatur, vt auferatur peccatum & deleatur iniquitas, quo maior vis morbi fuit, eo citiùs ad ægrotum medicus debuit accurrere. Et sanè ex quadam obseruatione R. Iuda, qua ætate venerit filius Dauidis, conuentus Theologici erunt lupanaria, &c. Sapientia Scribarum putrescet: qui timent Deum offendere, erunt Genebrardus ibid.
abominatio, facies illius ætatis velut facies canum: veritas deseretur, & vt R. Nehorai docuit, pueri pallore suffundent facies senum: senes stabunt sedentibus pueris, filia insurget in matrem, nurus in socrum: facies illius ætatis facies canis: filius non erubescet in patris sui conspectu, imò si RR. Nehemiam & Isaacum audimus, omne imperium peruertetur hæresi, nec disciplina locum habebit.

Non igitur siue prophetiæ verba spectes, siue Rabbinorum veterũ interpretationem, Gabriel diuinam de Messia venturam promissionem eâ conditione deuinxerat, vt Iudæi mentem à perfidia, corpus à flagitiis, frontem ab impudentia, manum à facinoribus, linguam à periuriis abstinerent.

123. Nec minùs prouidit Spiritus Sanctus, ne qui iam venisse quidem aiunt, sed nondum corã hominibus, apparuisse Messiam, fucum possent facere veritati; dum vsque ad Christum non iam quidem natum, sed adhuc delitescentem & occultũ, verùm vsque ad Christum נגד *coram factum, ostensum* siue *demonstratum*, quod à Ioanne factum accepimus, luce, palam, in oculis totius populi diuinitatis arcana nuntiantem, patefactúmque miraculis, ad hunc, inquam, Christum, hebdomades septem, & rursum duas ac sexaginta numerauit. Quid quòd post illas hebdomadas Christus occidendus esse prænuntiatur? an occidi potuit, si se, vt isti volunt, in hortum Eden ab hominum conspectu subduxerat?

124. Hic Barachias tanquam à graui somno vel potiùs lethargo excitatus, vbi cogitabundus aliquantisper oculis in terram de-

fixis hæsitauit, mox ad serenitatem explicata fronte, hilarioribus oculis, voce triumphante: Vicistis, inquit, Eustorgi & Eudoxe, vicistis, vel potius vicit vestet ex animo Barachias. Siquidem in hoc genere vinci vincere est, & veritati cognitæ dare manû, aliud est nihil quàm præclaram de mendacio referre victoriam. Gratias tibi, Pater æterne, qui me quantumuis contumacem & inuitum ad filium tuum traxisti. Gratias tibi Christe, qui me velut ouem perditam, in locis desertis & inaquosis inter rugientium fremitus belluarum errantem quæsisti, quæsitam inuenisti, inuentam & tuis impositam ceruicibus bonus pastor in ouile retulisti. Gratias tibi Spiritus sancte, qui offusam animo caliginem oborto veritatis tuæ radio dissipasti. Gratias tibi, Trinitas æterna, quæ velamen quod vsque in hodiernum diem in lectione veteris testamenti positum erat super caput meum, abstulisti.

125. O qui complexus! quæ gaudia! quantæ vtrimque gratulationes! quantis & ille, & vterque nostrûm lætitiis incessimus! Narro tibi, Iosephe.

Plautus Captiuis sc. Iupiter supreme. *Ita hic me amœnitate amœna amœnus amœnauit dies.*

Vt facilius animo cogitari possit, quàm verbis explicari. IOSEPHVS. Equidem, Eudoxe, & ipse velim in societatem vestræ gratulationis accedere: mihíque iam prægestit animus videre leonem bouis instar vescentem paleis, & lupum cum agnis accubantem. Sed ex te scire peruelim ecquid cætera propheriæ verba fuerint à vobis explanata. EVDOXVS. Non vltrà progressi sumus, ô Iosephe: nam & dictis contentus fuit Barachias, & Eustorgius plus ingerendum non putauit, quàm ille concoquere facilè posset, ne, si secus fecisset, sicut modò genitum infantem, non tam lacte nutriret: quàm austerioris cibi cruditate distenderet. Quare, cùm iam me vox & latera deficiant, tuæ sunt partes, mi Iosephe, dum aliquantisper respiro, reliquam prophetiam non sanè mediocri tum rerum, tum verborum obscuritate velatam, è suis integumentis explicare. IOSEPHVS. Ego verò id faciam & libens, Eudoxe, non quidem vt te doceam, sus videlicet Mineruam, vt aiunt, sed vt meipsum experiar, coram magistro, qui mihi labyrinthum hunc ingredienti, velut alter

Dædalus ipse dolos tecti ambagésque resoluat.

Igitur vsque ad Christum ducem,

XXI. *Hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ*

126. Computantur, quibus si hebdomadem vnam adieceris, de qua inferiùs: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadæ deficiet hostia & sacrificium*, Hebdomades v. 27. omnino septuaginta colligentur. Vbi venit illud in quæstionem cur totum hunc numerum in partes tres tam inæquales propheta distinxerit. Sunt in hac locutione qui nihil aliud agnoscant, præter Hebraicum idioma. Sunt qui velint his ambagibus obscuritatem à Gabriele de industria quæsitam, vt Ezechielis 45. v. 12. *Siclus, autem viginti obolos habet, porro viginti sicli & viginti quinque sicli & quindecim sicli mnam faciunt.* Quem in locum Hieronymus. *Idcirco difficultas in numeris ponitur, vt intentum animum faciat auditoris; vnde & multa dicuntur in parabolis & ænigmatibus, vt qui habet aures audiendi, audiat, omnisque prophetia in obscuritate continet veritatem, vt discipuli intrinsecus audiant, vulgus ignobile & foris positum nesciat quid dicatur.* Hæc ille, quod tamen in has potiùs, quàm in alias partes hebdomadarum summam descripserit, credendum est, aliquod huic partitioni subesse mysterium, & certos quosdam assignari temporis articulos quibus singulis contigerit aliquid, quod vel Messiam figuris adumbraret, vel ipsam veritatem & Christi præsentiam exhiberet.

127. Et verò cur hebdomadem septuagesimam à cæteris excerpserit, dubitari non potest. Huius initio vnctus est Sanctus Sanctorum, & Christus ille Christorum omnium antistes coram factus & Ioannis digito monstratus apparuit: medio defecit hostia & sacrificium legis antiquæ, cùm Christus sacerdos in æternum corporis & & sanguinis sui sacrificium, & holocaustum in ara crucis obtulisset. Tota vero hebdomada pactum & legis Euangelicæ fœdus confirmauit, non paucis Hebræorum Euangelio credentibus: Sub cuius finem ostium gentibus in Ecclesiam patefactum. Restat igitur vt quæramus ecquid post hebdomadas septem, id est annos nouem & quadraginta contigerit quod ad Messiæ aduentum aliquo modo pertineret.

128. Hebræi qui ab anno Ioacimi quarto Babylonicæ seruitutis caput accersunt, hebdomadas autem ab excidio templi computandas esse defendunt, aiunt post hebdomadem septimam Iudæos à Cyro

fuisse postliminiò restitutos. Sed præterquam quod apertè cum prophetia pugnant; quæ non ab exeidio templi & Ierusalem, sed ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, hebdomadarum ducit initium, & sine caussa; sine tecta traditione maiorum, leuibus inducti ratiunculis, Olympiadas, ætam Nabonassari, obseruationes astronomicas, omnes denique conturbant Chronologiæ rationes, ne sic quidem quod volunt, assequantur, non enim ipsorum etiam calculis ab anno vndecimo Sedeciæ ad Cyri primum, anni quadraginta nouem siue septem hebdomadæ, sed anni duo & quinquaginta numerantur.

129. Eruditus Pererius qui ab anno Longimani vicesimo refectisque per Nehemiam Ierosolymæ mutis hebdomadas auspicatur, in hebdomadis septimæ finem, annum Artaxerxis Memoris duodecimum putat incidisse, quo anno ex eius opinione Iudæi per Estherem sunt ab interitu liberati, & oppressus Aman eo ipso tempore quò Iudaicum nomen penitus abolere decreuerat. sed neque constat sub quo Persarum Rege floruerit Esther, &, vt Restitutum nostrum, validis rationibus demonstrare memini, longè probabilius est eam Cambysis tempore floruisse. Et si Ctesiam Memoris medicum & familiarem audimus, cuius hac in re maior quàm Eusebij vel recentiorum Chronologorum censeri debet authoritas, Artaxerxes Longimanus diem obiit extremũ μ' καὶ β' ἔτεα βασιλεύσας, *cũ regnasset annos duos & quadraginta*, & vt Xerxem & Secundianũ omittam qui 8. menses nuncuparunt, ante Memorẽ Darius Ochus naturæ concessit ἔτη βασιλεύσας λέ, *cùm triginta quinque regnasset annos*. E quibus cõstat inter annum Artaxerxis Longimani vicesimum, & Artaxerxis Memoris 12. non tantum septem annorum hebdomadas, sed penè decem intercipi. Ac proinde nobis alia partitionis illius ratio quærenda est.

130. Qua tempestate venit Nehemias in Iudæam rursum ædificaturus plateam & muros ciuitatis in angustia temporum, à cuius instaurationis exitu videntur hebdomades numerandæ, Eliasib summum Sacerdotium obtinebat, Esdræ 2. cap. 3. Is nepotem habuit quem Iosephus Ioannem; Nehemias, Ionathan appellat Esdræ 2. cap. 12. v. 10. *Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada, & Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa.* is est Iaddus, cuius extremis temporibus Alexander Ierosolymam accessit, Dei nomen aureæ laminæ, quam summus Sacerdos in fronte gestabat, inscriptum adorauit, in templum adscendens hostias immolauit, magnisque beneficiis Iudæos affecit: sed ad Ionathan redeamus. Huic frater fuit nomine *Iesus*, qui cùm alienigenarum amicitia fretus summum Sacerdotium ad se transferre moliretur, orta inter fratres altercatione, in ipso templo Ionathani manu, per summum parricidium dicam? an sacrilegium? occisus est. Quæ quidem impietas, inquit Iosephus lib. Antiquit. 11. cap. 7. fuit longè maxima, præsertim in homine Sacerdote, & quod grauius est, nullum tale impietatis exemplum extat vel apud Græcos, vel apud Barbaros. Quod vbi resciuit Bagoses Persici exercitus Imperator, vel potius Satrapa Syriæ, superueniens Iudæis iratus clamitabat: Ausi estis scelesti in templo vestro cædem perpetrare? & cùm conatus templum ingredi arceretur: Quid, inquit, an me putatis impuriorem quàm cadauer, quod iacet in templo? & his dictis ingressus est. Neque verò ingressu suo templum polluisse contentus fuit, sed καὶ φόρους ἐπέταξε τοῖς Ἰουδαίοις πρὶν τὰς καθημερινὰς ἐπιφέρειν θυσίας ὑπὲρ ἀρνῶν ἑκάστου τελεῖν αὐτοὺς δημόσια δραχμὰς πεντήκοντα. etiam tributa Iudæis imposuit, *vt priusquam quotidianas hostias* (hoc est iuge Exodi 29. v. 19.
sacrificium) *in singulos agnos ex publico quinquaginta drachmas penderent. Agnos autem anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum mane, & alterum vespere offerebant.* vnde sequitur in annos singulos talenta sex cum drachmis quingentis mulctæ nomine fuisse persoluta, quod tributum ait ibidem Iosephus in vnam annorum hebdomadem fuisse propagatum.

131. Vides, opinor, Eudoxe, Christi nostri figuram, non primis lineamentis adumbratam, sed expressam viuam, spirantémque veritatis effigiem. Iesus vterque nominatur, vterque gentibus amicitia coniungitur, altercatur vterque de transferendo sacerdotio, alter cum fratre natu maiori, alter cum veteri Synagoga. vterque à fratribus occidetur. Ob alterius cædem templum polluitur, ob necem alterius ciuitas & sanctuarium dissipatur. ob alterius cædem offerendi iugis sacrificij potestas pretio redimitur, ob necem alterius iuge sacrificium legis antiquæ penitus aboletur: illius interitu gentiles ingrediuntur in templum: huius obitu conuocatur in Ecclesiam gentium plenitudo. Atque prius illud parricidium in hebdomadis septimæ finem aut certè non multo secus incidisse vel inde colligitur, quòd eorum auus Eliasib cum Nehemia florebat, & muri partem instaurandam ipse suscepit. Esdræ 2. c. 15.

132. Eudox. At, at, Ioſephe, caue ſis ne te ipſum in eoſdē laqueos induas, quibus Pererium implicare voluiſti. Ios. Quo pacto? Evd. Ait Ioſephus Bagoſem qui templum polluit & in ſingulos agnos quinquaginta dragmas exegit, ducem fuiſſe copiarum Artaxerxis: nullus autem ſecundum rationes Cteſianas anno quinquageſimo poſt Longimani viceſimum regnabat Artaxerxes. Sed Darius Ochus, quem alii Darium Nothum appellant, rerum ſummam obtinebat. Ios. fateor id quidem, Eudoxe. Sed ita loqui potuit Ioſephus non quòd ea ſub Artaxerxe geſta cenſuerit, ſed quòd Bagoſes eam ſub Artaxerxe Longimano præfecturam gerere occœperit, vel quòd imperium illud ſuum ad Artaxerxis Memoris initia propagarit. Deinde, quoniam Memor duobus Ochis ſtipatus fuit, & Dario quidem Ocho ſucceſſit, Artaxerxem Ochum anteceſſit, facilè potuit Ioſephus alterum cum altero confundere. Neque verò cogimur, ſi narrationis ſubſtantiam à Ioſepho proferimus, omnes etiam facti circumſtantias, prout ab eo referuntur, fixas & ratas habere. Et aliud eſt propter authoritatem Cteſiæ res, quas in oculis & pene in manibus habebat, narrantis, tua ipſius ſcita reſcindere, quod facere cogitur Pererius: aliud, quod nos facimus, propter eiuſdem Cteſiæ teſtimonium, quibuſdam in adiectis à Ioſepho diſcedere.

XXII. *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas.*

133. Poſt annos quadringentos triginta quatuor à fine ſeptem ſuperiorum hebdomadum euolutos, inibit hebdomas annorum ſeptuageſima, cuius in medio Occidetvr Heb. יכרת *exſcindetur*, ἐκκοπήσεται, vt vertit Symmachus, aut ἐξολοθρευθήσεται *exitio dabitur*, vt lxx. tranſtulerunt. Christvs. Hîc egregiè nugantur Iudæi, dum Agrippam Iuniorem intelligunt, eúmque contra Ioſephi, qui geſtis interfuit, *Et quorum pars magna fuit*, authoritatem aiunt Romanorum armis in templi & ciuitatis excidio periiſſe. Nec multo feliciùs Euſebius lib. 8. demonſtrationis Euangelicæ, qui cùm ab anno Darii ſecũdo ſtatuiſſet hebdomadas illas ſeptuaginta deducere, nec aliter expedire poſſet Chronologiæ ſuæ rationes, interpretatus eſt Hyrcanum quem Ioſephus Herodis iuſſu poſt pugnam Actiacam occiſum eſſe commemorat. Non, inquam, multo feliciùs, cùm nec probabile ſit Gabrielem vocis ambiguitate ludere, & ex vno Chriſto ad alium tranſilire; & ſecum ipſe pugnet Euſebius, cùm Sancti Sanctorum appellationem ſoli Chriſto principi & eximio conuenire dicat, ad cuius vnctionem hebdomades ſeptuaginta numerantur.

134. Sequitur ואין לו *& non ei*. Pro quibus, vt ea nunc prætermittam, quæ ab Euſtorgio noſtro dicta retuliſti lxx. reddiderunt: καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. *& iudicium non erit in eo.* Adeo enim iudicium non fuit illud quo ſupplicio crucis addictus eſt, vt eum Iudex eo ipſo tempore declarauerit innocentem: *innocens*, inquit, *ego ſum à ſanguine iuſti huius*. Poſſis etiam ſalua Latinæ tranſlationis maieſtate ita ſupplere. Matth. 27 24. *Occidetur Chriſtus, & non* occidetur *ei* populo. Quamuis enim, ſi ſpectetur Dei voluntas antecedens atque abſoluta, Chriſtus omnibus mortuus eſt, iis tamen ſolis quoad fructum mortuus eſt, ad quos vtilitas ex eius morte redundauit.

XXIII. *Et ciuitatem & ſanctuarium diſsipabit populus cum duce venturo.*

135. Omnes tum Chriſtiani, tum Iudæi populum Romanum cùm Tito Romanorum Duce intelligunt, quorum manibus ciuitas & templum incendio conflagrauit. Quia tamen rurſus eandem vocem נגיד vſurpat, qua ſuperiùs verum Meſſiam à cæteris diſtinxerat: neque ſuperuacaneum videri debet quod attexitur הבא venturo ſic interpretari poſſimus, vt populus Iudaicus, eo ipſo ſcelere, quo verum Meſſiam (quem & Iacob שלה *mittendum* appellat, & omnes Prophetæ venturum Luc. 7. 19. eſſe promittunt, de quo Ioannes, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*) interfecit ciuitatem & ſanctuarium diſsipatit, cauſſamque bello præbuerit. Apertè Baſilius Seleucienſis orat. 38. τὸν ἡγούμενον δὲ τὸν ἐρχόμενον τὸν Σωτῆρα λέγει. *Ducem verò venturum Saluatorem appellat.*

136. Et finis eivs vastitas. Habet in textu principe: וקצו בשטף *& finis eius in inundatione*: lxx. ſeniores mutatis punctis legerunt קץ ו & ita tranſtulerunt: ἐκκοπήσονται ἐν κατακλυσμῷ. *concidentur in cataclyſmo.* Noſter interpres non tam verba quàm mentem & ſententiam Prophetæ ponderans pro inundatione vaſtitatem interpretatus eſt, quod ea clades diluuij cuiuſdam inſtar totam Iudæorum gentem inundarit, & omnium malorum fluctibus oppreſſerit: Confirmauit autem pactum legis Euangelicæ cum multis hebdomada

mada vna, videlicet septuagesima, cuius initio Christus euangelium prædicauit, medio factus est ipse sacrificium, & tanquam agnus ductus ad victimam sic aboleuit legis antiquæ sacrificia, vt quanquam mortifera nondum erant, sed ad certum tempus permissa, iam tamen mortua censerentur, neque sacrificantibus prodessent ad salutem: reliquis autem annis hebdomadæ Apostoli Iudæorum multos ad Ecclesiam aggregarunt, donec hebdomade septuagesima iam euoluta gentibus quoque ipsis ouilis Christi septa patuerunt.

XXIV. *Et erit in templo abominatio desolationis.*

137. HÆc è LXX. Seniorum magis riuulo quàm ex Hebraico fonte deducta cuipiam videri possint. legitur enim ועל כנף שקוצים משמם quod Hebraizantes vulgo sic interpretantur, & super alam abominationum obstupescere, id est, interprete Kimhi, tanta ciuitatis & sanctuarij vastitas erit longè latéque super gentem vniuersam propagata, vt super extensionem cladis illius abominandæ, quiuis miretur, & obstupescat. Vatablus ita maluit transferre, *erítque vastator super abominationum ala.* vel, *& propter alas abominationum destruetur.* & interpretationē suam in hæc verba cōceptam attexuit. Hoc est, inquit, propter Iudæorum magnas abominationes, quas erant admissuri crucifigendo Christum. alā siue extensionem abominationum vocat longam seriem abominationum, siue multiplices abominationes. Hæc illi.

138. Sed absit, vt vel minimum de receptà translatione, vel LXX. Seniorum authoritate libemus. Nam & elegantissimi quique scriptores non solum templorum alas, sed etiā, quod audacius videri potest, aquilas agnoscunt. Dionysius Halicarnasseus templum Capitolij describēs lib. 4. *In ipso*, inquit, *tres sunt ædes sibi mutuò respondentes, communia habentes latera, media verò Iouis est, hinc inde Iunonis & Mineruæ*, ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. *quæ eadem aquila & eodem tecto conteguntur.* vbi per aquilam tectum ipsum instar alarum aquilæ tegulis coopertum, & velut opere plumario contextum intelligo. quod Matthæus Syriacè, qua lingua probabile est euangelium editum ab eo fuisse, quod ita notis Hebraicis vulgo notioribus exarari potest כנפא. Græcus interpres πτερύγιον, Latinus pinnaculum appellat. Certè Aristophanes in Auibus,

Εἶτα πρὸς τούτοισιν ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε,
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς αἰετόν,
Deinde ad hæc vt in templis habitabitis,
Vestras enim domos contegemus instar aquilarum.

Ad quem locum appositè Scholiastes, Διὰ τὰ ἐν τοῖς ναοῖς ἀετώματα. *alludit ad templorum tecta aquilina.* τὰς γὰρ τῶν ἱερῶν στέγας πτέρυγας καὶ ἀετοὺς καλοῦσιν, ὥς φησιν Ἴων ἐν Ἀγαμέμνονι. *templorum enim tecta alas & aquilas appellant, vt auctor est Ion in Agamemnone.* Quid si Pindarus Olymp. 13. ad id alluserit? θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆα δίδυμον ἔθηκεν. *Deorum templis auium regem geminum apposuit.* atque hæc præter meam consuetudinem dicta sunto, vt tam Græci quàm Latinus interpres à quorumdam Hebraizantium calumnia vindicentur.

139. *Et super templum*, inquit, *abominationes desolans.* est enim Hebraismus, quo numerus vnitatis numero multitudinis copulatur. id est, *& erit in templo abominatio desolationis* futuræ prænuntia. Ait Mercerus in thesauro id à Gabriele prænuntiari quod Machabæorum libro priore narratur. *Ædificauit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei.* Nugæ. Cap. 1. v. 58 Matth. 24. 15.
Necdum enim cùm Christus euangelium prædicaret, ea prophetia suum sortita fuerat euentum: *Cùm videritis*, inquit, *abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sacro, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Quem in locum Hieronymus, *Potest autem*, inquit, *simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo: aut de Hadriani equestri statua, quæ in ipso Sancti Sanctorum loco vsque in præsentem diem stetit. Abominatio quoque secundum veterem scripturam idolum nuncupatur, & idcirco additur desolationis, quod in desolato templo atque destructo idolum positum sit.* Alias expositiones Maldonatus è varia scriptorum lectione corradit, in Matth.
nec tamen in iis acquiescit: quem adire poterit qui quæstionem hanc diligentiùs enucleare desiderat. ipse nihil aliud significari putat quàm abominandam desolationem, & impendentem cùm ciuitati, tum ipsi templo vastitatem. Quia tamen (vt ipsius Maldonati verbis vtar, quibus & ipse multarum opinionum fundamenta conuellit) *loquitur Christus de abominatione quæ futuri excidij signum futura erat*, hanc abominationem ab excidio, vt signum à re, distinguere, & nos etiam aliquid excogitare facilè patietur.

140. *Ante cladem Expassæ repente delubri fores, & audita maior humana vox, excedere Deos:* inquit Cornelius Tacitus lib.

hiſtoriarum extremo. Sed Ioſephum planius iſta narrantem audire quis prohibet? *Orientalis*, inquit, *porta interioris templi, cùm eſſet ænea atque grauiſsima, & ſub veſperam vix à viginti viris clauderetur, ſeríſque ferro vinctis obſeraretur, peſſulóſque altos haberet in ſaxeum limen demiſſos vno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis horâ ſextâ repente ſponte pateſcere*, &c. aliquanto pòſt *à prudentiſſimo quoq; ſolitudinem illo oſtento ſignari* δηλωτικὸν ἐρημίας τὸ σημεῖον pronuntiatum fuiſſe: Addit, *ante ſolis occaſum viſi ſunt per inane ferri currus totis regionibus & armatæ acies tranantes nubila & ciuitati circumfuſæ. Feſto autem die, quam Pentecoſten vocant, noctu Sacerdotes intimum templum more ſuo ad diuinas res celebrandas ingreſſi primum quidem motum, quemdámque ſtrepitum ſenſerunt. poſtea verò ſubitam vocem audiere, quæ diceret: Migremus hinc.*

Abominatio deſolationis.

141. Quis hîc non videt Angelos templi cuſtodes locum abominatos & execratos emigraſſe, & abitu ſuo deſolaſſe, atque abominationem hanc futuræ vaſtationis & excidij fuiſſe prænuntiam? Quam idcirco Chriſtus ſtantem in loco ſancto ſiue perſeuerantem appellat, quia vſque ad conſummationem & finem templi perſeuerauit illa deſolatio, ſiue loci ſancti derelictio. Aut vt loquuntur Lxx. Seniores, καὶ ἕως τῆς συντελείας καιροῦ συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ ἐρήμωσιν. *& vſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem.* id eſt, opinor, præter illam deſtitutionem angelorum, ſiue abominationem deſolationis, etiam templo & vrbi vaſtitas inferetur, quæ vaſtitas perſeuerabit vſque ad conſummationem mundi finemque ſeculorum. Quæ ſane eſt ſententia textus principis, ſi tamen vnicum punctum mutaueris. ועד כלא ונחרצה התו על שומם *& adhuc conſummatio & quidem deciſa*, certoque Dei conſilio decreta *diffundet ſe ſuper deſolantem*. id eſt præter angelos templum deſerentes, inſuper conſummatio, & decretoria clades omnimodúmque excidium inferetur, quia tamen legitur ועד כלא non ועוד ita poſſis vnam ſupplere dictionem cum Mariana: *& vſque ad conſummationem, & quidem deciſam* effundetur *ſuper* templum *deſolans*. vel cum Vatablo: & *defluet ſuper vaſtitatem vſque ad deſinentem & conſummatum mundum.* aut etiam: *donec conſumptio*, & quidem *certa deſcendat ſuper attonitum vel ſtupentem populum præter deſolationem vrbis & templi.*

Sed nos immenſum ſpatiis confecimus æquor.





SACRARVM QVÆSTIONVM LIBER DECIMVS-QVINTVS.

DE PRINCIPIO ET FINE LXX. HEBDOMADVM DANIELIS.

BARACHIAS, IOSEPHVS, EVDOXVS, EVSTORGIVS.

I. *PRÆFATIO.*

1. OSEPHVS, Tibíne, an mihi, an potiùs vtrique gratuler, ô Barachia, aut etiam multo magis Deo quòd obortam tibi diuinitus Euãgelii lucem adspexeris? BARAC. Commodùm hunc aduenisti, Iosephe. Te ipsum optabam. Ad te primo quoque tempore proficisci statueram, vt te gratulationis in partes vocarem; & quoniam me referendis gratiis, imparem agnosco, mihi te vicarium substituerem, orarémque impensiùs vt apud Deũ primò, deinde apud Eustorgium nostrum ea legatione fungerere. Quia tamen Eustorgius & Eudoxus in hanc ipsam horam mihi condixerunt, tantisper ea profectione supersedendum putaui. Ios. Ain' tu Eudoxum & Eustorgium tibi condixisse? BAR. Aio enimuero. Ios In hodiernum diem? BAR. Et quidem, vt dixi, in hanc horam. Ios. Quorsum? amabo. BAR. Acturi sumus de principio & fine LXX. hebdomadum Danielis. Ios. Possum ego vestris sermonibus interesse? BAR. Quasi verò quicquam nobis accidere possit optatius.

2. Ios. Vis, igitur, vt, quoniam Eudoxus enucleatè mihi narrauit, quæ fuerint inter vos de aduentu Messiæ variis altercationibus iactata, dum eos præstolamur, summa capita vestræ disputationis oratione delibem, & compendio subducam vtriusque rationes. Tu si quid alicuius momenti prætermisero, in memoriam reuocabis. BAR. Quod tuo commodo fiat, mi Iosephe. Ios. Quærebatis inter vos, venisset nécne Messias ille qui toties à Prophetis venturus esse prædicitur. BAR. Hoc vnum sanè venerat in quæstionem. Ios. Breuita-

tis caussa certos cancellos orationi vestræ circumdederatis, vt vterque arbitratu suo Prophetam eligeret, è cuius vaticiniis argumenta peterentur. Tu Isaiam elegeras; ille Danielem. BAR. Verissimum est. Sed omitte, quæso, futiles illas ineptias, quæ mentis oculos quibusdam veluti præstigiis ita fascinarunt, vt lucem veritatis intueri non possem. Iam enim me non solùm piget, sed etiam pudet Rabbinicæ vanitatis.

II. *Recapitulatio dictorum libro superiore de* LXX. *Hebdomadibus Danielis.*

3. IOSEPHVS. Ante omnia Danielis Prophetiam à calumnia vindicastis, qua Porphyrius quidam genere Iudæus, hæresi Saducæus eam ex albo scripturarum eraserat. Deinde conuenit inter vos loqui Gabrielem non de Iubilæorum, aut etiam seculorum hebdomadibus, quòd in scriptura, quæ solas dierum & annorum hebdomadas agnoscit, nullum extet earum vestigium, & si quisque pro libidine sua nouas effingere posset hebdomadas, nihil certi Prophetia contineret; testat igitur vt vel de dierum vel de annorum hebdomadibus interpretemur. Quamuis autem septuaginta dierum hebdomadas, siue dies quadringentos & nonaginta, qui menses sedecim & paulo plus efficiunt, acutè excogitaris, quas inter istam visionem, & edictum Cyri de restituendis Iudæis fluxisse voluisti, constat tamen cætera quæ subtexuntur, tam angustis spatiis haudquaquam posse contineri. Restat igitur, vt annorum hebdomadas, hoc est, annos omnino quadringentos ac nonaginta numeremus.

4. His ita constitutis, placet liberaliùs etiam agere quàm inter nos conuenerat, & totam Gabrielis orationem breui enarratione percurrere. *Daniel*, inquit, *nunc egressus sum* à Deo, quamuis enim Angeli semper vident faciem patris, qui non solùm est in cœlis, sed etiam immensitate sua totus in vniuerso, totus in quauis vniuersi parte per omnia spatia diffunditur: tamen vt hominibus, qui ferè nihil intelligunt, quod sensibus vsurpare non possint, attemperemus orationem nostram, à Deo dicimur, egressi, cùm è cœlis in terram descendimus. *Nunc* igitur *egressus sum, vt docerem te & intelligeres* prædictionis meæ mysteria, quæ proponam obscuriùs vt qui habet aures audiendi, audiat, & vulgus profanum à sacris arceatur. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo*, vix enim pro reditu populi & instauratione ciuitatis orare occœperas, cùm mihi præcepit Deus orationem tuam sua benignitate præueniens, vt ad te quantociùs aduolarem. *Ego autem veni vt indicarem tibi* non solùm quod verba tua sonant, instaurandam esse primo quoque tempore ciuitatem, sed etiam quod tacitus apud te scire desideras, tempus quo Messias venturus est. *Quia vir desideriorum es*, totámque tuam cupiditatem à rebus caducis ad Messiæ desiderium transtulisti; itáque propter insignem tuam pietatem Deo charus es, vt ei quodammodo desiderabilis esse videare.

Scito ergo & animaduerte sermonẽ quẽ tecũ hodierno die sum habiturus, *& intellige visione*, hâc qua tibi tãquã vir alatus appareo.

5. *Septuaginta hebdomades* annorum, quibus anni quadringenti nonaginta colliguntur, *abbreuiatæ sunt*, id est præcisæ, & ita certo definitóque numero circumscriptæ, vt nec plures futuræ sint, nec pauciores. Hic, inquam hebdomadum numerus è tota futuri temporis serie decisus est: quarum septuagesimâ, hæc euenient populo tuo quæ subnectam. Dixi *populum tuum*, quem incredibili beneuolentia complecteris, non populum Dei, quia, vt paulo post audies, *non erit eius populus qui eum negaturus est*. Iam hebdomade septuagesima labente *consummabitur præuaricatio & finem accipiet peccatum*. & quidem duplici sensu, nam & præuaricatio, qua populus tuus Messiam repudiabit, patrum suorum superstitiones atque idololatriam longè superabit, & perueniet ad summum improbitatis fastigium, peccatúmque in suo genere perfectionem attinget, omnibus malitiæ numeris absolutam: & nihilo seciùs Messias pro peccato satisfaciet ad rigorem iustitiæ, & morte sua gratiam impetrabit, quæ si modò velint homines, omnem præuaricationis & peccati maculam possit abolere: quo pacto *delebitur iniquitas & adducetur iustitia sempiterna*, videlicet interna sanctitas & diuinæ charitatis infusio, cuius actus secundum naturam suam, non vt cæterarum virtutum, præsentis vitæ limitibus coercetur, sed in ipsam æternitatem extenditur; & Messias ipse, quem meritò iustitiam seculorum vocamus, tum quòd hominibus promerebitur sanctitatem, tum quòd iis ad omnem iustitiam exemplo suo prælucebit.

6. Atque ita fiet, vt cùm antiquorum patrum vaticiniis euenta responderint, *impleatur visio & Prophetia*, adeóque ipso rerum successu velut apposito Regis Regum sigillo prædicationum veritas muniatur. *Vngetur* enim hebdomade septuagesima

ineunte, & annis octoginta tribus supra quadringentesimum euolutis, non Iesus filius Iosedech, non Zorobabel aliquis aut Nehemias, non denique Cyrus ipse quantumuis eum Isaias Christum, siue vnctum appellet, qui nec Sancti Sanctorum dici possunt, neque si possent, de iis prophetiam interpretati temporum rat o pateretur, (quod non minùs de templi consecratione debet intelligi.) Sed *vngetur* verus Messias θεάνθρωπος, qui cùm Sanctus sit non ex accidenti, sed ipsa sanctitatis essentia, meritò *Sanctus Sanctorum*, aut etiam *Sanctitas Sanctitatum*, quasi Sanctitatis omnis caput per excellentiam nominatur. Vngetur porro per adspectabilem S. Spiritus illapsum, cùm post baptisma super eum descendet, & de cœlo vox audietur. qua pater æternus eum verum Messiam, legitimámque filij sui missionem esse testabitur.

7. *Scito ergo & animaduerte.* Rursum ędificabitur, vel, vt Hebraica sonant, & redibit, videlicet populus quem Nabuchodonosor in Chaldæam abduxerat, & *ædificabitur platea & murus Ierusalem*, & quidem *in angustia temporum*, quod tribus modis potest intelligi: nam & breui post angustū temporis spatium hæc euenient, & tanta erit operarum industria, vt muri substructionem absoluant diebus omnino duobus & quinquaginta, & dum in opus incumbent, à vicinis gentibus multas patientur angustias. *Ab exitu porro sermonis huius*, vrbis instauratione absoluta & ad exitum perducta, *vsque ad Christum Ducem*, siue eximium, & principem manifestò declaratum à Ioanne, & legis euangelicæ mysteria nuntiantem; ad hunc, inquam, Christum *hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ*, id est nouem & sexaginta colligentur, quas idcirco placuit in partes ita describere, quia post hebdomadem septimam Iesus filius Ioiadæ summi Sacerdotis, non obscura Iesu Christi figura, fretus alienigenarum amicitia de transferendo ad se summo Sacerdotio cogitabit, & in ipso templo, suborta inter ipsum & Ionathan fratrem natu maiorem contentione perimetur, cuius ob cædem nefariam non modo templum polluetur, & gentilibus patebit, sed etiam offerendi iugis sacrificij potestas, si non aufeteretur omnino, saltem pretio redimetur.

8. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, summi Sacerdotis & aliorum Iudæorum inuidia: *& non erit eius populus qui eum negaturus est*, dictuúsq; se præter Cæsarem, Regem alium non habere: occidetur, inquam, sed non occidetur ei populo; quia quamuis salutis omnium caussa mortem sit oppetiturus, plurimi tamen in peccato suo morientur, nec vllam vtilitatem è Christi passione decerpent. Hebdomas tamen illa septuagesima *pactū* legis Euangelicæ *confirmabit multis* ad fidem conuersis, *& in medio hebdomadis deficiet hostia, & iuge sacrificium* legis antiquæ, cùm Christus, vera victima priscis illis sacrificiis adumbrata, fuerit in ara crucis immolatus. Et hæc quidem ante finem hebdomadæ septuagesimæ suum exitum sortientur. Quid deinde? *Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus* Romanus *cum* Tito *Duce*, qui ad vrbis excidium venturus est. Romanus autem? imò Iudaicus eodem scelere, quo interficiet Christum illum Ducem cæterorum Christorum, qui huius figuræ fuerunt, antistitem, qui toties à Prophetis dicitur esse venturus, ciuitatem ac sanctuarium dissipabit, & quasi subiectis vltioni diuinæ facibus belli secututi conflabit incendium.

9. *Et finis eius vastitas*, quæ diluuij cuiusdam instar gentem vniuersam omnibus calamitatum fluctibus inuoluet, & iam diuino consilio decretum vt post finem belli locus vbi templum steterat, desertus in perpetuum relinquatur. & erit super pinnaculum, quo templum, alarum instar, tegulis opere plumario consertis operitur, & vt clariùs loquar, *erit in templo abominatio desolationis*, cùm videlicet angeli locum abominati discedent, & ipso festo Pentecostes noctis intempestæ silentio vox sanctorum Geniorum, qui templi custodes eatenus fuerant, se ad migrationem hortantium, audietur, quod erit omen futuræ desolationis & vastitatis, *quæ perseuerabit vsque ad consummationem & finem*: neque enim vnquam aut resarcientur templi ruinæ, aut Angeli locum repetent, quem abitu suo desertum, & patrocinio suo destitutum esse voluerint, Sed opportunè video nostros Eustorgium & Eudoxum: surgamus & obuiam prodeamus.

III. *Constitutio Quæstionis.*

10. EVSTORGIVS. Hui! Iosephus noster cum Barachia? prope est vt exclamem, non vt ille Comicus,

O fortuna! ô fors fortuna!

sed *O diuina prouidentia quantis commoditatibus,*

Quam subitò nobis ope tua hunc onerauisti diem!

EVDOXVS. Quid fit? quid agitur? ô meo-

rum amicorum flos delibate. Iosephus. Suauiter, vt nunc est, & vt pro Barachia nostro tibi respondeam, cupimus omnia quæ vultis. Bar. Equidem adhuc in animo constituere non possum, vtri vestrûm tanquam salutis meæ secundum Deum parenti maiore beneficio sim obligatus, tibine plus debeam, Eudoxe, qui

Dum veteres auias mihi de pulmone reuellis,

ab errore me reuocasti, an tibi Eustorgi, qui me Christianæ veritatis initia docuisti. Evstoc. De gratiis agendis ne sollicitus esto, Barachia, sed, si Iosepho nostro molestum non est, tibi certè non erit, veniamus ad controuersiam, cuius expendendæ caussa conuenimus. Ioseph. Ain' tu? mihi molestum.

11. Evst. Magna quæstio est, & magnis tum veterum, tum recentiorum altercationibus vltro citróque ventilata vnde incipere, vbi finiri debeant hebdomades LXX. Danielis, adeo vt Hieronymus in Danielem nouem, Ioannes Philippi tredecim opiniones diuersas discrepantésque collegerint. Quia tamen si de singulis dicere vellemus, immensus se dicendi campus aperiret, operæpretium fuerit ea remouere quæ nō sunt propria nostræ quæstionis, vel ita constant apud omnes, vt maiorem probationem non requirant, vel ita perspicuè falsa sunt, vt sua futilitate vanescant. Non quæritur vtrùm hebdomades annorum intelligere debeamus. Iam enim ne Iudæi quidem aliter intelligunt. Non vtrùm iam sint euolutæ. Quamuis enim Hippolytus apud Hieronymum hebdomadas sexaginta nouem Christi natiuitate dispunxerit, septuagesimam autem seiunctam à cæteris ad Antichristi tempora proferendam putarit, iam tamen nemo (ne Iudæus quidem) eas negat infra cladem, vel à Tito, vel ab Adriano Iudæis illatam pertinere. Non quæritur vtrùm Gabriel certum habuerit principium, à quo tanquam à capite sequentium hebdomadarum seriem explicaret. Aut enim habuit, aut apertè nugatus est. Non vtrùm ducendæ sint ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, eo sensu quē Apollinarius obtrusit: nimirum ab exitu sermonis siue Verbi diuini, quo Messias Dei filius è sinu patris exiuit, & Verbum caro factum est, vt cælestem ædificaret Ierusalem quæ multis in Ioannis Apocalypsi describitur. Non enim à Christo duce, sed ad Christum ducem hebdomades septuaginta numerantur.

12. Quid est igitur positum in quæstione? illud videlicet vnum, è quo principio, tanquam à fonte fluere debeant hebdomades illæ septuaginta, quarum extrema & septuagesima vel nece Christi, vt Christiani volunt, vel, vt Iudæi malunt, templi totiúsque gentis clade concluditur. Neque tamen de omnibus Christianorum opinionibus enuclearè dicendum est, sed duas potissimùm vt omnium probabilissimas eligemus, vt videlicet vel ab anno Artaxerxis Longimani vicesimo, quo Nehemias vrbis instaurandæ potestatem accepit, ad initium hebdomadæ septuagesimæ annos lunares 483. vel ab octauo, quo Esdras cum amplissima potestate magnoque ciuium comitatu reuersus est, solares annos totidem numeremus.

13. Quia tamen, vt prudenter obseruat Suares, ad assignandum harum hebdomadarum caput, & finem, imprimis duo seruanda sunt; alterum vt tale initium & finis fundamentum habeant in verbis Angeli, alterum vt Chronologiæ ratio ac temporum habeatur, & in supputando tempore, inter initium Cyri & templi vastationem elapso, Iudæorum rationes ab reliquarum gentium calculis annis centum & nonaginta dissentiunt; imò, vt notat idem Suares, Olympiadum enumeratio, cum scripturæ, cui maior fides, quàm omnibus Olympiadibus adhibenda est, supputatione confligit, antequam præsentem quæstionem partim è scriptura, partim è Chronologia decidimus, quætendum videtur quid in stabilienda Chronologia sequi potissimùm debeamus, per Olympiadas an per Regum annos tempora numerare, Iudæorum an cæterarum gentium inhærere vestigiis, historiæ profanæ an scripturæ duntaxat haberationem. Ne tamen rixandi studio quicquam Iudæis affingere videamur, ex te scire velim, Barachia, de Rabbinorum Chronologia quid censeas. In 3 part. Disput. 1. contra Iudæos, § 2.

IV. *Principium & finis LXX. hebdomadum, iuxta Hebræos.*

14. Barachias. Equidem, Eustorgi, quid modò censeam, non facilè dixerim, nisi me, qui non ita pridem plenis, vt sic loquar, velis aperto mari nauigabam, iam dubium & ancipitem in salo fluitare, nec videre portum quo Chronologiæ meæ rationes appellam. Sed quæris, opinor, non quid modò censeam, sed quid aliquando censuerim, id videlicet quod maiores mei, quod Seder Olam maior & minor, quod Rabbi Iose, cuius vnius authoritate Chronologia Iudaica fulcitur, numerandas hebdomadas illas septuaginta ab excidio tem- Seder Olā, cap. 28.

pli prioris vsque ad posterioris per Romanos excidium, septuaginta scilicet annos quibus excisum & destructum mansit, & quadringentos viginti, quibus exædificatum stetit. Quod per partes ita colligitur eiusdem Rabbini sententia. Persarum imperium stante templo viguit triginta & quatuor annos, Græcorum Monarchia centum & octoginta, Machabæorum regnum centum & tres, Herodianorum tyrannis centum similiter & tres. Quos numeros in vnum si conflaueris, annorum quadringentorum & viginti summa colligetur. Hæc est Hebræorum Chronologia, quam tanto consensu posteritas excepit, nefas vt esse putarem, vel latum, vt aiunt, vnguem ab ea discedere.

Cap.30.

15. Sed, vt verum fatear, non video quod fundamentum habeat in verbis Angeli principium istud, aut finis qui hebdomadibus illis septuaginta præfigitur. Quæro enim quibus vestigiis hanc poruerint subodorari veritatem? Quibus, inquam, verbis Angelus vel obscure saltem insinuet has annorum hebdomadas ab excidio tépli prioris ad posterioris esse numerandas? An quòd ab exitu sermonis vt iterũ ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & rursum hebdomades sexaginta duæ computentur? Si idem est iterum ædificare Ierusalem quod templũ & vrbem exscindere funditúsque delere, planè me temerarium fuisse concedam qui citra necessitatem ausus fuerim à maiorum meorum authoritate discedere. An quod hebdomades septuaginta dicuntur abbreuiatæ, vt vngatur Sanctus Sanctorum, aut etiam, vt interpretari malunt, sanctitas sanctitarum, vt persuadeant Angelum ad Sancti Sãctorum siue Sanctuarii dedicationem alludere? Si idem est vngi Sanctum Sanctorum quod Sanctuarium ferro flammáque deleri, eos ne quidé audiendos putabo qui profanis temporum descriptionibus inducti septuaginta Danielis hebdomadas alio fine quam templi & vrbis excidio terminarunt. Sin autem hæc interpretatio Prophetiam detorquet in sensum non dicam alienum, sed omnino contrarium, æquo animo me aliud initium, vnde hebdomades istæ profluxerint, quærere patientur.

Refutantur Hebræorum ratiocinia.

16. Quia tamen vbi scriptura non repugnat, nihil eorum Chronologiæ derogatum volo, nec video cur cæterarum gentium rationes Hebræorum calculis anteponam, cùm Gabriel verbis conceptis hebdomadas suas Christi nece vel biennio pòst concluserit, quam liquet annis fere quadraginta ante templi posterioris excidium contigisse, si totidem annis earum initium à templi prioris incendio in anteriora submoueas, hebdomadarum caput anno Iosiæ decimo tertio deprehendes. Quo anno exiuit sermo vt iterum ædificaretur Ierusalem, non quòd vllus Propheta tunc instaurationem vrbis vaticinatus fuerit, sed quòd Ieremias Prophetiæ donum sibi diuinitus infusum acceperit, quo non solùm cladem Iudæis & vicinis gentibus imminentem denuntiaret, sed etiam excutiendum Babylonicæ seruitutis iugum, & Ierusalem iterum ædificandam esse prædiceret. Quod hisce verbis videtur adumbratum. *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes.* Quibus verbis ad denuntiandas calamitates Prophetia conceditur. *& ædifices & plantes*, quæ videntur ad vrbis instaurationem & Iudæorum postliminium pertinere. Sed hæc interpretatio sua fortasse subtilitate vanescit, necessaria tamen fuit, ne conturbarem Rabbinicæ Chronologiæ rationes.

Iere.1 10.

V. *Argumenta quibus probant Hebræi Chronologiam suam.*

17. IOSEPHVS. Quid igitur, Barachia? Tantine est istorum Rabbinorum authoritas, vt eius tuendæ caussâ non vereare diuinarum litterarum interpretationes nimia subtilitate limatas obtrudere? BAR. Equidem, Iosephe, si de Græcorum aut Rom. annalibus ageretur, non Hebræos, sed eos ipsos qui res à maioribus suis gestas litteris prodiderunt, audiendos putarem, neque si quæreretur quantum temporis steterit Capitolium, Chronologiam ex Hebræorum, qui rem ne verbulo quidem attigerunt, sed è Titi Liuii, & aliorum scriptorum narratione contexerem, quorum quò quisque esset antiquior, & primæ Capitolii molitioni propinquior, eò maius apud me pondus obtineret, cùm autem hoc loco quæratur aliud nihil, nisi quantum temporis inter templi prioris & posterioris excidium effluxerit, ídque Rabbini veteres annis quadringentis & nonaginta definitè circumscribant, non video cur eorum authoritatem repudiare debeamus, cùm præsertim Rabbi Iose, cuius Hebræi cæteri vestigia sectãtur, & antiquitate præstet, cui proinde fides adhibenda cùm scripturæ deficiunt, & è scripturis Persicæ Monarchiæ Chronologiam magna sagacitate deducat.

18. In Seder Olam tres anni Cyro tribuuntur; non enim plures in Prophetia Danielis, Assuero quatuordecim, cùm enim is fuerit Estheris maritus, & anno regni sui duodecimo Amanum oppresserit, neque, vt ex Estheris historia liquet, continuò post Amanum fuerit extinctus, debuit ad annum regni quartum & decimum peruenire. Assuerum excepit Darius ex Esthere filius, cuius anno secundo inchoata domus Domini, sexto perfecta est, septimo ascendit Esdras cum alia exulum cohorte: vicesimo Nehemias vrbem refecit, murique cicatricem obduxit: secundo & tricesimo reuersus est ad Regem, vt ipse testatur Esdræ 13. vers. 6. Quare cùm Darius fuerit ex Esthere susceptus, quæ septimo Assueri anno introducta est ad Regem, meritò R. Abraham in historica Cabbala, Dariū septennē fuisse dicit, cùm regnare cœpit, & annis triginta duobus imperasse. Neque verò inuenias Reges Persarum in scriptura nisi duos Cyrum & Darium, Medorum verò duos alios Darium & Assuerum, & eam ob rem cùm Esdræ 6. v. 14. dicuntur Seniores Iudæorum ædificasse *iubente Deo Israël, & iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe*, sic interpretari debemus, vt tribus nominibus eandem indigitauerit personam, & quod ait Angelus Danieli c. 11. vers. 2. *Ecce adhuc tres Reges in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes, & cùm inualuerit diuitiis suis, concitabit omnes aduersùm regnum Græciæ*: tres isti Reges sunt Darius Medus, Cyrus & Assuerus, quartus autem ille qui gentes omnes aduersus regnum Græciæ concitauit, Darius est Estheris filius, cuius regnum inuasit Alexander, vt versu proximè sequenti, subnectitur: *Surget verò Rex fortis, & dominabitur potestate multa, & faciet quod placuerit ei.*

Estheris 2 v. 16.

Seder Olā cap. 30.

Cùm igitur veteres Rabbini partim ex apertis scripturæ testimoniis Regum illorum seriem deprehenderint, partim è vestigiis non leuiter in eadem scriptura pressis eorum tempora subodorati fuerint, eorum In texenda Persarum Chronologia, meritò prima censeri debet authoritas.

19. Accedit ex iisdem sacrarum litterarum monumentis alia ratio longè firmissima, quam equidem à Rabbinis prætermissam non mediocriter admiror. Nehemiæ 12. vers. 21. *Leuita in diebus Eliasib. & Ioiada, & Ioannam, & Ieddoa scripti principes familiarum, & sacerdotes in regno Darij Persæ*. Quis autem ignorat Eliasib summum sacerdotem anno Artaxerxis vicesimo cum Nehemia suam in reficiendis muris operam contulisse? Quis euersum Persarum imperium, cum Iaddus siue Ieddoa summo sacerdotio fungeretur? Si prius negaueris, reclamabit ipse Nehemias; si posterius Iosephus author sanè grauis refragabitur libro Antiq vndecimo exeunte. Si vtrumque concesseris, habemus eundem esse Darium quem alio nomine scriptura vocat Artaxerxem, cúmque hos omnes Pontifices sub eodem Rege floruisse liqueat, hinc efficietur eum ipsum Regem cuius anno secundo templi substructio repetita, septimo missus Esdras, vicesimo Nehemias ad extrema Monarchiæ Persicæ tempora vitam & imperium propagasse. Cap. 3 v. 1.

20. Quid? quòd ex hoc ipso scripturæ testimonio liquet Nehemiam sub eo Dario vixisse, qui Macedonum armis oppressus est? Neque enim aliter eorum Pontificum qui sub eo floruerunt, seriem texere potuisset. quare si, vt prophani scriptores annalibus consignarunt, inter annum Artaxerxis vicesimum, & Darii postremi Persarum Regis initium anni centum & quinque facile numerantur, necesse est Nehemias ad annum vitæ centesimum præter propter & quadragesimum vitam produxerit. Videtis quot quantisque rebus, quàm certis scripturæ diuinæ testimoniis Persarum Chronologia fulciatur: Neque vero Macedonicorum remporum ratio cuiquam videri debet obscurior, tum quòd Rabbi Iose, quem veneranda commendat antiquitas, tempus ab Alexandro ad Machabæos elapsum centum & octoginta circumscribat annis, tum quòd in publicis monumentis hanc epocham sibi statuerint Hebræi à qua suorum annorum caput accerserent. Siquidem, vt auctor est Rabbi Abraham in historica Cabbala, cùm Ierosolymam venit Alexander, pactus est cum Simeone Iusto, qui Iaddus alio vocabulo nominatur, *Vt omnes qui illo anno nascerentur sacerdotibus, vocarentur Alexandri de nomine suo, vtque numerum contractuum suorum ab ipso inchoarent*. Quæ cùm ita sint, caussæ nihil esse video cur in digerendis Reip. Iudaicæ temporibus nescio quas Olympiadas, & Græculorum, qui nostra ne attigerunt quidem, calculos certissimis Rabbinorum rationibus anteponam.

VI. *Confutatur Hebræorum Chronologia.*

21. IOS. Animaduerti, Barachia, tuum hoc fuisse institutum, vt Hebræorum Chronologiam, ei, quam per Olympiadas digestam à prophanis accepimus, anteferres:

anteferres: totam autem disputationem tuam in partes fuisse distributam duas, quarum altera Rabbi Iose res suæ gentis, id est Hebraicas, vel Persicas & Macedonicas Hebraicis implicatas in sua tempora describentis, authoritate nitebatur: altera quibusdam testimoniis è scriptura depromptis. Itaque hanc eandem distributionem sequar vt intelligas me nihil, aut subterfugere reticendo, aut obscurare dicendo.

22. Ais cuiusque gentis historiam eiuibus esse quàm extraneis notiorem, ac proinde cùm de Iudaica Chronologia quæratur, Iudæis potiùs auscultandum, quàm Græcis Latinísque scriptoribus. Crederem, si seorsum de solis rebus Iudaicis ageretur, sed eum ita Persarum temporibus alligatæ sint, vt sine horum consideratione non possint intelligi, ita porro res Persieæ Græcanicis inuolutæ sint, vt earum Chronologia sine illis explicari non possit, profectò caussæ nihil est, cur in subducendis annis Persicæ Monarchiæ solis Rabbinis habeamus fidem, Græcos autem scriptores facessere iubeamus.

23. Rabbini regnum Persicum annis tribus & quinquaginta definiunt, Cyri tribus non tamen integris, quatuordecim Assueri, Darii sex & triginta. Ab Herodoto quem annis centum & amplius ante regni Persici subuersionem Xerxe Darii filio rerum potiente, floruisse constat, tribus illis Regibus anni tres & septuaginta tribuuntur. E Thucydide, Ctesia, Xenophonte res suorum temporum scribentibus ab obitu Darii ad Artaxerxis Memoris initium, cuius hostis Xenophon. Ctesias etiam medicus fuit per annos septemdecim, anni minimùm octoginta colliguntur, ex authoribus denique perantiquis, è Canone Mathematico, ex Olympiadum supputatione, ex Obseruationibus Astrologicis, ex epocha Nabonassari dubitari non potest quin à capta per Cyrum Babylone ad euersam armis Alexandri Persarum Monarchiam anni plures ducentis effluxerint.

24. Huius imperii temporibus tot duces ætate discreti Pisistratus, Miltiades, Themistocles, Pericles, Alcibiades, Agesilaus, Philippus: tot Philosophi floruerunt: Thales Milesius & Pherecydes Syrius initium regni Persici, Theophrastus & Epicurus finem videre potuerunt. Ionicæ Philosophiæ series hæc fuit. Thaletem audiuit Anaximăder, Anaximandrũ Anaximenes, Anaximenem Anaxagoras, Anaxagoram Archelaus, hunc Socrates, Socratem Platonem Aristoteles, Aristotelẽ Theophrastus. Quod Italicam Philosophiam attinet, Pherecydi Pythagoras, Pythagoræ Telanges filius successit, ei Xenophanes, cui Parmenides. Huic Zeno Eleates, Leucippus Zenoni, Democritus Leucippo, Democrito complures, sed inter reliquos Nausiphaes, Naucidésque celebrantur: eis verò suo tempore successit Epicurus, atque vt hoc loco Poëtas & Oratores omittam. Tot historici, primùm Cadmus Milesius & Acusilaus Argiuus historiæ conditores, tum Herodotus, deinde Thucydides, & aliquanto pòst Xenophon & Ctesias; tot, inquam, Duces, tot Philosophi, tot Poëtæ, tot rerum gestarum scriptores, qua tempestate Persicum vigebat imperium, vnus ex alio floruerunt, quos sanè difficile est in angustias annorum trium & quinquaginta compingere, vel potiùs inculcare.

Diogenes Laertius Præfatione.

25. Quid quòd à Thucydide qui bello Peloponesiaco fuit Atheniensium imperator μεταξὺ τῆς τε Ξέρξου ἀναχωρήσεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦδε τοῦ πολέμου, à discessu Xerxis, quem annis Monarchiæ Persicæ minimùm octoginta iam euolutis è Græcia fugisse testatur Herodotus, ad huius belli initium anni quinquaginta numerantur? Cuius historiam, cùm ad annum primum & vicesimum perduxerit, reliquos septem Xenophon fuerit executus, iam habemus è testibus oculatis annos regni Persici centum & sexaginta priùs elapsos quàm Cyrus iunior fratri Memori bellum indiceret.

Thucyd. lib. 1. p. 77. edit. H. S.

26. Quid denique? quòd Africanus apud Eusebium lib. 10. præp. nemini vnquam dubium fuisse testatur, quin Cyrus anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ regnare occœperit, idque Diodori, Thalli, Castoris, Polybii, Phlegontis authoritate confirmat. Cùm autem, vt verbis vtar Solini cap. 2. C. Pompeius Gallus, & Quintus Veranius vrbis conditæ anno octingentesimo primo fuerunt Consules, Consulatui eorum Olympias septima & ducentesima actis publicis annotata est. is porro fuit annus Claudii nonus, ante templi posterioris excidium primus & vicesimus. E quibus liquet à Cyri primordio ad templi subuersionem non annos 438. vt Hebræi volunt, sed 628. Græcorum calculis interesse.

27. Pro rostris accusabatur M. Scaurus, à quodam Vario Sucronensi, quòd ad prodendam Remp. à Mithridate pecuniam accepisset. is hac interrogatione vesanam accusatoris loquacitatem irretiit, ac retardauit. Varius Sucronensis M. Æmilium Scaurum regia mercede corruptum imperiũ populi Romani prodidisse ait. M. Æmi-

lius Scaurus huic se affinem esse culpæ negat, vtri creditis? cuius dicti admiratione populus commotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit. Valerius lib. 3. c. 7. Rabbi Iose Persarum imperium annis tribus & quinquaginta circumscribit, & Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Ctesiam testes oculatos accusat, quòd annis & Regibus compluribus adiectis adulterauerint Persicæ Chronologiæ rationes. Huic accusationi subscribit Rabbi Abraham Ben-Dauid, & Chronologia maior & minor Hebræorum quas ante annos non amplius sexcentos partim è contortis scripturæ interpretationibus, partim ex anilibus Rabbinorum fabulis concinnatas esse comperrum est. Herodotus, Thucydides, Xenophon huic se affines esse culpæ negant. Vtris tandem credimus, mi Barachia?

28 Equidem tecum familiariter agam, nec tacitam tuam existimationem verebor: non pauca sunt, quæ quamuis nullo sensu & experientia propria, nulla certa & euidenti ratione, nulla sacrorum voluminum authoritate, sed hominum duntaxat narratione comperta sint, ita tamen certa sunt, vt ea qui negare voluerit, is non solùm amens, sed ne homo quidem habendus esse videatur. Constantinopolin non vidisti, Lutetiam non adiisti, eas nulla ratio probat, nullam harum vrbium in scriptura reperies mentionem. nega si potes, nullum sensu, ratione, scriptura nouisti Syllam, Marium, Catonem aut Pompeium. frontē perfrica, dic nullū fuisse Syllā, nullum Pompeiū, quis te non certiū, non vinciēdum esse Prætoris edicto, & rebus addicendū necessariis iudicabit? Absit, inquies, neque enim inficias ire possumus eos aliquando fuisse, quos è Cicerone, Cæsare, Sallustio testibus oculatis fuisse compertum est.

29. Æschylus Marathonio conflictu contra Darium, contra Xerxem Darii filium pugnis Salaminia & Plateensi fortissimè dimicauit: vt auctor est in eius vita Scoliastes. is Xerxem Darii filium & successorem agnoscit, & quidem ea fabula quam post Xerxis fugam exhibuit, vt nulla suspicio possit subesse mendacii. Herodotus, quo puero ista gerebantur, quatuor Persarum Reges enumerat ante Xerxem: ij sunt Cyrus, Cambyses, Smerdis Magus, & Darius Hystaspis. Thucydides bello Peloponnesio contra Brasidam fuit imperator. Is anno eius belli septimo extinctum, ait Xerxis filium Artaxerxem, & fœderis inter Persas & Lacedæmonios, anno Darii decimo tertio, belli vicesimo initi facit mentionem. Xenophon non solùm eximius Philosophus, sed etiam Dux præstantissimus tum illius belli finem. tum annos deinceps quadraginta rerum Græcanicarum historia complexus est, nec tamen ad Philippum Alexandri patrem narratione deuenit. Idem Xenophon sub Cyro iuniore meruit, quo cæso reliquias stipendiariorum Græcorum,

Lib 4 pag. 286. Lib 8. pag. 586. & 587. edit. H. S

Per varios casus, per tot discrimina rerum,

reduxit incolumes: Ctesias, apud Artaxerxem Memorem Darii filium per annos septemdecim fuit gratiosus in paucis, atque ex ipsis, vt ait, Persarum monumentis à Cyro ad Artaxerxem Regum vndecim historiam contexuit.

30. His tot tantisque viris vadimonium dicit quis? quisnam? Grauis author citra controuersiam. Quo crimine eos accusat? quòd falsi se alligarint, quòd publicas tabulas corruperint, quòd Persicæ Chronologiæ Reges complures & annos pene ducentos adiecerint. Magnum crimen! Sed tamen quis accusator? Rabbi Iose. Antiquissimus, credo, qui cùm puer aut adolescens Cyrum vidisset, ad Alexandrum Macedonem superstes fuit, & annos imperii Persici tres & quinquaginta numerauit. imò cùm non Persarum modò, sed etiam Græcorum, Machabæorum, Herodianorum annos tam accuratè digesserit non potest ante templi posterioris excidium, id est, vel ipsorum calculo, ante annos ab euersa Persarum Monarchia trecentos octoginta sex floruisse.

31. Quid si alterum tantum, aut etiam longè plures annos adiicimus? Quid si author est Rabbi Abraham anno contractuū 738. obiisse Rab. Ase qui inchoatam Ghemaræ, siue decisionis Thalmudicæ conscriptionem morte præreptus non potuit absoluere, & opus anno septuagesimo tertio mortis eius esse perfectum anno videlicet 811. contractuum, quos superiùs ab aduentu Alexandri dixerat esse numerandos: Quid deinde? extiterunt, inquit, post illos (videlicet post Amoraim qui fuerunt authores Ghemaræ siue decisionis Thalmudicæ) magistri nostri Seboraim, quorum primus magister Iose. E quibus habemus hunc Rabbinum, cuius veneranda canities Æschylo, Herodoto, Xenophonti, & tot aliis opponitur, circa annum æræ Christianæ quingentesimum floruisse. Post tot igitur annos Cadmi miles *satis immanis dentibus hydri* subitò cum hasta, scuto, galea procreatus, & Tages nescio quis altiùs impresso vomere exaratus emerget in lucem, vt tot grauissimorum virorum cuneos

Ætas Rabbi Iose.

ferro perrumpat, & adeo receptam, adeo penitus insitam altisque radicibus in hominum opinione defixam Chronologiam noua diuinatione conuellat. & hunc hominis loco ducemus? Quare, vt iterum illud inculcem, Varius dicit, Scaurus negat; vtri creditis, Quirites.

VII. *Rabbinorum Leuitas ostenditur.*

32. ATenim magna est Rabbinorum præsertim veterum authoritas. nihil vnquam studio veritatis antiquius habuerunt. vnde igitur ista prodierunt? Deũ ante mundi creationem, ne otio torpescerer, exercuisse se in extruendis variis mundis, quos vbi condiderat, paulo pòst destruebat, atque iterum instaurabat, quoad hunc, quem nunc habemus, mundum facere didicisset. Deum tres primas horas diei totas in legis Mosaicæ lectione consumere. Deo locum esse secretum, in quo statutis temporibus multis cum lacrymis deflet ac seipsum affligit, quòd Iudæis iratus templum euerterit Ierosolymitanum, & populum suum in captiuitatem dispersérit. Deum præcepisse populo Iudæorum vt singulis nouiluniis sacrificium expiationis peragant ad expiandum scelus ab ipso Deo perpetratum: quando lumen quod iniustè lunæ ademerat, soli attribuit. Deum quotidie imponere sibi circa caput & brachia vittas siue corrigias quasdam coriaceas Thephillim appellatas, & indutum tunica quadam linea, quæ Zizith nuncupatur, procumbere in genua, & aliquod tempus orationi impendere. Vnde, inquam, ista prodierunt, & alia sexcenta, quæ Sixtus Senensis libro Bibliothecæ Sanctæ Secundo, ex ipso Thalmud collecto, suis quæque ordinibus, tractatibus & distinctionibus annotauit. Quorum tanta est authoritas, vt grauiùs plectendos esse dicant, qui contradixerit verbis Scribarum, quàm verbis Mosaicæ legis, quibus qui contradixerit, absolui potest; qui verò verbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur.

Impietas & blasphemia Hebræorum.

33. Itaque ne tantum periculum adeamus, imò, ne, quod minatur Sacrosancti illius Thalmud præfatio, Deum ipsum negemus, assentiamur Hebræis aientibus Iesum Nazarenum natum fuisse non in diebus Herodis, vt vulgus existimat, sed eius ætatem in Alexandri Iannæi regnum incidisse, centum circiter annis antequam nasceretur. *Nam penes nos*, inquit Rabbi Abraham in historica Cabbala, *verissima est traditio, & historia è Misna atque Thalmud, quorum authores nihil de rebus immutarunt. Siquidem Rabbi Iosue Peraia filius fugit in Aegyptum his Alexandri Iannæ diebus, cúmque eo Iesus Nazarenus. Consimiliter apud nos vera est traditio, quòd anno quinquagesimo primo regni Machabæorum, & ducentesimo nonagesimo nono structi templi comprehensus est, & videlicet cruci affixus, idque ætatis suæ anno trigesimo sexto.* Anno, inquiunt, ducentesimo nonagesimo nono: tam enim accuratè, tam religiosè Iesu Nazareni Chronologiam texuerunt; vt ne compendij quidem & quadrandi numeri caussa, cùm *trecentesimo* commodissimè dicere potuissent, vel vnum duntaxat annum adiecerint.

34. Quis Rabbinis istis tam subtiliter omnia reuocantibus ad suos calculos, & vel ipsas temporum minutias ad tenue limantibus dubitet fidem adhibere? Si quis contradixerit, morte moriatur. Contradicunt Apostoli, & non solùm audiisse se dicunt, sed vidisse, sed manibus contrectasse. morte moriantur. & vt Christianos omittam, quos illi passim accusant vanitatis, contradicit Cornel. Tacitus decimo quinto Annalium, cuius testimonio Christus *Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est*, morte moriatur. Contradicit Pilatus, cuius nomine legitur epistola, de qua tamen quia dubitant eruditi, Tertullianum, qui annis trecentis editione Thalmud fuit antiquior, audire præstat. *Ea omnia*, inquit, *super Christo Pilatus & ipse iam pro sua conscientia Christianus Cæsari tum Tiberio nuntiauit*. morte moriatur. Contradixit Tiberius, dum perlectis Pilati litteris Iesum diuinis honoribus consecrare voluit, & rem *detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui*. Is quoque morte moriatur. Contradicit census Augusti, *quem*, vt loquitur idem Tertullianus, *testem fidelissimum dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt*. Quid expectas nisi vt concerpantur tabulæ census, comburantur archiua, P. Sulpitius Quirinus. qui tabulas publicas corrupit, Augustus ipse, qui corruptas contra Rabinorum, qui quingentis post annis futuri erant, authoritatem admisit, morte moriatur.

Orthodographiæ, pag. 2.

Apologet.

Lib. 4. aduers. Marcionem, cap. 7.

35. Quid igitur hoc loco faciemus, vbi tantum periculum,

Præsentémque viris ostentant omnia mortem?

Hyrcanus huius ipsius Alexandri Iannæi pater fuit cuius temporibus alligant Iesum Nazarenum. Is Ptolemæum in arce quadam obsidebat. Ptolemæus Hyrcani matrem & germanos habebat in vinculis, quos in mœnia productos flagris cædebat in loco

Ioseph. 13. Antiq. c. 24.

patenti, minitans se præcipitaturum eos, nisi frater ab oppugnando desisteret. Hyrcanus, cùm cætera superior esset, vincebatur priuatis affectibus. Obsident nos Rabbini, ferrum & faces admoliuntur, Fratres eorum obsides habemus, eos citra crudelitatem poterimus in medium productos nō quidem virgis lacerare, sed hostium telis opponere, vt & ipsi nobiscum fratribus repugnent, neq; nos nisi per eorum latera sauciemur. Aiunt illi Iesum sub Alexandro Iannæo floruisse, nos eius ætatem résque gestas sub Tiberio, & Pilato Iudææ Præside collocamus.

36. Iosephus anno primo Caij Cæsaris natus, & editione Thalmud annis minimùm quadringentis antiquior, lib. Antiquit. 18. cum nonnulla Pilati gesta retulisset, ista subtexuit. *Eodem tempore fuit Iesus vir sapiens,* εἴ γ' ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. *si tamen fas est eum virum dicere: erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Iudæis quam de gentibus habuit sectatores.* ὁ χριστὸς οὗτος ἦν, *& ipse erat Christus.* Vbi temerarium non est quòd articulum determinationis caussa præfixit: vt videlicet communem generalémque Christi notionem ad τ πάνυ χριστὸν, verúmque Messiam restringeret. *Quem*, inquit, *accusatum à nostræ gentis principibus Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, vt diuinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt.*

37. Rabbi Iose ab instauratione templi ad Machabæos annos ducentos & quatuordecim numerat, quibus si adieceris annos duodeuiginti: qui à Dario Medo ad templi refectionem effluxerant, non plures
Dan. c. 11. v. 31. inter Danielis prophetiam, & templum ab Antiocho profanatum quàm anni ducenti triginta colligentur. At, si Iosephum audimus lib. 12. Antiquit. cap. 11. Prædixerat eam desolationem propheta Daniel ante annos 408. disertè dicens templum à Macedonibus profanandum. Rabbi Iose centum & tres annos, Iosephus lib. 14. exeunte sex & viginti supra centesimum tribuit Machabæis. Dies me potiùs quàm materia deficiat, si singula, quibus Iosephus à Rabbinis dissidet, velim non dicam explicare dicendo, sed percensere numerando. Hic exempla non pauca proferre potuissem quibus non solùm diuersi Rabbini circa Chronologiam inter se dissentiunt, sed etiam eadem Chronologia seipsam induit & intricat. Verùm hæc omittenda sunt tum vt occurratur satietati vestræ, tum vt ad scripturam, quam isti suis opinionibus obtendunt, aliquando veniamus.

VIII. *Explicantur scripturæ testimonia, quibus Hebræi suam Chronologiam probant.*

38. CYrus in Seder Olam tribus annis regnasse dicitur, non tamen integris: in historica Cabbala tres annos explesse legitur. imò cùm vnum duntaxat annum Dario Medo tribuant, nihilo tamen secius Thalmudici tractatu Meghilla quinque numerant annos quos Dario Medo & Adnotat. in Seder Olā.
Cyro dispertiant, vt auctor est Genebrardus. Quod in scriptura tam constantis Hebræorum Chronologiæ vestigium? Ait Daniel, *anno tertio Cyri Regis Persarum,* Cap. 10. v. 1.
verbum sibi fuisse *reuelatum,* nec vltrà numerando progreditur. Quid tum? hinc effici volunt nos esse temerarios qui contra scripturæ fidem annos ei plures adscribamus. Sed quid si Daniel eo ipso tempore mortuus est, quippe qui anno Ioacimi tertio deportatus iam annos in exilio septuaginta tres exegerat? Quid si superstes quidem fuit, nullam tamen deinceps à Deo reuelationem accepit, quam scripturæ consignandam putaret? vnde & iubetur claudere sermones, & signare librū, quod equidem sic interpretor non quòd solum per propheticas ambages loqui & obscuris vera inuoluere, sed etiam quòd prophetiarum suarum volumini iam ad vmbilicum adducto sigillum apponere iubeatur. Quanquam extrema prophetiæ verba mortem prophetæ vicinam esse demonstrant, *Tu autem vade ad præfinitum,* vel vt in Hebræo legitur קץ ad finem *& requiesce, & stabis in sorte tua in finem dierum.*

39. Quare qui plures annos Cyro tribuendos negant, quòd tres duntaxat in Daniele reppererint, perinde faciunt atque si imperium Augusti annis triginta quinque circumscriberent, quòd Titus Liuius non vltrà Drusi mortem & annum Augusti trigesimum quintum produxerit historiam suam, aut si Tiberium septemdecim duntaxat annos regnasse defenderēt, quòd Velleius Paterculus epitomem suam non promouerit infra M. Vicinij consulatum, atque, vt eleganter notat alicubi Galatinus, ei piscatori sunt persimiles qui cùm tres duntaxat in mari pisciculos hamo cepisset, plures negabat in Oceano posse reperiri. Seder Olam annos quatuordecim, historica Cabbala sedecim tribuit Assuero. Quid

ita? fuit Estheris maritus, anno regni duodecimo Iudæorum hostes extinxit, & postea cunctas maris Insulas sibi fecit tributarias, & exaltauit Mardochæum. Quid deinde? Hinc non leniter pressis vestigiis indagant Rabbini Chronologiæ veritatem, efficíque vult Seder Olam, vt annis omnino quatuordecim Imperij Persici gubernacula tractarit. Quatuordecim autem; imò subodoratur Rabbi Abraham cum annis sedecim imperasse. Iam igitur inter se dissentiunt, qui de vnanimi consensu tantopere sibi blandiuntur.

40. Sed quid prohibet alterum adiicere biennium, & cum Theophilo Antiocheno regni eius annos nouemdecim, aut cum ipso Ctesia duodeuiginti numerare, ita tamen vt alter octodecim completos; alter nouemdecim inchoatos acceperit. Quid si (quod equidem probabilius reor, & memini Restitutum nostrum copiosiùs disputare) cùm sacer historicus Aman anno Assueri duodecimo scribit oppressum, nõ eorum duntaxat annorum quibus solus post patris obitum regnauit Assuerus, sed etiam eorum quibus cum Cyro patre regnauerat, putauit habendam esse rationem, vt cùm verbi caussa decimo circiter anno priusquam pater hominem exueret, in regni consortium fuisset allectus, solus deinde, vt Herodotus aliíque testantur, annos septem & quinque menses imperarit? Quid, denique, si quod authores tum plurimi, tum grauissimi defendunt, alius fuit Assuerus Estheris maritus, alius Cyri filius quem profani Cambysem indigitant? Etiamne dices istos Rabbinos Persarum Chronologiam feliciter è scripturæ rationibus texuisse?

41. Vel illud quàm lepidum est! dicuntur Iudæi domum Dei struxisse, *iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe*. Non inuenias, inquit Seder Olam, Reges Persarum nisi duos Cyrum & Darium: Medorum verò duos alios, Darium & Assuerum. Dico igitur tam Cyrum quàm Darium esse Artaxerxem. Quasi verò particulam coniungentem adiecturus fuerit Esdras, si vnus & idem tria nomina reciperet, perinde atque si dicas & Anicium, & Manlium, & Seuerinum, & Boëthium libros de Consolatione Philosophiæ scripsisse, aut Marcum, & Tullium, & Ciceronem effecisse ne Romani quos armis vicerant, ab iis eloquentia vincerentur. & hanc interpretationem cuiquã obtrudi posse sperarunt? Quid est aliud quod vulgo dicitur vel corniců oculos configere vel lectorum inequitare ceruicibus. Quod tamen Hebræis facile remitto, patiórque eos linguę suæ consuetudinem obtendere, vt cùm Isaiæ 43. v. 1. legitur, *creans te, Iacob, & formans te, Israel*. de quo memini Peregrinum nostrum de Dario Medo perorantem pluribus disputare. quare hoc argumentum tanti sit momenti, quanti quisque existimat; nos in viam redeamus.

42. Anno tertio Cyri Regis Persarum: *Ecce adhuc*, inquit Angelus Danieli, *tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus magnis super omnes: & cùm inualuerit diuitiis suis, concitabit omnes aduersum regnum Græciæ. Surget verò Rex fortis & dominabitur potestate multa, & faciet quod placuerit ei*. Hinc nimirum tres tantùm Reges Persarum imperio præfuisse significant. Cyrum, Assuerum, Darium, in quem surrexit Alexander, & Persarum Regem imperiúmque deleuit. Cur igitur hunc qui reuera tertius fuit, quartum Persidis Regem appellat? Eum videlicet aiunt non à Cyro, sed à Dario Medo numerari. Sed nisi me fallunt omnia, cùm tres adhuc futuri Reges esse dicantur vsque ad quartum illum qui tantis diuitiis affluet, & gentes omnes aduersus regnum Græciæ concitabit, non solum Darius Medus qui iam ante triennium naturæ concesserat, sed etiam Cyrus, cuius anno tertio vaticinium hoc editum est, & quartus excluditur vt inter hunc & Cyrum tres omnino numeremus.

43. Quis est ille quartus? Quis enim alius: nisi Xerxes inter quem & Cyrum, Cambyses siue Assuerus, Smerdis Magus, quem Esdras cap. 4. v. 7. Artaxerxem appellat, & Darius Hystaspis filius Imperij Persici gubernacula tenuerunt. Is nimirum inualuit diuitiis suis, *quorum tanta copia in regno eius fuit* (verba sunt Iustini lib. 2.) *vt cùm flumina* (ab exercitu eius siccata) *multitudine consumerentur, opes tamen regiæ superessent*. Concitauit omnes aduersum regnum Græciæ, Τί γὰρ οὐκ ἤγαγε ἐκ τῆς Ἀσίης ἔθνος ἐπὶ τὴν ἑλλάδα; κοῖον δὲ πινόμενον ὕδωρ οὐκ ἀπέλιπε, πλὴν τῶν μεγάλων ποταμῶν. *Quam enim gentem in Græciam non adduxit Xerxes? Quæ aqua epota non defecit prætter ingentes fluuios?* Quod autem de Rege forti, videlicet Alexandro Persarum victore subnectit prophetia: Sic intelligere debemus vt annis centum & quadraginta post expeditionem Xerxis euenerit. Non igitur isti scripturæ momentis, sed, quod pace tua dixerim, mi Barachia, vertiginosi sui capitis examine, tum Imperij Persici, tum conditi templi Chronologiam expendunt.

44. Ais è Nehemia cap. 12. Eliasib, Ioiada, Ioanam & Ieddoa sub eodem Dario Persa floruisse. Quid si tibi concessero? Hinc videlicet efficies eundem esse cuius

anno vicesimo muros instaurauit Nehemias Eliasibo Pontifice; eundem, inquam, esse Regem Artaxerxem cum illo Dario Persa, qui armis Alexandri Macedonis oppressus est, cùm interim Iaddus siue Ieddoa summo Sacerdotio fungeretur, & cùm ab anno Artaxerxis vicesimo, quo tempore Nehemias, iam decursis aliarum ætatum spatiis, ad virilem peruenerat, ad Darij postremi Persarum Regis initium Græcorum calculis, annis centum & decem facilè colligantur, aut falsas eorum esse rationes, aut Nehemiam centum & quinquaginta circiter annorum fuisse, cùm Sacerdotum qui sub Dario Persa vixerunt, seriem conscriberet. Hæc est, opinor tui vis argumenti. Cui si respódero Darium hunc Persam cuius meminit Nehemias, non esse Codomanum sub quo Monarchia Persica defecit, sed eum, quē vulgo Darium Nothum, Ctesias Darium Ochum appellat, quíque octauo circiter mense post obitum patris Longimani regno admotus est, equidem non video quid vltrà possis opponere.

45. Quid enim non potuit Eliasib ad Darij Nothi regnum peruenire? At inter annum Longimani vicesimum & huius initia non amplius quàm anni viginti duo colliguntur. Cæteri deinde Pontifices, non potuerunt sibi succedere, dum vnus & idem Darius Nothus imperium obtineret. At licet in annis Darij cōputandis authores inter se dissentiant, non tamen ita pauci fuerunt vt nō anno Darij primo Eliasib, medio regni decursu Ioiada & Ioanam, anno eiusdem extremo Iaddus summi Sacerdotes esse potuerint. Non potuit Nehemias post instaurationem ciuitatis tamdiu superesse, vt eum nominaret, qui anno Darij Nothi postremo ad summum Sacerdotium euectus est? At secundum Eusebij calculos anni duntaxat quadraginta numerantur. etsi propter authoritatem Ctesiæ non vereor annos octodecim adiicere, vt Longimanus annos duos & quadraginta, Darius triginta quinque regnauerit, & inter annum Artaxerxis Longimani vicesimum, & Darij mortem anni duodesexaginta computentur, ad quam ætatem potuit superstes esse Nehemias.

46. Atenim si ita est, Iaddus annis minimùm sex & septuaginta summo Sacerdotio functus est: tot enim inter Darij Nothi mortem & Persicæ Monarchiæ finem ab Eusebio numerantur. Id facilè tibi concedent qui Ioiadam prioris templi Pontificem annos centum & triginta vixisse, Iuditham, quæ vt videtur, huic ipsi Dario Notho superstes fuit; annis quinque supra centesimum in domo mariti sui mansisse meminerint. Atque hìc non solùm impune, sed etiam operæ non mediocri pretio annos illos octodecim, quos è Ctesia Darij Nothi regno adiecimus, Iaddi Pontificatui subducere poteramus, & rursus inter Nothi mortem, & Imperij Persici finem annos alios duodesexaginta numerare; sed contrahenda sunt orationis meæ vela, ne si in hoc controuersiæ pelagus abrepta fuerit, portum inuenire non possit.

47. EVDOXVS. Rectiùs, opinor, facies, Iosephe, *Neque altum*, vt ait nescio quis, *Semper vrgendo, neque dum procellas Cautus horrescis, nimium premendo, Littus iniquum:* Sic enim & orationis tuæ mediocritas occurret satietati nostræ, & ni fallor, huius explicatio quæstionis alteram è propositis soluet, videlicet vtrùm in hebdomadum supputatione temporibus Regum, an Olympiadibus hærere præstet. IOSEPH. Tibi morem geram, si tamen priùs vnum dictis adiecero, nihil prohibere quo minùs ea quæ ex Esdræ 12. v. 22. Barachias noster obiecit interpretemur de Dario Codomano qui armis Macedonum deiectus est Asiæ principatu, ita tamen interpretemur vt hæc verba *in regno Darij Persæ* non ad superiores Pontifices, sed ad postremum Ieddoam referantur. Cum enim Codomanus sex duntaxat annos regnauerit, probabile non est tot sub eo Pontifices Iudæorum religionibus præfuisse. Adde quòd scriptura non ait eos Pontifices in regno Darii floruisse, sed in regno Darii Persæ scriptos esse Leuitas, principes familiarum, & Sacerdotes qui in diebus Eliasib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa Pontificum floruerunt. BARAC. Hoc videlicet vnum superest vt Nehemiam, cum ista scriberet, annorum centum circiter & quinquaginta fuisse fatearis. IOS. Imò, Barachia, necesse non est vt Nehemias hanc summorum Pontificum seriem texuerit, placet enim viris eruditis hanc Pontificum enumerationem non ipsi Nehemiæ, sed alteri cuipiam acceptam referri, qui eodem instinctu, quo Nehemias afflatúque diuino concitatus ab eo prætermissa suppleuerit, quod multis scripturę locis factum esse Basilius noster apud Nearchum aliquando copiosius disputauit.

IX. *Certiorem esse Chronologiam quæ per Olympiadas quam quæ per Regum annos deducitur.*

48. IN supputandis primorum Persiæ Regum temporibus vix authores inter se dissident, tum quòd Herodotus qui

Xerxem per ætatem videre potuit, ab anno Cyri primo ad Xerxis expeditionem annos octo & septuaginta numerarit, & Cyro vndetriginta, Cambysi & fratribus Magis octo, Dario Hystaspis filio sex & triginta, Xerxi, antequam in Græciam descenderet, quinque tribuerit, & Thucydides Herodoto suppar ab descensu Xerxis ad Darium Nothum annos septem & quinquaginta collegerit, tum quòd horum tempora Olympiadum supputatione, æra Nabonassari, & quod rei caput est, Astrologicis obseruationibus apprimè muniantur. At in posteriorum Regum Chronologia Scriptores immane quantum inter se dissentiunt. Nam, vt cæteros omittam, Dario Notho annos octo tribuit Clemens Alexandrinus, Diodorus Siculus & Eusebius, vnde-viginti, Ctesias quinque
1 Stromatum. & triginta: Artaxerxi Mnemoni Darii filio annos quadraginta concedit Eusebius, Clemens quadraginta duos, Diodorus qua-
Lib. 15. Bibloth. pa 506. G E. draginta tres, Plutarchus etiam duos & sexaginta. Quare vt horum tempora rimemur à certis ad dubia, à perspicuis ab obscura, à iudicatis ad controuersa veniamus.

49. Certum est omnium Chronologorum vnanimi consensu, anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ contigisse Cyri primordia. Quia tamen antiqui scriptores litteris non prodiderunt initióne, an medio, an fine illius anni Cyrus regni Persici gubernacula susceperit, annus autem Olympiacus ab æstiuo solstitio, annus verò periodi Iulianæ à bruma ducit initium, ac proinde Olympiacus alteram sui partem ex anno priore Iuliano, alteram è posteriore delibat, certò statui non potest vtrùm Cyri apud Persas regnantis initia anno periodi Iulianæ 4155. an proximè sequenti respondeant. Sed parum refert ad institutum, & vt eos semper laude dignos putaui qui quàm Sparten sortiti sunt, eam adornant, & enucleandæ Chronologiæ prouinciam à se susceptam ita tractant, vt Mathematicis rationibus omnia subtiliter eliment, & quantumuis exigua ramenta suis ponderibus expendant, ita posse mihi videor huiusmodi minutias impunè cōtemnere. Neque enim ex vnius mensis, aut etiam anni diuersitate pendet nostræ diiudicatio quæstionis.

50. Certum deinde & cum authorum consensu tum Astronomicis obseruationibus euincitur pugnam in Arbelis, vel potiùs in Gangamelis, quæ Monarchiæ Persicæ finem imposuit, anno Olympiadis centesimæ duodecimæ secundo, esse pugnatam, ac proinde annis 230. Persicum imperium stetisse. Nam si Olympiadas 54. ante Cyrum elapsas, i. annos 216. ab Olympiadibus 111. & Olympiadis sequentis biennio, i. ab annis 446. subduxeris, anni 130. remanebunt. Et quamuis circa pugnam hanc eruditi viri velitantur, non tamen de anno, sed de quibusdam minutiis altercantur.

51. Certum denique Artaxerxis Longimani mortem anno belli Peloponnesiaci septimo contigisse, post quem vt è Ctesia liquet, Xerxes secundus diebus quadraginta quinque, Sogdianus mensibus sex, diebus quindecim imperium tenuerunt, atque ita factum vt anno belli octauo, qui fuit ab initio Cyri duodequadragesimus supra centesimum, Darius Nothus inauguraretur, & quod ex ipsius fœdere cum Lacedæmoniis icto compertum est, annus eius decimus tertius cum vicesimo belli, saltem cum aliqua eius anni parte concurreret. Iam si annos 137. ab initio Cyri ad Nothi primordium elapsos, à totius imperii Persici summa, quæ fuit annorum 230. subduxeris, reperies annos tres & nonaginta superesse qui Dario Notho, Memori, Ocho, Arsi & Dario Codomano diuidantur. Thucyd. lib. 4. pag. 256.

52. Quod spectat ad annos octo qui apud Clementem Alexandrinum Dario Notho tribuuntur, meliorem vindicem habere non possumus quàm ipsum Darium, cuius in fœdere cum Lacedæmoniis inito decimus tertius annus præfixus inuenitur. Itaque tota quæstio est vtrùm Ctesiæ, qui triginta quinque, an Diodori & Eusebii, qui nouemdecim numerant, vestigiis hærere debeamus. Sed vt ait ille, pluris est mihi oculatus testis vnus quàm auriti decem. Parysatis Xerxis filia fuit, Longimani soror, Darii coniux & matertera, mater Artaxerxis, quæ certè ignorare non potuit quot annis Darius imperii clauum tractauerit. Huius medicus & familiaris fuit Ctesias Cnidius per annos septemdecim, qui multa, quæ ex ipsius Parysatidis ore acceperat, ait in historiam se transtulisse, neque quantumuis eum fabulis & mendaciis scatere dicamus, caussam habuit cur in hac quidem parte quicquam Regis, qui proximè regnarat, annis apponeret. Qui enim in historia scribenda mentiuntur, vel id è rerum inscitia faciūt, quod iis euenire solet qui vel tēporum vel locorum disiuncti sunt interuallo, vel tum hominum, tum nationum odio & amore ducuntur, vel inanem gloriolam, vel lectoris admirationem & delectationem, vel principum virorum, à quibus suspensas habent vitæ suæ rationes gratiam, blanditus aucu-

pantur, vel denique quadam animi leuitate inducti, quòd de rebus, vel longinquis, vel ab hominum memoria remotis, scribant, sperant latere posse sua mendacia. Qui autem sine emolumento, in re manifesta, cuius testes tot esse possunt, quot in orbe terrarum, vel saltem in amplissimo regno mortales, mendacii sibi labem adspergi velit, & apertè conuinci, reperietur nemo. Cùm igitur caussam non habuerit Ctesias cur cum summa existimationis suæ iactura quicquam veritati supputandis Darii temporibus affingeret, neque nos ipsi profectò caussam habemus, cur vel Diodori, vel Eusebii, vel aliorum, qui tot post eum seculis floruerũt, rationes & Chronologias eius calculis anteponẽdas putemus.

53. Quòd si annos Dario Notho triginta quinque tribuimus eósque ex annis illis tribus & nonaginta qui Persicæ Monarchiæ supererant, per subtractionem decerpimus, supererunt anni octo duntaxat & quinquaginta, neque difficile est expedire, quo pacto Eliasibi Pontificatus ad initia Darii Nothi pertinuerit, Ioiada & Ioanam medium eiusdem Regis tempus occuparint, & inclinante iam regno, Iaddus summum sacerdotium adeptus potuerit ad Alexandrum Macedonem peruenire, & Nehemias eos enumerare Põtifices qui sub Dario Notho floruerunt. Evdox. Fateor equidem, Iosephe, caussam Ctesiæ fuisse nullam cur sine spe magni cuiusdam emolumenti tam manifestè mendacii se alligaret: sed tamen fieri potest, & verò etiam solet, vt error in scripturam irrepserit. Ios. Iam igitur publica refringis armaria, veteres tabulas concerpis, nouas proponis,

Quid faciunt hostes capta crudelius vrbe?
Sed esto sanè: nihil è Ctesia certò colligi posse faciamus: an certiores erunt Diodori, vel Eusebii rationes? Non opinor. Quod vel ex eo liquet quòd in numerandis Regum annis frequenter authores inter se dissentiunt: qui si maximè conuenirent, tamen vlteriùs dubitari posset, vtrùm annos inchoatos pro integris computarint, an aliquot menses superfluos septem, aut octo neglexerint, quod etsi in vno, vel altero Rege non magnum discrimen habeat, in longa tamen Regum serie magni videtur esse momenti, vt quod quærebat Eustorgius noster, longè certior sit ea Chronologia quæ per Olympiadas, per Consules, annos Vrbis conditę, æram Nabonassari, vel alias eiusmodi temporum epochas, quàm quæ per annos Regum deducitur.

54. Quod verò idem quærebat vtrùm in supputandis temporibus scripturæ duntaxat, an etiam historiæ prophanæ debeamus habere rationẽ, paucis ita respondeo. Cùm pauca de Regibus Persarũ sacri scriptores habeant, nihil de imperio Macedonum vsque ad Machabæos, neque historiam Machabæorum vltra initium Ioannis Hyrcani promouerint, cætera verò Synagogæ tempora ne attigerint quidem, vbi Chronologi sacri deficiunt, necesse est prophanos adhibere.

Iam quod ais, Eustorgi, à doctissimo viro Francisco Soare notatam Olympiadum supputationem cum scriptura confligere, ex te quæro quinam sit iste conflictus; vel enim Olympiadas scripturæ conciliabimus, vel si conciliari non possunt, æquo animo deseremus.

X. *Vtrum Olympiadum supputatio pugnet cum scriptura.*

55. Evstorgivs. Hæc est videlicet illa difficultas, quam vir & doctissimus & modestissimus ait ab authoribus esse prætermissam, nec videre se fatetur, qua ratione possit expediri. Secundum Olympiadas inter Alexandri Macedonis obitum & Ioannis Hircani Pontificis initium, anni centum & nonaginta quatuor ab Eusebio colliguntur: tot enim inter initiũ Olympiadis supra centesimam decimæ quartæ, qua mortuus est Alexander, & sexagesimæ secundæ finem, quo suffectus patri dicitur Hyrcanus, anni fluxerunt. At verò constat è libro Machab. 1. cap. vlt. v. 14. à primo anno imperii Græcorum vsque ad Ioannis Hyrcani Pontificatum tantum fuisse centum septuaginta septem annos; cui scripturæ maior fides habenda est, quàm omnibus Olympiadibus. Est ergo in eis notandus hic error. Nã ferè viginti annos addunt imperio Græcorum. Hæc ille: quibus, nisi tibi molestum est, Iosephe, velim vti respondeas. In 3. partem disp. 1. contra Iudæos 52.

56. Ios. Equidem, Eustorgi, non video quid sapientissimum virum turbare debuerit. Nam quòd epocham illam quæ ab institutis, vel potiùs restitutis Olympiadibus accersitur, ex eo capite reprehendit, quòd Eusebius initium Hyrcani cuidam Olympiadi consignat; ad quam ab Alexandri Macedonis obitu plures anni, quàm inter Alexandrum & Hyrcanum scriptura numerat, effluxerint, perinde facit atque si de communi Christianorum æra controuersiam ex eo moueret, quòd aliquis Annalium scriptor, plures annos, quàm reipsa fuerunt, inter Paulum III. & Vrbanum VIII. Romanos Pontifices numeraret.

meraret. Etenim fieri poteſt vt & vera ſit Olympiadum computatio, in quam omnes authores & publica monumenta conſpirant, & Euſebius, apud quem ſexcentæ ſunt ἀβλεψίαι, res non ſolùm à Iudæis, ſed etiam à Græcis geſtas in Olympiadum ſerie male collocarit.

57. Sed ne diutiùs in expedito tricemur, Euſebius annos ſeptemdecim ſcripturæ rationibus adiecit, ſi enim 177. à 194. ſubduxeris, reſiduum erit 17. Aut igitur falſæ ſunt Euſebij rationes, ſi ab eodē principio, vnde ſcriptura annos illos centum nonaginta quatuor accerſit, aut ſi veras eſſe defendimus, quærendum eſt aliud initium annis ſeptemdecim poſterius, vnde Chronologiam ſuam ſcriptura deduxerit. *Regnauit Alexander annis duodecim*, videlicet à morte Philippi, ſex tamen duntaxat annis & aliquot menſibus tenuit Aſiæ principatum, *& mortuus eſt*, Olympiadis decimæ quartæ ſupra centeſimam, anno primo, vt Diodorus Siculus lib. 17. exeunte, Ioſephus libr. 1. aduerſus Appionem infra medium; Euſebius aliique paſſim conſentiunt, præter authorem nuperum ſacræ & nouæ Chronologiæ. Sed iſtos equidem non moror, quibus nihil eſt opinionum nouitate antiquius. Pergit author libri 1. Machabæorum. *Et obtinuerunt pueri eius regnum vnuſquiſque in loco ſuo, & impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos, annis multis*; & poſt pauca ſubdit de Antiocho Epiphane. *Regnauit in anno centeſimo trigeſimo ſeptimo regni Græcorum*. Hæc ſacer hiſtoricus.

194
177
17

1. Machab c.1.v.8.

58. E quibus liquidò conſtare videtur eum non à morte Alexandri, ſed ab initio regni Græcorum, id eſt ab eo tempore quo Seleucus, Antigonus, Caſſander, Ptolemæus & Lyſimachus *impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem* Alexandri, ſeque ipſos Reges pro Ducibus & Prouinciarum rectoribus nominarunt, Chronologiæ ſuæ caput accerſere. Rem geſtam Plutarchus in Demetrio, Iuſtinus lib. 15. & alii memoriæ prodiderunt. E quibus etiam annum colligere facilè poteramus. Sed vnus ſit inſtar omnium Diodorus Siculus, quem Ciceronis æuo floruiſſe conſtat, nec vllum antiquiorem habemus poſt tot hiſtoricorum naufragia, qui res à ſucceſſoribus Alexandri geſtas in ſua tempora deſcripſerit. Diodorus, inquam, lib. 20. rem non ſolùm narrat, ſed etiam anno ſecundo Olympiad. 118. conſignat. E quibus omnino liquet inter Alexandri mortem & ſumptum à Ducibus diadema, regiúmque nomen vſurpatum, Olympiadas quatuor & vnum inſuper annum fluxiſſe, id eſt, annos omnino ſeptemdecim, ac proinde, quod ad rem præſentem attinet, nullum eſſe ſcripturæ cum Euſebio conflictum.

Pag. 761. Græc. edit. H.S.

59. Habes, igitur Euſtorgi, quod rogabas, Olympiadum enumerationem ſcripturæ rationibus non eſſe contrariam. Habes certiorem eſſe Chronologiam quæ per Olympiadas, quàm quæ per Regum tempora digeratur. Habes Græcorum potiùs in texenda Chronologia, qui vel illorum æquales temporum, vel certè ſuppares fuerunt, quàm Rabbinorum qui tanto pòſt extiterunt, inhærendum eſſe veſtigiis. Habes denique ſummam quidem authoritatem in ſcriptura reſidere, ſed vbi deficit vel obſcura eſt, eam non incommodè tum ſuppleri, tum profanis hiſtoriis illuſtrari. Recapitulatio.

60. Reſtat igitur, vt, quemadmodum ego & Barachias animi noſtri ſenſum ſine fuco & fallacia protulimus, ita vos viciſſim de principio & fine hebdomadum loquentes audiamus. Quia tamen Euſtorgius certos cancellos diſputationi noſtræ circumdedit, & controuerſiam ita diſceptari voluit, vt vel ſeptuaginta hebdomades annorum ſolarium ab Eſdra, vel totidem annorum lunarium à Nehemia ducerentur, tuum eſt, Eudoxe, alteram partem eligere, eámque nobis explicare dicendo quæ tibi magis arridet, ne ſe pulchrum & beatum putet Euſtorgius, ſi qui controuerſiæ partes propoſuit, idem alterutrius habeat optionem.

XI. *Exponitur eorum opinio qui Lxx. Hebdomadas annorum lunarium interpretantur, eaſque deducunt ab anno xx. Artàxerxis Longimani.*

61. EVDOX. Ego vero, Ioſephe, ad eos accedere non poſſum qui Angeli verba ſic interpretantur, quaſi ab anno Longimani ſeptimo ſuas hebdomadas voluerit accerſere. *Nullus enim*, vt verbis vtar Peretii lib. 10. comment. in Danielem, *aut veterum, aut recentiorum, qui hanc de ſeptuaginta hebdomadis quæſtionem adhuc tractarunt, ab eo tempore hebdomadas inchoauit. In tanta vero multitudine ſcriptorum, tantáque opinionum varietate, ſi ea opinio eſſet aliquo modo probabilis, non defuiſſet tot ſeculis vnus aliquis, qui ei ſententiæ ſuam authoritatem, & patrocinium commodaſſet.* Hæc ad verbum vir eruditus. Et ſanè non pauca ſunt quæ me ab hac opinione deterreant. Verba ſcripturæ, patrum authoritas, Chronologiæ, ſi ab anno viceſimo ducatur, ratio fa-

cilis & expedita, incommoda quæ ex anno septimo consequuntur.

Probatur è verbis Angeli.

62. Quod ad scripturam attinet. *Ab exitu sermonis*, inquit, *vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.* Non igitur ab aliquo, vel Isaiæ, vel Ieremiæ vaticinio, quo promittatur instauratio ciuitatis, quòd anni ad Christum ab Isaia septingenti, à Ieremia sexcenti facilè numerarentur: non ab edicto Cyri vel Darij tum quòd tempora non congruant, tum quòd permiserint illi quidem instaurari templum, sed de ciuitate nominatim reficiendóque muro nihil edixerint. Restat igitur vt vel ab anno Longimani septimo, quò missus est Esdras, vel à vicesimo quo Nehemias hebdomadum illarum septuaginta ducamus initium.

63. Ad cuius quæstionis diiudicationem satis non est quoquomodo Chronologiam explicare, sed illud imprimis videndũ vt ipsa Chronologia cum verbis Angeli cohæreat. Videmus Angelum ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem hebdomadas illas septuaginta deducere. Anno Longimani septimo à facie Regis & septẽ consiliatorum eius mittitur Esdras vt visitet Iudæam & Ierusalem in lege Dei sui, & vt ferat argentum & aurum quod Rex & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israel. fit ei potestas accipiendi liberè omne argentum & aurum quodcumque inuenerit in prouincia Babylonis, & populus offerre voluerit. Tantúmne? Etiam litteris amplissimis subornatur ad custodes arcæ publicæ, vt quantum ille petierit, è fisco Regis largiantur. Neque hoc satis Israeliticis omnibus, qui cum ipso redire voluerint, postliminium prolixa Regis benignitate conceditur. Quid amplius? Datur & iurisdictio, ius carceris, proscriptionis bonorum, exilij, vitæ denique ac necis in eos qui legem Dei Regisque violarint.

Esdræ missio cum amplissima potestate.

Non ad extruendũ vrbem.

64. In his nullum ædificandæ ciuitatis aut reficiendi muri vestigium. Non enim mittitur vt extruat vrbem, sed vt instauret Dei cultum, non vt reficiat muros, sed vt restituat mores, qui sensim per imbecillitatis humanæ lubricum in deteriora desluxerant. vt constituat Iudices & præsides, vt doceat imperitos. Pecunia subministratur, sed ad emendas victimas & libamina. Iubentur arcæ publicæ custodes, quicquid ille petierit, è fisco depromere. Sed, *omne*, inquit, *quod ad ritum Dei cœli pertinet tribuatur diligenter in domo Dei cœli.* In his muniendæ ciuitatis mentio nulla. Vnde igitur huius Chronologiæ ducemus exordium? Res ipsa loquitur: *Ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem.* Quis porro ciuitatis instaurator? Quis, inquam, rursum ædificauit muros & plateam? *Et Nehemias*, inquit Ecclesiasticus, *in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.*

Sed ad mores corrigendos.

65. Nehemias quippe (verba sunt Iulij Africani ex libro 5. Chronographiæ deprompta, quibus iam ingredior alterum disputationis nostræ caput) Nehemias, inquam, Artaxerxis Longimani pincerna, rogauit Regem, accepitque responsum vt ædificaretur Ierusalem, & iste egressus est sermo qui extruendæ vrbis & circumdandæ muris daret licentiam, quæ vsque ad illud tempus vicinarum gentium patebat incursibus. Siquidem ad Cyri Regis imperium qui volentibus reuerti Ierosolymam dederat potestatem Iesus Pontifex, & Zorobabel, & postea Esdras Sacerdos, & cæteri qui cum eis proficisci voluerant, templum & vrbem & muros eius ædificare conati sunt, prohibentibus in circuitu nationibus quasi hoc Rex non iussisset. Mansit itaque imperfectum opus vsque ad Nehemiam, & vicesimum annum Regis Artaxerxis: quo tempore regni Persarum centum & quindecim anni fuerant euoluti *&c.* & tunc primùm Artaxerxes iussit muros extrui Ierusalem, cui operi præfuit Nehemias, & ædificata est platea, & muri circumdati.

Patrum authoritas.

Nehemiæ missio.

66. Hæc Iulius Africanus prout eius verba latinè refert Hieronymus in cap. 9. Danielis, Eusebius Græcè libro demonstrationis Euangelicæ octauo. Quis ille Iulius Africanus? Si antiquitatem spectes, eadem qua Tertullianus & Origenes ætate florebat. Si diligentiam & industriam, exẽplo præiuit Eusebio quid in digerenda Chronologia sequeretur. Si doctrinam: non modò scripturam diuinam, sed etiam, vt ex eius fragmento liquet quod apud Eusebium libr. 10. præparationis Euangel. reperitur, omnium pene gentium bibliothecas euoluerat. Si res ab eo gestas, vitæque splendorem: Ciuium suorum iussu, Palæstinorum videlicet, legatione functus est ad Senatum Romanum, & obtinuit vt vrbs, cui Nicopolis nomen fuit, in Emmauntis antiquæ ruinis ac vestigiis conderetur. Hic igitur Africanus talis tantúsque vir ab Artaxerxis anno vicesimo Danielis hebdomadas auspicatur. Sequuntur Chrysostomus oratione tertia contra Iudæos, Theodoretus in cap. 9. Danielis, aliique non pauci, quorum series in recentiorum libris, qui

Laus Africani.

Euseb. Chron.

hæc enucleatiùs disputant, sanè longa contexitur, vt ipsos recentiores omittam, Salmeronem Proleg. 43. Pererium in Danielem, Gordonum, Torniellum, & Salianum in suis Annalibus.

61. Tertiū est vt ab hoc initio perplexas, vt multi putant, Chronologiæ tricas expedire conemur. Neque verò difficile est secundum Africani calculos hebdomadas illas abbreuiatas septuaginta reperire. Nam *Chronologia ratio.* à Nehemia qui ad ædificandam Ierusalem missus est centesimo & quintodecimo anno regni Persarum, Artaxerxis ipsius vicesimo, tertię supra octogesimam Olympiadis anno quarto vsque ad Olympiadis ducentesimæ secundę annum secundum qui Tiberij Cęsaris imperio ἔτος ἑκκαιδέκατον decimus sextus; non vt apud Hieronymum legitur, decimusquintus illuxit, colliguntur anni quadringenti septuaginta quinque, qui faciunt annos Hebraicos quadringentos nonaginta communibus annis breuiores, vnde & hebdomadas abbreuiatas An- *Africani ratiocinium.* gelus appellat, κατὰ τὸν σεληνιακὸν δρόμον τοὺς ἐνιαυτοὺς ἐκείνων ἐξαριθμουμένων, *cùm Hebræi iuxta lunæ cursum annos numerent dierum* trecentorum quinquaginta quatuor: Solaris autem annus sit dierum trecentorum sexaginta quinque, & quartæ diei partis, τὸ γὰρ κατὰ σελήνην δωδεκάμηνον παραλλάσσει ἡμέραις ἕνδεκα καὶ τετάρτῳ. *Solis enim cursus annuus, duodecim menses lunares excedit diebus vndecim & quarta diei parte.* Eam ob caussam tam Græci quàm Iudæi singulis octenniis tres menses inserunt, quos ἐμβολίμους .i. intercalares appellant. Si enim octies vndecim & quartam vnius diei partem volueris supputare nonaginta dies, hoc est tres menses colligentur. Iam si annos 475. per 8. diuiseris, inuenies eo numero 59. octoëtetidas siue octennia contineri, quibus singulis menses intercalares tres, omnibus autem simul sumptis menses centum septuaginta septem .i. anni lunares ferè quindecim inserentur. Qui si ad quadringentos septuaginta quinque superiores accesserint, efficient annos abbreuiatos quadringentos & nonaginta quas septuaginta hebdomadas abbreuiatas Angelus appellat, & earum extrema consummādam præuaricationem, peccatum finiendum. delendam iniquitatem, prophetiam & visionem implendam. adducendam iustitiam sempiternam, vngendum denique Sanctum sanctorum, & Messiam occidendum esse prænuntiat.

62. Quis autem eum miretur de rebus Hebraicis loquentem cum Daniele Hebræo atque Hebraicarum consuetudinum scientissimo, vti computatione annorum lunarium Hebræis vsitata? Adde quòd etiam Prophetarum more ab vsu communi dis- *Lib. 10 in Dan.* cessit, quo tectior & obscurior esset oratio: Nec mirum, inquit eruditus Pererius. Multa prophetæ præter communem dicendi & & intelligendi morem dixerunt & scripserunt. An cùm Gabriel dixit septuaginta hebdomades præcisè significans hebdomades annorum non id nouè & insusitatè locutus est? Quid cùm suprà cap. 4 dixit *septem tempora*, significans septem annos. & cap. 7. *tempus & tempora & dimidium temporis* tres annos ac dimidium insinuans nōne pręter communem atque vsitatam sermonis & intelligentiæ rationem locutus est? Quanquam hoc ipse non ita texit, & occultauit, inquit idem Pererius, vt non facilè deprehendi possit ex ipso vocabulo quo vsus est, *abbreuiatæ sunt*: quo significatur annos earum hebdomadum non esse ad longitudinem annorum solarium exigendos, sed ad breuitatem lunarium annorum contrahendos. Hæc vir amœnissimus & vndecumque doctissimus. Nihil est igitur caussæ cur Angelum qui ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Ierusalem, hebdomadarum illarum caput accersit, inuitum & reluctantem ad annum Artaxerxis septimum velut obtorto collo retrahamus, cùm velificante scriptura, Patribus conspirantibus, obsecundante Chronologia, eas ab eiusdem Artaxerxis anno vicesimo possimus accersere.

63. Venio nunc ad quartum probationis caput, & incommoda quæ ex aduersariorū sententia consequuntur. Si ante annos tre- *Incommoda opinionis contrariæ.* decim regium edictū exierat vt iterum ædificaretur Ierusalem, & Esdras reficiendi muri potestatem acceperat, quî factum est vt opus minimè promoueret? Pecuniæ deerant? At magnam auri & argenti vim secum attulerat, & litteras ad arcæ publicæ custodes, vt quicquid ille periisset, è fisco depromerent. Deerat patriæ charitas & industria? At nefas id de viro non solùm peritissimo, sed etiam ciue optimo cogitare: Opus impediebant regij Magistratus? At Iudæi cum Esdra restituti, *Dederunt edicta* *Esdræ c. 8. v. 36.* *Regis Satrapis, & Ducibus trans flumen & eleuauerunt populum, & domum Dei.* Neque si exisset sermo regius vt iterum ædificaretur Ierusalem, Esdræ, quem Regi sciebant esse gratissimum, studio defuissent. Explicari profectò non potest quî factum fuerit, vt Esdras, cui & summa rei perficiendæ facultas fuit, & optima voluntas, & obex nullus, in re tanti momenti, quæ ad ornamentum & salutem patriæ

tantopere pertinebat, nihil effecerit.

64. Si Longimanus Esdræ potestatem fecerat instaurandæ ciuitatis, quid opus erat vt Neemias apud Regem gratiosus in paucis, *viri molles aditus & tempora* tanta sollicitudine captaret? imò ne hiscere quidem auderet, sed suppressis vocibus, mœstitiâ vultus, & sola frontis nubecula loqueretur. *Dixítque mihi Rex*, inquit Neemias, c. 2, v. 2. *Quare vultus tuus tristis est: cùm te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est*. Qua Regis interrogatione Neemias occupatus, tandem vrbis instaurandæ potestatem fieri sibi non sine ingenti timore & verecundia postuláuit. Atqui, vt aduertit Alphonsus Proleg. 43. Salmero vir sanè doctissimus, si prudens erat, & illam potestatem, iam factam Esdræ non ignorabat, non debuit de integro postulare quam sciebat ante tredecim annos fuisse exhibitam, sed tantùm vel semel concessam renouaret iterum atque confirmaret. Nam & minùs inuidiosum est & facilius priuilegii semel concessi confirmationem, quàm illud à principio impetrare.

65. Quid quòd in Ecclesiastico murorum & vrbis ædificatio Neemiæ soli tribuitur? *Et Neemias*, inquit, *in memoriam multi temporis qui erexit nobis muros euersos, &c.* Non videtur autem, inquit, idem Salmero, rationi consonum ad idem fuisse priùs missum Esdram, & si Deo excitante missus est, nihil egregium in ea re præstitisse: nec scriptura sacra eum parte tantæ gloriæ defraudasset, si quid magnificum in ædificando exhibuisset, neque tantam vrbis conditæ laudem in vnum Neemiam contulisset. Alia congeri potuissent, sed cui satis ista non faciunt, non video quid eum possit à suscepta semel opinione deducere.

XII. *Examinatur Africani Chronologia per annos Lunares digesta.*

66. Evstorgivs. Res exigere videbatur, Eudoxe, vt primùm nostram exponeremus de hebdomadum septuaginta principio ac fine sententiam, deinde vt quem in argumentis secutus es, eundem in responsionibus ordinem sequeremur; & quemadmodum à verbis Angeli, à Patrum authoritate, ab ipsa Chronologia, ab incommodis quæ ex anno Longimani septimo sequerentur, colorem orationi tuæ quæsisti, ita nos vicissim tum Gabrielem, tum Patres vendicare nobis, & rationem temporis explicare, & incommoda diluere conaremur. Quia tamen quæ tertio loco de Chronologia dixisti, ea non loquentis infantia, sed vel ipsa rerum obscuritate, vel ingenii mei tarditate perplexa sunt, & admodum salebrosa, antequam orationis nostræ vela pandimus, operæpretium arbitror tanquam egredientes è portu, paululùm remigare, & inter scrupulosas Chronologiæ cautes, quasi contis quibusdam disputationem nostram propellere.

67. Aiebas, opinor, ex Africani mente, inter annum Artaxerxis vicesimum, & Tiberii decimum quintum annos solares quadringentos septuaginta quinq; numerari. Evdox. Aiebam enimuero. Evst. Aiebas Artaxerxis vicesimum cum Olympiadis octogesimæ tertiæ quarto, Tiberii vero decimum quintum cum Olympiadis ducentesimæ secundæ anno secundo concurrere. Evdox. Et hoc aiebam ex Hieronymi translatione, sed monui annum hunc, quem decimum quintum trãstulit Hieronymus, ἐκδέκατον ab Eusebio nominari. Evstorg. Ne tricemur in hac lectionum varietate, hunc annum intelligo, quo præuaricatio consummanda, implenda prophetia, Sanctus Sanctorum vngendus à Gabriele prædicitur, inter quem & Artaxerxis annum vicesimum, centum & octodecim Olympiades calculis Africani colliguntur, id est anni duntaxat quadringenti septuaginta quatuor, etiamsi duos extremos in eam summam incluseris. Igitur ad supplendas hebdomadas & annorum quadringentorum & nonaginta summam non tantùm anni quindecim, quos ex omissis intercalaribus vix ac ne vix quidem conflare potuisti, sed sedecim debent accedere: sed hæc fortasse leuiora. Illud quæro, quid Africanus per annos Lunares intelligat, naturalésne an ciuiles?

68. Evdoxvs. Non intelligo quid velis, Eustorgi. Evstorg. Annos Lunæ naturales menses appello, qui videlicet vno Lunæ signiferum obeuntis circuitu peraguntur. Quorum alter periodicus vocatur ab Astronomis, quo Luna suum peragrans orbem diebus viginti septem, horis septem, scrupulis horariis tribus & quadraginta, scrupulorum minutiis septem, ad idem punctum redit, vnde discesserat. Synodicus, quo ab sole digressa post dies viginti nouem, horas 12. 44'. 3". rursus cum eo coniungitur. Ciuiles appello qui ex aliquot menstruis Lunæ spatiis conflati sunt non ex rei natura, sed ex hominum instituto. *Et in Ægypto quidem*, vt ait Censorinus lib. de die natali, *antiquissimum fe-*

Anni Lunares naturales.

Ciuiles.

runt annum bimestrem fuisse, post deinde à Bisone Rege quadrimestrem factum, nouissimè Arminon ad tredecim menses & dies quinque perduxisse. Item in Achaia Arcades trimestrem annum primùm habuisse dicuntur, & ob id Proselenes appellantur, non vt quidam putant, quòd ante sint nati quàm Lunæ astrum in cœlo, sed quòd priùs habuerint annum quàm is in Græcia ad Lunæ cursum constitueretur. Addit Cares & Acarnanes semestrem annum habuisse. Is autem iam omnium pene mortalium consensu receptus est qui ad Synodicum Lunæ cursum duodecies replicatum describitur, & diebus 354. horis 8. 48′. 38″. continetur, quamuis enim annus ciuilis è tredecim mensibus periodicis & diebus quinque constitutus propiùs ad annum Solarem accedat, quod spectasse videntur Ægyptii, Synodicus tamen annus est notior, vt oculis etiam faciliùs quàm Astronomorum ratiociniis deprehendi videatur.

99. Cùm igitur tot sint annorum Lunarium genera, quæro quem tandem horum voluerit Africanus cùm anno Solari componere, vt inter eos dierum vndecim & quartæ diei partis discrimen inueniret. Evd. Res ipsa loquitur, Eustorgi. Annum Lunarem è duodecim mensibus Synodicis constitutum. Evst. Cur non potiùs bimestrem, aut quadrimestrem? Hos enim anni modos ab Ægyptiis Hebræi sumere potuerunt: & si hebdomadas abbreuiatas interpretamur annorum breuiorum hebdomadas, nemo non videt annum bimestrem cæteris esse Breuiorem. Sin autem annum Lunarem quærimus hominum arbitratu confictum, qui quàm proximè ad Solaris anni spatium accedat, mensis periodicus tredecies replicatus (quam item anni formam ab Ægyptiis habere potuerunt) dies 355 horas 4. 19′. 21″. amplectitur.

70. Evd. Annos citrà controuersiam è mensibus Synodicis duodecim conflatos intelligit, tum quòd vulgo notiores, tùm quod Hebræis vsitati. Evst. Vsitati? vnde constat? sed hæc postea viderimus. Illud in præsentia dixisse suffecerit, quod ait Africanus. Ε῎λληνες καὶ Ιουδαῖοι τρεῖς μῆνας ἐμβολίμους ἔτεσιν ὀκτὼ παρεμβάλλουσιν, *Græci & Iudæi per octo annos trium mensium intercalationem faciunt.* aut falsum videri, aut si vnquam in Hebræorum mores inductum est; id multis annis post Gabrielis oraculum contigisse. Neque enim reperitur vllum apud sacros authores octoeteridis huiusce vestigium, vt huius inuentionem Hebræis acceptam referre debeamus. Neque adhuc à terra Græcia in Chaldæam migrauerat, vt eam Daniel posset adhiberc. Siquidem, vt notat Censorinus, *octoeteridem vulgo creditum est ab Eudoxo Cnidio institutam. Sed hanc Cleostratum Tenedium primùm ferunt composuisse, & postea alii aliter, qui mensibus variè intercalandis suas octoeteridas protulerunt, vt fecit Harpalus, &c.* Eudoxum Cnidium ducentis pene post Danielem annis, Platonis æuo floruisse constat, de Cleostrati ætate non liquet: probabile tamen est admodum, quod suspicatur Scaliger eum circa sexagesimam primam Olympiadem extremis Cyri temporibus floruisse.

Octoeteridis inuentores.

71. Restat igitur, vt ad obseruandam de industria prophetiam hunc anni Lunaris modum excogitarit anno Solari diebus vndecim, & quarta diei parte Breuiorem. Sed quoniam aiebas è mensibus intercalaribus cètum septuaginta septem, qui quinquaginta nouem octenniis inseruntur, annos ferè quindecim, quod Africanus dixit ὀλίγων ἡμερῶν ἀποδεόντων, vbi vel ipsa Grammaticæ ratio monet legendum μηνῶν *paucis mensibus exceptis*, Hieronymus autem transtulit, *plus minúsue*) possúmne ex te cognoscere quot menses desint vt decimus quintus annus omnino compleatur? Evdox. Tres menses, Eustorgi. Nam si menses 177. in 12. (qui modus huius anni Lunaris est) distribueris, inuenies annos quatuordecim, & nouem insuper menses eo numero contineri. Evst. Hos porro menses intercalares 177. siue annos ferè quindecim, ex iis vndecim diebus & quarta diei parte ab Angelo suppletos esse dicebas quibus annus Solaris menstruum Lunæ cursum excederet duodecies repetitum.

72. Evd. Aiebam sanè, sed quorsum ista? Evst. Hinc efficietur Angelum grauiter in Astrologia cespitasse. Evd. Quo pacto? Evst. Etsi, vt vtar verbis Petauii, inæqualis est conuersio Solis ab vno cardine ad similem alterum, ac modò maior, modò minor, vt in Theoricis ostenditur, tamen medius quidam & inter extrema temperatus ambo tropicus annus, est, qui diebus 365. horis 5. 49. scrupulis horariis definitur. Menses autem Synodici duodecim annum Lunarem efficiunt dierum 354. horarum 8. cum aliquot minutiis. 48′ 38″. Quos dies si ab anno Solari subduxeris, non plus quàm dies circiter decem & horas vnam ac viginti reperies interesse. Quare si annos Lunares duodecim mensium Synodicorum intelligi voluit Gabriel, vt è mensibus intercalaribus annos illos quatuordecim & menses nouem efficeret, in singulos annos horas circiter nouem, in

Lib. 1. rationarii temp. c. 1.

totam autem annorum 474. homadem horas præter propter 4275. contra veritatem astronomicam inculcat, quæ in partes 24. distributæ dies efficiunt amplius 177. id est sex propemodum menses, præter illos tres quos explendo decimo quinto intercalari necessarios esse concesseras. Tamen è dictis liquet annos sedecim desiderari, vt ex annis solaribus 474. hebdomas annorum lunarium septuagesima compleatur. Adeóque Gabriel imperitè calculum subduxit, vt penè biennio citiùs quam vngeretur Sanctus sanctorum, & deleretur iniquitas, hebdomadas septuaginta finierit. Sed pergamus dum adhuc in portu molimur, inter istos Chronologiæ scopulos disputationem nostram tonsis potiùs, & palmulis quàm velis promouere. Quæro igitur ex te,

---

XIII. *Quot annis Christus Euangelium prædicarit.*

73. EVDOXVS. Alij prædicationem Euangelij anno Tiberij decimo quinto circumscribunt: alij tria duntaxat paschata, quatuor alij, nonnulli quinque à Christo post baptismum obita numerarunt. Nos si placet, quia singulas opiniones enucleare, & quæstiones quæstionibus implicare non libet, mediam insistamus viam, vt tutiorem grauiorémque scriptorum impressam vestigiis, dicamúsq; Christum tribus annis & aliquot mẽsibus Euanlium prędicasse, ac proinde anno Tiberij decimo nono in crucem esse sublatum. Eusebius certè hunc ipsum Danielis locum explanãs, abominationem desolationis initium habuisse dicit, ἐπ' ἐδήλωσε μεσαζούσης τῆς ἑβδομάδος ταύτης μετὰ τὸ ἥμισυ καὶ τριετῆ χρόνον τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ καθ' ὃν καιρὸν πέπονθε τὸ διαπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐρράγη. *Cùm in medio huius hebdomadæ post annos tres & medium Euangelicæ prædicatione exactos, quo tempore passus est Christus, velum templi scissum est.* Iulius Dexter in omnimoda historia, quam Hieronymo dicauerat, & post eius mortem Orosio nuncupauit, cuius hortatu Hieronymus scriptorum Ecclesiasticorum seriem contexuit; hic, inquam, Iulius Dexter author tam antiquus & grauis Christum Dominum ætatis anno trigesimo primo Iudæorum populis prædicasse. trigesimo quarto in crucem actum esse testatur: *Habet enim, ni fallor* (inquit Beda lib. de Temporum rat. cap. 40.) *Ecclesiæ fides Dominum in carne paulo plus quàm triginta tribus annis vsque ad sua tempora passionis vixisse: quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, sicut Euangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptismа prædicauerit.*

Lib. 8 demonstrat. Euangel. pag 249 edit. Græcæ H.S.

74. Quod tanto consensu posteritas excepit, vt quemadmodum Petauius ex Mariana refert, Alphonsus Tostatus cùm Senis in Etruria inter capita 21. quæ disputanda proposuerat, hoc ipsum edidisset Christum 25. Martii non esse mortuum, sed die tertia Aprilis, anno 33. ætatis suæ ineunte, instante Ioanne Turrecremata Cardinali postulatus iudicio atque damnatus fuerit? Qua de re longissimam apologiam scripsit Tostatus, Defensorii nomine, cuius in secunda parte de anno & die passionis plenissimè disputauit. Quia tamen hæc Lucæ verba, cap. 3. v. 23 *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta:* varias interpretationes patiuntur, quæstionem hanc de anno & die passionis relinquamus aliis subtiliùs elimandam, illud vnum dixisse sufficerit paschata quatuor post Baptismum à Domino fuisse celebrata, vt euangelicæ prædicationi 3. annos & aliquot insuper menses impenderit. E quibus efficitur Christi mortem in annum Tiberij Principis vndevicesimum incidisse.

Petau. l. 12. de Doctr. temp c. 9. Mariana lib. de anno & die Pass. Christi, cap. 10.

75. Neque verò caussæ quicquam est cur eruditi sanè scriptores Irenæi testimonio abutantur vt promulgationem Euangelij trium paschatum celebritate definiant; tum quòd idem Sanctus eodem capite & proximè sequenti Christum Dominum, qui anno vitæ circiter trigesimo tinctus à Ioanne fuerat, ad annum ferè quinquagesimum vitam propagasse censuerit, tum quòd non obscurè ex Euangelio quatuor paschatis dies collegerit. Eius verba sunt: *Et primum quidem vt fecit vinum ex aqua, in Cana Galilææ, adscendit in diem festum Paschæ.* Subdit paucis interiectis: *Et post hæc iterum secunda vice adscendit in diem festum Paschæ in Ierusalem, quando paralyticum,* &c. *curauit.* Subnectit: *Et inde secedens trans mare Tiberiadis, vbi & cùm multa turba fuisset eum secuta, de quinque panibus satiauit omnem illam multitudinem, & superauerunt duodecim cophini fragmentorum.* Quibus verbis tertium Pascha citra controuersiam intelligit, cùm Ioannis verbis conceptis rei gestæ tempus annotarit: *Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum.* Pergit Irenæus: *Deinde cùm Lazarum resuscitasset ex mortuis, & insidiæ fierent à Pharisæis, secedit in Effren ciuitatem, & inde ante sex dies Paschæ veniens in Bethaniam scribitur, & de Bethania adscendens in Ierosolymam, & manducans Pascha & sequenti die passus.* Quare quod eodem teno-

Lib. 2. c. [illegible]
Ioan. 2. v. 13
Ioan. 5. v. 1.
Ioan. 6. v. 4.

resubtexuit: *Quoniam autem tria hæc Paschatis tempora non sunt vnus annus, omnis quilibet confitebitur*: sic interpretari debemus non quasi tria duntaxat fuisse Paschata definiat, sed vt, quoniam nonnulli de secundo Paschate controuersiam mouent, tria saltem fuisse dicat, quod satis est ad ipsius institutum.

76. BARACHIAS. Quid si ex pœna maioribus meis inflicta, tanquam ex aliquo facti vestigio, possim prædicationis euangelicæ tempus ostendere? EVDOX Rem omnibus gratissimam feceris, ô Barachia. BARAC. Rabbini veteres lib. qui *Eca Rabbati* .i. expositio Threnorum inscribitur, Ierosolymam à Tito tribus annis cum semisse, & vrbem Bither ab Hadriano totidem annis expugnatam esse memoriæ prodiderunt. Tanto videlicet tempore semel & iterum eos grauissimis bellorum cladibus affligi decebat, quanto tempore Messiam legis Euangelicæ mysteria prædicantem contempserant. Galat. l. 4. cap. 21.

77. IOSEPHVS. Quid si (ne ἀζυμβολος venisse videar) etiam ex eo colligimus Christum per tres annos & medium iaciendis Ecclesiæ fundamentis vacasse, quòd Antichristus eam totidem annis omni crudelitate lacerabit, funditúsque demoliri conabitur? & vt verbis vtar Danielis, *Sancti tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quem in locum Hieronymus diserte: *Tempus annum significat: tempora iuxta Hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent, duos annos præfigurant: dimidium autem temporis sex menses, quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt, vt condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati, susceperunt mendacium.* Hæc Hieronymus, quibus citra controuersiam Antichristi persecutionem Christi prædicationi componit, & totidem annis Ecclesiam ab altero vexatum iri significat, quot annis alter obsistentibus Iudæis Euangelium prædicauit. Cap. 7. v. 25

78. Atque hęc Danielis verba non solùm ab ipso Daniele, cap. 12. vers. 7. & à Ioanne Apocal. 12. vers. 14. repetuntur, sed etiam menses definitè circumscriptéque referuntur Apoc. 11. v. 2. *Et ciuitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Et iterum cap. 13. v. 5. *Et data est ei, bestiæ, potestas facere menses quadraginta duos.* Menses autem? etiam dies definiuntur, Apoc. 12. v. 6. *Et mulier fugit in solitudinem* (metu draconis qui volebat eius filium deuorare) *& habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis & sexaginta.* Quibus in 30. distributis menses duos & quadraginta reperies.

79. EVST. Atqui Daniel hoc ipsum persecutionis extremæ tempus certo definitóque dierum numero circumscribens vnum præterea mensem siue dies triginta numerauit. *Et à tempore*, inquit, *quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Quam prophetiarum antilogiam velim ab Eudoxo nostro, nisi tamen ei molestum est, planiùs explicari. EVDOX. Mihi verò Eustorgi, nodus hic eo perplexior & intricatior videtur, quòd cum passim dissimulent tum Ioannis tum Danielis interpreres, & frequentiùs ea de re cogitanti nihil occurrit aliud quàm Danielem illud prædicere, quod secundum caussas naturales futurū erat: Ioannem verò quod reapse futurum est, secundum prouidentiam Dei suorum infirmitati consulentis. Antichristum enim velut immanem belluam in Ecclesiæ busto tripudiantem diebus mille ducentis & sexaginta, post initam Sanctorum vexationem euolutis, *Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, qui si caussæ naturales suo tenore fluerent, per dies alios triginta vitam ad Electorum perniciem propagasset. Etenim, vt Veritas ipsa testatur, *nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Cap. 12. v. 11. 2 Thess. 2. 8. Math. 24. 22. Marc. 13. 21.

80. EVST. Quid hoc homine faceres. Eudoxe, qui ad conciliandum Ioanni Danielem, diceret alterum veros, qui horis viginti quatuor vno cœli circuitu peraguntur, mille ducentos & sexaginta numerasse, alterum vt prophetiam suam magis tegeret, & quibusdam ænigmatum integumentis velaret, alios quosdam dies abbreuiatos finxisse, singulos dodrante siue tribus horæ quadrantibus, illo vero die naturalique cœli conuersione breuiores, & ex omnibus illis horæ dodrātibus triginta dies, quos adiicit, esse conflatos? Quid, inquam, hoc hominefaciendum putares? EVD. Ego illum. sed temperādum est orationi meæ: & iampridem vereor quorsum tot disputationum ambages colliment. EVST. Tu illum, quid? εἰς κόρακας fortasse. EVDOX. Ah! noli nimiùm vrgere. EVST. Quæso, sine te exorari. EVD. Γαλατιάξ. EVST. Pax, pax. Equidem, dum adhuc in portu sumus, nolim facere gratiæ tuæ iacturam, aut interrogationum palmulas, quibus sensim controuersiam nostram promouemus, ad hunc scopulum detergere. Quare vt remos tantisper inhibeam, restituo duos illos annos, quos Africano de manibus extorse-

tam, concedóque ab anno vicesimo Longimani, ad Tiberii decimum quintum annos solares plenos quadringentos septuaginta quinque numerari, qui quadringentis & nonaginta Lunaribus perfectè respondeant. Vides quantum tibi largiar.

81. Iam illud quæro, Ecquid Africanus ad Christi passionem hebdomadas illas septuaginta perduxerit? EVD. Omnino. Nam anno Tiberii decimoquinto Christi mortem consignat Africanus apud Hieronymum cap. 9. Danielis. Quod ne temerè fecisse videatur, magnos planè viros Tatianum in harmonia, Clementem Alexandrinum I. Stromate, Tertullianum aduersus Iudæos, secutus est authores: & eum secuti Lactantius lib. 4. cap. 10. Augustinus qui vel vnus instar omnium esse poterat, lib. 18. de ciuit. cap. vltimo, Sulpitius Seuerus lib. 2. historiæ, Gaudentius Brixianus serm. 3. de Pasch. in eundem annum Christi necem acerbissimam contulerunt. EVST. Non quæritur vtrùm temeratius fuerit Africanus, sed vtrùm probabiliter & secundum Euangelii veritatem id fecerit, nósque in designando passionis anno citrà temeritatis notam possimus illius inhærere vestigiis. EVDOX. Vt quod res est, ingenuè fatear, hæc opinio quantumuis magnorum authorum, cùm ex Euangelio constet Christum à Baptismo tria saltem paschata peregisse, iam ita penitus obsoleuit, vt Christianus nemo dubitet eam tam falsam esse, quàm verum est subesse nullam Euangelio falsitatem.

XIV. *Rursus examinatur Chronologia Africani.*

82. CVm igitur, inquit eruditus Petauius lib. 11. Commentariorum in Danielem, tertia parte de septuaginta hebdomadis, à vicesimo anno Regis Longimani vnde cœperunt, hoc est ab anno quarto octogesimæ tertiæ Olympiadis, vsque ad mortem Saluatoris nostri, quæ concurrit cum quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, transactæ sint septuaginta hebdomades, deserendus est hac quidem in parte calculus Africani. Nam quod obiicere quis posset ab anno Longimani vicesimo, ad Christi passionem non tantum quadringentos septuaginta quinque annos Solares, qui æquiualent quadringentis nonaginta Lunaribus, sed quadringentos septuaginta septem esse numerandos, negotii nihil est hunc eximere scrupulum, adhibita distinctione computationis exclusiuæ & inclusiuæ Chronologis satis visitata. Computatio inclusiua est cum propositi numeri vterque terminus, primus & vltimus in computatione includitur; exclusiua verò est cùm vterque pariter excluditur. Iam à vigesimo Longimani, vsque ad annum passionis Domini, sunt anni quadringenti septuaginta septem, secundum exclusiuam computationem: at verò secundum exclusiuam, quam Angelus sequi maluit, vt integrum numerum septuaginta hebdomadum exprimeret, anni duntaxat septuaginta quinque & quadringenti numerantur. Computatio inclusiua. Exclusiua.

83. EVST. Si Barachias hic noster annos decem se legendis Rabbinis impendisse dicat, Iosephus se per totidem annos Sanctis Patribus operam dedisse: sed Barachias primum & extremum suæ lectionis annum ab eo numero, veluti superfluos & redundantes excludat, eorúmque nullam in supputandis studiorum suorum annis velit haberi rationem, Iosephus vtrumque computationis suæ terminum includat, & eo decennio comprehendat, cùm eundem vterque numerum annorum vsurpent, vter eorum tibi videbitur longius temporis spatium denotare? EVD. Res ipsa loquitur, Eustorgi. Barachias qui exclusis duobus extremis studiorum suorum annis, cùm decem annos se litteris impendisse dicat, reuera tamen significat annos omnino duodecim esse numerandos. Iosephus autem præciso definitóque annorum numero sua studia circumscribit, & breuius temporis spatium, verúmque, vt verba sonant, decennium inclusiua illa computatione designat. EVST. Non igitur Angelus, qui exclusiuam, vt ais, computandi rationem amplecti maluit, hebdomadas illas septuaginta, siue annos supra quadringentesimum nonaginta præciso circumscriptóque numero definiit, sed duos insuper extra hebdomadem septuagesimam positos voluit intelligi, vt omnino duo & nonaginta & quadringenti numerentur. EVD. Fateor.

84. EVST. Putásne ante Christi passionem confirmatum fuisse legis Euangelicæ pactum, aut hostiam & legis antiquæ iuge sacrificium defecisse? EVD. Equidem non puto: EVST. Atqui hæc non duobus annis post hebdomadas septuaginta transactis, sed intra hebdomadem septuagesimam contigerunt. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis, deficiet hostia & sacrificium.* Dan. 9. 27. EVD. Cogitandum est ex septem vltimis annis totius summæ septuaginta hebdomadum exclusis vtrimque terminis computatæ, hoc est annorum quadringentorum nonaginta

nonaginta duorum confici vnam hebdomadam, quæ incipit ab anno quadringentesimo octogesimo sexto, desinit in annum quadringentesimum nonagesimum secundum. Cuius hebdomadis medio, id est annis tribus & semisse iam euolutis, anno videlicet post quadringentesimum octogesimo nono, Christus baptizatus est, deinde per tres annos & aliquot menses Euangelium prædicauit, donec anno nonagesimo secundo deleuit iniquitatem, impleuit omnes prophetias, iustitiam sempiternam adduxit, interueniente morte confirmauit testamentum, siue pactum legis Christianæ, hostias & sacrificia Mosaicæ legis aboleuit, & clamans voce magna, *Consummatum est*, animam exhalauit.

Ratiocinatio Pererij.

85. Aut si mauis Christum post priorem medietatem, id est anno illius hebdomadæ quarto in crucem esse sublatum, hanc postremam hebdomadem incipies anno post quadringentesimum duodenonagesimo, & ad quintum & nonagesimum perduces, cuius initio baptizatus est Christus, medio cruci suffixus. Exinde sacrificia legalia fuere inualida: residuo huius hebdomadis, Apostoli magno studio & ardore animi Euangelium in Iudæa prædicarunt. Hinc apparet, inquit idem Pererius, hanc interpretationem nihil habere verbis Angeli nō consentaneum & congruens. Neque enim Angelus eam hebdomadam, in cuius dimidio defecit hostia, & sacrificium, vel septuagesimam, vel vltimam hebdomadam appellauit, sed tantum vnam hebdomadam, quæ qualiscunque intelligi potest, dummodo ea constet septem annis & sit extra sexaginta nouem, de quibus antea dixerat. Hæc penè ad verbum vir tum ingenio limatus, tum omni litterarum genere cumprimis expolitus. Evst. Vetè limatus, Eudoxe, qui subtiliùs quam Vulcanus in fabulis,

---graciles ex ære catenas
Retiáque & laqueos quæ lumina fallere possent,
Elimat, non illud opus tenuissima vincant,
Stamina, non summo quæ pendet aranea tigno.

86. Sed, Eudoxe noster, bona venia dic. Hoc est scripturam interpretari, an occupatam semel opinionem velle quocumque modo defendere? Nam si hebdomadem hanc in cuius dimidio per Christi crucem defecit hostia & sacrificium, aliam intelligere possumus atque septuagesimam quæ proximè sexaginta nouem excepit, si fas est illam ab reliquis diuellere, & vnam hebdomadam interpretari, quæ qualiscunque intelligi possit, dummodo ea constet septē annis, & sit extra sexaginta nouem, vel ab anno primo Darij Medi & edita prophetia, vel ab Olympiade sexagesima laxatáque per Cyrum Iudæorum captiuitate deductas Olympiade 181. terminare, quo tempore Gabinius Syriæ Proconsul, quasi cum Cyri erga Iudæos humanitate certaret, nō solùm quinque conuentus iuridicos in Iudæa constituit, sed etiam Hircanum ab Alexandro Aristobuli filio pontificatu deiectum restituit, & Samariam, Azotum, Scythopolim, aliásque vrbes non paucas instaurauit. Quæ pluribus à Iosepho referuntur. A quo tempore, cùm nobis commodum fuerit, octoginta circiter annis euolutis poterimus vnam hebdomadam inchoare, quæ qualiscunque sit, certè septem constabit annis, & erit extra sexaginta nouem, cuius in medio, Christus in crucem tolletur, cæteráque præstabit quæ Gabriel futura prædixerat. Quæ si meritò respuuntur, nihil est quod in retundenda Pererij subtilitate diutiùs hæreamus. Evd. Equidem nihil habeo quod reponam.

Confutatio Pererij.

Lib. 14. Antiq. c. 10.

87. Evst. Vnus videtur superesse scopulus cautè prætereugendus, ne ad hunc adhæreseat oratio. Angelus, vt ais, eam adhibuit computandi rationem non quæ præciso definitóque numero hebdomadas illas septuaginta circumscriberet, sed quæ duos insuper annos annecteret, ac temporis spatium productius admenso biennio denotaret. cur igitur eas *abbreuiatas*, vel vt hebraica sonant *decisas*, vt Græca συντετμημένας *concisas* appellat? Evd. Hebdomadas abbreuiatas appellat lunarium videlicet annorum, qui decisi sunt, συντετμημένοι & annis solaribus aliquanto contractiores siue breuiores. Evst. At cùm adiectum illud *abbreuiatæ* non ad *annos*, sed ad *hebdomadas* septuaginta, siue annorum numerum referatur, perinde facere mihi videris atque si audiens à præciso militum centenario relatam esse victoriam, interpretarere singulos milites, aut circumcisos, aut mutilatos, aut certe pumilos, &c, vt sic loquar, reliquis hominibus fuisse breuiores.

88 Verùm esto; plus quam veritas postulat, largiamur. Dixerit Angelus non abbreuiatas annorum hebdomadas septuaginta, siue septuagenarium septies repetitum, sed abbreuiatos annos generis humani redemptioni præfixos: ideóne lunares annos communibus breuiores interpretari debebimus? cùm intelligere non incommodè possimus, annos illos, qui, nisi Deus Sanctorum vota præuidisset, plures futuri erant, redactos ad paucitatem, non Deo mutante sententiam, sed Patriarcharum &

Prophetarum precibus annuente. Nec tamen (vt occasione non absimili notat Gregorius Magnus lib. 12. Moralium, cap. 2.) dominica statuta conuulsa sunt, quia vt ex largitate Dei, anni reparandæ salutis humanæ decrescerent, hoc quoque ante secula præfixum fuit, atque spatium tẽporis, quod foris detractum est, sine decessione fuit intus statutum. Christus dicit breuiatos dies persecutionis extremæ. Dicamus intelligi dies nescio quos communibus diebus horæ dodrante breuiores. Omnium aures respuent. Tamen hîc nulla subest caussa quæ nouos annos inuehat: ibi nonnulla conciliandæ scripturæ necessitas incumbit. Sed hoc argumentum non vrgeo, ne rursum mihi succenseas.

89. Illud aio: Lunaris hic annus dierum 354. qui ad Lunæ cursum duodecies replicatum describitur, vel vsitatus erat apud Hebræos, vel contra commune vsum dicentis arbitrio confectus est. Si vsitatus fuit, valeant Chronologi, concerpantur annales, nulla deinceps in explananda scriptura ratio temporis habeatur: amentiæ denique damnetur Moses, qui ad explicandam temporum seriem cuiusque Patriarchæ natalem certo parentis anno consignans tanto labore nihil effecerit, & ne verbo quidem significarit vtrum annorum genus in digerendis Chronologiæ rationibus vsurpet. Noe vixit annos nongentos & quinquaginta. Dubius hærebo debeamne lunares interpretari, & annos vertentes nongentos duntaxat & viginti numerare? Vixit Abraham annos centum & septuaginta quinque. Quid si lunares? quos si cum solaribus componere velimus, necesse sit annos circiter quinque de summa deducere. Sic in omnibus anceps & dubius fluctuabis.

90. Sin autem hic lunaris anni modus præter Hebræorum consuetudinem, loquentis arbitrio confictus est: iam certi nihil continebit prophetia, nihil in quo vestigium figere possimus. Vis septuaginta Danielis hebdomadas ab anno primo Cyri, vel potiùs à capta Babylone laxatáque Iudæorum captiuitate deducere? vnde anni solares ad Christi crucem circiter quingenti septuaginta, siue hebdomades 81$\frac{3}{7}$ numerantur. Vis ab anno Darii secundo, & templi ædificatione harum hebdomadum seriem accersere? Annos tibi finge tuomet arbitratu tredecim vel quatuordecim mẽsium, maiores aut minores, prout Chronologiæ tuæ ratio postulabit, vt anni illi solares septuaginta supra quingentesimum, ad maiores illos, quos tute tibi finxisti, quadringentos & nonaginta reuocentur, & abbreuientur hebdomades ad septuaginta contractæ. Sed quoniam iam, vt videtur, emersit è vadis, & scopulos prætervecta est disputatio, ac nostrûm vterque remigando fatigati sumus, etiam atque etiam velim, vt, dum aliquantisper respiramus, Barachias anni Iudaici rationem nobis edisserat.

XV. *De anno Iudaico.*

91. BARACHIAS, Hebræi veteres annum duplicem habuerunt: Alterum profanum, & gentibus Orientalibus communem: alterum sacrum suæque genti proprium; hunc circa vernum æquinoctium inchoabant, illum vulgo persuasum est ab æquinoctio autumnali sumpsisse primordia. Nam, vt author est Hieronymus in cap. 1. Ezechielis, *Apud Orientales populos post collectionem frugum, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, & Ianuarius quartus.* Et sanè tabernaculorum siue collectionis frugum solemnitas mense septimo: qui nostro Septembri respondet, iubetur in exitu anni celebrari Exodi 23. v. 16. & iterum cap. 34. v. 22. *anni* תקופה *Thecupha, reuolutio* nominatur. Si tamen, vt significat Iosephus originum 1. cap. 5. hunc annum ab Ægyptiis acceperant, desultorius is fuit, neque certum habuit cardinem vnde principium suum accerseret. *Nam*, authore Censorino, *Ægyptiorum annus ciuilis solos habet dies 365. sine vllo intercalari: itaque quadriennium apud eos vno circiter die minus est, quam naturale quadriennium: eóque fit vt anno 1461. ad idem reuoluatur principium.* Cum enim mensis Thot, vnde sumebant anni principium, singulis quadrienniis vno die retrocedat, in annis autem 1460. quadriennia 365. numerentur, necesse est vt eo temporis spatio dies omnes naturalis anni peruagetur. Exempli caussa incipiat annus Ægyptiacus hoc anno Christi 1639. ab æquinoctio Autumnali, anno 1643. vno ante æquinoctium die renascetur, atq; ita deinceps donec post annos 1460. ab eodem æquinoctio rursus oriatur. Atque hunc ἡλιακὸν vocabant, quod ad eum lunæ non pertineret.

Annus solaris Ægyptius.

92. An autem Hebræi veteres ante Macedonum imperium ad Lunæ, siue periodos, siue cum Sole congressus exegerint annum, possit non immeritò dubitari. Notant eruditi viri Mosen Lunæ lunarisve mensis, cùm de solemnibus festis agit, nusquam meminisse, sed primum tantummodo mensem vel septimum nominare. ac

proinde cum Phase decima quarta die primi mensis immolari iubet, incertum est verum lunæ voluerit haberi rationem. Neque sanè par erat vt lunæ festiuitates alligaret, ne lunæ cultum videretur inducere, qui tam seuerè Solem, Lunam, & militiam cœlestem adorari prohibuit. Deuteronom. cap. 4. vers. 19. cap. 17. v. 3. Quia tamen Genesis 1. vers. 14. Deus vtrumque luminare, *vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos*, dicitur in cœlo posuisse, & ait Moses Exodi 2. vers. 2. se tribus ירחים *ierahim, Lunis* siue *mensibus* fuisse absconditum, nullus dubitare possum quin antiqui illi Hebræi menses ad lunæ cursum dimensos habuerint. Quod si ex huiusmodi descriptione mensium idololatriæ periculum imminebat, ideóq; Moses in indicendis festiuitatibus nullam Lunæ debuit habere rationem, neque ad Solis cursum eas exigere debuit, quòd idem ab vtroque periculum incumberet.

Vtrum in festorum institutione lunæ ratio habeatur?

93. Quod si festiuitatum institutio ante Macedonum imperium, nihil ad lunæ cursum pertinebat. vnde prisci Iudæi tanto apparatu symphoniæque cōcentu neomenias siue calendas & nouilunia celebrabant? Psal. 80. v. 3. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Quid ita verò? *Quia præceptum in Israel est.* Per quem huiusmodi præceptum innotuit? sine dubio per Mosen. At enim scriptura neomeniam siue calendas nunquam ירח lunam, sed חדש mensem frequenter appellat. Quasi verò quicquam aliud hac dictione quàm lunaris mensis initium intelligat. Vt enim solis cursus annuus שנה *schanah* ab iteratione, quòd sole ad punctum vnde discesserat regresso, iteretur, & in se sua per vestigia voluatur? ita חדש *codesch* mensis à renouatione, quòd luna quæ digressa fuerat à sole, post 30. fere dies iterum cum eodem congressa renouetur. Esdræ 3. cap. 1. v. 1. (qui liber etsi passim inter apocrypha reiectus est, sua tamen authoritate non caret) dicitur Iosias immolasse Phase *quartâ decimâ lunâ mensis primi.* Sed quid diutius hoc loco moramur? *A luna signum dici festi*, vt dicitur Ecclesiast. 43. 7. qui libet etsi in Iudæorum canone non extat, in canonem tamen ab Ecclesia Romana susceptus est.

Vide c. 7. 10.

94. Neque verò dici probabiliter potest hanc lunæ obseruationem Macedonum temporibus in mores inductam, quam conceptis verbis Iosephus & Philo Mosi acceptam tetulerunt. Ille lib. 3. Antiq. cap. 10. author est secundum legem Mosaicā, mense Xantico, qui Iudęis Nisan vocatur, & annum exorditur, τεσσαρισκαιδεκάτη κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος, *decima quarta lunæ die, sole Arietem ingresso* Pascha celebrari. Hic lib. 3. de vita Mosis, cùm dixisset τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, *æquinoctij verni principium, primum anni mensem à Mose constitutum* fuisse subiecit τῷ δὲ μηνὶ τούτῳ περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς ἄγειν τὰ διαβατήρια, *hoc mense circa decimam quartam diem, plenilunio iam iam imminente, Pascha celebratur.*

Pag. 467. edit. Græc. Turnebi.

95. Quid Agathobuli duo Philone & Iosepho antiquiores, qui ab Anatolio laudantur, apud Euseb. lib. 7. hist. Eccl. exeunte? Quid Aristobulus vnus è LXX. Senioribus qui sacros codices transtulerunt? Quid, inquā, Aristobulus ille magnus libris enarrationum legis Mosaicæ quos Philadelpho nuncupauit, ne quis eum putet contra Legislatoris mentem nuperum & nouitium lunaris obseruationis inuentum obtrudere. Hi omnes soluentes quæsita quæ super Exodum proponi possunt, φασὶ δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν μεσοῦντος τοῦ πρώτου μηνός: *Aiunt Paschales victimas omnibus communiter immolari debere post æquinoctium vernum medio primi mensis.* Et ne quis aliud per medium mensem quàm ipsum plenilunium intelligat, subdit Aristobulus quo tempore post vernum æquinoctium mensis primi medio Pascha celebratur. Lunam in Autumnalis æquinoctii signo esse constitutam, ὥσπερ οὖν, inquit, ἔξεστιν ἐν ταῖς πανσελήνοις ὁρᾶν, ἔσονται ὁ μὲν κατὰ τὸ ἐαρινὸν ἰσημερινὸν ὁ ἥλιος τμῆμα· ἡ δὲ ἐξ ἀνάγκης κατὰ τὸ μετοπωρινὸν ἰσημερινὸν ἡ σελήνη. *Vt igitur in pleniluniis videre est, Sol quidem erit in æquinoctij verni segmento, luna autem in autumnalis æquinoctij signo versabitur.* quia videlicet tum demum plena nobis apparet, cùm Soli κατὰ τὴν διάμετρον opponitur.

Pag. 81. edit. Græcæ R. S.

96. Sed quorsum ista? quorsum? Profecto vt intelligatis hinc non pauca colligi, quæ videri possint, ad rem qua de nunc agitur, non mediocriter pertinere. Nam primò paschalis hic annus (sic enim perspicuitatis causâ deinceps appellabitur, vt Paschale æquinoctium, Paschale nouilunium, plenilunium Paschale) hic, inquam, Paschalis annus non ad Solis modo, sed etiam ad Lunæ cursum exigi consueuit. Deinde eius initium; quod semper à nouilunio Paschali ducitur, vagum est & desultorium, neque vlli certæ diei anni vertentis affixum. Sed interdum æquinoctio præit, succedit interdum, quamuis nimia vagandi licentia, ipso æquinoctio velut in-

iecto freno retinetur: plenilunium enim, quo Pascha celebratur, semper æquinoctio debet esse posterius, Sole Arietem, Luna libram occupante. Quo fit vt neque citra nonum Martii diem, neque vltra sextum Aprilis, anni sacri caput, siue Paschale nouilunium possit ab æquinoctio remoueri.

97. Etsi enim inæqualis est æquinoctiorum progressio, & Zodiaci signa lapsu temporis nonnihil anticipauerunt, vt ex multorum antiquorum & recentiorum obseruationibus inter se comparatis docet Ioannes Copernicus lib. 3. reuolutionum cœlestium, medius tamen temperatus æquinoctii verni cardo est dies Martii vigesimus primus, quo Sol Arietem ingreditur, in eóque versatur vsque ad Aprilis vigesimum, quo temporis interstitio necesse est Paschale plenilunium contineri. Quod exemplo liquidius euadet. Anno superiore, qui fuit millesimus sexcentesimus trigesimus octauus æræ Christianæ, nouilunium (quod anni sacri caput) incidit 15. Martii, sex ante vernum æquinoctium diebus; hoc autem anno, qui est eiusdem Christiani seculi vndequadragesimus, Paschale nouilunium Aprilis quarto consignatum est, diebus quatuordecim pòst vernum æquinoctium euolutis. Anno quadragesimo nouilunium erit vigesimo quarto Martii, triduo post æquinoctium. Anno quadragesimo primo idem anni caput quadrabit in duodecimum Martii, qui diebus nouem æquinoctium antecedit.

98. Hinc etiam colligitur hos annos inæquali dierum numero fuisse constitutos. Nam Paschalis annus qui in æra Christiana supra millesimum & sexcentesimum octauus & trigesimus illuxit, & partem ex anno Christi Iuliano 1638. partem è 1639. libauit, cùm à decimo quinto Martii exorsus Aprilis tertio finem acceperit, fuit dierum 384. & anno Iuliano nouemdecim dies adiecit. tot enim inter quartum Aprilis, & decimum quintum Martii numerantur. Hic autem annus Paschalis 1639. incipiens quarto Aprilis, vigesimo tertio Martii finietur, eritque proinde diebus duodecim anno Iuliano contractior. Annus quadragesimus à vigesimo quarto Martii ducens initium eiusdem duodecimo terminatur, & diebus duodecim minor est anno Iuliano. E quibus apparet anni Iuliani modum ad alterum annum Paschalem quantum super longitudinis accessit, tantum ex altero vel pluribus aliis decedere, vt qui subductis rationibus omnibus summam fecerit aliquot annorum, & decessiones cum accessiónibus contulerit, is facilè possit hos annos Paschalem ac Iulianum ad æqualitatem & concordiam reuocare. Id autem quanta temporis periodo fiat, in medium relinquo, ne quoniam, vt dicitis, scrupulosos istos disputationum scopulos aliquando prætervecti sumus, nos rursus in has minutias & numerorum perplexitates resorbens vnda fretis ferat æstuosis.

99. Nihil tamen, opinor, habebit iniucunditatis oratio, si adiecerimus hos annos à nouilunio cœptos, Lunæ duodecimæ vel decimæ tertiæ silentio finiti, ac proinde modò duodecim, modò tredecim Lunationes integras continere. E quibus efficitur reapse nunquam plus aut minus ex anno vero Solari decedere, quàm est illud interuallum quo Solis annuus cursus menstruam Lunæ reuolutionem duodecies replicatam superat, neque plus aut minus accedere, quàm est illud temporis spatium quo Solaris annus à Luna ter & decies repetita superatur.

100. Sed non ad viuum omnia resecamus, aut disputationis nostræ filum Astronomica subtilitate deducimus. Neque sanè necesse est, cùm ipsa etiam Ecclesia Romana, ob caussas quæ à Christophoro Clauio cap. 4. Calend. Greg fusè tractantur, posthabitis veris Solis ac Lunæ motibus, quippe qui ad Astronomos magis pertineant, Solos medios & æquales, siue potiùs, cyclos constanti æquabilique ordine progredientes consideret; imò cùm nec ipsi Iudæi veteres ad deprehendenda nouilunia Mathematicis demonstrationibus vterentur, sed imminente neomeniâ, non sine moroso delectu, per ipsum interlunium speculatores ac testes fide dignos apponerent: qui ex edito loco nascentem Lunam prospiciebant, eáque perspecta statim ad Synedrium referebant. Qui si diligenter examinati constanter à se visam Lunam portenderent, tum consessus pronuntiabat מקדש מקדש *Sanctificata est, Sanctificata est.* Atque ita Neomenia statuebatur. Quod si trigesimo post superiorem Neomeniam die, nullus testis ad consessum accederet, tum in posterum diem renascentis anni nouilunium differebant. Quibus explicandis non immoror, quòd eruditus Petauius tum annotationibus in Epiphanium, tum lib. 2 de doctr. temporum cap. 27. è Thalmudistis & R. Mose ben Maimon, rem eleganter & fusè tractauerit. Cùm igitur veteres Hebræi nec suos annos ad Astronomorum amussim exegerint, nec plus in eo genere præstiterint, quam quiuis *Ofellus*

Rusticus abnormis sapiens, crassáque Minerua.

& nos omissis illis Astronomorum tricis non tam veros & exactos siderum decursus, quam medios & populares enucleare debuimus.

101. Neque tamen Eustorgium reprehendo, qui cùm annos nescio quos nusquam ab Hebræis antiquis in vsum receptos expenderet, non horas solùm, sed etiam horaria scrupula, scrupulorúmque minutias ponderauit, vt si quid subesse falsi deprehenderet, inde probaret de his annis intelligi non posse Gabrielem, qui vel annos accuratissimos, vel mendosos quidem, sed vsu publico receptos adhibuit. Hi autem anni Lunares mensium duodecim, sibique perpetuò constantes vnde proferuntur? quis eos Hebræorum consuetudine receptos probat? quod huius rei vel in scriptura canonica, vel in idoneo scriptore vestigium? cui denique vsui fuerunt? indicendisne festiuitatibus? at Paschalem annum adhibebant: signandis contractibus? at, vt è Iosepho liquet, anni Solaris descriptionem ab Ægyptiis acceptam sequebantur. An quia naturalis est anni merè Lunaris in duodecim menses descriptio, inde colligimus eam apud Hebræos locum habuisse? At nemo negat eam voluntariam esse, & pendere ex hominum, qui vti voluerint, arbitratu.

1. Antiq. cap. 4.

102. Si verum quærimus, nihil aliud profertur quàm testimonium Africani. Grauis authoritas: Sed huic Iosephum, Philonem, Agathobulos duos, Aristobulum opponimus. Floruit centum circiter annis post templi excidium Africanus. At Aristobulus è LXX. senioribus vnus fuit, cæteri ante templi subuersionem etiam floruerunt. Ille cùm in Palæstina vixerit, Iudæorum mores ignorare non potuit. Quasi verò si quos opponimus, vel in Scythia, vel in America fuerint educati. Quid si, quod Palæstinam incoluit, difficiliùs Iudæorum consuetudines potuit habere compertas? His enim, vt author est Tertullianus æqualis Africano, & ei suppar Cyprianus, *Nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.*

Apologetico lib. de idolorum vanitate.

103. Evdox. Vide quæso, Barachia, ne per imprudentiam eò reuoluaris, vnde maximè fugiebas. Bar. Quo pacto? Evd. Iudæis annos fuisse concedis quorum alii Lunas duodecim, alii tredecim continerent. Atqui nihil aliud voluit Africanus, nihil omnes qui de mensibus Lunaribus vaticinium Danielis intelligunt. Neque inficiantur annos quosdam fuisse Iudæis è mensibus tredecim conflatos, sed hunc mensem decimum tertium, qui anno Iuliano dies circiter nouemdecim superaddit, intercalarem appellant. Cùm igitur de re conueniat, quid necesse est de nomine velitari? omittamus eos menses qui singulis pene trienniis supra Lunam duodecimam adduntur, habebimus omnes Lunares annos æquales inter se, & diebus præterpropter vndecim, anno Solari breuiores, quod vnum voluit Africanus. Et sanè cùm hæc intercalatio mensium naturalis non sit, sed pendeat ex hominum Lunares annos ad æqualitatem Solaris anni reuocantium instituto, non video cur difficile sit, ea quæ Solo arbitratu coniuncta sunt, saltem cogitatione disiungere. Quod si fecerimus, habebimus annos Lunares quadringentos & nonaginta cum Solaribus siue vertentibus quadringentis septuaginta quinque comparari.

104. Bar. Fateor equidem, Eudoxe, cuilibet esse promptum Lunares annos certo mensium & dierum numero sine varietate constantes & omnibus intercalationibus expeditos procudere. Sed illi quicunque fuerint, Paschales certè non erunt. Cùm enim Iudæi decima quarta die primi mensis imminente plenilunio post æquinoctium Pascha celebrare debuerint, plenilunia verò per singulos annos vertentes diebus vndecim retrocedant (tot enim diebus annus Lunaris è mensibus duodecim conflatus est anno Solari contractior) non potuerunt huiusmodi Lunares annos adhibere. Alioquin, vt Lyranus, Galatinus, aliique passim aduertunt, si hoc anno postridie verni æquinoctii, id est vigesimo secundo Martii Pascha celebrassent, anno proximè sequenti vndecimo Martii peragerent, decem ante vernum æquinoctium diebus, anno deinceps altero Calendis Martiis; post annum tertium vndecimo Calendas Martias, siue vndeuigesimo Februarii, deinde Februarii octauo, donec, annis circiter tribus & triginta, quatuor anni tempestates Pascha percurreret, & anno sequenti, æquinoctio pristino redderetur. Quæ cùm Mosis instituto repugnent, necesse fuit quibusdam intercalaribus mensis primi plenilunium retardare, & tanquam vinculis ad æquinoctium alligare. Hæc igitur intercalatio pertinet ad ipsam anni Iudaici siue Paschalis essentiam, & qui Lunares annos prætermissis intercalaribus à Gabriele numeratos esse defendunt, perinde faciunt, atque si ratiocinandi vim ab humana natura, cogitatione secernerent.

105. Hæc igitur dictorum summa esto. Hebræi iam inde ab Exodo duplicem annum habuerunt: alterum prophanum, sacrum alterum: prophanum ab Ægyptiis, sacrum è Mosis, vel Dei potiùs instituto. prophanus ad Solis vnius cursum descriptus est: sacer siue Paschalis è Solis & Lunæ circuitu temperatus; prophanus sibi semper æqualis dies trecentos sexaginta quinque, sacer inæqualis modò trecentos quinquaginta quatuor, modò trecentos octoginta quatuor continebat. Prophanus quòd intercalationem non haberet, vnum singulis quadrienniis anticipabat diem, eiusque caput certa temporis periodo per omnes anni vertentis dies vagabatur: anni Paschalis initium ne per singulos annos diebus circiter vndecim retrocederet, certis intercalationibus velut iniecto freno comprimebatur: quo fiebat vt Calendæ mensis primi, quæ Paschalis anni caput fuerunt, quasi circa metam interiore giro flecterentur, nec longiùs diebus tredecim in anteriora, nec in posteriora plus diebus sedecim ab æquinoctio verno discederent. Alioqui cùm triginta duntaxat dies Sol in Ariete versetur, Sole vel nondum in Arietem ingresso, vel iam inde digresso decimaquatta dies mensis primi, siue Paschale plenilunium contigisset. Quod cùm per legem fieri non possit, ita pertinet ad anni Iudaici naturam, vt certis intercalationibus ad æquinoctium eius exordia reuocentur, vt sine illis ne intelligi quidem possit. Anni verò merè Lunaris, & intercalaribus mensibus destituti nullum vel in Hebræorum moribus, vel in scriptura sacra vestigium.

106. Hæc habui de prisco Iudæorum anno quæ dicerem: quem Christiani susciperent, nisi vel ob memoriam resurrectionis, vel ne cum Iudæis concurrerent, Paschæ celebritatem in proximam diem dominicam contulissent. Neque verò quicquam attinet de recentiore Iudæorum anno disserere: tum quòd eius cognitio non magnopere promoueat institutam à nobis quæstionem, tum quòd alii multi, sed imprimis Paulus Guldinus Societatis Iesu Refutatione Elenchi Gregoriani Calendarii libro 4. rem accuratè tractauerit. illud igitur vnum superest, vt Eustorgii nostri sententiam audiamus.

XV. *Exponitur verosimilior sententia,* LXX. *Hebdomadas ab Esdra & anno Artaxerxis septimo inchoandas.*

107. EVSTORG. Audietis verò, Barachia, non meam duntaxat, sed multorum veterum & recentiorum, Græcorum Latinorúmque sententiam. Nam quod Pererii verbis Eudoxus aiebat, hanc opinionem hactenus placuisse nemini; cùm tamen, si quid ea probabilitatis haberet, in tanta scriptorum multitudine, in controuersia tot seculis agitata defuturus non fuerit vnus aliquis, qui suum ei patrocinium commodaret. Mihi crede, μωρμολύκεια, sunt hæc & terriculamenta puerorum.

108. Aio igitur ab anno Longimani septimo, qui post Xerxis initium, secundùm aliquam sui partem vigesimus octauus illuxit, septuaginta Danielis hebdomadas esse numerandas. Ait Eudoxus hanc Chronologiam nullius veterum, aut recentiorum hactenus fuisse suffragio comprobatam. Quid si Basilius Seleuciensis ad caussam hanc & disceptationem venerit aduocatus? Oratione 38. cùm illa verba: *ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt*, sic exposuisset: *Sexaginta nouem hebdomades dixit Angelus vsque ad Ascensionem Saluatoris, & hebdomadam alteram Iudæis attribuit, vt redirent ad saniora.* Et quibusdam interiectis addidisset, ædificationem esse perfectam, τῷ κη' ἔτει Ξέρξου τοῦ βασιλέως μηνὶ ἐννάτῳ. *Xerxis Regis anno vigesimo octauo, mense nono*, subiecit, τὰ δ' ἀπὸ τῆς οἰκοδομῆς τῆς Ἱερουσαλὴμ ἕως τῆς ἀναλήψεως τοῦ σωτῆρος ἔτη υπγ'. *Ab ædificatione verò Ierusalem ad Adscensionem Saluatoris anni sunt quadringenti octoginta tres*, quibus hebdomades nouem & sexaginta continentur. Basilii Seleuciensis sententia.

109. Neque verò quæritur quàm bene primo Cyri apud Persas regnantis anno putauerit laxatam esse Babylonicam seruitutem: Hic enim error ei cum Africano communis est. Non verùm hebdomadem vndeseptuagesimam adscensione Domini commodè terminarit: Nam etiam ab aduersariis in assignando fine deseritur Africanus, qui eas non vltra decimum quintum Tiberii Principis annum perduxit. Non verùm rectè Xerxi tribuerit annos duodetriginta, & in supputandis Re-

gum & Imperatorum annis multa peccarit. Neque enim hoc loco de historia rebusque gestis, sed sola Chronologia & hebdomadum initio Basilii sententiam sciscitamur. Harum ille caput accersit ab anno duodetrigesimo, postquam Xerxes regnare occœperat. An autem Xerxes ad id temporis vitam propagarit, nihil ad institutam cum Iudæis de aduentu Messiæ controuersiam pertinere ratus, impune potuit Iosephi sectari vestigia.

110. Ac ne quis dubitare possit quotum Persicæ Monarchiæ annum intelligat, Ἀπὸ μὲν, inquit, πρώτου ἔτους Κύρου ἕως θ' ἔτους Δαρείου, ὅτε ὁ ναὸς συνετελέσθη, ἔτη μϛ', ὡς προγέγραπται· ἀπὸ δὲ ι' Δαρείου ἕως κ' Ξέρξου ἔτη νε' πρὸς μῆνας τρεῖς· ὁμοῦ δὲ τῆς οἰκοδομῆς Ἱερουσαλὴμ κατὰ Ἰώσηππον ἔτη ρ'. *A primo anno Cyri, ad nonum vsque Darii annum, cùm perfectum est templum, acti sunt anni quadraginta sex, vt ante est expositum: à decimo verò Darii vsque ad vigesimum octauum Xerxis, anni sunt quinquaginta quinque, subducto trimestri. Similiter de Iosephi sententia centesimo anno stetit ædificatio Ierusalem. ab ædificatione verò Ierusalem ad adscensionem Saluatoris anni sunt quadringenti octoginta tres.* Hæc magnus ille Seleuciensis antistes.

111. Quid Cedrenus? Postquam in Persarum Regum serie deuenit ad Arta-
Pag. 119. xerxem Longimanum. Ἀπὸ τοῦ ὀγδόου ἔτους τούτου, inquit, ἀριθμεῖσθαι δεῖ τὰς ἑβδομήκοντα ἑβδομάδας, τῆς τοῦ Δανιῆλος ὀπτασίας μέχρι τῆς Κυρίου παρουσίας. *Ab huius anno octauo numerandæ sunt hebdomades septuaginta, de quibus visio Danielis, vsque ad Domini præsentiam.* Octauum intellige duntaxat inchoatum, qui proinde totus hebdomadis illis includitur. Sed parum refert. Neque enim Chronologi cùm vno vel altero duntaxat anno dissentiunt, censentur inter se dissidere.

112. Ad Latinos veniamus. Equidem antiquos proferre non possum: quòd Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Leo, Bernardus & alij magni nominis authores ea supersederint quæstione. Sed neque aduersarii præter Bedam, & aliquot Computistas plerosque satis obscuros sine examine, quod primùm in libris reperiebant amplexos, possunt suę sententiæ fundos adhibere. Omitto Heluicum, Bucholserum, Capellum, Funccium & Angelocratorem in suis quemque Chronicis, ne me desperatione meliorum dicant ad Hæreticorum authoritatem confugere. Quanquam neque fidei controuersia est, vt eorum sententiam continuò respuere debeamus, & aduersariorum plerique Eusebium Arianæ factionis antesignanum, turbinem ac tempestatem Ecclesiæ tanti faciunt, vt tanquam Atlante cœlum, sic eius vnius ceruicibus tota Chronologiæ ratio niti videatur. Ex vna Societate IESV quàm multi grauésque scriptores produci possunt. Gaspar Sanccius & Cornelius à Lapide Commentariis in Danielem, Ioannes Philippi, & Iacobus Tirinus in Chronicis; ipse denique ille Salmero fatetur hanc opinionem probabilitate sua non carere. Quia tamen Basilius Seleuciensis nondum prodierat in lucem, neque per singularem animi sui modestiam quicquam nouitatis inuehere cupiebat, quasdam ratiunculas opposuit, non quas ipse magni putaret esse momenti, sed quas aliis expendendas proponeret. Omitto Petauium qui tribus duntaxat annis seriùs has hebdomadas inchoauit.

113. Cùm igitur ij qui præter scripturæ sacræ consuetudinem lunares annos nullis intercalationibus alligatos inducunt, tot se difficultatum laqueis induant, cùm neque In 1. part.
nos maiorum destituat authoritas, & gra- Disp. 1. § 2.
ues ætatis nostræ Theologos huius Chro- contra Iudæos.
nologiæ vindices habeamus, atque vt sapientissimè Suares aduertit, si Chronologiam per annos solares deductam Angeli verbis conciliare possimus, id futurum sit longè verosimilius, in eo videtur totius controuersiæ cardo versari, vt demonstremus scripturam non officere quo minùs illæ septuaginta solarium annorum hebdomades ab anno Artaxerxis Longimani septimo progressæ circa necem Christi Domini finiantur, & generis humani redemptionem in hebdomadem septuagesimam incidisse.

114. Vnde igitur hebdomadas illas accersimus? *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem.* Quò perducimus? *vsque ad Christum Ducem.* Bene habet. Sed cùm hæc verba, *Ab exitu sermonis*, in lingua sancta bifariàm accipi possint, vt vel operis ad exitum perducti perfectio significetur, vel sermonis siue edicti regij prolatio, quâ iterum permissum est ædificare ciuitatem, inficias ierit nemo, quin posterior iste sensus magis natiuus sit ac genuinus, priórque soleat legentibus occurrere, vt proinde, nisi quid aliud obstet, alteri præferendus esse videatur, cùm præsertim eum respuere non possimus, nisi velimus à LXX. Seniorum authoritate discedere, ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι *ab exitu sermonis vt respondeatur.* A quibus autem sermo fuit exiturus? A Regibus Persarum. Quem ad

finem? *vt iterum ædificetur Ierusalem.* Hîc tria videntur enucleanda. quid sit apud Hebræos ædificare, quid ædificare Ierusalem, quid iterum ædificare Ierusalem.

115. Duplex est apud Hebræos ædificandi acceptio. Aut enim significat ædificium extruere, lapides admoliri, iacere fundamenta, muros aut parietes excitare, domum cubiculis, tabulatísque describere, fastigium imponere, & cætera id genus: aut significat dare liberos, augere familiam, stabilire domum vel ciuitatem prole copiosa. Est enim numerosa soboles quasi lapides viui, quibus tam ciuitas ipsa, quàm singulæ domus seu familiæ construuntur. Deuteronomij 25. cum Moses vers. 5. legem tulisset eiusmodi: *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius & suscitabit semen fratris sui:* Subiecit vers. 8. & 9. *Si responderit nolo eam vxorem accipere: accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, spuétque in faciem illius, & dicet: sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui.* id est, qui non suscitauerit semen fratri suo, siue qui liberos nomine fratris sui non susceperit: sic, vt dicitur, Ruth cap. 4. vers. 11. Rachel & Lia בנו שתיהם *ædificauerunt ambæ domum Israel.* Sic Exodi 1. v. 21. *Deus ædificauit domos obstetricibus* Ægyptiis .i. earum familiam auxit & liberorum multitudine stabiliuit. Quam loquendi formam 1. Reg. cap. 2. v. 35. 2. Reg. cap. 7. v. 27. & alii reperies.

Ædificare.

Vrbs.

116. Ierusalem vel vrbs ipsa, vel ciuitas potest intelligi. Vrbes coniunctis domiciliis siue priuatis, siue publicis continentur, ciuitates sunt concilia cœtúsque hominum ad communem vtilitatem, & vt loquitur Aristoteles αὐτάρκειαν sufficientiam iure sociati. Hinc ædificasse Ierusalem dicetur, & qui plura domicilia coniuncta vicísque descripta Ierosolymitanis ciuibus excitarit, & qui ciuium multitudinem, quæ priùs inter gentes dispersa fuerat, vnum in locum congregarit, & prolem copiosam vrbi suffecerit. Qui verò vrbem mœnibus sepserit, fossis, turribus & propugnaculis circumdederit, si propriè loqui velimus, non dicetur vrbem aut ciuitatem ædificasse, sed vrbem muniuisse. Cùm & vrbs sine muro, & ciuitas sine vrbe possit aliquando reperiri. quemadmodum Roma & Sparte diu mœnibus caruerunt, & ingruentibus Persis Athenienses Apollinis oraculo moniti, Τεῖχος ξύλινον μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν. *Solum murum ligneum inexpugnabilem fore*; vrbem incendio Persico deflagraturam relinquerunt, ciuitatem omnem, se videlicet ipsos, coniuges, liberos in naues quas interpretabantur muros ligneos, transtulerunt:

Ciuitas.

Herod. l. 7.

Ὡς οὐδέν ἐστιν οὔτε πύργος, οὔτε ναῦς
Ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω.
Adeo videtur turris & nauis nihil,
Cùm destituta est incolentibus viris.

Sophocles Oedipo Tyranno.

Neque enim ciuitates aut populi propter vrbes & domicilia; sed domicilia propter populos sunt instituta. Quo fit vt ille sermo qui de conuocandis reducendísque Iudæis exiuit, non minùs ad ædificationem Ierusalem pertineat, quàm qui de domiciliis excitandis emissus est.

117. Qui autem solam muri portarúmque refectionem attingit, propriè non videtur ædificationem ciuitatis attingere. Etsi secundum commune Philosophorum axioma, *qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse*, & idem Regis edictum, quod exulibus reditum in patriam domiciliis carentem indulget, iis etiam excitare domicilia, & cætera moliri permittit, qui reditui necessario connexa sunt. Non enim ea conditione redierunt, vt in antris & speluncis habitarent, vt Cyclopes, aut in defossis terræ scrobibus, vt Troglodytæ, aut in tentoriis vt Nomades, aut in curribus vt Hamaxobij, aut vt aliqui Taprobanenses sub testudine: sed idem Regis diploma quo postliminium datum est, etiam ædificandi, & humano more viuẽdi potestatem inuoluit.

118. Iam Hebræorum in gratiam edicta quatuor exierunt. Primum à Cyro in hæc verba conceptum: *Quis est in vobis de vniuerso populo eius. Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israel.* Quibus verbis restituuntur exules, ciuitas instauratur, & è gentibus in quas dispersa fuerat, vnum in locum congregatur, ædificandi templi fit potestas, & vrbis ædificandæ tacita facultas inuoluitur. Vnde & Isaias cap. 45. cuius initium est, *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro:* ita vaticinatur, vers. 13. *Ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meã dimittet.* Quæ quamuis, vt Hieronymus & Cyrillus Alexandrinus volunt, ad Christum, Ecclesiam, & assertam generis humani libertatem ἀναγωγικῶς referuntur, dubium non est ad Cyrum etiam pertinere? Quo verò sensu dici potuit ædificasse ciuitatem; An quòd muros refici, turres instaurari, propugnacula muniri concesserit? At nullum huius concessionis in illius edicto vestigium. An quòd de instaurando templo edixerit? At templum, si propriè loquamur, neque vrbs, neque ciuitas dici potest,

1 Esdræ c. 1 v. 3.

Quatuor edicta de ædificanda Ierusalem.

Cyri.

poteſt,& cùm optima Cyri voluntas variis aduerſariorum calumniis impedita citra effectum ſubſederit, dici propterea non poteſt ædificaſſe ciuitatem. Quonam igitur ſenſu ædificaturus eſſe prædicitur? Citra controuerſiam quòd Hebræos vnum in locum, è diuerſis gentibus congregari, &c, quòd neceſſariò connexum fuit, domicilia coniuncta priuatis vſibus ædificare permiſerit. Qui niſi priuatas ædes excitaſſent, anno ſecundo Darij Regis ab Aggæo Pro-
cap.1.v.3 pheta non audiſſent: *Nunquid tempus eſt vobis, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?*

119. Secundus ſermo qui à Perſarum Regibus in Iudæorum gratiam exiuit, fuit
Darij. edictum Darij Hyſtaſpidæ, quo ampliſſimam fecit ædificandi templi poteſtatem: ſed cùm de conuocandis Hebræis & ædibus extruendis edixerit omnino nihil, quãtumuis intermiſſam templi fabricationem inſtaurari permiſerit, propterea dici non poteſt aut ciuitatem, aut vrbem iterum condidiſſe.

120. Tertius eſt quo Rex Artaxerxis
Eſd.7.v.6. dedit Eſdræ *ſecundum manum Domini Dei eius ſuper eum omnem petitionem eius*, eique
verſ.13. in hæc verba reſcripſit: *A me decretum eſt,*
Artaxerxis edictum anno 7. *vt cuicunque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ieruſalem, tecum vadat.* Quibus verbis ciuitatem priùs edicto Cyri reſtitutam iterum ædificauit, nouamque ſobolem ei ſuffecit, quos certè nolebat in dolio cum Diogene, aut ſub terra cum talpis & cuniculis, ſed in coniunctis domiciliis habitare. Atque hic videtur exitus eſſe ſermonis vt iterum ædificetur Ieruſalem, licet de reficiendis portis aut vrbe mœnibus ſepienda, nihil edixerit.

Eiuſdem edictum anno 20. Nehem. 2. v.5. 121. Quod ad Nehemiam attinet, petiit quidem ab Rege commeatum ad ciuitatem ſepulcri patris ſui, eámque ſe ædificaturum eſſe profeſſus eſt. ואבננה quod Septuaginta, καὶ οἰκοδομήσω αὐτήν Latinus, *& ædificabo eam* tranſtulerunt. Sed vrbis ædificandæ poteſtatem, quam iam inde à Cyro conceſſam, & ab ipſo Artaxerxe renouatam eſſe nouerat, fieri ſibi non petiit. Quid igitur poſtulauit? ipſum audiamus:
verſ 7. *Et dixi Regi: Si Regi videtur bonum, epiſtolas det mihi ad Duces regionis trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam:*
verſ 8. *& epiſtolam ad Aſaph cuſtodem ſaltus Regis, vt det mihi ligna, vt tegere poſſim portas turris domus, & muros ciuitatis, & domum quam ingreſſus fuero. Et dedit mihi Rex iuxta manum Dei mei bonam mecum.* Hæc igitur petiit, hæc impetrauit. In his, vt iterum illud vſurpem, nullum ciuitatis ædificandæ, ſed muniendæ veſtigium.

122. Petit ſibi ligna concedi quibus contignare poſſit portas הבירה אשר לבית *palatij quod domus* .i. palatij ſiue caſtri turribus cincti templo annexi, vbi nomine portarum totum ædificium intelligit. Nihil vt aliud quàm arcis extruendæ poteſtatem petere videatur. Petit idem Nehemias trabes ad vrbem muro ſepiendam. E quibus meritò ſuſpicari poſſis eam fuiſſe muri Ieroſolymitani texturam qualis à Cæſare murorum Gallicorum forma deſcribitur:
Trabes, inquit, *directæ perpetuæ in longitudinẽ paribus interuallis diſtantes inter ſe binos pedes in ſolo collocantur: hæ reuinciuntur introrſus, & multo aggere veſtiuntur: ea autem, quæ diximus, interualla grandibus in fronte ſaxis effarciuntur: his collatis & coagmentatis alius inſuper ordo adijcitur, vt illud idem interuallum ſeruetur, neque inter ſe contingant trabes, ſed paribus intermiſſæ ſpatiis, ſingulæ ſingulis, ſaxis interſectis arctè contineantur: ſic deinceps omne opus contexitur, dum iuſta muri altitudo expleatur.* Sed ad inſtitutum redeat oratio. Bell Gall. lib 7.

123. Anno poſt ſubactam Babylonem primo Cyrus edicto ſuo Iudæorum captiuitatem laxauit, eóſque permiſit è gentibus inter quas diſperſi fuerant, congregari, vnde ciuitatem ædificaturus ab Iſaia prędicitur. Anno Artaxerxis Longimani ſeptimo Eſdras regio diplomate ſubornatus reliquias populi, quæ hactenus inter Babylonios Perſáſque ſubſederant, iterum collegit & in Iudæam reduxit, atque iteratò Perſarum Regum indulgentia condidit ciuitatem. Quemadmodum Deus Eccleſiam ſuam ædificaſſe dicitur, non quòd immanes lapidum moles extruxerit, ſed quòd fidelium multitudinem è Iudæis & gentibus collectam communi religionis & fidei vinculo colligarit. Atque hic eſt exitus ſermonis, non vt templum extruatur, quod à Dario Zorobabeli conceſſum eſt, non vt inſtauretur murus, & palatium ſiue caſtellum templo connexum, quod poſtea Nehemias impetrauit, *ſed vt iterum ædificetur Ieruſalem*, & iterata populi conuocatione ciuibus tanquam viuis lapidibus excitetur: Hic eſt, inquam, exitus ille ſermonis vnde Septuaginta caput hebdomadum arcerſendam putamus.

124. Quòd ſi dubius aut obſcurus eſſet horum verborum ſenſus, ſi quis inficiaretur hanc ciuitatis ædificationem ciuium reductione & reditu contineri, nemo prohiberet, opinor, è textu principe atque interpretatione ſeptuaginta Seniorum, aliquam

Latinæ translationis obscuritati lucem affundere. Ab exitu sermonis להשיב ad reducendum siue ad reuerti faciendum & ædificandum Ierusalem, τοῦ ἀποκριθῆναι, καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι, *separandi & ædificandi, siue de separanda & ædificanda Ierusalem:* est autem ἀποκριθῆναι, non solùm respondere, sed secundũ primariam notionem, χωρισθῆναι τῆς ὁμίλου, à turba separari, & secerni, vt notat Eustathius. Separara est porro & secreta Iudæorũ ciuitas cùm Cyri & Artaxerxis edicto semel & iterum è variis nationibus est congregata. Quia tamen illa populi reductio duplex fuit, altera sub Cyro, altera sub Artaxerxe, prudenter Latinus interpres, ne lectorẽ vocis ambiguitate cõfunderet, priorẽ à posteriori distinxit, & hebdomadas ab iterata siue secunda reductione numerauit.

Ad vers. 12. Iliad 5.

125. Quanquam textus etiam ipse princeps alteram ab altera populi reductionem satis apertè distinxerat, vt sagacioribus & emunctæ naris indagatoribus difficile non esset subodorari veritatem. Cùm enim dixisset Angelus, Ab exitu sermonis vt redeatur & [iterum] ædificetur Ierusalem vsque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades septuaginta duæ erunt: ad tollendam ambiguitatem eodem tenore subtexuit: תשוב redibit siue reducetur, & ædificabitur platea, & murus in angustia temporum, quasi diceret: cùm duę futuræ sint populi reductiones, prior Cyri, posterior Artaxerxis edicto, de illa loquor inter quam & plateæ murique substructionem angustia temporum, siue modicum, tempus interfluet. Nam ciuitas anno Longimani septimo reducetur & instaurabitur ab Esdra, post annos autem tredecim eiusdem Artaxerxis anno vicesimo, vrbs à Nehemia mœnibus sepietur, & Populi Principibus qui in vicinis oppidis habitabant, cum decima plebeiorum parte platea *lata nimis & grandis (& populus paruus in medio eius)* nouis ædificiis implebitur.

Nehem 7. v. 4. & 11. v. 1.

XVI. *E Chronologiæ ratiociniis ostenditur Lxx. hebdomadarum initium.*

126. CVm igitur diserta scripturæ verba propemodum à nobis extorqueant, vt ab anno Longimani septimo, quo per Esdram iterum conuocata ciuitas, & populus patriæ restitutus est, septuaginta Danielis hebdomadas ordiamur, restat vt doceamus consummationem peccati, Sancti sanctorum vnctionem, confirmationem legis nouæ, veterum sacrificiorum abrogationem, & cætera quæ prædicuntur, in hebdomadem annorum solarium septuagesimam incidisse. Artaxerxes Longimanus anno quarto septuagesimæ octauæ Olympiadis regni Persici gubernacula suscepit, vt auctor est Diodorus Siculus lib. 11. cui suffragantur omnes, nisi quòd Eusebius & quidam eius sequaces inter Xerxem & Artaxerxem menses Artabani septem inculcant. E quibus efficitur annum Artaxerxis septimum cum Olympiadis octogesimæ secundo concurrere. Christum autem Olympiadis 202. anno quarto in crucem esse sublatum plerique omnes aiunt, quorum series apud Salianum, Baronium & alios bene longa contexitur, & hoc Phlegontis testimonio probat Eusebius: *Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis est facta: Dies hora sexta, ita in tenebrosam noctem est versus vt stellæ in cælo visæ sint, terraque motus in Bithinia Nicenæ vrbis multas ædes subuerterit. Hæc supra dictus vir. Quæ,* inquit Eusebius, *omnia his cõgruunt, quæ in passione Saluatoris acciderunt.*

127. Iam inter annum Olympiadis octogesimæ secundum, & ducentesimæ secundæ quartum Olympiades centum viginti duæ cum semisse numerantur, quibus singulis si quatuor annos attribuas, quadringenti & nonaginta, siue annorum solarium hebdomades septuaginta colligẽtur. Quod ita fortasse clariùs poterit intelligi. Cùm in singulas Olympiadas anni quatuor tribuantur, annus septimus Artaxerxis post Olympiadas ab Iphito restitutas trecentesimus decimus octauus, annus autem dominicæ Passionis post easdem octauus & octingentesimus illuxit. Quare si numerum minorem 318. à maiore 808. subduxeris, anni 490. remanebunt.

808
318
490

128. Quia tamen plerique Patres sexto Ianuarii Christi baptisma consignant, idque C. Rubellio Gemino, & C. Fusio Gemino Coss. factum esse defendunt, à quibus nolim sine graui caussa discedere, & eruditi viri disputant, quod sanè probabilius videtur, his Coss. Olympiadem 202. sexto post Christi baptisma mense fuisse celebratam, diebus videlicet æstiuis, circa solstitii plenilunium, vnde vt eruditè docet Petauius, Græci suas Olympiadas inchoabant, eas ob res vel dicendum est Christum annis quatuor & mensibus tribus Euangelio dedisse operam, vt anno primo quadraginta dies in deserto ieiunus exegerit, ad Ioannem identidem ventitarit, collegerit discipulos, priuatis quibusdam colloquiis Euangelicæ prædicationi præluserit, & sexta Ianuarii redeunte aquã in vinum mutarit, quod & plerique sen-

Paralip. de doct. temp.

tiunt, & in Epiphaniorum Officio significat Ecclesia, Paschata deinceps illa quatuor obierit, de quibus ante copiosiùs disputatum, vt Christi nex Olympiadis illius anno quarto respondeat: vel ad annum tertium ea reuocanda est, & hebdomades ab octogesimæ Olympiadis anno primo, qui Longimani sextus fuit, inchoandæ, quo anno verè propriéque, vt verba sonant, exiuit sermo regius, vt cuicunque placuisset de populo Israël, & de Sacerdotibus eius, & de Leuitis, ire in Ierusalem, cum Esdra rediret, & ciuitas iam priùs edicto Cyri restituta nouorum ciuium accessione denuo conderetur.

129. EVDOX. Quid igitur Phlegonte faciemus qui mirabilem illam Solis defectionem, illas tenebras horâ sextâ terram occupantes, terræ tremorem præposterè coniecit in annum huius Olympiadis quartum, quæ tamen Christo in crucem acto, contigisse Euangelia prodiderunt? EVST. Quid enim aliud dicemus, quàm eum fecisse quod facere solent omnes Chronologi qui diuersi generis annos inter se cōpenunt, vt id anno posteriori consignent, quod paucis mensibus ante superioris finem euenerit? Verbi caussâ anni Vrbis Conditæ à Palilibus quæ vndecimo Calend. Maii recurrebant, anni Consulares à Calendis Ianuariis oriuntur: ac proinde singuli Consulares, ita duobus Vrbis Cōditæ annis implicantur, & ita viciſſim V. C. anni Consularibus duobus, vt ex altero circiter octo menses, quatuor ex altero delibent, adeóque fieri solet, vt duo facinora, quæ sub iisdem Consulibus designata sunt, annis V. C. duobus respondeant. Nemo tamen hactenus Annalium scriptor adeo ridiculus fuit, vt morosiùs ista distingueret, & tum sibi, tum aliis molestus seipsum anxiè supputationum tricis minimè necessariis implicaret. Quare prudenter Phlegon Olympiadis anno quarto tribuit, quæ sub anni tertii finem & quarti principium contigerunt.

130. Cùm igitur ab exitu & emanatione sermonis, quo litteris ab Artaxerxe datis Esdræ potestas facta est reductione nouorum ciuium iterum ædificare Ierusalem, multi graues eruditíque scriptores hebdomadas illas septuaginta deduxerint, & tum Chronologiam, tum ipsam scripturam controuersiæ nostræ vindices habeamus, nihil aliud video superesse, quàm vt ad authoritatem Patrum, & incommoda, quæ sequi dicuntur, pauca respondeam.

XVII. *De authoritate Africani, & Chrysostomi.*

131. Laudatur imprimis sententiæ princeps Iulius Africanus, & vt eius authoritas maioribus momentis in caussam incumbat, eius antiquitas, industria, doctrina, vitæ splendor & legatio prædicatur. Atque, vt à postremis incipiam, equidem non intelligo quorsum iste rerum gestarum splendor & legatio pertineat, nisi si forte quia Iudæam incoluisse deprehenditur, hinc effici putas anni Iudaici formam ei magis exploratam fuisse. Atqui, cùm Iudæi, post Adriani victoriam, ne vestigio quidem solum patrium salutare, aurámque Ierosolymitanam spirare potuerint, hinc potiùs efficitur eum cum Iudæis nihil habuisse commercii. Laudatur eius antiquitas? Antiquiores certè fuerunt Hippolytus & Clemens Alexandrinus, imò & aliquot annis Tertullianus: æqualis Origenes; eius tum industria, tum eruditio prædicatur. An diligentior, ingeniosior, sacris litteris addictior fuit Origene, Clemente ac Tertulliano sacra prophanáque doctrina politior? Ne tu quidem Eudoxe, id tibi concedi postulabis. Dicamus igitur cum Hippolyto septem hebdomadas ante reditum populi supputandas, sexaginta duas post reditum vsque ad natiuitatem Christi: nouiſſimam autem hebdomadam ab reliquis diuulsam cum eodem ponamus in consummatione mundi, eámque diuidamus in Heliæ tempora & Antichristi. Aduersus Iudæos.
Eas cum Tertulliano ab anno primo Darii Medi, cum Clemente ab anno primo Cyri 1. Stromat.
& populi reditu ordiamur, aut cum Origene dicamus singulis hebdomadis annos Tract. 29. in Matth.
septuaginta contineri, easque *ab exitu verbi, quando verbo Domini cæli firmati sunt,* siue *quatuor millia nongentos annos ab Adam vsque ad septuaginta annos, qui fuerunt post dispensationem Christi*, numeremus. Quæ si meritò respuuntur, nihil est cur Africani vel antiquitas, vel industria, vel eruditio debeat nobis in hac caussa præscribere: nobísque proinde non authoritatum, sed rerum momenta quærenda sunt.

132. Ne tamen Chrysostomum indicta caussa reiicere videamur, fateor eum à Neemia suas hebdomadas ordiri, sed cum eas ἐπὶ τὴν καταστροφὴν *ad subuersionem* vrbis & templi perduxerit, adeò Lunares annos Solaribus breuiores, ad augendum numerum, inuehere non potuit, vt potiùs quemdam productioris anni modum exco-

gitare debuerit, vt tantum è numero decedat, quantum ad longitudinem accesserit, cùm inter Artaxerxis annum vicesimum ac Vespasiani secundum téplique subuersionem anni Chronologici tredecim supra quingentesimum facilè numerentur, quam anni productioris formam si non recipis, Eudoxe, nihil est quòd tibi de Chrysostomo magnopere blandiaris, sed his omissis ad incommoda veniamus.

XIIX. *Aduersariorum argumenta diluuntur.*

133. Quæris si reficiendi muri potestatem Esdras iam acceperat, cui nec pecuniæ deerant, nec satraparum gratia, nec ornandæ patriæ studium deerat, qui factum fuerit, vt opus per annos tredecim minimè promoueret, aut Neemias non sine ingenti metu, & verecundia, nouam instaurandi muri potestatem fieri sibi de integro postularet, cùm & faciliùs & minore cum inuidia priuilegii iam ante concessi confirmationem, quàm nouum priuilegium impetrare potuisset. Vide quã facile tibi respondeam. Accepit Esdras nouorum deductione ciuium ædificandæ Ierosolymæ potestatem, vrbis muniendæ, vel arcis extruendæ non accepit, neque petendam putauit, ne Iudæi, quasi nouis rebus studerent, & in omnem rebellionis occasionem imminerent, apud Regem & satrapas in inuidiam vocarentur. Meminerat enim iam olim apud Assuerum, quem prophani Cambysem appellant, & Artaxerxem, magum, opinor, illum quẽ Smerdim Herodotus, Ctesias Sphendadatem nuncupat, qui cùm sublato Cambyse malis artibus in regium solium obrepsisset, regium quoque nomen debuit assumere; meminerat, inquam, Esdras Iudæos qui cum Zorobabele redierant, iam olim hac rebellionis inuidia deflagrasse: conductis quibusdam Consiliariis, qui eorum nomina deferrent hoc accusationis elogio. *Notum sit Regi quia Iudæi qui adscenderunt à te ad nos, venerunt in Ierusalem ciuitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant, extruentes muros eius*, &c. & paucis interiectis. *Nuntiamus nos Regi, quoniam si ciuitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans fluuium non habebis.* quo factum est, vt & Esdras huius priuilegii petitione prudenter vitandæ suspicionis causâ supersederet, & Neemias, quamuis Regi gratissimus, cùm id postulandum fuit, toto corpore perhorresceret.

1. Esdræ c. 4. v. 11.

134. Laudat Ecclesiasticus Zorobabelem & Iesum filium Iosedec, quòd templum à fundamentis excitarint, Neemiam quòd muros euersos erexerit, stare fecerit portas & seras, quòd ciuium principibus cum decima plebeiorum parte conuocatis, plateam quæ erat *lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius*, nouis ædificiis impleuerit: Simonem Oniæ filium, quòd domum Dei suffulserit, ac templum in maiorem altitudinem extulerit, protulerítque vrbis pomœrium. In his Esdræ nulla mentio. Nec iniuria, ne ipse quidem Zorobabel, aut Iesus filius Iosedec ob restitutionem ciuium ædificationémque ciuitatis ab Ecclesiastico prædicantur. Neque enim hoc loco ciuitatis, sed vrbis conditores, non ciuium ab exilio redeuntium duces, sed templi, muri, palatii siue curiæ, publicarum ac priuatarum ædium authores laudandos susceperat. Nihil Esdras ex ista laude decerpit: Quamuis enim ne restituti ciues in patriæ rudetibus & cuniculis habitarent, eodem edicto, quo Iudæos è gentium dispersione collectos patrio solo restituere permissus est, ædes reducibus ædificare potuerit, & vt probabile est non paucas erexerit, magis tamen ædificandæ ciuitati, quàm vrbi, magis instaurandis morum quàm domorum ruinis incubuit, vt ei meritò tribuatur iterata ciuitatis ædificatio, quæ magis hominibus legum iurísque vinculo colligatis, quàm coniunctis descriptísque vicatim domiciliis continetur. Primùm igitur ciuitatem ædificauit Cyrus per Zorobabel, iterum Artaxerxes per Esdram, vnde nos hebdomadum septuaginta caput accersimus. Edicta verò quæ tum anno Darii secundo, tum Artaxerxis vicesimo Iudæorum in gratiam prodierunt, quanquam iis & vtilitati summæ fuerunt, & ornamento, ita non putamus aliter ad Prophetiam pertinere, quàm quòd ex angustia temporis inter postliminium & ædificationem murorum intercepti posterior ciuium reditus, vnde numerandæ sunt hebdomades, à priore distinguitur.

135. Neque verò dictis officit quòd libro Esdræ tertio legitur Darius osculatus esse Zorobabelem, postquam probauit veritatem omnium rerum esse fortissimam, & scripsisse Epistolas ad omnes dispensatores, & præfectos, & purpuratos, vt deducerent eum, & omnes qui cum illo erant, omnes adscendentes ædificare Ierusalem: vt Artaxerxis illud edictum quod Esdras obtinuit, non secundum, sed tertium de Iudæorum reditu, & ciuitatis ædificatione c. 4. v. 4.

editum esse videatur: hoc, inquam, dictis non officit, tum quòd ille liber spurius est, & è sacro canone iampridem erasus, tum quòd secum ipse pugnat, habétque non pauca scripturæ canonicæ contraria. Cùm dubitare nemini liceat, quin Zorobabel anno Darii secundo, iam in Iudæa fuerit, templique substructionem aliquot annis intermissam repetierit, priusquam Darius de instaurando templo quicquam ediceret.

XIX. *Quo sensu in medio Hebdomadæ hostia defecisse dicatur.*

136. EVDOXVS. Vnum superest, Eustorgi, quod anrequam tibi penitus assentior, abs te planiùs explicari velim. Iosephus noster illa verba, *Confirmabit autem pactum cum multis hebdomada vna, & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium*, sic exponebat, vt diceret Christum hebdomade septuagesima ineunte prædicare cœpisse doctrinámque suam cõfirmare miraculis, eius medio per Christi sacrificium in ara crucis exhibitum defecisse hostiam & sacrificium legis antiquæ: reliquis autem annis eiusdem hebdomadæ Iudæorum permultos Apostolorum miraculis & prædicatione fuisse ad Ecclesiam congregatos, donec hebdomade iam exeunte gentibus etiam ipsis Ecclesiæ claustra patuerunt. Hoc igitur quæro, cùm verba scripturæ Iosepho potiùs faueant, cur hebdomadas Christi potiùs passione & abdicatione sacrificii Mosaici malueris quàm vocatione gentium terminare.

137. EVSTORG. Equidem, Eudoxe, non video cur pars prior huius versiculi, *Confirmabit autem pactum cum multis hebdomada vna*: Iosepho magis faueat, quàm nostræ velificatur sententiæ. Nam quemadmodum vt hunc vel illum annum vberẽ aut belli successibus felicem fuisse dicamus, necesse non est singulis illius anni diebus aut fruges abunde collectas, aut relatas fuisse victorias, sed satis est id secundum aliquam illius anni partem obtigisse, ita, vt confirmasse dicatur pactum cum multis hebdomada vna, minimè necessarium est vt totum illud septennium edendis miraculis, & legis euangelicæ confirmatione fuerit occupatum, sed satis supérque est secundum aliquam eius hebdomadæ partem id euenisse quod Propheta commemorat. Cætera quoniam obscuriora videri possunt, è Barachia nostro scite velim quibus verbis textus princeps ea conceperit: BARACHIAS, וחצי השבוע ישבית id est, *& dimidium hebdomadæ*, siue *& dimidiata hebdomas cessare faciet, & abrogabit sacrificium & oblationem*. Quæ verba latinæ translationi videntur aliquid lucis affundere.

138. EVST. Audiendus igitur doctus Suares in 3. p. disp. 1. contra Iudæos, §. 2. quem non pigebit suis verbis loquentem exhibere: *Significatum est*, inquit, *his verbis Christum in dimidio hebdomade, id est in tempore trium vel quatuor annorum confirmaturum pactum suum, id est, nouum testamentum & legem: confirmaturum, inquam, miraculis, & tandem morte ipsa, per quam sacrificia & hostiæ legis veteris erant excludenda. Hæc itaque dimidia hebdomada dupliciter sumi potest, scilicet vt sit prima dimidia pars septuagesima hebdomadis, vel vt intelligatur esse posterior dimidia pars, ita vt vltima hebdomada in duas dimidias partes diuidatur, & in posterioribus tribus annis intelligatur futura confirmatio Euangelij per Christi prædicationem vsque ad mortem eius. & iuxta priorem sensum hebdomadæ terminabuntur aliquot annis post mortem Christi, iuxta posteriorem verò in ipsa morte Christi: & vterque sensus est facilis & probabilis: & ille erit eligendus, cui ratio temporis melius accommodari potuerit.* Hæc ad verbum vir longè doctissimus. Cur posteriorem elegerim, videtis: viderit Iosephus cur priorem huic anteponat. De Incarnatione.

139. IOS. Ego verò, mi Eustorgi, non solùm vtramque expositionem amplector, sed etiam, vt meam liberalitatem videas, his tertiam adiungo, vt videlicet dimidium hebdomadæ sumatur pro annis illis & mensibus, quos euangelicæ prædicationi Christus impendit, siue primum, siue medium, siue postremum hebdomadæ septuagesimæ locum occuparint. De primo & postremo Suarem audiuimus: Medium dico; si verbi caussa, anno illius septennii secundo nouam legem confirmare miraculis euangeliique prædicatione Christus occœperit, quinto vel etiam sexto in crucem fuerit elatus. Ex hac enim interpretatione triplici, opiniones omnes, quæ modò probabilitatis habent aliquid; facilè, tum ad veram Chronologiam exigere, tum inter se conciliare poterimus.

140. Hebdomadum assignari tria possunt initia, vel annus sextus Artaxerxis, quo sermo regius exiuit vt iterum ædificaretur Ierusalem: vel septimus, quo Iudæi postliminio restituri cum Esdra redierunt in patriam: vel octauus, quo reduces vel in ipsa vrbe, vel in vicinis pagis & oppidis certum ac stabile domicilium habere cœperunt, & coloni veteres, vt cum istis recentibus in puram, & ab omni gentilium conta-

gione fecretam ciuitatem coïrent, vxores alienigenas abdicarunt, qui fuit exitus fermonis τῦ ἀποκριθῆναι, vt fecernatur & ædificetur Ierufalem, iuxta LXX. feniores. Iam omnes qui funt nominis alicuius, Chrifti paffionem in Olympiadem fecundam & ducentefimam contulerunt. De annotamen inter authores eft aliqua diffenfio. Quidam vt Petauius, anno fecundo, plures tertio, plurimi quarto, confignant. Quare cùm fingulos Dominicæ Paffionis annos tribus illis hebdomadum initiis comparare poffimus, hinc opiniones nouem, & quidem omnes probabiles emergunt, quas omnes adhibita triplici dimidiatæ hebdomadis interpretatione fic probabiliter explicabimus, vt hebdomades, vel ipfa Chrifti morte, vel anno pòft, vel biennio, vel ad fummam triennio finiantur.

XX. *Vtrum Efdras an Neemias priùs in Iudæam accefferit.*

141. EVDOX. Equidem & ipfe, quantum fieri poterit, concilian velim, Iofephe. Sed vereor, vt huic Euftorgio, qui remis velifque in annos Lunares inuectus eft, perfuadere non poffim. Tamen Euftorgi, nifi tibi moleftum eft

——ὑποείξομεν ἀλλήλοισι
Σοὶ μὲν ἐγώ, σὺ δ' ἐμοί.——
——*cedamus vtrimque,*
Tu mihi, egóque tibi.——

Facilè patior tuis rationibus extorqueri mihi Lunares annos, quos inuexerat Africanus: tu viciffim patere, vt ab anno Longimani vicefimo feptuaginta folarium annorum hebdomadas inchoare poffimus.
EVSTORG.

Do quod vis, & me victúfque volénfque remitto.

Vide tamen, vt cùm ab hoc initio tuas hebdomadas explicueris, commodè poffis ad finem euoluere, Chriftúmque reperias poft fexaginta nouem hebdomadas falutis noftræ myfteria peragentem.

Duo Artaxerxis initia. 142. EVD. Dionyfius Petauius lib. 10. de doct. temp. cap. 9. & Iacobus Tirinus Chronici facri cap. 38. duo fuiffe probant Artaxerxis initia, quod & probabile putat Cornelius Commentariis in Danielem. Alterum quo Xerxe viuente filius Artaxerxes in regni confortium allectus eft: alterum quo poft obitum patris folus regni gubernacula tractauit. Quando priùs illud initium contigerit inter viros illos eruditiffimos difputatur, Petauius refert ad annum 4240. periodi Iulianæ: Tirinus fex annis anteuertit. Nec defunt vtrique fuæ rationes. Mouetur Petauius quod Themiftocles Athenis profugiens, (cuius fugam & profectionem ad Perfas conicit Diodorus in annum fecundum Olympiadis 77.) εἰσπέμπει γράμματα εἰς βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντα. *Dat litteras ad Artaxerxem filium Xerxis, qui nuper regnare occœperat.* vt ait Thucydides libro 1. *nuper*, inquit, tribus videlicet annis ante Themiftoclis fugam, non annis nouem, vt è Tirini Chronologia fequeretur. Opinio Petauij.

Mouetur Tirinus quadam lege Perfarum, de qua Herodotus lib. 7. ineunte. *Mouente*, inquit, *Dario contra Ægyptios & Athenienfes, ingens à filiis de principatu eft orta contentio,* ὡς δεῖ μιν ἀποδέξαντα βασιλῆα κατὰ τὸν Περσέων νόμον, οὕτω στρατεύεσθαι, *cauffantibus oportere illum, antequam in expeditionem proficifceretur, Regem ex Perfarum lege conftituere.* Tirini.

143. Non eft meum inter viros doctiffimos arbitrum federe: fi quid tamen mei iudicii eft, fecundum Tirinum ex lege pronuntiare malim, cùm præfertim poft nobilem illam expeditionem, bellum quod manu fua gereret, nullum omnino fufceperit, vt ei collega, priufquam proficifceretur, fuerit in regni confortium allegendus; & Diodorus, vt confideranti liquet, narrationis continuandæ cauffa, res plurium annorum geftas in vnum coniecerit. Adeóque fieri poteft, vt cùm puer in regni communionem accitus fuerit Artaxerxes, & hactenus à rerum tractatione fubmotus folum Regis titulum & nomen honorarium fuftineret, fub ipfum Themiftoclis aduentum ad rempublicam cum patre gubernandam acceflerit. Sed quoniam illi multa prophanorum teftimonia corradunt, quæ vos adire poteritis, eorum labore, & eruditione contenti fimus, ne actum agere, vel etiam minus quàm actum agere videamur.

144. Neque tamen viris eruditis affentior expeditionem illam celebrem, cuius occafione Rex appellatus eft Artaxerxes, anno Xerxis quinto effe fufceptam. Obferuat enim R. P. Bartholomæus Iacquinotius Prouincialis meus, cui lucubrationum harum editio plurimum fe debere femper agnofcet: obferuat, inquam, ex Herodoto lib. 7 ineunte, anno poft Darii mortem fecundo Ægyptios perduelles armis fubactos ad Perfarum imperium rediiffe, annos deinde quatuor, & quidem folidos apparando contra Græciam bello, confenbendifque copiis, addo & componenda Afia, quæ poft pugnam Marathoniam concuffa per triennium fluctuarat, effe

consumptos, vt vix, & fortasse ne vix quidem ante annum regni sui septimum Græcis bellum inferre potuerit. Quis prohibet Herodotum audire? lib. 7. cap. VII. Δευτέρῳ μὲν ἔτεϊ μετὰ τὸν θάνατον Δαρείου πρῶτα στρατηίην ποιέεται ἐπὶ τοὺς ἀπεστεῶτας. *Altero à morte Darii anno primam expeditionem fecit aduersus eos qui rebellauerant: Hos cùm subegisset, totam Ægyptum arctiori, quàm sub Dario fuerat, oppressam seruitute, tradidit gubernandam Achemeni fratri suo*, &c. & cap. XX. Ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος ἐπὶ μὲν τέσσαρα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατιήν τε καὶ τὰ πρόσφορα τῇ στρατιῇ· πέμπτῳ δὲ ἔτεϊ ἀνομένῳ ἐστρατηλάτεε χειρὶ μεγάλῃ πλήθεος. *Siquidem à debellata Ægypto per totum triennium comparauerat exercitum, atque eius apparatum, quinto autem anno ineunte mouit cum ingenti copiarum manu.* E quibus effici videtur Artaxerxem ad regni societatem priùs allectum non fuisse, quàm sextus patris annus ad finem esset propemodum euolutus.

Quicquid sit, cùm duplex fuerit Artaxerxis initium, & Esdræ reditus anno Regis eiusdem septimo, Neemiæ vigesimo collocetur, illud imprimis quærendum, vter eorum prior in Iudæam accesserit, & si prior Neemias, dubitari non poterit quin annus ille vicesimus à sexto Xerxis anno & suscepta in Græciam expeditione, annus autem septimus Artaxerxis à patris obitu numeretur.

145. Quibus igitur vestigiis subodorari poterimus priùs ad reficiendos muros venisse Neemiam, quam Esdras ad restituendos mores diuinúmque cultum ab Rege ac septem Consiliariis mitteretur? Cùm ædificato muro recognosceret Neemias eorum catalogum qui cum Zorobabele redierant, Non pauci *quæsierunt scripturam*

Neemiæ 7. 64.65. *suam in censu, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio, Dixitque Athersata eis vt non manducarent de Sancto Sanctorum*

Esdræ 2. 64. *donec staret sacerdos doctus & eruditus.* siue vt alibi dicitur, *donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.* Si iam aderat Esdras, quis expectandus fuit doctior, eruditior, omni denique laudis genere perfectior? Quis eo celeriùs, aut faciliùs expedire potuit istas genealogiarum tricas, qui, vt communis est opinio, libro priore Paralipomenon nomen primis capitibus inde vsque ab Adamo tum cæterarum gentium ab Abrahamo propagatarum stemma contexuit, tum accuratissimè filiorum Israel & potissimùm tribus Leui genealogias descripsit.

Esdræ 7. 6 *Et ipse scriba velox in lege Moysi: Esdras enim parauit cor suum, vt inuestigaret legem*

Domini, & faceret & doceret in Israël præceptum & iudicium. Adeò vt vel scripturam cùm funditus interiisset, quinque scribis dictauerit diuino spiritu concitatus, vel saltem, quòd longè probabilius est, næuos qui negligentia sacerdotum in scripturam irrepserant, deterserit, eiusque libros in concinniorem ordinem redegerit, nouisque litterarum formis exararit. 4. Esd. 14.

146. Cùm igitur Esdras, ita fuerit omnibus eruditionis partibus absolutus, & potissimùm in describendis genealogiis exercitatus, cùm Athersata siue Neemias sacerdotem doctum & eruditum qui controuersiam de sacerdotali genere motam decideret, expectandum ducebat, nondum Esdras doctus & eruditus in Iudæam accesserat. Quid? quòd Esdras ipse cum capite sexto v. 14. dixisset, *& ædificauerunt & construxerunt, iubente Deo Israel, & iubente Cyro & Dario & Artaxerxe, Regibus Persarum.* paucis interiectis ista cap. sequenti subtexuit. *Post hæc autem verba in regno Artaxerxis Regis Persarum, &c. Esdras ascendit de Babylone.* Quid autem sub Artaxerxe Longimano construxerint, & quidem eo iubente, priusquam Neemias in Iudæam accederet, qui muros erexit, regiam templo connexam excitauit, plateam vrbis nouis ædificiis impleuit, ne somniari quidem potest: restat igitur, vt Neemiam priorem in Iudæam venisse fateamur.

147. Scribunt Iudæi Epistola illa nobili quæ libro Machabæorum secundo præfigitur, Neemiam ædificato Templo & altari sacrificia obtulisse. Quis non videt his verbis eam Templi dedicationem notari quæ Esdræ cap. 6. describitur. Etsi enim anno Darii sexto domus Dei completa est, sanctuarium videlicet, atrium sacerdotum, & præcipua templi membra, dubitari tamen non potest quin Neemias ædificia quædam adiecerit, vt illam *turrim domus* de qua Neemiæ secundo v. 8. Quibus absolutis atque perfectis dicitur Neemias ædificato Templo, atque altari oblatis sacrificiis dedicationem celebrasse. Sed ad Epistolam redeamus. v. 16 17. 18

148. Addunt Nehemiam ignem sacrum, quē in vrbis excidio sacerdotes in puteum absconderant, iussisse conquiri, ignem inuentum non fuisse, sed aquam crassam, eâ victimas inspersas & ligna superposita, solem qui priùs erat in nubilo refulsisse, accensum ignem luculentum, orasse Nehemiam vt Deus congregaret dispersionem Israelis, liberaret eos qui seruiebant genti-

bus, & contemptos & abominatos respiceret. Quis dubitet exauditum fuisse Nehemiam? & sanè Rex Persarum audita fama
2.Mach.1. 34. miraculi, *rem diligenter examinans, fecit ei templum* (videlicet igni qui ex aqua exarserat) *vt probaret quod factum erat*, vel vt clariùs habent Græci codices, περιφράξας ἱερὸν ἐποίησε δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα, *locum circumseptum*
vers. 35. *sacrosanctum reddidit, cùm rem ante probasset, & cùm probasset sacerdotibus donauit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu sua tribuebat eis.*

149. Hæc sunt, opinor, quæ Esdræ cap. 7. fusè narrantur. Nam præterquam quòd
Esdr. 7. 15. missus est Esdras, *vt ferat argentum & aurum quod Rex & Consiliatores eius sponte obtulerunt:* & rex alia atque alia munera largitus est, ac de sacerdotibus nominatim in hæc verba rescripsit arcæ publicæ custodibus:
vers. 24. *Vobis quoque notum facimus de vniuersis sacerdotibus & Leuitis, &c. vt vectigal, & tributum & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Orauit Nehemias vt Deus dispersionem populi sui congregaret. Esdræ scripsit Artaxerxes: *A me decretum est vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, & de sacerdotibus eius, & de Leuitis ire in Ierusalem, tecum vadat.* Orauit vt contemptos & abominatos respiceret. Qui cum Esdra redierant:
cap. 8. v. 36. *Dederunt edicta Regis Satrapis & Ducibus, qui erant de conspectu Regis, trans flumen, & eleuauerunt populum & domum Dei.* E quibus tanquam è non leuiter pressis facti vestigiis apparet antè venisse Nehemiam, quàm Esdras cum amplissimis illis muneribus ab Rege Persidis mitteretur.

150. Etenim si antequam Nehemias in Iudæam rediret, Israelitæ *in afflictione*
Nehem. 1. v. 3. *magna* erant, & *in opprobrio*: post Esdræ vero reditum apud Satrapas & Duces regios gratia plurimùm & authoritate valuerunt, credibile nō est priùs Esdram venisse quàm Nehemias in Iudæam adscenderet, aut fingenda ratio cur Esdras derepente gratiam illam & authoritatem qua non solùm apud Regem, sed etiam apud Consiliarios, Satrapas, omnes denique ordines hactenus floruerat, ante Nehemiæ aduentum admiserit.

151. Sed quid opus est signis ac vestigiis persequi veritatem, cùm ipsam in cubilibus deprehendere possimus? Cùm primùm Esdras in Iudæam accessit, ei nunciatum est de non paucis, tum sacerdotibus, tum principibus populi: qui cum alienigenis matrimonia contraxerant. Is continuò scissis vestibus, vulsis capillis, lacrymis vbertim ore manantibus, in genua prouolutus tum aliis multis rationibus, tum commemoratione recentium beneficiorū sceleris atrocitatem his verbis ostendit: *In seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster,* Esd. 9. v. 9.
sed inclinauit super nos misericordiam coram Rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iuda & Ierusalem. Quid est sepem dare nisi muro circumdare? per quem verò Rex Persarum Ierusalem muro circumdedit, nisi per Nehemiam? Iam ergo venerat Nehemias, cum Esdras ista loqueretur.

152. Neque verò noua est, & insolens ista locutio, cùm & Latinus Orator vrbes mœnibus sepire dixerit, & Hieronymus illud Hebræorum גדר *geder*, interdum muros transtulerit, vt Ezech. 13. v. 5. *Non adscendistis ex aduerso, & non* תגדרו גדר *opposuistis murum pro domo Israel.* pro quibus si verbum verbo reddendum esset, *sepiuistis sepem* diceremus: & Amos 9. v. 11. וגדרתי *& reædificabo aperturas murorum eius*, pro, *& sepiam aperturas eius*. Quare Sanctio quàm glossatoribus quibusdam, malo subscribere asserenti sepem hoc loco idem esse atque muros qui arcerent hostes, & ciues in munito & vallato loco continerent, cùm præsertim non quamlibet peribolum, sed firmam & validam intellexerint Lxx. Seniores in editione Sixtina, qui περίδωμα transtulerunt.

153. Cur autem vocem גדר quæ frequentius, vel sepem, vel maceriam, vel omnium septa, quàm vrbium muros & propugnacula significat, vsurpare maluerit, duplex potest adferri ratio. Quòd voluerit & ista verborum exilitate Iudæorum coërcere superbiam, & quia populus Israeliticus apud Prophetas modò cum ouibus, modò cum vinea comparatur, eò voluerit alludere, vnde iam versu superiore & *daretur nobis paxillus in loco Sancto eius*, quod Lxx. in Complutensibus, & Regiis codicibus interpretati sunt στήριγμα *fulcrum*, siue *adminiculum*, quòd videlicet quemadmodum caduca palmitum flagella, vt se erigant, clauiculis suis quasi manibus adminiculum apprehendunt, ita Iudæi, qui post exilium denuo plantati fuerant, non solum ῥίζαν *radicem*, quod in editione Sixtina legitur, altè demitterent, sed etiam adminiculum haberent, & quamuis seruitutis humilitate depressi & imbecilles, erigerent se tamen, ac Dei Regisque Persarum beneuolentia niterentur. Quid si quoniam Hebraica dictio tam septū ligneum, quàm lapideam maceriam significat, hanc ideo vocem vsurpare maluit, vt ostenderet murum

rum non solis lapidibus, sed etiam trabibus ac tignis intercursantibus fuisse contextum? qualem tersissima Cæsaris oratione murorum gallicorum formam modò descripsit Eustorgius. Nihil est igitur caussæ cur in hac dictione *sepis*, vim faciamus, negemúsque prius quàm Esdras adueniret, vrbem à Nehemia Regis Persarum indulgentiâ fuisse circumdatam.

Vide Vitruuium lib 1 de Architect. c. 5.

154. Quòd si ante Nehemiam, vt vulgo creditur, annis circiter tredecim. Esdras in Iudæam accesserat, & quidem missus ab Artaxerxe, *vt visitaret Iudæam & Ierusalem in lege Dei sui*, qui factum est, vt nefarias illas nuptias cum alienigenis contractas quæ ipsius authoritate dissilierant, de integro coire, ac tenuiores à potentioribus fœnore trucidari, agros, vineas & domos opponere, liberos denique suos in nexum & seruitutem addicere pateretur? quibus oculis videre potuit hoc, vt Ambrosij verbis vtar, miserabile spectaculum? *Liberos pro paterno debito in auctionem, deduci & teneri calamitatis heredes, qui non essent participes successionis, & hoc tam immane flagitium non erubescere creditorem.* Si fœneratorum crudelitatem coercere non potuit, quis eum circumscripsit? iurisdictionem sustulit? potestatem abrogauit, quam ab Artaxerxe his verbis acceperat: *Tu autem Esdra, secundum sapientiam Dei tui quæ est in manu tua, constitue Iudices & Præsides, &c. & omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem Regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortem, siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem.*

Esd. 7. v. 14.

Nehemiæ c. 5. v. 5. & 6.

Lib de Tobia, cap. 8.

Esd 7. v. 25. & 26.

155. Si ex ignoratione remedium adhibere prætermisit, quæ tandem hæc inscitia fuit? iuris? an facti? Si iuris, quomodo fuit scriba velox in lege Moysi, legísque doctissimus? si facti, quæ, malum! fuit ista cæcitas & socordia? si nec legem, nec factum ignorauit, & occurrere potuit, noluit tamen oppressis debitoribus subuenire, quęnam illa morum peruersitas? aut quid interest verùm ipse tenuiorum sanguinem hauriat, an alios haurire patiatur? An pecuniæ deerant? quas egentibus commodaret, quod fecit Nehemias? At præter ingentem vim auri & argenti quam secum attulerat, præceperat Artaxerxes arcis publicæ custodibus, vt Esdræ sine mora darent, *vsque ad argenti talenta centum, & vsque ad frumenti coros centum; & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum; sal verò absque mensura.* Neque nesciebat posse se vel ipsa templi vasa conflare, vt extremæ miserorum inopiæ subueniret. Fatendum est igitur ea quæ de fœneratorum crudelitate scribit Nehemias, priùs quàm Esdras pedem in Iudæa poneret, contigisse ac proinde annum Artaxerxis septimum posteriorem esse vicesimo, vt septimus à Xerxis obitu quo solus obtinuit imperium, vicesimus ab eiusdem expeditione, cuius initio allectus est in regni consortium, numeretur, quintúsque duntaxat ab obitu Xerxis illuxerit.

Esdræ 7. v. 22.

156. Xerxes in Græciam impressionem fecit, quo tempore Græci ludos Olympicos celebrabant, eique iam Thermopylas transgresso transfugæ quidam ex Arcadia, ἔλεγον ὡς ὀλύμπια διάγοιεν, καὶ θεωροῖεν ἀγῶνα γυμνικὸν καὶ ἱππικόν, *Dixerunt eos agere Olympia, & spectare certamen gymnicum atque equestre.* vt scribit Herodotus lib. 8. c. 26. Ea fuit Olympias πέμπτη πρὸς ἑβδομήκοντα, *quinta supra septuagesimam*, vt consentiunt omnes, & conceptis verbis testatur Diodorus Siculus lib. 11. vel, vt alii numerant, 12. ineunte. E quibus efficitur Xerxem anno Olympiadis 74. postremo copias illas innumerabiles in Græciam insudisse. Iam, vt auctor est Herodotus lib. 7. cap. 37. Sardibus, vbi hybernauerat ἅμα τῷ ἔαρι, verè ineunte profectus est, tribus videlicet mensibus ante solstitium, quo de more celebrari debuit Olympias diebus æstiuis qui solstitiale plenilunium obsidebant. Et cùm esset in procinctu, ex lege quæ successorem nominari iubebat, Regémq; declarari priùs quàm è regni finibus excederet, Artaxerxem filium in regni societatem acciuit. quo factum est vt primus Artaxerxis cum patre regnantis annus partim cum anno quarto septuagesimæ quartæ Olympiadis, partim cum septuagesimæ quintæ primo concurreret, maiorem tamen sui partem ex hoc posteriore libaret, vt primus septuagesimæ quintæ Olympiadis annus Artaxerxis cum patre regnantis annus possit meritò computari. ac proinde primus octogesimæ Olympiadis annus Artaxerxis erit vigesimus, quo Nehemias obtinuit ab Rege commeatum.

157. Iam, vt scribit Diodorus Sic. l. 11. Xerxis, ἐτελεύτησε βασιλεύσας τῶν Περσῶν ἔτη πλείω τῶν εἴκοσι, diem obiit extremum, postquam vltra viginti annos Persarum imperio prefuisset: igitur annus primus Olympiadis octogesimæ post Xerxis obitum 5. illuxit. Is est annus Iphiti 317. cui si annos 490. siue septuaginta hebdomadas annorũ adieceris, annus omnino 807. siue Olympiadis 202. tertius exurget, in quem plerique mortem Domini contulerunt. Quòd si, vt probauimus, prius Nehemias Ierosolymam accessit, quàm illuc Esdras cum am-

plissima potestate mitteretur, septimus Artaxerxis annus Esdræ missioni nobilis debet à Xerxis obitu computari, qui post Olympiadas ab Iphito restitutas supra trecentesimum vndevicesimus explicatur.

158. Anno igitur quinto Artaxerxis ineunte, sub initium Olympiadis octogesimæ, venit Nehemias, eodem anno iam exeunte muros & turrim domus siue regiam extruxit, & in templi dedicatione, quæ mense Casleu, siue mense nouo celebrata est, ignis ex aqua luculentus emicuit: Anno sexto, qui fuit Olympiadis octogesimæ secundus, Artaxerxes audito miraculo Esdram cum amplissima potestate ac muneribus in Iudæam destinauit. Is anno septimo Regis ineunte, *in primo die mensis primi*, cùm adhuc annus idem Olympiadicus in decursu esset, *cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Ierusalem*, Olympiadis octogesimæ anno tertio non multis diebus inchoato. A quibus annis, quemcunque libuerit amplecti, difficile non est hebdomadum septuaginta seriem euoluere, quas vel ipsa Domini nece vel aliquanto pòst commodè terminabis.

Esd. 7. v. 9.

159. Cùm enim diuersæ sint Patrum & Chronologorum rationes, circa tempus dominicæ Passionis, & quamuis omnes in eamdem Olympiadem ducentesimam secundam conueniant, alij tamen annum eiusdem Olympiadis secundum, alij tertium, alij quartum anteponunt, si à sexto Longimani hebdomadas illas septuaginta deduxeris, anno ducentesimæ secundæ Olympiadis quarto præcisè finientur. vnde facilè de cæteris pronuntiare poterimus. Ne quis causari possit nos in hac controuersia, quæ inter nos & Iudæos de aduentu Messiæ iactatur, non tam è publicis tabulis, quæ adulterari facilè non possunt, quàm è priuatis certorum hominum rationibus Danielis prophetiam, quæ totius disputationis caput est, & Christi morientis Chronologiam explicari.

Recapitulatio.

160. EVSTORGIVS. Hæc igitur ex hodierna disceptatione referemus: cùm ab anno Darij sexto, quo templum à Zorobabele perfectum est, ad Vespasiani secundum templi conflagratione nobilem, 146. Olympiades .i. anni 584. effluxerint, Hebræorum annos duntaxat 420. templo secundo tribuentium Chronologiam annis 164. esse mutilatam, si quis tamen eam Græcorum Olympiadibus anteponit, septuaginta Danielis Hebdomadas ad Christi necem perduci, si ab anno Iosiæ decimo tertio numerentur. Quo anno diei potest exiisse sermonem vt iterum ædificaretur Ierusalem, quia tunc Ieremias propheticæ munus accepit, qua non solum vrbis excidium, sed etiam eius instaurationem longè ante prædiceret. Deinde temporum illorum seriem non posse certius, aut commodiùs quàm per Olympiadas explicari: eámque supputationem non mediocriter scripturæ rationibus conuenire.

161. Pòst anxiam admodum & perplexam eorum esse Chronologiam qui cum Africano lunares annos mensibus intercalaribus expeditos inuehunt, vt hebdomadas illas ab anno, qui post Xerxis obitum Artaxerxi filio regnanti vigesimus illuxit, possint accersere. Tum annos eiusmodi, qui nulla solis habita ratione, ad lunæ cursum describerentur, à Iudæorum moribus fuisse penitus alienos atque intercalationem sie ad rationem anni Iudaici pertinere, vt ne cogitatione quidem possit ab eo separari. Illud denique referemus. Artaxerxis Longimani duo fuisse primordia: Alterum quo priusquam Xerxes Græciæ bellum inferret, filium Artaxerxem ex lege Persarum in regni consortium adsciuit: alterum quo post obitum patris solus regnum obtinuit Artaxerxes anno decimoquarto, postquam non solum à patre regni successor declaratus fuerat, sed etiam honorarium Regis nomen acceperat anno post prius initium vicesimo, qui ab obitu Xerxis quintus illuxit, missum fuisse Nehemiam, & in angustia temporum dierum videlicet duorum & quinquaginta spatio muros refecisse, ac turrim, siue Regiam templo connexam excitasse; anno proximo ineunte, templum atque vrbem mœnibus instructam oblatis Deo sacrificiis dedicasse. Quibus, cùm sacer ignis deesset, aquam crassam affundi iussit Nehemias, & infundente se desuper sole luculentus ignis emicuit, & Artaxerxes audita fama miraculi cum alia contulit in templum ac sacerdotes beneficia, tum Esdram cum amplissima potestate legauit, qui nouorum reductione ciuium iterum ędificaret Ierusalem, mores, qui superiorum temporum licentia defluxerant, legum seueritate vinciret, doceret imperitos, diuinum cultum omnibus rationibus promoueret.

162. Atque hic est exitus sermonis, vt ædificetur Ierusalem, Artaxerxis anno sex-

to poſtquam ſolus ab obitu patris regnare occœperat, vnde nos hebdomadas ſeptuaginta, ſiue quadringentos nonaginta ſolares annos exorſi, eos ad Chriſti Domini paſſionem, adſcenſionem, ac Sancti Spiritus illapſum perducimus. Nec immerito, ſanè cùm nec maiorum omnino deſit authoritas, & verba Gabrielis hanc facilè Chronologiam admittant, & ſcripturæ, quæ opponi poſſunt, facillimos habeant explicatus, & tot præcisè numerentur anni quot ad explendas illas hebdomadas exiguntur. Neque enim commodior aut illuſtrior epocha deligi poterat vnde hebdomadum ſeries explicaretur, quàm illud ignis ex aqua diuinitus accenſi miraculum, quod vmbra fuit illius quem Chriſtus venit mittere in terram, & in nouæ legis dedicatione per Sancti Spiritus illapſum diſcipulis ſuis impertiit, quemadmodum iam antè ſeruatis iiſdem pene temporum interuallis in dedicatione tabernaculi, & iterum in dedicatione templi Salomonis, *Moſes orabat ad Dominum, & deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum: ſic & Salomon orauit, & deſcendit ignis de cælo, & conſumpſit holocauſtum.* 2. Machabæorum 2. 10.

F I N I S.



NICOLAI ABRAMI

Societatis IESV

IN VNIVERSITATE MVSSIPONTANA,

SACRARVM LITTERARVM

INTERPRETIS,

DE VERITATE

AC MENDACIO,

LIBRI IV.



DE MENDACIO AC VERITATE.

LIBER PRIMVS.

PSEVDAGORAS. PHILALETHES. AMPHILOGVS.

I. *PRÆFATIO.*

1 HILALETHES. Quid ais, Pseudagora? putas quibusdã locis ac temporibus honestum esse mentiri? PSEVD. Quid enim aliud putem, mi Philalethes, cùm huic opinioni faueat hominum consuetudo, ratio suffragetur, Sanctorum exempla prælueeant, adstipuletur, tum Philosophorum, tum grauissimorum Ecclesiæ Patrum authoritas. Deus denique tum imperando mendacio, tum referenda mentientibus gratia huic obsecundet velificetúrque sententiæ? PHIL. Ais igitur mendacium hominum consuetudine, ratione, Sanctorum virorum exemplis, Philosophorum Patrúmque testimonio, Dei tum præcipientis, tum etiam remunerantis authoritate comprobari? PSEVD. Aio enimuero. PHIL. Possúmne, quoniam vterque nostrum otiosi sumus, ex te fusiùs audire, quæ te non dicam rationes, sed captiones, in hunc non opinionis, sed quod bonâ veniâ deinceps audire debes, mendacii scopulum impegerint? PSEVD. Portum, opinor, voluisti dicere, Philalethes, ad quem qui semel appulsus fuerit, is ex turbulenta scrupulorum iactatione placidissimè conquiescet. Sed mittamus ista, & ne, quod aiunt, *passim sequamur coruos testáque lutóque*, certúmque aliquid habeamus ad quod argumenta nostra collineent, paucis videamus quodnam proprium dicatur verúmque mendacium.

II. *De rerum, ac signorum falsitate.*

2. PHIL. Age igitur, Pseudagora, quoniam necesse est omni mendacio speciem falsitatis aliquam subesse, dicere potes, quot modis falsum dicatur? sic enim faciliùs inueniemus quodnam sit inter falsum mendaciúmq; discrimẽ. PSEVD. Obseruat Aristoteles falsum in rebus, in oratione, in homine denique reperiri. PHIL. Hæreamus, si placet, tanti Philosophi vestigiis: quia tamen res paulo videtur obscurior, neque fortasse omne falsi genus complectitur, operæpretium fuerit eam planiùs & liquidius explicare. Dica-

mus igitur maioris perspicuitatis caussa falsum in rebus significatis, in rerum signis, in personis quæ signa rebus applicant, inueniri. PSEVD. Signa rerum quænam appellas? PHIL. Signorum genera sunt duo. Alia quorum natura omnis in rerum significatione consistit, quas Physici species intentionales appellant. Alia res quæ cùm vel per se cohæreant, vel aliis rebus inhæreant, ad significandum aliud adhibentur. Species appello quædam simulacra siue formas & imagines, quas omnia quæ sensibus vsurpantur, quasi sui Vicarias emittunt, quæ vt Lucretii verbis vtar,

Signa.

Species.

Cùm quasi membranæ summo de corpore rerum,

Direptæ fuerint, ac sensibus exceptæ, & à sensibus iam defecatiores ad imaginationem siue phantasiam, ab ea rursum puriores adhuc & quasi decoctiores ad intelligentiam peruenerint, ibi penitus ab omni materia segregantur, quibus imbuta mens ex earum speculatione viuam vitalémque cogitationem effingit, quam verbum mentis & expressam rerum speciem nominamus.

3. Alia signa sunt quæ definit magnus Augustinus, *res quæ præter speciem quam ingerunt sensibus, aliud aliquid ex se faciunt in cogitationem venire.* Quæ rursum possumus in duas formas distinguere. Nam alia proximè res ipsas externas expressa similitudine repræsentant, vt ea quæ statuarii, fictores, choneutæ, pictores, encaustæ, sculptores, plumarii, phrygiones, textores, topiarii ad aliarum rerum imaginem ducere solent, delineare, imprimere, exsculpere; aut effecta quibus cognitis ad caussæ notitiam deducimur, sicut vestigio viso transisse animal cuius vestigium est, cogitamus, & fumo viso, ignem subesse cognoscimus, quæque vel ab iisdem caussis fluunt, vel ita sunt apta ex sese & communi naturæ vinculo connexa, vt alterum ex altero necessariò colligatur. Alia proximè cupiditates internas cogitationésque significant; res autem externas non prout sunt in seipsis, sed prout vel appetuntur, vel phantasia, aut etiam intelligentia cogitantur.

Lib. 2. de doct. Christiana c. 1.

Signa.

Effecta.

4. Rursum alia naturalia sunt, vt cùm in in lætitia frons explicatur, in mœrore contrahitur, in pudore suffunditur sanguis, & ad tegendum id, in quo deprehensi erubescimus, quasi naturale velum oppanditur. Amantes ad occursum amati corporis erubescunt, sanguine velut obuiam prodeunte, & amplexum chari corporis appetente: Timentes pallent ac tremunt, spiritibus ac sanguine partes exteriores destituentibus & ad vitæ custodiam circa cor velut in arcem artiorémque munitionem concurrentibus: Irati subitò pallescunt, sanguine ad interiora confluente, qui mox vt circa cor efferbuit, igneos quosdam spiritus exhalat, quo plerumque fit vt toto ardentium ab ore,

Signa naturalia.

Scintillæ absistant, oculis micet acribus ignis.

Atque hæc & alia eiusmodi signa naturalia sunt, quippe quæ vel inuitis emanant, ac foras erumpunt ipsa sponte naturæ.

5. Alia voluntaria sunt atque ex hominum arbitratu & instituto pendentia, vt appensa hedera qua vinum venale ostenditur, vt tubæ clangor, quo milites aut progredi aut regredi, aut, si quid aliud pugna postulat, oportere nouerunt & potissimùm verba quibus in aliorum animos sensus animorum nostrorum cogitationésque, & his interuenientibus res ipsas externas ratione comprehensas oratione transfundimus. Quæ, *quia*, vt Augustinus sapienter aduertit, *verberato aere statim transeunt, nec diutiùs manent, quàm sonant, instituta sunt per litteras signa verborum: ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua.* Atque hæc voluntaria rerum signa sunt quæ vel sola, vel præcipua hodierno die consideranda suscepimus.

Signa voluntaria.

Lib. 2. de Doct. Christ. c. 4.

6. PSEVD. Atqui, mi Philalethes, vereor vt ista non satis accuratè ad bonæ diuisionis normam exegeris. Cùm enim, vt Dialectici docent, alterum partitionis membrum altero contineri non possit, tùque ipse signa res quasdam esse fateare, parum hæc exacta videri possit in res ac signa partitio. PHIL. Fateor equidem omne signum rem aliquam esse. *Quod enim*, vt ait idem Augustinus, *nulla res est, omnino nihil est*, ne caussas quidem signa rebus applicantes sic à rebus distinguimus, vt eas velimus è numero rerum excerpere: si enim res non essent, omnino caussæ non essent. Sed res simpliciter & absolutè dicimus, prout significantur, signa prout significandis rebus applicantur, caussas, prout res ipsas signorum applicatione significant. PSEVD. Hæc igitur non quidem reipsa, sed cogitatione saltem ita partiemur, vt in rebus sola natura signis denotata consideretur: in signis forma quædam & species, aut etiam vestigium quo ad rei notitiam peruenitur: in caussis ipsa signorum applicatio, qua vel res ipsas intelligimus, nobísque significamus ipsis, vel in alios rerum illam notitiam, affectus cogitationésque traiicimus. Quæ si assecutus

videor,

videor, restat vt quo pacto falsum in rebus, in signis, in personis reperiatur, Aristotelis mentem tuis verbis edisseras.

5. Metaph. cap. 19. 7. Phil. Rem falsam duas ob caussas appellari definit Philosophus: partim quia Res falsa. duo quædam inuoluit quæ omnino componi non possunt, & in ipsis, vt vocant, terminis, contradictione sic implicantur, vt si vnum è duobus cogitatione conflaueris, verbi caussa, si Deum natura sua mortalem, hominem animæ rationalis expertem, alterum altero destruatur: vel quia, licet absolutè componi possit, non tamen reapse componitur: vt si quo tempore stas, ego te sedere pronuntiem: partim quia licet veram habeant, nullisque diuersis pugnantibúsque naturis implicatam essentiæ rationem, sensus tamen ita deludunt, & quasi præstigiis quibusdam effascinant, vt neq; quæ sunt, neq; quales sunt, esse videantur: vt cùm remus partim in aqua partim in aëre spectatus propter refractionē radiorum, fractus apparet, cùm nauigantibus, & ex alto spectantibus *terræque vrbésque recedunt*, cùm sol ille tam immensus, tam immanibus terrarum aërisque spatiis distans, tam insana rapiditate concitatus vix pedali magnitudine vicinorum montium videtur insidere fastigiis: vt id in rebus falsum esse dicatur, vel quod omnino non est, (si tamen quod omnino non est, id in rebus falsum esse dicendū est) vel quod est quidem, sed eius quod non est, imaginationem ingenerat. Pseud. Habemus de rerum falsitate: quare si tibi commodum est, ad signa veniamus.

8. Phil. λόγος δὲ ψευδὴς, inquit ibidem Aristoteles, ὁ τῶν μὴ ὄντων. *Oratio falsa* Oratio falsa. *est ea quæ res non existentes enuntiat*, cùm videlicet, vel in rebus ipsis coniuncta diuidimus, vel diuisa signo aliquo coniungimus, vel alterius rei conceptum, alteri, verbi caussa circulo trianguli definitionem applicamus. Pseud. Atenim, Philalethes, non satis commodè Philosophus omnia significandi genera videtur hac definitione complexus. Non enim vna duntaxat oratione, sed etiam signis quibuslibet, imò & tacita mentis agitatione falsum admittimus. Phil. Ita est, Pseudagora. Etsi enim fateor cùm Augustino pleraque signa ad sensum aurium pertinere, dubitari tamen non potest, quin cæteris signis, quæ sensibus aliis, & potissimùm oculis vsurpantur, homines inter se sua sensa communicent, ac motus animi sui cogitationésque transfundant in animos aliorum, in quibus proinde falsitas non minùs potest, quam in verbis & locutione versari, & falsa plerumque opinatione deludimur, quod qua ratione fiat, explicari vix potest, fieri tamen identidem experimur. Atque adeò, nisi mancam falsi definitionem attulit Aristoteles, dicendum videtur non externam duntaxat locutionem, sed etiam quicquid ad significandos, & exprimendos animi nostri sensus adhibetur, ipsásque adeo cogitationes, λόγοι ab eo nuncupari.

9. Neque sanè video cur hæc omnia rerum signa vno sermonis siue orationis nomine comprehendi non possint Nam & res externæ per species imaginésque sui vicarias cum sensibus, sensus cum imaginatione, imaginatio cum intelligentia quodammodo sermocinantur, exteræque noscendi facultates rationi tanquam dominæ suæ renuntiant quid à suis obiectis acceperunt: & scitè Socrates in Theæteto definit τὸ διανοεῖσθαι siue cogitationem λόγον, ὃν αὐτὴ πρὸς αὑτὴν ἡ ψυχὴ διεξέρχεται περὶ ὧν ἂν σκοπῇ. Oratio mentis. *Orationem quam ipsa secum exequitur anima de rebus quas ipsa considerat. Nihil enim*, inquit, *mihi videtur aliud quàm sermocinari secum seipsam interrogans, ac sibi respondens, aiens & negans. Cùm vero definierit, & siue celeriùs siue tardiùs intellexerit* (legendum enim videtur ἐπαΐσασα, non ἐπαΐξασα) *vt idem iam dicat, & non ambigat, tunc eam* opinari statuimus. E quibus effici vult opinari nihil aliud esse quàm dicere, καὶ τὴν δόξαν λόγον εἰρημένον, οὐ μέν τοι πρὸς ἄλλον, οὐδὲ φωνῇ, ἀλλὰ σιγῇ πρὸς αὑτόν, *opinionem sermonem prolatum, non ad alium aut voce, sed silentio ad seipsum.* Vnde vt initio dicebamus, rerum species è phantasmatibus expressa verbum mentis plerumque nominatur.

10. Quod ad externa signa pertinet, longè faciliùs videntur sermonis & orationis vocabulum obtinere. Nam, vt de cæteris in præsentia taceam, *non damus signum nisi oculis eius quem volumus per hoc signum nostræ voluntatis participem facere* (verba sunt Augustini) *& quidam motus manuum pleraque significant, & histriones omnium membrorum motibus, dant signa quædam scientibus, & cum oculis eorum quasi fabulantur.* Lib. 2. de doct. Christiana c. 3. *Et satis constat*, inquit Macrobius, *contendere Ciceronem cum Roscio histrione solitum vtrum ille sæpius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronuntiaret. Quæ res ad hanc artis suæ fiduciam Roscium abstraxit, vt librum conscriberet, quo eloquentiam cum histrionica compararet.* 3. Saturn. 14. Quia nimirum, vt Cassiodorus aduertit, *ore clauso, manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante*

Lib. 1 Variar. ep. 20.

lingua, aut scriptura textu possit agnosci. Notum etiam illud frontem, oculos, vultum, tacitum mentis sermonem à viro disertissimo nominari. Quia videlicet *per oculos animus emanat:* Et,

Fab lib 9. Ouid. 1. de arte.

Sæpe tacens vocem verbáque vultus habet.

atq; *ita intimos animi sensus proditor vultus enuntiat, vt in speculo frontium imago extet animorum.* Adeóque verum est illud magni scriptoris effatũ: *frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio vero sæpissime.* Atque hæc de rerum signorúmque falsitate, nunc ad caussas signa rebus ipsis applicantes contento studio cursúque veniamus.

Latinus Pacatus Paneg.

III. *De Mendaci ac Mendacio.*

Homo falsus.

11. PSEVD. Alio modo falsus homo dicitur ὁ ψευδόδοξος qui falsis opinationibus in errorem inducitur, alio ψευδηγόρος, siue mendax & fallax, qui ἄνθρωπος ψευδὴς ab Aristotele nominatur. Sed ne in verbis tricari videamur, homo ψευδὴς à Philosopho dicitur ὁ εὐχερὴς καὶ προαιρετικὸς τῶν τοιούτων λόγων, *qui ad huiusmodi* falsas *Orationes procliuis est, eásque data opera sectatur.* μὴ δι' ἕτερόν τι ἀλλὰ δι' αὐτό. *non ob aliquid aliud, sed ob id ipsum.* tanti refert qua quísque animi inductione falsum enuntiet, vt qui expugnandæ matronarum pudicitiæ caussa mentitus fuerit, non mendax, sed adulter; qui pecuniæ quærendæ cupidus, qui gloriolæ sectandæ, sui iactator, gloriosus ac leuis nominetur. καὶ ὁ ἄλλοις ἐμποιητικὸς τῶν τοιούτων λόγων. *itémque qui aliis talium Orationum effector est*, quo pacto & res eas falsas esse dicimus quæ falsam imaginationem efficiunt.

12. E quibus liquet aliud esse falsum dicere, aliud mentiri, falsum dicit qui siue voce, siue gestu, siue quocunque modo τὰ μὴ ὄντα, ea quæ non sunt, significat, & vel re coniuncta, Oratione separat, vel separata coniungit, vel aliena signa rebus imponit. mentitur qui aliud in lingua, gestu cæterísque rerum signis promptum habet, aliud in pectore clausum tenet: qui contra mentem animíque sui sententiam loquitur, ac prudens & sciens alios in fraudem inducere conatur. Adeóque fieri potest, vt & mentiatur interdum qui verum dicit, qui falsum non semper, vtique mentiatur. Qui enim falsum dicit quod verum existimat, is nequaquam mentiri censendus est, qui quod reapse verum est, falsum tamen esse creditur, aliis aliqua significatione pro vero conatur obtrudere, perinde mẽtitur, ac si reuera falsum expromeret.

Falsum dicere.

Mentiri.

13. *Qui mentitur*, inquit P. Nigidius apud Aulum Gellium, *ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur, qui mendacium dicit, ipse fallitur. Qui mentitur, fallit quantum in se est, at qui mendacium dicit, ipse non fallit, quantum in se.* Præclarè omnia, nisi mendacium cum falso confunderet. Nam si propriè loquamur, sermo falsus est ὁ τῶν μὴ ὄντων. de iis quæ non existunt, prolatus, atque, vt ait Augustinus libro de mendacio ad Consentium cap. 2. *Quisquis hoc enuntiat, quod vel credit animo vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur: incognitum enim habet pro cognito. Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. Vnde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio. Vna rei quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert, altera eius rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans.* E quibus & illud efficitur, omni quidem Mendacio falsitatem subesse: ad naturam tamen Mendacii non pertinere vtrùm reipsa falsa sint, quæ dicuntur, an duntaxat opinione mentientis. *Nemo autem*, inquit, *dubitat mentiri eum qui volens falsum enuntiat, cum voluntate fallendi. Quapropter enuntiationem falsam cum voluntate fallendi prolatam, manifestum est esse Mendacium. Sed vtrùm hoc solum sit Mendacium, alia quæstio est.* Atque hoc potissimùm sensu quæritur *vtrùm*, quod ait Nigidius, *vir præstare debeat, ne mentiatur.* Sed heus tu, Philalethes, quid est quod aiebas explicari vix posse?

Lib. 11. noct. Attic. cap. 11.

Mentiri ac mendaciũ dicere quî differant.

Mentientis cor duplex.

Mendacii definitio.

IV. *Quomodo falsum opinemur.*

14. PHIL. Quæstionem hanc oppidò difficilem expedire conatur Socrates in Theæteto, adeóque tenuiter elimat, vt eius ramenta, si dicere fas esset, ipsam propemodum aciem mentis effugere videantur. Ac primùm rationes affert, quæ tantum non suadeant fieri non posse vt falsò quippiam opinemur. Nam, inquit, quicquid est in rerum natura, aut scimus, aut nescimus. De his quæ scimus, nihil falso possumus opinari: quæ nescimus, ne opinamur quidem. Si enim vel Socratem & Platonem, vel eorum duntaxat alterum, vel neutrum nouerim, nunquam Platonem eundem esse cum Socrate suspicabor. Adde quòd qui falsa ducitur opinione, vel quod non est, opinatur, vel alterum pro altero opinatur, & opinio falsa sit quædam ἀλλοδοξία, quando quis eorum quæ sunt aliquid, in aliud quippiam eorum item quæ

Rationes quæ suadere videntur nos falsum non posse opinari.

sunt, permutarit animo & illud existimet. At qui quod non est cogitat, nihil cogitat, qui nihil cogitat, ne cogitat quidem. neque sibi quisquam, quantumuis à mentis sanitate deiectus, vel per somnium persuadere potest, rem vllam à se ipsa esse diuersam.

15. Hunc nodum vt extricet, cogitatione iubet effingi κήρινον ἐκμαγεῖον, quod Serranus & Marcilius ceream effigiem transtulerunt, expressorium dicere potuissent, siue materiam exprimendis recipiendisque formis comparatam. Dicamus sanè vel materiam, vel tabulam, vel Græcum retineamus ἐκμαγεῖον, dum aliud commodius occurrerit. Ceream in animis nostris tabulam poni iubet, in alio maiorem, in alio minorem, & in alio purioris ceræ, in alio sordidioris ac durioris, in quibusdam liquidioris, in quibusdam moderatè se habentis, & in hanc ipsam sensibus cogitationibúsque substratam, velut annulorum signis impressis exprimi ea quorum meminisse volumus, ex his quæ videamus, aut audiamus, aut ipsi cogitemus, & quod expressum fuerit, eius nos meminisse ac scire, quamdiu remanserit ipsius simulacrum, cùm verò deletum fuerit, vel fieri non potuerit vt exprimatur, obliuisci nos & nescire.

Primus falsæ opinationis modus.

16. Et post multa de sensibus & expressis rerum imaginibus subtilissimè disputata, quæstionem ita conatur expedire. Cùm ego Theætetum ac Theodorum cognoscens, & in illa cerea tabula tanquam annulo quodam impressam vtriúsque imaginem circumferens, & post longum temporis interuallum vtrumque videns, volo tamen ac molior propriam vtriúsque imaginem attribuens suo aspectui, & in suum ac germanum vestigium inducens adaptare, vt fiat agnitio; deinde ab his aberrans, siue à vero tramite exorbitans, & velut qui mutatos aduersósque calceos pedibus inducunt, euarians alterutrius aspectum cum alterius imagine compono, aut quemadmodum visui contingit in speculis à dextra in sinistram defluenti, eodem modo affectus, tum contingit ἑτεροδοξία aliena opinatio, & falsum opinari. Atque hic est vnus falsitatis modus, quem ait ἐν τῇ συνάψει αἰσθήσεως πρὸς διάνοιαν, in compositione sensus cogitationísque versari, & aliud esse nihil ἢ διανοίας πρὸς αἴσθησιν παραλλαγήν, *quàm cogitationis ad sensum variationem.*

Secundus modus.

17. Quia tamen si solus hic falsitatis modus esset, haud quaquam in ipsis cogitationibus falleremur, constat autem etiam in iis quæ sensu percipi non possunt, errorem aliquando contingere, vt si quis quatuor, & septem opinetur esse duodecim, quod opinari non posset, nisi iam aliquam haberet informatam in animo quaternarii, septenarii, duodenarii notionem, Alius opinionis falsæ modus quærendus est. Hunc vt inueniat, aliud esse dicit ἔχειν habere, aliud κτᾶσθαι possidere, vt si quis verbi caussa vestem emerit, & in cista seruandam incluserit, nec illam induerit, vestem non habere dicetur, sed possidere. Atque vt superiùs in animis nostris figmentum nescio quod cereũ Architectatus fuerat, ita nunc in singulis animis omnigenarum auium columbarium quoddam fabricatur. Deinde scientias columbarum & venationi & possessioni similes esse tradit, carúmque duplicem venationem agnoscit, vnam quidem ante ipsam possessionem, illius possessionis caussa: alteram vt possessor, auiculas quas iampridem in columbario possidebat, apprehendat, & habeat in manibus: sic ait hominem eadem ipsa, quorum priùs scientiam sibi compararat, posse rursum addiscere, singulorum scientiam resumendo ac reuocando, quam quidem iampridem possidebat, in ipsa tamen cogitatione minimè habebat expeditam.

18. His ita constitutis, Quandoquidem, inquit, definiuimus aliud quippiam esse possidere scientiam, aliud verò habere, constituamus sanè fieri non posse, vt quod quis possidet, minimè possideat. Itaque nequaquam contingit, vt rem quam quis nouit, ignoret, fieri tamen potest, vt falsam ea de re opinionem apprehendat. Μὴ γὰρ ἔχειν τὴν ἐπιστήμην τούτου οἷόν τε, ἀλλ' ἑτέραν ἀντ' ἐκείνης. *Fieri enim potest, vt huius rei scientiam non habeat, sed aliam illius substitutam,* ὅταν θηρεύων τινὰ ἀπ' αὐτοῦ ἐπιστήμην διαπετομένων, ἀνθ' ἑτέρας ἑτέραν ἁμαρτὼν λάβῃ. *cum aliquam ex se ipso scientiam venans, illis prætervolantibus alteram pro altera per errorem apprehendit.* Cùm igitur duodecim vndecim esse existimat, duodenarii numeri scientiam, pro vndenarii scientia, quarum vtramque in se possidet, quasi pro columba palumbum apprehendit. Hæc Plato.

19. Quia tamen nondum omnem falsi naturam exhauserat in Theæteto, Dialogo sequenti, quem Sophistam appellat, entis & non entis naturam fusiùs explicare conatus est, ac primùm ens in quinque genera partitur. τὸ τὸ ὂν αὐτὸ, siue τὸ ὄντως ὄν, *ipsum id quod est*, siue *id quod est reuera.* καὶ στάσις καὶ κίνησις, *& status & motus.* quæ duo postrema, quoniam sunt ἀμίκτω πρὸς

Quinque entium genera.

ἀλλήλω, inter se misceri non possunt, τὸ δὲ γε ὂν μικτὸν ἀμφοῖν ἐστον γὰρ ἄμφω πυ. *Ipsum quidem id quod est vtrisque miscetur, ambo enim sunt quadam ratione.* ac proinde αὐτοῖν ἑκάτερον τοῖν μὲν δυοῖν ἕτερόν ἐστιν, αὐτὸ δ' ἑαυτῷ ταὐτόν. *Vnumquodque ipsorum aliud quidem à duobus est; idem verò sibi ipsi.* Hinc effici vult duas alias Entis formas, ταὐτὸν καὶ θάτερον, *idem & alterũ*, ad tres superiores accedere. Quæ entium genera variè docet inter se commisceri, τό τε ὂν καὶ θάτερον, *ipsumque adeo id quod est & alterum*, per omnia & per se inuicem peruadere, & alterum quia eius quod est, particeps est, est quidem propter eius participationem & communitatem, non tamen illud ipsum quod participat, sed alterum quidpiam ab illo. Cùm autem alterum sit ab eo quod est esse non ens, manifesta ratione conuincitur.

20. At contrà ipsum *ens* cùm aliquid ex *alterius* natura participet, aliud quidpiam erit ab aliis generibus distinctum ac separatum. Cùm autem sit quidpiam alterum ab illis omnibus, neque erit eorum singula, neque cætera vniuersa, sed idem ipsum. Itaque *id quod est* citra controuersiam μυρία ἐπὶ μυρίοις οὐκ ἔστι, *infinitis modis non est*: vel, *non est alia res infinities infinita.* Et alia tum vniuersim, tum singillatim multifariàm quidem sunt, multifariàm verò non sunt. Cùm enim ostenderit τὴν θατέρου φύσιν, alterius *naturam*, & esse & per omnia entia sibi mutuò comparata κατακεκερματισμένην *particulatim*, esse *distributam*: illius *alterius* naturæ particulam quæ vniuscuiusque enti siue entitati opponitur τὸ ὄντως μὴ ὄν, *reuera non ens*, siue *id quod reuera non est*, appellat.

Tertius falsæ opinationis modus.

21. Atque his ita declaratis ad explicandam orationis opinionísque falsæ naturam delabitur, & quemadmodum propter illam quinq; generum entis inter se μίξιν mixtionem, vel ἀμιξίαν *impermixtionem*, quam fusè superiori disputatione adstruxerat, aliæ res aliis mutuò quadrant atque conueniunt, aliæ nullum habent inter se commercium: & signa eodem modo quæ in voce versantur orationémque componunt, quędam conuenire docet, quædam neutiquam conuenire. Deinde subnectit: Ea quæ cùm sint altera, ita de re dicuntur ac si eadem essent & quæ non sunt, perinde ac si essent eiusmodi compositio è verbis ac nominibus constituta ὄντως τε καὶ ἀληθῶς γίνεται λόγος ψευδής, *omnino & verè falsa est oratio.*

22 Tandem facta cogitationis & orationis comparatione totam denique disputationem concludit optimis sanè verbis, quæ tamen ipsa, quando iam in proferendis Græcis verecundiæ limites transiliimus, operæpretium fuerit hoc loco præterire. Tamen, si placet, Latinè loquentem paucis audiamus: *Quandoquidem*, inquit, *sermo verus est & falsus, cogitatio verò animæ cum seipsa collocutio: opinio verò cogitationis conclusio, in qua sensus & cogitationis commixtio comperitur: necessarium esse videtur cogitationes opinionésque partim veras, partim falsas esse: quandoquidem hæ orationi cognatæ sunt.* Sed hæc fortasse perplexiora sunt & intricatiora, quàm vt complicatas Platonicæ philosophiæ notiones facilè possimus euoluere. Quare, si placet à diuerticulo redeamus.

23. Pseud. Vtrùm igitur oratione perpetua de mendacio disseremus? An, quod ipsum Socratem libentiùs fecisse video, quibusdam interrogatiunculis carpemus orationem nostram. Phil. Tuo videlicet arbitratu. Ps. Mihi verò posterior hic disputandi modus in præsentia magis arridet. Tuum erit, si quid pro veritate dicendum putas, eligere quid malis. Phil. Aiebas, opinor, ex hominum consuetudine, ratione, Philosophorum Patrúmque testimonio, Sanctorum exemplis, Dei denique ipsius authoritate videri licitum esse mendacium. Ps. Aiebam enimuero. Phil. Possúmne de te singulorum audire rationes? Ps. Tuus, ô Philalethes, quid velis.

Explorare labor: mihi iussa capessere fas est.

V. *Quo sensu dixerit Dominus de Diabolo:* Mendax est & Pater eius.

24 Phil. Hoc igitur ex te primùm aueo scire, ecquid fidem iis haberi velis quæ de mendacio dicturus es? Pseud. Equidem nisi me persuasurum putem, nolim aures tuas verbis obtundere. Ph. Veræ sunt igitur rationes, quibus mendacij probaturus es honestatem? Pseud. Et quidem cupio quàm verissimus videri. Phil. Vide quanta mendacij sit imbecillitas. Ps. Quidum? Phil. Aut tuæ necesse est, aut veritatis adminiculo fulciatur. Ps. Imò, Philalethes, vel hinc mendacij robur ac maiestatem agnoscas, quòd ei tanquam Regi potentissimo, Veritas ipsa virtutum omnium, vt dicere soletis, Regina famulatur. Phil. Vis igitur vt tantum Regem Rhetorum more laudemus ab antiquitate, patria, maioribus.

25. Si generis antiquitatem spectes, ab ipso mundi nascentis initio floruit: Si patriam, natum est mendacium in ipso Paradiso voluptatis: si patrem, Diabolus ipse

Ioan. 8. 44. pater est authorque mendacij. *Ille*, inquit *ipsa veritas, homicida erat ab initio*, dum primis parentibus peccatum persuasit, ex quo mors in omnes homines pertransiit, & Cai- Rom. 5. 12. num ad inferendam fratri suo necem excitauit: *& in veritate non stetit*, nec perseuerauit in ea naturæ perfectione, atque integritate quam à Deo, beneficio creationis acceperat. Quod inde colligitur, quia *veritas non est in eo*, sed assiduè mentitur, & iam inde ab initio communem generis humani parentem ad peccandum suo mendacio pellexit, nec solùm morituros non esse mentitus est, sed etiam immani calumnia Deo quandam inuidiæ labem adspersit, quasi fructum illum ideo vetuerit attingi, quòd hominibus boni malique scientiam inuideret.

Diabolus pater mendacij.

26. *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia* non solùm *mendax est*, sed etiam *pater* atque inuentor *eius* mendacii. Ex propriis, inquam, loquitur mendacium, quia fallaciam mentiendique voluntatem non ex alterius imitatione vel hortatu, sed è propria malitia atque arbitrii libertate contraxit, nec aliunde sumpsit exemplar ad quod mendacium suum effingeret. Psevd. Imò, Philalethes, si secundum Theologorum legem scripturæ verba eo sensu, qui primus occurrere solet, interpretari velimus, ipse verborum contextus ac series à nobis extorquebit, vt & diabolum & ipsum Diaboli patrem mendacem esse fateamur. quod optimis sanè verbis in sua paraphrasi Nonnus expressit.

Ψευστὴς αὐτὸς ἔφυ ψευδήμονος ἐκ γενέτηρος,

Ipse fuit mendax mendaci à patre creatus.

27. Phil. Hui! diaboli pater. Atqui nondum, opinor, eò te mendaciorum æstus absorbuit, vt qui tibi tranquillum in mendacio portum promiseras, nunc ad Manichæorum scopulos adhærescere velis, ac diaboli productionem malo cuidam principio primæ bonitati contrario acceptam referre. Psevd. Minimè gentium. Phil. Fortasse cum Heracleone dices, diabolum ex natura sua proprium habere mēdacium, neque naturaliter posse dicere veritatem, ac Diaboli patrem expones naturam ipsius, quandoquidem ex errore & falsitate conflata est. Psevd. Ne id quidem. Phil. Igitur cum Valentino dices Demiurgum cùm huius mundi, tum etiam Diaboli patrem & conditorem ideo mendacem vocari, quia cùm vnus esset è postremis Æonibus, nec ipsa cogitatione posset ad superiores ac spiritales Æonas accedere, nihilo tamen secius ausus est palam concionari: *Ego Deus, & absque me non est.* Psevd. Hoc aures ipsæ respuunt, & animus sola cogitatione perhorrescit. Phil. An igitur de Diabolo dicendum putas quod de animabus hominum Arnobius. Psevd. Quid illud? Phil. Eas non esse *Regis maximi filias, nec ab eo generatas, sed alterum quempiam genitorem his esse dignitatis & potentiæ gradibus satis plurimis ab Imperatore disiunctū, eius tamen ex aula & eminentium nobilem sublimitate natalium.* Atque hunc Diaboli genitorem nihil fortasse mendacem esse prohibebit. Psevd. Absit vt huiusmodi nugis acquiescam. Phil. Rabbinos fortasse libentius audiendos putabis, qui vt sibi de consanguinitate Diaboli blandiantur, aiunt in Thalmud Adamo priusquam Eua conderetur, aliam vxorem fuisse, nomine Lilis, cum qua vixerit annos centum triginta, & Dæmonas ex ea susceperit. Psevd. Apagesis istas ineptias.

Apud Orig. tomo 13. in Ioan.

Tertull. aduersus Valentinianos, c. 21.

Lib. 2. adu. Gentes.

Tostatus in 2. Gen.

28. Iam fateor è mente scripturæ Diabolum patrem esse mendacii. Sed quid interim Nonno faciemus? Phil. Ei videlicet fatebimur aliquid humanitus contigisse: aut si excusare placet, eum dicamus cum Epiphanio hæresi 18. vel 38. contra Cainanos, censuisse Iudam proditorem vocari Diabolum, οὐ τῇ φύσει, ἀλλὰ τῇ γνώμῃ, *non natura, sed animi inductione*, qui iam inde ab initio de inferenda Domino nece cogitabat, quem cæteri Iudæi tanquam primum proditionis authorem vellent imitari, cúmque insidiis Christo parandis patrem haberent. Iudas autem loquens mendacium prodénsque Saluatorem ex propriis loquebatur, quia malam hanc voluntatem à patre suo Satana ad se hereditate transmissam acceperat, & mendax erat ab initio Iudas, & Iudæ pater Satanas. Quid si his verbis *cùm loquitur mendacium* subaudiendum cum Eucherio putauit, *vnusquisque vestrum, & pater eius*, id est, pater vniuscuiusque vestrum diabolus: Quid si, vt quædam exemplaria præ se ferunt, legamus:

De Quæst. Noui testamenti.

Ψευστὴς αὐτὸς ἔφυ, γενέτης τ᾽ ὁλοώτατος αὐτοῦ.

aut vt alii commodiùs emendant γενέτης τε ψεύδεος αὐτοῦ.

29. Psevd. De Nonno satis superque. Illud magis me mouet quòd vt Heracleoni placuit, in cuius sententiam vel inuitus relabor, videtur Diabolus ex ipsa natura proprium habere mendacium. *In veritate non stetit*, inquit, *quia veritas non erat in eo.* quasi dicat Diabolum in veritate non stetisse, quia veritatem ab auctore suo nō accepit, sed iam inde ab exortu naturam habe-

bat è mendacio conglutinatam. Quod si Deus est Diaboli conditor, isque natura sua mendax est, totúsque conflatus è mendacio: cùm Deus malæ naturæ creator esse non possit, planè dicendum est aliquod honestum esse mendacium.

30. PHIL. Præclarè magnus Augustinus aduertit, *Non dixisse Dominum: à veritate alienus fuit, sed in veritate non stetit, vbi à veritate lapsum intelligi voluit, in qua vtique si stetisset, eius particeps factus, beatus cum sanctis Angelis permaneret.* Addit porro cap. sequenti vsum esse Dominum locutione minùs vsitata. *Sic enim videtur sonare: in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, tanquam ea sit caussa vt in veritate non steterit, quia in eo veritas non sit: cùm potiùs ea sit caussa, vt in eo veritas non sit, quia in veritate non stetit. Sed ista locutio est & in Psalmo 16. vbi ait, Ego clamaui, quoniam exaudisti me, Deus; cùm dicendum fuisse videatur: Exaudisti me Deus, quoniam clamaui. Sed cùm dixisset: Ego clamaui tanquam ab eo quæreretur vnde se clamasse monstraret, ab effectu exauditionis Dei clamoris sui ostendit affectum, tanquam diceret: hinc ostendo clamasse me, quoniam exaudisti me.* & ne longiùs necesse sit locutionis huius exempla corradere, hoc ipso cap. v. 29. *Non reliquit me solum*, inquit, *quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Quæ sic intelligenda monent Toletus & Maldonatus, vt illud *quia* non sit caussa, sed potiùs effectus, & argumentum à posteriori, siue demonstratio *quia* non *propter quid*, vt Dialectici loquuntur. Non enim Deus pater eam ob caussam erat cum filio, quia filius, quæ placita sunt Patri, faciebat: sed ex eo tanquam ex effectu, & à posteriori Deus noscebatur esse cum filio, quia filius ea quæ placita sunt Patri, faciebat.

De ciuit. Dei lib. 11. cap. 13.

31. PSEVD. *In veritate non stetit.* Quam hoc loco veritatem intelligis? PHIL. Perfectionem integritatémq; naturæ, vt enim natura qualibet entis appellationem sortita est, prout ad primam caussam efficientem comparatur, & bona dicitur, prout ad finem vltimum refertur, ita vera est prout cum perfectionis suæ regula siue mensura componitur, eóque verior quo propiùs ad caussam exemplarem ideámque diuinam accesserit. PSEVD. *Quia veritas non erat in eo.* Aut naturam Diaboli fuisse negat in suo genere perfectam, omnibúsque partibus absolutam: aut eadem clausula duobus modis vnicum veritatis nomen vsurpat, quod haud scio an facilè possit admitti, ne captiosa Domini, parúmque sincera videatur oratio. PHIL. Imò, Pseudagora, nō insolens est aut inelegans huiusmodi locutio, vt Matthæi 8. 22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Priore loco mortuos appellat qui secularibus negotiis implicuerunt sese, posteriore qui extremum vitæ diem obierunt. Sic cap. 6. ad Galatas cum dixisset Apostolus, *Alter alterius onera portate*, paucis interiectis adiecit, *Vnusquisque enim onus suum portabit. Nisi oneris*, inquit Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 30. *nomen sub diuersis significationibus acceperis, proculdubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, & hoc in vna sententia tam proximè positis verbis, qui cùm paulo antè diceret: alter alterius onera portate: posteà dixit, vnusquisque proprium onus portabit. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris.*

Nomina duplici sensu eleganter accepta.

32. Vt igitur ad institutum redeamus. Diabolus in veritate non stetit, nec eam perfectionem naturæ suæ seruauit illibatam, quam à conditore suo vi productionis acceperat. Idque ex eo manifestè colligitur, quod relicta locutionis veritate declinauit ad mendacium, & Euam in fraudem induxit, eique persuasit fore vt post esum fructus vetiti, nequaquam moreretur. Hoc porro mendacium aliunde non accepit, sed è suopte deprompsit ingenio, quia mendax est, & pater inuentórque mendacii. PSEVD. Sunt ista vera, Philalethes, si de pernicioso mendacio loquamur, quod ab ipso Diabolo profectum nullus abs te dissentio, sed sunt alia mendaciorum genera quæ alium authorem habere potuerunt.

VI. *Mendaciorum diuisio.*

33. PHIL. Aliquid igitur inter mendacia disputas interesse. PSEVD. Sanè quamplurimum. Nam vt Augustinus in Psalm. 5. & omnes post eum Theologi partiuntur, alia sunt iocosa, alia officiosa, alia perniciosa mendacia. Quibus nisi tibi secus videtur & quartum genus addere debuissent, vt plena esset & adæquata diuisio, illud videlicet quod profertur sola mētiendi fallendíque libidine, quod merum mendacium est. Hoc autem postremum genus à cæteris constat esse diuersum, quòd plerumque non ea proferatur animi inductione, vt auditorem delectet, non vt alicui prosit, aut quemquam afficiat iniuria, sed eo ipso placet quia mendacium est & contrarium veritati. Quo genere qui vtuntur, vt ait Augustinus, *Ipsi propriè mendaces dicendi sunt, interest enim inter mentientem*

Libro de Mendacio ad Consent c. 11.

Mentiens, mendax. *atque mendacem. Nam mentiens est etiam qui mentitur inuitus, mendax verò amat mentiri, atque habitat animo in delectatione mentiendi.* Qui verò placendi studio mentiuntur, *ab illo genere in quo mendaces posuimus, hoc differunt, quod illos mentiri delectat, gaudentes de ipsa fallacia: istis autem placere libet de suauiloquio, qui tamen veris mallent placere, sed quando facilè non inueniunt vera quæ grata sint audientibus, mentiri potiùs eligunt quàm tacere. Difficile est tamen vt isti totam narrationem falsam aliquando suscipiant, sed plerumq; veris falsa contexunt, vbi suauitas eos deserit.*

34. Iam igitur habemus duo mendaciorum genera penitus inter se distincta, sed pergit Augustinus: *Hæc autem duo genera mendaciorum non obsunt credentibus, quia nihil de doctrina religionis veritatisque falluntur, aut de vllo commodo vel vtilitate sua. Sufficit enim eis vt iudicent fieri potuisse quod dicitur, & fidem habeant homini quem non debent temere existimare mentientem. Quid enim mihi obest si credam patrem aut auum alicuius virum bonum fuisse, etiamsi non fuit: aut vsque ad Persas militando peruenisse, etiamsi à Roma nunquam recessit.* Quartum genus est eorum, quæ neque sola fallendi libidine, neque delectandi nocendique cupiditate, sed quæ vel proprii vel alieni commodi studio proferuntur, ac vocantur officiosa mendacia.

Libro de Mendacio, cap. 14. 35. Aliam partitionem adfert Augustinus, & quasi per gradus quosdam à superioribus ad inferiora delabitur. Primum est in doctrina religionis, secundum quod aliquem lædit iniustè: quod tale est vt & nulli prosit, & obsit alicui. Tertium quod ita prodest alteri, vt obsit alteri. Quæ tria mendaciorum genera fateor à Diabolo tanquã à fonte manasse, qui mendax ab initio fuit, & mendacii pater cum Dei ac hominum iniuria. Quartum genus est quod sola mentiendi libidine profertur, quod supra diximus merum esse germanúmque mendacium. Quintum quod fit placendi cupiditate de suauiloquio. De quibus duobus quæstio potest in vtramque partem probabiliter ventilari. Sextum genus quod & nulli obest, & prodest alicui quocunque interrogante. Septimum, quod & nulli obest, & prodest alicui; excepto si iudex interrogat. Octauum est genus mendacii, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immunditia corporali, siue impudicitia aliquem tueatur.

Gradus mendaciorum.

36. Omitto alias diuisiones, vt quòd quędam in pactis conuentisque versentur, quędam nulla contractuum necessitate sint implicata quorum singula rursum diuidi possint ratione personarum quibus fraus & fallacia comparatur; aliud est enim priuatos, aliud remp. aliud amicum, aliud hostem iustum ac legitimum, aliud insidiatorem ac latronem, aliud ciuem, aliud peregrinum in errorem inducere.

37. Aristoteles 4. Ethicor. Nicomach. exeunte mendacium, quod neque spectatur in contractibus, neque in materia iustitiæ locum habet, in genera duo partitur, & aliud ἀλαζονείας, aliud εἰρωνείαν appellat: Δοκεῖ δ', inquit, ὁ μὲν ἀλαζὼν προσποιητικὸς τῶν ἐνδόξων εἶναι μὴ ὑπαρχόντων, καὶ μειζόνων ἢ ὑπάρχει. *Videtur iactator ea quæ gloriosa putantur, quæ reuera non habet, vel maiora quàm habet, simulare*, εἴρων verò siue dissimulator negare quæ habet, aut verbis aliisque significationibus minora facere. ἀλαζονεία, εἰρωνεία.

38. Sed ne quid hodierno die dissimulem, omnes hæ diuisiones quę passim à Philosophis ac Theologis adferuntur, non tam videntur ipsum mendacium partiri, quàm eius vel effecta vel materiam in frusta concerpere. Quare dicamus mendacium qua mendacium est, cuicunque tandem materiæ applicetur, in partes esse distributum duas: vt alterum in eius quod nõ est affirmatione, alterum in eius quod est, negatione versetur: alterum composita disiungat, alterum disiuncta componat: alterum supra veritatem exaggeretur, alterum subsidat infra veritatem: vt si Polyphemum vno duntaxat oculo, Argum centum oculis præditum esse mentiare. Sed iam, si placet, remoueamus ea quæ nostram quæstionem propriè non attingunt, vt omni errore sublato quid in præsentem controuersiam veniat, liquidiùs videre possimus. Propria mendaciorũ diuisio.

VII. *Constitutio Quæstionis.*

39. Non quæritur vtrùm vel in caussa religionis, vel in iis quæ ad morum institutionem spectant, liceat aliquando mentiri: Id enim fieri non posse vltro concedimus, & Augustinus lib. contra mendacium solidissimis rationibus comprobauit. Non vtrùm vel superiorem, vel legitimum iudicem è præscriptis legum formulis interrogantem liceat falsis responsionibus eludere. Id enim & ordinem à Deo constitutum, & omnia societatis humanæ fundamenta conuelleret. Non vtrum pœnitenti liceat de rebus ad integritatem sacramenti necessariis in sacramentali confessione mentiri. Id enim sine sacrilegio fieri non posse infitias iret nemo. Non vtrum mendacio liceat labem integris, pro- Quæ mendacia omnium confessione illicita.

brum caſtis inferre. Conſtat enim ne cum Veritate quidem etiam ſceleratiſſimis quibuſque, quamdiu ius exiſtimationis ſuæ retinent, adſpergendam eſſe infamiam. Non vtrùm quocunque modo liceat contra proximum ſuum falſum teſtimonium perhibere. Id enim conceptis verbis lege diuina prohibetur. Non vtrùm vel amicos vel iuſtos hoſtes fallere liceat in publicis priuatiſue contractibus. His enim poſitis, actum eſſet de generis humani ſocietate. Non denique controuerſia eſt vtrùm ad Officium boni viri pertineat cum impietate, ſacrilegio, iniuſtitia, libidine, quouis denique facinore flagitióque mentiri. Neque enim ſiue ipſa Veritas ſiue Mendacium honeſtum eſſe poteſt quod accerſitis aliunde ſordibus fuerit inquinatum.

40. Illud igitur vnum venit in quæſtionem ecquid Mendacium ex ſua ipſius natura ſit in malis ac vitiis numerandum, an ſecundum ſe ſit indifferens ac τῶν μέσων, id eſt in virtutis ac vitij confinio conſtitutum, vt perinde ſit vt eſt illius animus qui Mendacium vſurpat:

Qui vtitur bene, ſit ei bonum: illi qui non vtitur bene, malum.

Ego Mendacium ſecundum ſe ἀδιάφορον. i. *indifferens*, eſſe defendo, vt tanquam libra æqualibus momentis ad vitium virtutémque propendeat. Quod vt etiam tute fateare, primùm ex te quæro ecquid illud Theologiæ pronuntiatum admittas: *Bonum ex integra cauſſa, malum ex quolibet defectu?* PH. Equidem, Pſeudagora, Non video quid nos cogat illud pronuntiatum admittere, cùm & aliud ſonent verba Dionyſii, & mens eius alia fuiſſe videatur. Quia tamen

Nimiùm altercando veritas amittitur,

Admitto. PSEVD. Quod igitur natura ſua malum eſt, ſemper malum eſt, neque vllius boni admixtione bonum euadet. Atqui Mendacium frequenter alicuius boni acceſſione bonum euadit. non eſt igitur natura ſua malum. PH. Hoc verò non ſolùm nego, ſed etiam pernego. Sed eccum peropportunè noſter Amphilogus! Vin' tu vt noſtræ controuerſiæ diſceptator accedat. PS. Mihi ſanè nihil accidere potuit optatius. Ehodum, Amphiloge. commodùm adueniſti, niſi tibi moleſtum eſt, aures tantiſper noſtris concertationibus commodare.

41. AMPHILOGVS. Sanè verò, Pſeudagora, moleſtum? Mihi ſcilicet poteſt aliquid eſſe iucundius quàm audire Pſeudagoram cum Philalethe, de Veritate ac Mendacio diſputantem? PHIL. Hoc ipſum erat in manibus. AMPH. Ain' tu? hoc ipſum. O diem mihi multis votis expetitam, niueóque, vt ait neſcio quis, notandam lapillo! Poſſum ego veſtris diſputationibus intereſſe? PHIL. imò & præeſſe. Conuenit enim inter nos ſuſceptam de veritate ac Mendacio controuerſiam te diſceptatore decidere. Non tamen priùs audies quò iam deducta fuerit oratio noſtra, quàm velut arbiter honorarius medius inter vtrumque conſederis. AMPH. Hæc quidem vis eſt atque aperta coniuratio, ne tamen mea diutiùs expectatio proferatur, vtriuſque voluntati parendum eſt.

VIII. *Vtrum ex hominum conſuetudine probetur aliquando licitum eſſe Mendacium.*

42. PHIL. Vidimus ex Ariſtotelis mente quo pacto rebus ipſis, orationi, homini denique ipſi falſitas conueniret, atque inde hanc Mendacii definitionem elicuimus, vt enuntiationem falſam, atque ab enuntiantis animo diſſidentem, non ob aliud, ſed ob id ipſum ſoláque falſi dicendi cupiditate prolatam, purum putúmque diceremus eſſe Mendacium; expoſuimus deinde qui fieri poſſit vt falſum opinemur, illiúſque teſtimonii ſenſum indagauimus quo dicitur Diabolus, cùm loquitur Mendacium, è propriis loqui, *quia mendax eſt, & pater eius.* Denique poſtquam Mendacium in ſua genera partiti ſumus, & quædam à diſputatione noſtra reiecimus, inſtituimus quærere vtrùm vel fallendi ſtudio, vel mentiendi cupiditate, vel, quod potiſſimùm Mendacii genus placuit in controuerſiam vocare, cuiuſpiam vtilitatis tum propriæ, tum alienæ cauſſa, liceret aliquando mentiri. Quod Pſeudagoras noſter omnium mortalium conſuetudine, ratione, Sanctorum exemplis, ſapientum, Deique ipſius authoritate ſe probaturum eſſe pollicetur. Recapitulatio.

43. Hoc igitur primùm à Pſeudagora ſciſcitabor, Ecquid per communem conſuetudinem intelligat? PS. Equidem aliud nihil quàm multiplicationem actuum moralium, ſiue actionem humanam ab omnibus vel penè omnibus crebrò repetitam ac frequenti vſurpatione celebratam. PHIL. Ex hac igitur hominum conſuetudine probari putas Mendacium quibuſdam temporibus ad Officium boni viri pertinere? PSEVD. Quid enim aliud putem, quàm id eſſe verum quod in omnium animis inſculpſit ipſa natura? Mihi crede, Philalethes, Conſuetudo.

thes, temerarium non est quod omnes mortales, vel ioci, vel Officii caussâ sibi putant esse mentiendum, & cum hac animi persuasione nascuntur, quoties citrà cuiusquam iniuriam vel nostris vel amicorum rationibus expedit, non modò licitum, sed etiam honestum esse mendacium. *Quod nisi cognitum comprehensúmque animis haberemus*, vt alia quadam occasione Philosophorum disertissimus ait, *non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum seculis ætatibúsque hominum inueterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse, &c. opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.* Quòd si quæ passim vsurpantur ab omnibus, & non ex humani riuulis instituti, sed ex ipsis naturæ fontibus hausta meritò iudicantur, profectò dubitari non potest quin mentiendi consuetudo ex ipsa natura manauerit. Quæ enim humanitatis informatio vel propriam tueri salutem, vel miserorum subuenire calamitatibus persuasit, eadem in animis insculpsit Mendacium, quoties vel nostra vel amicorum præsertim innocentium salus vel saltem vtilitas exigit, ad sapientis officium pertinere.

Cicero 2. de nat. Deorum.

Consuetudo mentiendi.

44. Phil. An igitur, O Pseudagora, quod passim ab omnibus fieri solet, & ipsa consuetudine inoleuit, id etiam honestè fieri defendes? Psevd. Ita mihi persuadeo. Phil. Ergo peccare honestum, ac proinde quod peccatum est, peccatum non est, quo sanè non video quid fingi possit absurdius. Psevd. Non intelligo quanam id ratione confirmes. Phil. *Non est enim homo, qui non peccet*, inquit Salomon 3. Reg. Et alibi. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Item, *non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ac proinde si dilectum discipulum ipsius Veritatis audimus, epist. 1. *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Imò, *si dixerimus quoniam non peccauimus, Mendacem facimus Deum, & Verbum eius non est in nobis.* Quare si è mentiendi consuetudine aliquid honestatis accedit Mendacio, cùm peccandi consuetudo altiores in humana natura radices agat, ac vsque propagetur, peccatum ipsum aliquâ dignitatis honestatísque specie decoratum, eóque magis, quod omnes peccant non omnes vtique mentiuntur. Testes virgines illi qui *sequuntur agnum quocumque ierit & in ore eorum non est inuentum Mendacium.*

3 Reg. c. 8. v. 46.
2 Par. 6. 36.
Prou. 20. 9.
Eccl. 7. 20.
Cap. 1. v. 8
Apoc 14 5

45. Psevd. An igitur putas, ô Philalethes, fieri posse, vt quoties orationes duæ se mutuò collidunt, & altera negat quod ait altera, in vnam Veritatem conspirent? Phil. Ego verò non puto, sed alteram veram esse reor, alteri subesse necessariò falsitatem. Psevd. Atqui duorum in scriptura testimoniorum conflictus apparet. Phil. Quo pacto? Psevd. Si vt ait Dauid in excessu suo, *omnis homo mendax*, profectò verum esse non potest quod ait Ioannes in ore quorumdam inuentum non esse Mendacium. Altera enim oratio cum altera manifestè confligit. Phil. Quid igitur? si te sedente dixero sedere Pseudagoram, non sedere verò, postquam surrexeris, putas hunc orationis esse conflictum? Psevd. Ego verò non puto. Phil. Quid ita? Psevd. Quia nimirum vt duæ propositiones inter se pugnare censeantur, necesse est vt vtraque circa rem non solùm eandem, sed etiam eodem modo comparatam versetur. Ph. Sic igitur vtramque scripturam conciliare poterimus. Omnis homo mendax, & vt è nihilo productus, sic ad nihilum propensus est, & ad Mendacium vanitatémque naturæ sponte prolabitur nisi gratia diuina fulciatur, fieri tamen potest vt aliquis hominum adminiculante gratia reapse minimè mentiatur, cuiusmodi fuerunt ij quorum in ore testatur Ioannes inuentum non fuisse Mendacium.

Ps 115. v. 2.

Contradictoria.

46. Psevd. Papæ! sequestrem egregium. Dauidem Ioanni conciliare vult Philalethes noster, cùm ne Dauidi quidem cum Dauide satis conueniat. Phil. Mira narras, Pseudagora Psevd. Sed verissima. *Nam si omnis homo mendax: est autem homo Dauid: est ergo & ipse mendax. Quod si mendax non iam his commodanda fides de quibus ille pronuntiat. Contrà, sermo hic si verus non est, neque omnis homo mendax, vtique sinemus ipsum Dauid à culpa Mendacij immunem abire ac liberum. Quòd si non mentitur, credamus oportet iis de quibus pronuntiat. Quin & credentes ipsi, rursum relabemur vago circumactu in necessitatem non credendi: adeóque si verum est* quod profert, suum ipsius dissoluit sermonem, *cùm sit homo simul & non mendax. Quod si mentitur, ex eo meretur, apud neminem fidem inuenire. Quis enim fidem adhibeat mendacium proferenti? Quamobrem quando semel omnem hominem asseruit esse Mendacem, necesse fuerit mentiri Dauid, vt suum constituat & confirmet sermonem: aut certè si verum dicit, suam ipse quam pronuntiat, dissoluit sententiam.*

Omnis homo mendax.

47. PHIL. Te miror, Pseudagora, cùm argutiolam hanc à Basilio verbatim acceperis, non etiam eius explicationem ab eodem accersere. *Hæc*, inquit ille, *planè sunt aliud nihil quàm nugæ ludentium, & eorum qui apud imperitos contortulis argutiarum strophis inanem gloriolam aucupantur.* Deinde captiosam argutationem ita dissoluit, vt Dauid diuino concitatus spiritu ac perturbationibus humanis superior, homines qui se humanis affectibus & cupiditatum lenociniis dediderunt, dixerit esse mendaces, cui proinde credendum quia loquitur non vt homo sibi relictus, sed vt auxilio gratiæ cœlestis ab reliquorum hominum censu exemptus. PSEVD. Verùm huius scripturæ tractationem tantisper differamus. PHIL. Iamne igitur fateris esse nonnullos immunes ab omni mendacio? PSEVD. Fateor. PHIL. Aliquósne fuisse ab omni vel leuissima culpa penitus immunes cùm ab vno Christo eiúsque Sanctissima Matre discesseris? PSEVD. Neminem. PHIL. Igitur peccatum generatim sumptum magis hominum naturæ quàm mendacium inoleuit. PSEVD. Nullus nego. PHIL. Igitur aut ex hominum consuetudine mendacii non probas honestatem, aut multo magis probas honestum esse peccatum.

In Ps. 115.

48. PSEVD. Non videris percipere quid velim, Philalethes. Non eam ob caussam mendacium honestum esse defendo, quòd id hominum frequenter *mentientium* moribus inoleuerit, sed quòd omnes sibi mentiendum putent, quoties vel suis, vel amicorum rationibus iudicant expedire. Quod profectò non putarent, nisi penitus in eorum animis insedisset dispensatione quadam maiorísque boni compensatione certis locis ac temporibus licitum esse mendacium. PHIL. Quid? ij qui latrocinantur, adulterantur, testamenta supponunt, in omne denique scelus ac flagitium ruunt, ecquid non id sibi faciendum iudicant? PSEVD. Iudicant sanè, sed duo videntur habere iudicia; alterum quo vident meliora, quæ quidem intemperans non probat, probat tamen incontinens: alterum, quo reluctante licet conscientia iudicant hîc & nunc suis cupiditatibus esse seruiendum. Quo fit vt bonorum siue iucundorum siue vtilium blanditiis inescati deteriora sequantur, atque vt ait quidam Satyricus,

Virtutem videant, intabescántque relicta.

Persius.

PHIL. Cur fas non sit idem dicere de Mendacio? PSEVD. Quia videlicet qui se in illis vel facinoribus vel flagitiis effundunt, non ratione ducuntur, sed prauæ cupiditatis æstu per scelerum abrupta rapiuntur: at qui vel salutis, vel vtilitatis caussa mentiendum putant, etiam honestum putant esse mentiri. PHIL.

Οὐκ αἰσχρὸν ἡγῇ δῆτα τὰ ψευδῆ λέγειν; Sophocles in Philoctete.

Non esse turpe, quæso, mentiri putas?

PSEVD.

Οὐκ, εἰ τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει.

Non, si salutem conferat Mendacium.

Ne tu solus Græcari videare.

49. PHIL. Ad illud ipsum reuoluetis quod erat in quæstione. Ego verò ad controuersiæ diiudicationem iampridem expecto quid probationis ex hominum consuetudine deriues. Ais plerósque mortalium mendacii consuetudine implicatos teneri, non abnuo,

Omnis homo mendax, hoc regius ille Propheta

Dixit, & experior verius esse nihil.

Quod autem inde colligis honestum esse mentiri, pace tua dixerim Pseudagora, mentiris. PSEVD. Mentior? Enimuero ferenda non est contumelia. Cur me dignum putasti, cui mendacii labem adspergeres? PHIL. Hui! labem, at ego laudem putabam. Sed ex te scire velim cur hae audita, vt tu quidem interpretaris, contumelia; repentè quasi subiectis iracundiæ facibus exarseris. Quid tenuis? quid mussas? age Pseudagora. PSEVD. Quasi verò tu ipse nescias PHIL. Eam fortè ob caussam contumelia te affectum interpretaris, quod vt ait Ecclesiasticus, *opprobrium nequam in homine mendacium.* Omnésque dolent in eo deprehensi quasi vitium illud pudore natura ipsa perfuderit. PSEVD. Me circumuenisti, Philalethes, extorques vt fatear mendacii notam si non omnibus, rudibus saltem & imperitis, qui sanè multi sunt, propudiosam videri, fierique maximam partem, vt ad eiusmodi crimen læsi doleant, irati efferantur. PHIL. Fateris igitur rationem ex hominum consuetudine ductam nullius esse momenti? PSEVD. Fateor equidem, si vulgi consuetudo per se sola spectetur: sed eam Sanctorum exempla corroborant. AMPHIL. Macte virtute, Pseudagora, magna spes inueniendæ veritatis affulget. Vt enim nihil cognitioni rerum magis officit quàm rixæ contentionísque studium ac peruicacia, ita non parum in Theologia profectum est, *cùm* vt ait Licentius apud Augustinum, *in inuestigatione veri contemnitur à disputante victoria.* Sed iam, si placet, supersedeamus tantisper exemplis Sanctorum, & quoniam argumentationem

Cap. 26. v. 26.

Lib. 1. contra Academ. to. 1.

tuam communis hominum consuetudo destituit, ad rationem veniamus. Ne tamen iterum querare te circumueniri, poteris, nisi tibi secus videtur, Oratione perpetua disputationis tuæ filum producere.

IX. *Probatur licitum esse Mendacium à difficultate inueniendæ Veritatis.*

50. PSEVD. *Vanitas vanitatum & omnia, inquit Ecclesiastes.* quod videtur non solùm ad fluxam caducámque rerum naturam sexcentis mutationibus obnoxiam, sed etiam ad mendacium rebus creatis insitum pertinere. Quid enim in rebus non illitum pigmentis, fuco, fallacia? Quid non concretum & conglutinatum è vanitate ac mendacio? Si, quod ait Philosophus τὰ πράγματα ψευδῆ *res falsæ mendacésque dicuntur*, ἢ τῷ μὴ εἶναι αὐτά, *aut quia ipsæ non sunt*, ἢ τῷ τὴν ἀπ' αὐτῶν φαντασίαν μὴ ὄντος εἶναι, *aut quòd imaginatio quam efficiunt, eius sit quod non est*, quis non videt rebus omnibus creatis vtrámque subesse falsi rationem? Quicquid enim creatum est, vt è nihilo profluxit, ita & ad nihilum naturæ sponte delabitur: quódque in suo genere sic finitum est ac limitatum vt amplitudine quadam essentiæ rerum omnium perfectionem cótinere non possit, μυρία ἐπὶ μυρίοις οὐκ ἔστι. *infinitis modis est non ens*, siue ab infinitis rebus diuersum, &c. proinde non minùs infinita non esse, quàm vnum aliquid esse censendum est, vt è Platone disserebar Philalethes. Atque adeo hoc ipsum quod habere videntur essentiæ tam incertum est & inconstans, vt non tam essentia, quàm essentiæ species & simulacrum, atque vt Græci vocant, εἴδωλον dicendum esse videatur. *Nihil est*, inquit nobilis Poeta,

Rerum creatarum Vanitas.

--toto quod perstet in orbe,
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.

Nimirum non solùm *in imagine pertransit homo*, sed etiam omnis creatura vanitati subiecta est, temporúmque mutationibus obnoxia.

Ouid. 15. Metam.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen. Neque enim consistere flumen
Nec leuis hora potest: sed vt vnda impellitur vndâ
Vrgetúrque prior veniente, vrgétque priorem.
Tempora sic fugiunt pariter, paritérque sequuntur,
Et noua sunt semper. Nam quod fuit antè, relictum est,
Fitque quod haud fuerat, momentáque cuncta nouantur.

51. Reuera enim, vt ait alicubi Chæroneus Philosophus, quicquid mortale est & caducum, essentiæ nequaquam particeps est, sed in ortus & interitus medio positum speciem opinionémque obscuram & instabilem sui præbet. Quod si animum intendas, eam apprehendere cupiens, vt qui aquam vehementiùs apprehendit, ipso compressu coactúque defluentem liquorem amittit, quem prehendere cupiebat, ita singularum perpessionum mutationumque, quæ rebus eueniunt, nimis euidentem perceptionem dum sectatur ratio, vel ad id quod in re caduca nascitur, vel ad id quod in ea corrumpitur, aberrat, ἀδήλως λαβέσθαι μένοντος, οὐδὲ ὄντος ὄντως δυνάμενος, nihil arripere quod maneat, aut sit reuera, cum possit. Sed iampridem vereor ne aures tam multis verbis præsertim alienis obtundam, si ex vno scriptore plura proferre voluero, videárque nauim inuento, quod aiunt, scalmo ædificare voluisse. AMPHIL. Imò, Pseudagora, rem vtrique iucundissimam feceris, si quod ad rem nostram pertinere iudicas, ex eodem luculentissimo scriptore protuleris: cùm præsertim paucorum verborum mutatione iam interpretatio tua veteri translationi nescio quid lucis attulerit, & si non elegantiùs, euidentiùs quidem certè Philosophi mentem expresserit, Ps. Fare, si placet, perge porrò.

Opusc. de inscriptione εἶ apud Delphos.

52. PSEVD. Rem deinde quodam Heracliti dicto sic illustrat, cuius etiam Socrates in Cratylo facit mentionem. *Heracliti est*, inquit, *non posse quemquam bis in eundem fluuium descendere, substantiam quoque caducam bis in eodem statu nemo continget, sed propter mutationis celeritatem* [eam ratio apprehendere volens] *dissipat, iterúmque colligit*, siue cogitatione dispergit iterúmque componit. Deinde aliquot verborum labes est in exemplari, quæ supplere possis ex Eusebio, Μᾶλλον δὲ οὐδὲ πάλιν, οὐδὲ ὕστερον, ἀλλ' ἅμα συνίσταται καὶ ἀπολείπει. *Imò neque iterum, neque postea, sed simul cohæret & deserit, simul accedit & recedit. Hinc est vt quod fit, eo vsque non perducatur, vt verè dici possit esse*, τῷ μηδέποτε λήγειν, μηδ' ἵστασθαι, vel potiùs, vt legit Eusebius, ἵστασθαι τὴν γένεσιν, *eo quòd generatio nusquam desinat, nusquam insistat, sed iam indè ab ipso semine, continentibus mutationibus primò fætum efficiat, mox infantem,*

Lib. 11 præpar. Euang.

deinde puerum, adolescentem, iuuenem, virum, seniorem, silicernium, priores ortus & ætates posterioribus exhauriens. Sed nos ineptè ac ridiculè vnam metuimus mortem, cùm iã toties mortui simus, toties moriamur, &c. *Interit quidem, vir facto sene: at iuuenis priùs interiit in virum, puer in iuuenem, infans in puerum, & qui heri fuit mortuus est in hodiernum, hodiernus moritur in crastinum. Manet vero nullus, neque est vnus, sed sumus multi circa vnum simulacrum & communem effigiem, materia circumagitata, & labascente.*

53. Deinde postquam ostendit homines esse mutationibus obnoxios: *Qui mutatur,* inquit, *idem non est, si verò idem non est, ne est quidem:* corruptum erat exemplar, sed ex Eusebio poteris ita labem detergere. εἰ δὲ ὁ αὐτὸς οὐκ ἔστιν, οὐδ᾽ ἔστιν, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ αὐτὸν μεταβάλλειν, γινόμενος ἕτερος ἐξ ἑτέρου. *Si verò idem non est, nec est quidem sed ex eo quòd seipsum mutet, fit alius ex alio. Sensus autem ob ignorationem eius quod est, id quod esse apparet, reuera esse mentitur.* Subnectit alia de tempore non indigna sanè quæ referantur, sed hæc libasse suffecerit, vt intelligere possimus hominem εἴδωλον ἢ κούφην σκιάν, *vanum simulacrum, & leuem vmbram,* à Sophocle, σκιᾶς ὄναρ, *vmbræ somnium* à Pindaro meritò nominari. De quo Plutarchus, *Emphatica planè & artificiosa vsus hyperbola mortalium vitam depinxit. Quid enim vmbra imbecillius? huius autem somnium alius ne dicere quidem possit manifestè:* nisi si fortè Psaltes dixisse cuipiam videtur aliquid expressius.

In Aiace flagillifero.

Consolat. ad Apollonium.

54. Non enim solùm ait *mensurabiles* siue *palmares* esse dies humanæ vitæ constitutos, sed etiam hominis substantiam, siue vt alii vertunt *subsistentiam tanquam nihilum* ante Dominum qui falli non potest,

Psal. 38. reputari. Non solùm ait *hominem in imagine pertransire,* siue *ambulare,* quibus humana natura solidi nihil habens, nihil eminentis, sed adumbrata duntaxat essentiæ species & imago perpetuò fluitans atque ad interitum vergens graphicè describitur, sed etiam, *vniuersa vanitas,* inquit, omnis homo נצב quod interpres noster *viuens,* alii *stans* non incommodè transtulerunt. dum stat videlicet, dum firmiter consistit, & radicatus videtur in terra nihil est aliud nisi vniuersa vanitas siue vniuersitas vanitatis. Quid si per hominem in imagine ambulantem corpus mortale & caducum, per hominem stantem hominis animam immortalem intelligit.

Psal. 72. 20. 55. Quid quod alibi cum somnio, & ne hoc quidem præsenti, quod vmbratilem aliquam veri speciem obtineret, sed cum somnio surgentium, quod præteritum est & iam penitus euanuit, humanæ naturæ species comparatur, & quidem dicitur in nihilum redigenda, cùm primum dormientes somnum excusserint: *Velut somnium surgentium Domine,* בעיר *in ciuitate* (vel vt Bahic R. Kimhi, Pagninus & alii transferunt) *in suscitando imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Iam si homo ex anima immortali mortalique corpore constitutus, imago dicitur, vmbra, somnium, vel potius vmbræ somnium, si vniuersa vanitas, si merum nihil, quid tandem cæteræ creaturæ adspectabiles, quæ quantæ quantæ sunt corruptioni subiectæ ingemiscunt & parturiunt Rom. 8. 19. vsque adhuc, donec à corruptione liberentur? quid, inquam, nisi vanitas vanitatum, & si quid inanius est ipsa vanitate? Et si, quod ait Philosophus, ἕκαστον ὡς ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας. 2 Metaph. cap. 2. *vt vnumquodque est, ita & verum est,* tantúmque veritatis habet, quantum essentiæ, quæ, malum! stultitia est è mendacii regno mendacium ipsum excludere, & in rebus istis caducis atque in mutationum omnium salo temere fluitantibus expressam ac solidam sectari vanitatem.

56. Sed esto sanè: res istas, quas oculis corporeis cernimus, τοῦ ὄντως εἶναι, veræ solidæque essentiæ participes esse faciamus, earum tamẽ intimam naturam humana ratio penetrare non potest. sed cum propius ad eam accedere molitur, repercussu quodam exclusa velut ad fores substantiæ circumuolat, & ad molem, qualitates, cæteráque rebus attributa & effecta sic adhærescit, vt earum duntaxat superficiem perstringat atque delibet. Res exemplo fiet illustrior. Ratio se vehementius ad percipiendam rei creatæ substantiam, quam imaginem, vmbram, vmbræ somnium vocabamus, intendat. Ad eam adspirare non potest, sed tanquam in viscatis virgulis hæsitans, aut nescio quibus illaqueata tendiculis, priusquam ad eius naturam perueniat, in quibusdam adiectis & circunstantiis, quę naturam ipsam verbi caussa formam substantialem canis aut equi conuestiant, in conficiendi cibi, reliquias egerendi, nutricandi facultatibus, quas animæ potentias appellant, in cupiditatibus, & cæteris eiusmodi retinetur, & in his, quam in seipsa videre non potest animæ naturam, tanquam in speculo considerat. Imò ne ipsas quidem animæ facultates animantiúmque cupiditates in seipsis, sed in earum effectis, vt in aurium micatione artium tremore, corporis gestientis exultatione, caudæ remul-

Rerum essentia non videtur.

centis agitatione, oculorum ardore tanquam in totidem speculis intuetur. Atque adeo quemadmodum plerumque fieri videmus.

Lucret.l 4. *De speculo in speculum vt tradatur imago*
Quinque etiam séxve vt fieri simulacra suêrint.

Ita quamdiu peregrinamur à Domino: non solùm τὸ ὄντως ὄν, quod verè est, sed etiam ista caduca & euanida τοῦ ὄντως ὄντος simulacra videmus per speculum in ænigmate, imo ne videmus quidem, nisi pluribus speculis ad nos transmissa peruenerint, vt propemodum quæ ad intelligentiam nostram perueniunt, minus quàm imago imaginum, vmbræ somnium, vanitas vanitatum & vniuersa vanitas dicenda videantur. Quod si, vt commodiùs alio loco differendum est, in speculis tot fallaciæ contingunt, hinc profectò liquidò constat omnem naturæ cognitionem innumeris scatere mendaciis.

57. Verùm vt res aliquas, verbi caussa qualitates & cætera substantiarum attributa, quæ per propriam imaginem corporis sensibus vsurpantur, in seipsis videri fateamur; haudquaquam tamen res eiusmodi singulares & vnitate numerica circumscriptas, sed communes duntaxat earum rationes humana ratio comprehendit, ὁ μὲν γὰρ λόγος τοῦ καθόλου, ἡ δ᾽ αἴσθησις τοῦ κατὰ μέρος; *ratio enim ipsius vniuersalis est, sensus verò singularis*, inquit Aristoteles lib. 1. Physicæ auscultationis, cap. 3. exeunte. Quo fit, vt si conuenientibus nobis aut non aduertentibus oculos, Deus hanc statuam auferret, alterámque solo numero diuersam restitueret eodem situ, eodem temporis ac loci vestigio, falleretur intelligentia, & eandem planè statuam esse iudicaret, oculus haudquaquam falleretur intuitu, quia statuam videret à priore diuersam: eadem verò sit statua, quę priùs, nécne, — Intellectus non est singularium.

Lucret.l.4. *Hoc animi demum ratio discernere debet,*
Nec possunt oculi naturam cernere rerum:
Proinde animi vitium hoc oculis affingere noli.

58. E quibus profectò liquet humanæ mentis aciem sic ad rerum cōsiderationem hebescere, eas vt conditiones quibus aduentitiæ illæ substantiarum formæ, quas vnas sensibus internunciis percipi docuimus, ad vnitatem numericam contrahuntur, omnino penetrare non possit, sed ad cōmunes notiones adhærescat, & ipsa formarum indiuidua confusè tantum, ac tenuibus coniecturis & suspicionibus assequatur. I nunc, Philalethes, & cum tot difficultatibus obsepta sit veri cognitio, pertende viri boni ac prudentis non esse, quoties vel suis, vel amicorum rationibus expedit, amplecti mendacium.

59. Quid? quod illa ipsa substantiarum attributa, cum ad sensus corporis intentionales illas species sui vicarias, & veluti legatos emittunt, plerumque vel ob distantiam, vel alias ob caussas, falsa pro veris obiiciunt, sensus autem tanquam infideles nuntij, quod falsò sibi traditum fuerat, nouæ falsitatis accessione corrumpunt, & dominæ suæ rationi per phantasiam sequestrem & internuntium mentiuntur? Longum esset ire per singulos, & bene longam præstigiarum quibus illi phantasiam ac rationem deludunt, seriem euoluere. In vnis duntaxat oculorum fallaciis hæreamus. — Sensuum fallacia.

60. Atque vt omittam ea quæ iam superius attigisti, Philalethes, oculos ita plerumque mentiri, vt remus integer in aqua fractus appareat, vt naues stare, terra refugere, vt sol ille vix cubitali magnitudine vicinorum montium cacuminibus hærere videatur, quis non in dies experitur se cùm quadratas vrbium turres eminus spectat, angulis obtutum sensim fugientibus, quasi rotundas intueri? Si fidem oculis adhibendam putamus, cum in sole ambulantes eius radiis officimus vmbrámque proiicimus, eam nobiscum moueri putabimus, imitari gestum, sectari vestigia. *Nimirum*, vt ait commodè Lucretius, quia — Oculorum; Vmbra.

---Terra loccis ex ordine cunctis,
Lumine priuatur solis, quacunque meantes
Officimus: repletur item quod liquimus eius,
Propterea fit vti videatur, quæ fuit vmbra
Corpora è regione eadem nos vsque secuta.

Cum tamen vt diuersum est lumen, diuersæque partes aëris illustrati, vmbram necesse sit esse diuersam, cum rheda vehimur paulo celerius agitata, montes & vicinos agros circumagi putabimus. Pueri cum se diutius in orbem conuerterint, vbi primum verti desierunt, spiritibus nondum ex agitatione residentibus,

Atria versari & circum cursare columnas

ruinā minantes existimant. Quæ per nebulam videntur, ea plerumq; maiora veris apparent. Burgundiones Lutetiæ suas copias admouerant. Equites leuis armaturæ præmissi qui de more quærerent campos, & res hostiū propiùs explorarent, cùm per nebulā nescio quid magnum videre sibi visi fuissent, instructas Parisinorum acies, totámque adeo ciuitatem in armis effundi retulerunt. Totis castris aliquandiu trepidatum, vt primùm discussis nebulis lucis adultæ sereni- — Comminęus de rebus Ludouici XI. cap. 19.

tas effulsit, nihil viderunt præter carduos, qui nebulosa cœlo lancearum, arissarúmque speciem obiecerant.

61. Quid? quòd cùm equus in medio flumine constitit, despicientibus nobis in aquas celeriter labentes, vis & vndarum impetus equum vno quamuis hærentem vestigio videtur in aduersum superiorémque fluminis partem contrudere?

Raráque per cælum cùm venti nubila portant
Tempore nocturno: tum splendida signa videntur
Labier aduersum nubes, atque ire supremè
Longe aliam in partem quàm quò ratione feruntur.

Tertull. de Pallio. 3 Pauo. Quid loquar de coloribus in collo columbarum apparentibus? *Pauo*, inquit Florens, *pluma vestis, & quidem de cataclistis, imò omni conchilio depressior, qua colla florent, & omni patagio inauratior, qua terga fulgent, & omni syrmate solutior, quà caudæ iacent multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia, toties denique mutanda, quoties mouenda.*

Chamæleon. Quid? quod, vt ait idem, *Chamæleon pelliculæ viuit, capitulum statim à dorso, nam deficit ceruix. itaque durum reflecti, sed circumspectu emissitij ocelli, imò luminis puncta vertiginant. Hebes, fessus, vix à terra suspendit: molitur incessum stupens & promouet, gradum magis demonstrat, quàm explicat, ieiunus scilicet semper & indefessus: oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus. Tamen & Chamæleon mutare totus, nec aliud valet. Nam cùm illi coloris proprietas vna sit, vt quid accessit, inde suffunditur: hoc soli Chamæleonti datum, quod vulgo dictum est, de corio suo ludere.* Quod tamen etiam de polypode Theognis & alij prodiderunt.

62. Dies profectò me deficiat, si non dicam verbis illustrare, sed numero comprehendere velim cæteras omnes oculorum fallacias, quarum vberem copiam tum specula, tum ea quæ vocantur perspicilia subministrant. Vidistis perspicilia cancellatim angulis incisa, & pluribus interdum proiecturis extuberantia. Quot sunt vmbilici, toties multiplicatur obiectum, vt interdum è viris decem aut duodecim per huiusmodi

Specilla. specilla spectatis ingens conflari videatur

Telescopia. exercitus. Vidistis ea quæ τηλοσκόπια siue tubos opticos appellant, è quorum altera parte spectantibus res etiam longissimè distantes videntur admoueri, ex altera proxima quæque remoueri, quibus non tantum noua sidera solem stipantia, eiúsque quasi satellites ac ministros, sed etiam nescio quas in eo maculas deprehendunt, nisi tamen hoc etiam loco præstigiæ sunt, oculorúmque fallacia. Vidistis ea quot res etiam tenuissimas decuplo tanto maiores, quàm veritas patitur, visendas exhibent, vt tum certos in pulicibus villos, tum nescio quas in barba cæterísque corporis humani pilis strias & sulcos longo ductu inaratos notare videamur.

63. Quid de vitreis illis triangulis loquor qui quodam angulorum repercussu diuersáque radiorum refractione sic oculos intuentium effascinant, vt pro luminis accepti differentiâ cælum, terram, aquas, arbores, saxa, quocunque se visus extendit, aliis Vitrei trianguli. atque aliis discriminata coloribus in amphitheatri mira peristromatum varietate vestiti speciem repræsentent, & velut ingentem arcum cælestem, vel totum potius hemisphærium tenui colorum, luminis, vmbrarum discrimine variegatum depingant.

In quo diuersi niteant cùm mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit, Ouid. 6. Metam.

& ita fallit, vt transire nescias, cùm iam videris transiisse.

Vsque adeo quod tangit idem est, tamen vltima distant.

64. Quid de specillis ferrugineis, luteis, viridibus, & cæteris id genus? ecquid non quicquid interuentu suo spectandum obiecerint, id

Inficiunt, coguntque suo fluitare colore? Luc. lib. 4

Omitto cæteras oculorum captiones ac mendacia, quæ vel ob distantiam aliásve caussas è directa radiorum, quos visuales appellant, proiectione, vel ob corporis interiecti diuersitatem, & eorumdem refractione proueniunt. Quid de speculis & radiorum reflexione plura commemorem? quàm multas habent offucias? In planis & Specula. conuexis dextra læuis, dextris læua respondent: arbores riparum superciliis imminentes apparent inuersæ: vltra speculum apparent imagines, quas necesse est citra resilire: ingredi pariter videntur, pedem pariter ponere nobiscum, ac gestus imitari, cum reuera non moueantur, sed potius noua simulacra mutato rei visæ situ gignantur.

65. Ausonius in Mosella multas congerit oculorum fallacias, ac ludibria versibus ipso propemodum amne liquidioribus.

---cùm glaucus opaco
Respondet colli fluuius, frondere videntur,
Fluminei latices, & palmite consitus amnis.
Quis color ille vadis seras cùm protulit vmbras
Hesperus, & viridi perfundit monte Mosellam?

Tota natant crispis iuga motibus, & tremit absens
Pampinus, & vitreis vindemia turget in vndis:
Adnumerat virides derisus nauita vites,
Nauita caudiceo fluitans super æquora lembo.
Per medium qua sese amni confundit imago,
Collis, & vmbrarum confinia conserit amnis.

& paucis interiectis ista subnectit longè pulcherrima.

Hos hyperionio cum Sol perfuderit æstu
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas,
Et redigit pandas inuersi corporis vmbras.
Vtque agiles motus dextra læuáque frequentant,
Et commutatis alternant brachia remis,
Vnda refert alios simulacra humentia nautas,
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes
Fallaces fluuio mirata redire figuras.

Eleganti deinde similitudine rem illustrat.

Sic, inquit, *vbi compositos ostentatura capillos*

nutrix alumnæ adhuc inexpertæ speculum admouit,

Læta ignorato fruitur virguncula ludo,

Sororis suæ speciem in speculo sibi videtur intueri, amplexum apperit, crystallum suauiatur.

Aut fixas prætendit acus, aut frontis ad oram
Vibratos cæptat digitis extendere crines,
Talis ob vmbrarum ludibria, nautica pubes,
Ambiguis fruitur veri falsíque figuris.

66. Aqua vno digito vix altior tantum sub terras despectum præbet, quantum à terris ad cœlum suspectus est, vt nubila quadam Antipodum capitibus impendentia, alterum solem, alia sidera despicere videamur: *Nihil refert*, inquit Seneca, *quàm exiguus sit humor aut lacus, si circumscriptus est, speculum est. Quare? quia omnis circumscripta læuitas, & circumdata suis finibus speculum est. Itaque piscinam ingentis magnitudinis insertis parietibus diuide: totidem habet illa imagines solis, quot lacus habuerit: relinque illam, sicut est, diffusam, semel tibi imaginem reddet.* Atque ex his liquet acie nostra nihil esse fallacius. Et, vt cætera dissimulemus, cùm tria sint videndi genera, quæ per radios directos videntur, semper, vt optici demonstrant, minora iustis apparent, quæ per refractos alieno loco, quæ per reflexos, ferme situm videntur habere vero contrarium.

Lib. 1. nat. quæst. c. 3.

67. Multa dicere poteram de cæterorum sensuum præstigiis. In dies experimur rosas & vnguenta quibusdam peiùs allio fœtere, vnum & idem aliis dulce, aliis amarum esse, vt, quod ait Satiricus, tres propè conuiuæ dissentire videantur. E duobus qui ad idē balneum accesserint, alter æquo calidius alter frigidius esse iurabit: aures, vt secundùm oculos sunt nobilissimæ, ita falsis sonorum imaginibus delusæ frequentissimè mentiuntur. Tonitrua Manliana dissultantésque muralium tormentorum crepitus vix possis à vero tonitru dignoscere: Solet in scholis nominari Rex ille Scytharum cuius aures suauiùs equorum hinnitus, quàm Ismeniæ tibia mulcebat. Permulti concentus auium cæterarúmque voces animantium sic imitantur, vt vel attentissimos possint in errorem inducere, vt hyenæ. psittaci, picæ, volucres aliæ vocis humanæ similitudine plerosque decipiunt. Si aurium iudicio standum putamus, priùs è nube fulgetrum, quàm tonitrui fragor elidirur, quorum vtrumque eodem tempore fieri, vel etiam fragorem prius emitti ratio persuadet ac non raro confragosi montium flexus crebríque vertices, & conflexa in cubitum aut confracta in humeros iuga, concauique conuallium sinus vocem ita reciprocant, ac repercussu numerosiore multiplicant, vt cum vnam emiseris, sex aut septem multis offensibus repulsatas diuersis è locis audire tibi videare.

Aliorum sensuū fallacia.

Aurium.

Plutarch. Apopht.

68. Quæ cum ita sint, iam è dictis habemus in rebus istis quæ sensu corporis percipiuntur, nihil esse solidum, expressum & eminens, cuius veritatem humana ratio possit amplecti, habemus cogitationem, has ipsas rerum naturas, quæcumque tandem illæ sunt, haudquaquam attingere, sed eas duntaxat in quibusdam attributis & circumstantiis, tanquam in speculis intueri: habemus rationem quamuis nihil nisi per sensus internuntios apprehendat, res tamen ipsas singulares & indiuiduas prout à sensibus suggeruntur, haudquaquam intelligere, sed ad communes adhærescere notiones: habemus denique sensus ipsos plerumque mentiri; & phantasiam ipsámque adeo rationem variis fascinare præstigiis: vt tot è capitibus eam necesse sit in summa veritatis ignoratione versari.

Recapitulatio.

69. Iam si iuxta commune pronuntiatum, nihil est in intellectu quod non fuerit in sensu: si intelligentem oportet phantasmata speculari, si hæc est prima fides quæ à

ſenſibus hauritur quis, non videt ſenſibus concuſſis ac labefactis omnia veritatis fundamenta conuelli?

Lucret. l. 4.

Denique vt in fabrica, ſi praua eſt regula prima,
Normáque ſi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum,
Omnia mendosè fieri atque obſtipa neceſſe eſt,
Praua, cubantia, prona, ſupina atque abſona tecta,
Iam ruere vt quadam videantur velle, ruántque
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis,
Sic igitur ratio tibi rerum praua neceſſe eſt
Falsáque ſit falſis quæcumque ab ſenſibus orta eſt.

70. Quid ſi ne videmus quidem, cùm videre nobis aliquid videmur, ſed videre nos duntaxat ſomniamus, cui vetus illa controuerſia nota non eſt, cuius Socrates meminit in Theæteto περὶ τοῦ ὄναρ καὶ ὕπαρ, qua potiſſimùm coniectura oſtendi poſſit vtrum dormiamus nunc omnes, & quæ cogitamus ſingula ſomniemus, an vigilemus & reuera inuicem diſſeramus. cui reſpondens Theætetus fatetur explicari non poſſe qua id coniectura poſſimus oſtendere. Quę enim, inquit, modò diſſerebamus nihil prohibet vt ſomniantes colloqui videamur, & cum ſomniantes ſomnia referre nos arbitramur, mirum in modum illis iſta conſentiunt. Ecquid non in cæca noctis caligine lumen diurnum intueri,

Vita ſomnium.

Concluſóque loco ſolem, mare, flumina, montes,
Mutare, & campos pedibus tranſire videmur?

Lib. 7 de Rep. iucunde.

71. Nota eſt illa ſpelunca cuius imagine Plato mortalium ignorantiam natiuis coloribus adumbrauit. Fingit homines in ſubterraneis ſpecubus educatos à pueritia, ceruicibus & cruribus ita deuinctos, vt & immobiles ſemper eodem corporis ſitu permaneant, & ea duntaxat, quæ ante pedes poſita ſunt, intueri poſſint; capita verò vinculis adſtricta circumagere non poſſint, pone quos à tergo procul ignea facula ſuſpenſa ſit: intérque ignem ac vinctos homines viam paulo ſuperiorem exiguo pariete diſcluſam, homines rurſus alios retro parietem ferentes vaſa varia ſupra parietis loriculam eminentia ſtatuáſque hominum, aliarúmque animantium lapideas ac ligneas imagines vario fabricatas artificio, quas, vt conſentaneum eſt qui circumferunt, partim ſileant, partim loquantur.

Spelunca Platonis.

Vincti nihil videbunt præter ſimulacrorum vmbras, quæ ab igne in aduerſam ſpeluncæ partem proiicientur, eáſq; rerum ipſarum, quarum circumferuntur imagines, nominibus appellabunt. Quòd ſi echo ex aduerſa ſpeluncæ parte reſonaret, alium neminem quàm idolorum tranſeuntium vmbras loqui cenſerent.

72. Vincti ſunt humana ratio denſis ignorantiæ tenebris obuoluta: carcer ſiue ſpelunca, mundus hic adſpectabilis, ſi ad mundum intelligibilem & archetypum comparetur. Vinculum, corpus humanum, vel potius perturbationes animam corpori alligantes. Vmbræ ſunt ea quæ ſub ſenſum cadunt, & intimam rei cuiuſque ſubſtantiam non tam exprimunt quàm adumbrāt, imagines & ſimulacra ſunt ipſæ rerum ſubſtantiæ è diuinis ideis expreſſæ quas humana ratio non in ſeipſis, ſed tantum in effectis circumſtantiiſque conſiderat. Fax porro ſuſpenſa quid aliud eſt quàm lumen naturale, quod Pſalmiſta diuini vultus lumen ſuper nos ſignatum appellat. Quod ſi purum ac defecatum ſe noſtris mentibus ingereret, veritatem quam, vt aiebat Democritus, in profundum demerſit ipſa natura forſitan è ſuis latebris educere potuiſſet. Eius interpretatio.

73. Sed nimirum, etiam ipſum naturæ lumen variis ſenſuum, phantaſiarum, ratiocinationum adulteratur pręſtigiis quemadmodum faces ac lucernæ non paucas habent offucias. Luſit Anaxilaus ſulphure (verba ſunt Plinii lib. 35. hiſtor. naturalium cap. 15.) candens in calice nouo prunáque ſubditâ circumferens exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum velut defunctorum offundente conuiuis. Tradit Porta, lib. 2. Magiæ naturalis varios lucernarum modos, quibus ædes argenteæ, cubicula diuerſis variegata coloribus, virentibus palmitum foliis vuiſque pendentibus veſtita, homines aut ſine capitibus, aut cum equinis & aſininis capitibus appareant. Adeóque ſol ipſe, prout hoc vel illo modo ſe rebus infuderit, ita varios colores adſpergit, & quaſi fucum illinit veritati, vt Euripidi propemodum aſſentiar.

Τίς οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν,
Τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν νομίζεται βροτοῖς;
Quis nouit vtrùm viuere hoc ſit emori,
An emori hoc ſit quod vocamus viuere?

& Sexto Empirico tum lib. 2. Hypotypoſeon, tum lib. aduerſus Mathematicos ſeptimo multis rationibus diſputanti nullum eſſe κριτήριον quo verum à falſo diiudicare poſſimus.

74. Quare vide, mi Philalethes, vtrum diuinæ

Conclusio. diuinæ sapientiæ fuerit in hoc mendacii regno legem dicendæ veritatis imponere, quantísque scrupulis & angoribus eorum conscientiam dilaniari necesse sit, qui si vel latum, vt aiunt, vnguem deflexerint à vero, furias ipsas admissi sceleris vltrices sibi cum tædis ardentibus imminere putant, ac veritatem, rem adeo lubricam & mortalium animis incomprehensibilem, tanta, non dicam superstitione, ne tu mihi succenseas, sed sollicitudine persequuntur.

X. *Probatur Mendacium honestum esse à delectatione annexa.*

75. IAm quod secundum naturam est, non potest esse vitiosum, nisi accersitis aliunde sordibus obsolescat, mendacium autem esse secundum naturam, vel ex eo liquet, quòd, vt definit Philosophus delectatio siue voluptas est *operatio habitûs, qui est secundum naturam non impedita*, & mendacium ipsa natura quadam hilaritate perfudit, vt qui fallacias ex vsu communi sustulerit, is ver ex anno, iuuentutem è vita, solem è mundo sublaturus esse videatur. Adeóque plerumque fieri videmus, vt quæ in ipsa Veritate tristia sunt ac molesta, eorum ementita species & imitatio (quæ, vt multis ostendit Plato, circa tertia naturæ, & rerum non verarum, sed apparentium simulacra versatur) non mediocrem adferat animo voluptatem. Sic, inquit Plutarchus, verrum suis grunnitum, rotæ gemitum, venti stridorem, maris ad littus allisi plangorem, æquo animo audire non possumus: at si quis hæc eadem probabiliter imitetur, ea non sine titillatione quadam delectationis audiemus. Hominem iratum, dolentem, pauentem, furiosum audire, sine molestia non possumus, at in theatris eorum imitatio nos mirificè delectat. Molestum est hominem vlceribus plenum, aut cum morte luctantem intueri: in tabula depictum si videris, ipsa te delectabit fallacia.

ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος. 7. Moral. Nicomach. cap. 12.

10. de Rep. ineunte.

De audiendis Poetis, & lib. 5 conuiu quæ. 1.

76. Cui iucunda non est in gemellis illa vultuum similitudo,

Indiscreta suis, gratúsque parentibus error?

In præstigiatorum acetabulis & calculis quid nos aliud quàm alucinatio nostra delectat? *Effice*, inquit Seneca, *vt quomodo fiat intelligam: perdidi vsum.* Denique, vt alia sexcenta prætermittam, magnus dicendi magister, orationem, quo fiat auditu iucundior, mendaciunculis iubet adspergi. E quibus liquet mendacium esse habitum secundum naturam, cuius operatio non impedita sensum adferat liquidissimæ voluptatis. Quod si secundum naturam est, frustra quasi monstrum quoddam naturæ, extra naturæ fines extruditur.

Fallacia an delectet. Seneca ep. 45.

XI. *Diluitur argumentum petitum à difficultate inueniendæ Veritatis.*

77. PHIL. Meministine, Pseudagora, quid hactenus inter nos conuenerit? PSEVD. Pseudagoras non essem, nisi dictorum meminissem. Scis enim vulgo dici mendacem memorem esse oportere. PHIL. Dictum, opinor, eum mentiri qui contra mentem suam loquatur, & aliud in pectore clausum seruet, aliud in lingua promptum habeat, ac proinde fieri posse, vt & qui verum dicit, mentiatur, & qui falsum non vtique mentiatur. PSEVD. Equidem memini. Sed quorsum ista? PH. Vt intelligas difficultatem inueniendæ Veritatis non officere quo minus facillimè possimus vitare mendacium. Vt enim ad mendacii naturam haud pertinet dicere quod falsum sit, sed quod falsum animo iudicetur; ita nec veritatis moralis veracitatísque ratio postulat, vt quæ reapse vera sunt, proferamus, sed vt oratio nostra cum ratione, lingua cum mente consentiat, ac proinde difficile non est esse veracem in loquendo, quantumuis ipsam rerum veritatem in profundum, vt post Democritum aiebas, natura demerserit.

Mendacium. Veracitas.

78. PSEVD. Te quoque, Philalethes, meminisse par est, quò disputatio nostra perducta fuerit. Tantum, vt hactenus à me probatum est, quicque veritatis habet, quantum essentiæ. PHIL. Fateor. PSEVD. Rerum caducarum naturam vanitas occupauit. PHIL. Sic esse faciamus. PSEVD. Sensus corporis intimam rerum substantiam non attingunt. PHIL. Hoc etiam vltro largiamur. PS. Intellectus singularia non apprehendit. PH. Nolo contendere. PS. oculis, aures, reliqui sensus identidem falluntur. PH. Ne hoc quidem negauerim. PS. Atqui hinc efficitur veritatem in mendacii regno non posse consistere, neque religioni ducendum, si eam interdum deseramus. PH. Quod assumis superiore distinctiuncula facilè difflatur.

79. Duplex est veritas, altera rebus attributa, quam rimantur ij qui animum ad artes & scientias appulerunt, cuius tota vis in ea posita videtur quòd qualis est cuiusque rei natura, talis vel sensibus, vel intelligentiæ cognoscentis ingeratur: altera si-

Veritas rerum.

Veritas signorum. gnis annexa, quam alii veracitatem appellant, per quam interna conformatur oratio, cum priore confligit error, & opinio falsa: cum posteriore mendacium. In his tenebris & obscuritate naturæ errorem vitare sanè difficile est: mendacium vitare promptum cuilibet atque expeditum. Nemo volens in errorem inducitur: nemo mentitur inuitus. Error sine culpa plerumque mente concipitur: mendacium cum peccato lingua profertur.

80. Atque ex his facilè confutantur eæ rationes quibus tantopere tua se iactauit, & nobis inequitauit oratio. Esto enim: innumeras sensuum fallacias esse faciamus, iudicare non possimus turres quadratæ sint an rotundæ, quòd quadratæ propinquis, rotundæ remotis esse videantur: mel dulce sit, an amarum, quòd aliis dulce, aliis amarum appareat. Admittamus cæteras illas oculorum auriúmque præstigias, quarum bene longam seriem texuisti: nesciamus denique (vide quantum tibi largiar) vtrùm vigilantes ista disputemus, an dormientes imago vana deludat: &, vt vno verbo rem conficiam, concedamus nihil esse quod percipi possit extrinsecus. Non negabis tamen, opinor, quod Cyrenaici concede-

Cyrenaici. bant, ea te percipere quæ sensu intimo apprehendas, vt dolorem, vt voluptatem. Nescis fortasse mel naturâ suâ dulce sit an amarum, remus rectus sit an inflexus. Scis tamen vtrùm mel palatum tuum amaritie vellicet, an quadam saporis dulcedine titillet: Scis qualis remus partim in aëre partim in aqua tibi videatur: Scis quid interno sensu percipias, quid imaginere, quid intelligas: Scis denique siue dormiens, siue vigilans, dormire te nunc an vigilare suspiceris. è quibus efficitur nihil esse facilius ac promptius quàm animi tui sensum verbis explicare; quod vnum postulat ratio veritatis oppositæ mendacio.

81. Quare, mi Pseudagora, etiam atque etiam vide ne quo maioribus difficultatibus obsepta est veritas illa naturalis, eo quærenda sit impensiùs veracitas ista moralis, ne si vtramque veritatem è vita sustuleris, summa rerum omnium perturbatio consequatur. vide ne cùm ex obscuritate naturæ ac veritatis alterius difficultate nihili faciendam alteram esse defendis, perinde facias ac si alterâ tibiâ claudicans alteram abscindendam, aut altero lippus oculo alterum tibi effodiendum esse defenderes. Amphilochvs. Quid ais Pseudagora? Videtúrne tibi Philalethes noster arma de manibus extorquere, tuóque, quod aiunt, te gladio iugulare? Ps. Quo id pacto? Amph. Non solùm tuas diluit rationes, & offusam veritati caliginem facili distinctione deterget, sed hoc ipso quo efficere volebas, honestum esse mentiri, dicendæ necessitatem veritatis ostendit. Ps. Equidem nihil habeo quod reponam. Quare ne tuum iudicium expectem, secundum Philalethem hac quidem in parte pronuntio. Quia tamen stat adhuc alterum argumentum de voluptate, fateor me nondum è sententia pristina dimoueri.

XII. *Diluitur argumentum petitum à iucunditate annexa Mendacio.*

82. Phil. Ais igitur voluptatem esse operationem habitus, qui secundum naturam est, non impeditam, ex eóque vis effici mendacium esse naturæ conforme ac proinde honestum, quòd illud, vt loqueris, ipsa natura quadam hilaritate perfuderit. Psevd. Aio enimuerò. Ph. Si tricari liberet, hoc loco tibi controuersiam mouerem de voluptatibus quæ contra naturam esse dicuntur. Disputarem è tua ratiocinatione sequi nullum voluptatis genus esse vitiosum: ostenderem nullam esse capitaliorem generis humani pestem voluptate, eam esse virtuti ac bonis artibus Voluptas. inimicam, præstringere mentis oculos, nec vllum habere cum virtute commercium. Qua in disputatione vides orationem nemini defuturam. Quia tamen veritatis sum amantior quàm contentionis, quicquid dissimulari potest, tibi remitto.

83. Illud vnum ex te quæro, ecquid nos in tabulis pictis, aut statuis, in præstigiatorum calculis, in vultuum similitudine, in oratione mendaciunculis adspersa, in doloris, iræ, pauoris, cæterarum denique rerum naturâ suâ tristium, ac deformium imitatione delectet. Psevd. Ipsa nimirum fallacia. Phil. Faciamus, si placet, esse duos, quorum alter saniem fluentem, vlcerosum, claudicantem, gementem, eiulantem ita repræsentet vt hos affectus non imitari, sed reuera experiri ac tolerare videatur, quales plani plerumque solent ad intercertendam Simulatio. stipem templorum vestibula, viarúmque Imitatio. regiarum aditus obsidere: alter non minùs scitè Philoctetem iisdem calamitatibus affectum in scena sic imitetur, vt cum spectatores non sauciatum, sed sauciati personam egregiè sustinere intelligant. Quæro vter horum tibi videatur esse mendacior? Ps. Is profectò qui se ex animo dolere, ac gemere simulabit. Nam ille alter cùm non

saucius ac lamentans, sed qualis est reuera, saucii ac lamentantis imitator appareat, ne mentietur quidem. PH. Aliud est igitur simulare, aliud imitari. PS. Aliud omnino. Nam prior vlcus & dolorem simulat, posterior imitatur. PHIL. Hunc igitur, si libet, imitatorem veri: illum veri simulatorem appellemus. PS. Appellemus sanè. PH. Vter horum liquidiore te voluptate perfundet? PS. Imitator oppidò: nam ille veri doloris simulator, si se reuera saucium esse, dolere ac lamentari persuaserit, adeo me non delectat, vt eum sine sensu doloris ac misericordiæ non possim intueri.

84. PH. Duas item imagines animo propone, vtramque ad vnguem effictam, sed eo discrimine, vt qui alteram procul adspexerint, non se videre moriētis effigiem, sed verum hominem reipsa morientem arbitrentur, qui alteram, artificium quidem summopere laudent, rem tamen, vt est, animo percipiant, & non hominem expirantem, sed expirantis effigiem videre se nouerint. PSEVD. Esto. PH. Earum vtra tibi videbitur fallacior? PS. Ea citra controuersiam, quæ me in fraudem inducet, ac persuadebit me non morientis simulacrum videre, sed hominem reuera morientem. PH. Vtra te vberiore voluptate complebit? PS. Illa posterior, quam morientis imitatricem dicere possumus. Nam illa veri simulatrix, quæ sensus deludet, ac morientem obiiciet, erit triste spectaculum.

85. PHIL. Ecquid de porcello Parmenontis audisti? PS. Quid illud? PH. Parmenon porcelli grunnitum imitatione sic exprimebat, vt mirabiles plausus in theatris, in circulis, in conuiuiis excitaret. Vnus ex æmulis obiectum palliolo nefrendem sub axillis attulit. Parmenon grunnitum imitari: auditores complosis manibus applandere: hic porcellum in sinu latentem vellicare: grunnire porcellus, clamare vniuersi, bene quidem, sed nihil ad suculam Parmenontis: tum ille, vt corruptum confessus iudicium reipsa castigaret, nefrendem suis integumentis euolutum in medium proiecit, &c: En, inquit, quem Parmenonti grunnienti postponitis. Vter horum tibi videtur esse mentitus? Parmenon qui nihil aliud præse ferebat quàm se grunnientem bestiam imitari, an aduersarius, qui vt fucum suis auditoribus faceret, naturalem suculæ grunnitum pro artificioso, ac suo venditabat? PS. Aduersarius. PH. Vter maiorem auditoribus delectationem afferebat? PS. Parmenon.

Porcellus Parmenontis.

86. PH Iam, si placet, eundem Parmenontem faciamus interiectu parietis ab auditoribus diuisum eius animalis vocem, ita simulare, vt ii vocis similitudine decepti non ipsum Parmenontem, sed verum porcellum in platea grunnire existiment. Isne qui paulo priùs qualis erat, talem se profitebatur sine fuco ac fallacia, & ingenua simul, ac ingeniosa grunnitus imitatione tantopere placuerat, postquam simulatione fallere cœperit, suis erit auditoribus voluptati? PSEVD. Imò Philalethes, quò propiùs ad illius animantis vocem accesserit, eo maiorem audientibus molestiam exhibebit, vt quo fallacior erit, eo molestior futurus esse videatur. PHIL. Falsum est igitur quod assumebas, mendacium esse quadam hilaritate conditum. PS. Pene extorques vt fatear.

87. PHIL. Ad vultuum similitudinem quod attinet, frequenter ex te audiui geminos abs te visos in conuictu Mussipontano pueros nobiles, ita similes inter se vt quamuis tibi proximè mensæ accumberent, eos tamen neque tu, neque quisquam ex iis qui iuuentuti præerant, internosse possetis, nisi post aliquot menses animaduersum tandem esset alterum, cùm vestros obtutus in se defixos videret, oculos modestè verecundéque demittere, alterum arridere vósque vicissim hilarioribus oculis intueri. Author est Plinius Magno Pompeio Vibium quemdam è plebe & Publicium etiam seruitute liberatum indiscreta prope facie fuisse similes, illud os probum reddentes, ipsúmque honorem eximiæ frontis, & P. Lentulo Spintheri, Q. Metello Coss. histriones duos persimiles in scenam esse productos, vt duorum simul Consulum imagines cernerentur. Quæro in his aliisque similibus quid ex vultuum similitudine spectatores alliceret, & aliqua iucunditate mulceret? PSEVD. Equidē nihil video præter errorem ac fallaciā. Neque fortasse in fabulis Plautinis quidquam est, aut Menæchmis, aut Amphitruone iucundius, quarum in altera producuntur duo gemini: in altera Iupiter Amphitruonis, Mercurius Sosiæ speciem imitatur. PHIL Hæc imitatio quibus delectationem afferebat? Amphitruoni totique adeo familiæ, quam illa formæ similitudo, non solùm fefellit, sed etiam errore, insania, intemperiisque iactauit? an spectatoribus, quos, ne errarent, Mercurius edocuit quibus signis tam similes personas internoscerent? PSEVD. Spectatoribus.

Vultuum similitudo.

88. PH. Quid? cum illos geminos intuebare, ecquid non alterum ab altero internosse cupiebas? PS. Equidem cupiebam. PH. Ecquid non lætabare cùm aliquo vo-

stigio subodoratus fueras veritatem, & alterius ab altero discrimen inueneras? Ps. Lætabar sanè. Ph. An perinde lætitia gestiebas, cùm illa formæ similitudo te in errorem pellexerat? Ps. Id profectò dicere non possum. Ph. Aliud igitur in hac vultuum similitudine nos delectat, quàm error ac fallacia. Ps. Apparet. Ph. Nobis igitur de integro sunt ineundæ rationes. quærendúmque quid tum in hac similitudine tum in rerum etiam natura sua tristium ac deformium imitatione delectet. Ps. Quod tuo commodo fiat.

89. Phil. Descendisse Parrhasius in picturæ certamen cum Zeuxide proditur. & cùm ille detulisset vuas pictas tanto successu, vt in scenam aues aduolarent, ipse detulisse linteum pictum, ita veritate repræsentata, vt Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Maiorem, opinor, Zeuxis percepit animo voluptatem, cum vero simile linteũ in tabula depictum ex ipsa rei veritate cognouit, quàm eum verum linteum oppãsum esse tabulæ sibi falsò persuasit. Ps. Equidem negare non possum. Ph. Vide quanta sit veri maiestas, etiam hoc loco veritas tibi ferrum de manibus extorsit, vt tuo te rursum gladio iugularet. Honestum esse mendacium ex annexa delectatione probare cupiebas. Concedis tamen nihil aliud esse præter veri similitudinem verè cognitam quod nos in rerum imitatione delectet, ac proinde veritatem tantis esse voluptatibus delibutam, vt vel eius vmbra & similitudo quò propiùs ad verum accedit, eò maiorem hominibus hilaritatem impertiat.

Plin. lib. 35. cap. 10.

90. Quòd si contrariorum contrarii sunt effectus: mendacium autem veritati, voluptati contrarius est dolor: veritas porro voluptatem parit, necesse est dolorē mendacio consequatur: & si quemadmodum defendis, quicquid voluptatem affert, id secundum naturam est, eadem extorquet ratio, vt mendacium, quod dolorem exhibet, contra naturam esse fateare. Neque verò nos in præstigiatorum calculis delectat ipsa fallacia, sed admiratio solertiæ, quæ nos vel eam ob caussam mirum in modum oblectat, quòd ad inuestigationem veri, caussæque latentis excitamur. Hic enim effectus valde philosophicus est, admirari, neque enim aliud est philophiæ principium.

τῶν γὰρ ἐναντίων τὰ ἐναντία ποιητικά. Aristot. 5 Polit. c. 8.

μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος. οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας. Plato Theæt.

XIII. *Utrùm ex incommodis quæ ex Veritate sequi videntur, probari possit honestum esse mendacium.*

91. Pseud. Hactenus inter nos leui prolusione velitatum est, & quasi rudibus ventilatum, nunc ad arma decretoria veniamus: *Ecce graui morbo periclitatur ægrotus, cuius iam vires ferre non possint si ei mortuus vnicus & charissimus filius nuntietur. Si à te quærit, an viuat, quem vitam finisse tu nosti, quid respondebis? quando quicquid aliud dixeris, præter vnum de tribus aut mortuus est, aut viuit, aut nescio, nihil aliud credit ille quàm mortuum: quod te intelligit timere dicere & nolle mentiri. Tantumdem valet etiamsi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falsa sunt, viuit & nescio, nec abs te dici possunt nisi mentiendo. illud autem vnum verum, id est mortuum esse si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus clamabitur.* Quid si Rex ille fuerit aut princeps, è cuius vita totius Reip: salus, aut etiam Christianæ religionis incolumitas pēdeat. Ecquis ferat homines tanta verborum exaggeratione iubentes euitari salubre mendacium, & homicidam, parum dixi, Reip. cladem, pestem animarum, sequestrem & damnationis æternæ conciliatricem diligi veritatem. Phil. Quid si non est iniurato tibi creditur? Ps. Ego verò iurare non. Phil. Quid hæres? mi Pseudagora. Amph. imò, Philalethes, in aliud tempus videtur hæc interrogatio differenda.

August. lib. cōtra mendacium, cap. 18.

92. Phil. Vt igitur id quærere supersedeam, te miror, Pseudagora, te qui ex Augustino telum hoc amentatum petieris, nō ex eodem etiam armamentario scutum depromere. *Moneor*, inquit ille, *his oppositis vehementer, sed mirum si etiam sapienter. Cùm enim proposuero ante qualescunque oculos cordis mei intelligibilem illius pulchritudinem, de cuius ore nihil falsi procedit, quamuis vbi radians magis magisque clarescit veritas, ibi palpitans mea reuerberatur infirmitas, tamen sic amore tanti decoris accendor, vt cuncta quæ inde me reuocant humana contemnam. Sed multum est vt iste in tantum perseueret affectus, vt in tentatione desit effectus. Nec me mouet contemplantem luminosam bonum, in quo mendacij tenebræ nullæ sunt, quòd nobis mentiri volentibus, & hominibus vero audito morientibus, homicida dicitur veritas. Nunquid enim si stuprum expetat impudica, & te non consentiente suo amore perturbata moriatur, homicida erit & castitas?* & alia non pauca in hanc sententiam.

93. Quòd autem ab animarum æterna salute veritati facis inuidiam, eámque tam atrocibus verbis exaggeras; Antiochus Seleuci filius nouercam suam Stratonicem Demetrij filiam efflictim amabat, vel potiùs eius amore tabescebat, sed cupiditatem suam non ausus confiteri, mori decreuerat: amorem Erasistratus medicus mira sagacitate detexit, Seleucóque patri, vt filio suam cederet coniugem persuasit; vt Plutarchus in Demetrio, Appianus in Syriacis, Iulianus in Misopogone, & alij prodiderunt. Faciamus hunc, cuius vita non solùm Reip. sed etiam Christianæ religionis incolumitas, atque adeo multarum salus animarum dicitur contineri, non dicam nouercæ, sed propriæ matris amore paulatim carpi, & velut concepta medullis flamma sensim siue sensu tabescere. Quid aget hoc loco mater infelix? Castitati suæ pudicitiæque consulendum putabit? an incestis eius cupiditatibus obsequetur? filio suo morem geret? at non modò pudicitiam, sed etiam ipsam naturã nefario flagitio violabit. morem non geret? at morietur filius, extinguetur extrema scintilla regiæ familiæ, succedet infidelis, euertet aras, delebit omnia religionis Christianæ vestigia, innumeros in perniciem trahet animæ sempiternam. Si bene te noui, consulendum pudicitiæ defendes, neque vereberis ne propterea dicatur castitas non filij solum, sed etiam patriæ animarúmque parricida: *Certè*, inquit idem magnus veritatis assertor, *pia, vera, sancta castitas non nisi ex veritate est, & quisquis aduersus eam facit, profectò aduersus veritatem facit. cur ergo, etsi non possit aliter periclitantibus subueniri, non committo stuprum, quod ideo est contrarium veritati, quia contrarium est castitati; & vt periclitanti subueniatur, loquor mendacium quod ipsi apertissimè est contrarium veritati? Quid apud nos tantum promeruit castitas, & offendit veritas, cùm omnis ex veritate sit castitas, & sit non corporis sed mentis castitas, veritásque in mente habitet; sicut etiam corporis castitas.*

Antiochus nouercam adamauit.

Eodem lib. cap. 19.

94. Cúmque quæstionem hanc tractaturus exemplum in eo posuisset, qui baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus ad quem perueniri nõ possit vt lauacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. *Cur*, inquit, *si custodes isti vt nos ad baptizandum hominem admittant stupro allici possunt, non facimus contraria castitati, & si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati; cùm procul dubio nulli esset fideliter amabilis castitas, si non eam præciperet veritas? Proinde vt perueniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc iubet veritas. Sed quomodo iubeat veritas vt homo baptizetur esse mentiendum, si non iubet castitas vt homo baptizetur, esse mœchandum? cur autem hoc non iubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Si ergo nisi quod veritas docet, facere non debemus, cùm veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium est castitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem, quod ipsi est contrarium veritati? Sed sicut oculi ad intuendum solem parum firmi, ea tamen quæ à sole illustrantur, libenter intuentur: sic animæ iam valentes delectari pulchritudine castitatis, non tamen omnino per seipsam considerare veritatem, vnde luces castitas, possunt: vt cùm ventum fuerit ad aliquid faciendum, quod aduersum est veritati, ita refugiant & exhorreant, quemadmodum refugiunt & exhorrent, si faciendum aliquid proponatur quod aduersum est castitati.* Hæc ex aureo illo libello qui si vel vnus ex Augustini calamo prodiisset, authorem suum inter maximos Ecclesiæ proceres accensere potuisset.

Cap. 10.

95. A quo priusquam discedimus remitto tibi percunctationem illam sane molestam, quæ te vehementer angebat; ecquid etiam peierandum putes, si quem mendacio tuo seruare cupis incolumem, non sit iniurato crediturus. Hoc, inquam, tibi totum remitto verbis Augustini dixisse contentus. *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finésque constituant quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi estis fontes lacrymarum? & quid faciemus? quo ibimus? vbi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solùm negligimus cauere mendacia, sed audemus insuper docere periuria?* Quid hoc loco censes, Amphiloge? Amphil. Mihi verò nondum liquet, quid respondeam. Quare tantisper dum Pseudagoras noster perorauerit, iudicium sustinebo. Phil. Eum igitur cætera persequentem audiamus.

XIV. *An falsum enuntiare liceat seclusa voluntate fallendi.*

96. Pseud. *Mendacium* est (vt definit Augustinus lib. contra Mendac. ad Consentium, cap. 12.) *falsa significatio cum voluntate fallendi.* Et si Theologiæ disputatricis antistitem audimus, *Obiectum proprium manifestationis, siue enuntiationis, est verum vel falsum: intentio vero voluntatis inordinatæ potest ad duo ferri, quorum vnum est vt falsum enuntietur: aliud est effectus*

2.2. q. 110. art. 1. in C.

proprius falsæ enuntiationis vt scilicet aliquis fallatur. Si ergo ista tria concurrant, scilicet quod falsum sit id quod enuntiatur: & quod adsit voluntas falsum enuntiandi, & iterum intentio fallendi: tunc est falsitas materialiter, quia falsum dicitur: & formaliter, propter voluntatem falsum dicendi & effectiuè, propter voluntatem falsitatem imprimendi. Præclarè omnia, nisi motum voluntatis ad falsitatem inordinatum diceret, quod positum est in quæstione. Iam inficiabitur nemo materialem illam falsitatem, cùm quis falsum credens id esse verum enuntiat, culpa vacare, cùm & præter dicentis intentionem proferatur, nec perfectam habeat rationem mendacii. Restat igitur vt si qua mendacium peccati labes inficit, ea ex intentione falsitatis, vel enuntiandæ, vel eiusdem aliorum mentibus imprimendæ profluxerit; atqui ex neutro capite peccati labes in mendacium redundat: non est igitur inhonestum natura sua mendacium.

97. Quærit Augustinus quæst. 145. in
Gen.44.15. Genesim, quid sibi velit quod ait fratribus suis Ioseph: *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* quibus iam ante per procuratorem suum dici præceperat.
vers.5. *Quare reddidistis bonum pro malo? Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis*, atque vt omnem à Iosepho culpam amoliatur, in hęc verba
Iocosa mēdacia. respondet. *An quia non seriò, sed ioco dictum est, vt exitus docuit, non est habendum mendacium? Mendacia enim à mendacibus, seriò aguntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt, tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia.* Et sanè, quæcunque libris de mendacio, & contra mēdacium disputauit, nullam iocosis mendaciis maculam aspergunt: hæc enim disertis verbis excepit;
Libr. de mendacio, cap.2. *Quæ nunquam, vt ait, sunt putata mendacia, habent enim euidentissimam ex pronuntiatione atque ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis: quo genere vtrùm sit vtendum perfectis animis, alia quæstio est, quàm modo non enodandam suscepimus.* E quibus liquet ea quæ per iocum falsò dicuntur adeo secundum Augustinum non inter peccata numerari, vt nisi fallendi voluntas accesserit, ne mendacia quidem censeantur.

Metaphora & allegoria. 98. Etenim si etiam citra fallendi voluntatem sola falsi significandi voluntate peccatum admittitur, non video cur qui fluctuare segetes, gemmare vites, florere iuuentutem, Reip. nauem in seditionum salo fluitare, & alias huiusmodi translationes vsurpat, ab omni scelere videatur immunis, neque enim fluctus, gemmas, florem, nauim, salum in his rebus inueniet, in quas hæc aliunde trāslata sunt. Si sola falsi enuntiandi voluntas peccatum est, peccat Spiritus sanctus, quoties vocem sensu planè contrario per antiphrasin vsurpat, vt cùm is benedixisse Deo dicitur, qui maledixit, cùm meretrix קדשה *hakkedeschah, sancta*: pa- Antiphrasis.
thicus & effœminatus קדש *kodesch, sanctus*, 3.Reg.14.24. & frequenter alibi nuncupatur. peccat quoties aliquid effert εἰρωνικῶς, vt Genes.3.22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Quid Ioannes Apostolus? an peccasse credendus est, cùm hanc Euangelio suo coronidem apposuit: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros?* Si orationem ip- Hyperbole.
sam spectes, falsum enuntiat: arbitrari enim se dicit, quod sibi conscius est se non arbitrari. Si animi inductionem, aberat omnis Cap.23.
fucus & fallacia. *In hoc enim*, inquit Seneca lib.7. de Beneficiis, *omnis hyperbole extenditur, vt ad verum mendacio veniat. Itaque qui dixit,*

Qui candore niues anteirent, cursibus auras:

quod non poterat fieri dixit: vt crederetur quantum plurimum posset, & qui dixit:

His immobilior scopulis, violentior amne: ne hoc quidem se persuasurum putauit, aliquem tam immobilem esse, quàm scopulum. Nunquam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, vt ad credibilia perueniat.

99. Quid loquar de Fabulis, Apologis, Parabolis, & cæteris eiusmodi figmentis! *Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem, dixeruntque oliuæ: impera nobis*, &c. Iudicum 9. v. 8. *Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem.* 4.Reg. 14.9. Omit- 2.Reg.c.12. & cap.14.
to parabolas quibus Nathan & mulier illa Thecuitis quodam quasi lethargo de- Fabulæ.
mersum Dauidis animum excitarunt, quas Parabolæ.
quantumuis in seipsis planè falsas nemo tamen opinor peccati damnauerit. Sed quid opus est plura falsæ locutionis exempla corradere; cùm ne in ipsis quidem Christi Domini parabolis quæ toto passim Euangelio intextæ sunt, historiæ veritatem inuenire possimus? cùm Ioannes Apostolus contra rei veritatem, margaritas in cœlo, smaragdos, iaspidas, berillos, sardonychos, chrysolithos, & alios eiusmodi lapides collocarit, cùm tota passim scriptura Deo pedes, manus, oculi tribuantur, quæ vsque Mimesis.
adeo falsa sunt, vt etiam hæreticus censea-

tur, qui Deum verè pedes, manus, oculos habere defenderit. Et ne semper in seriis disputatio nostra versetur, mater filiolum ipsis oculis chariorem, ni flere desistat, se lupo tradituram esse comminatur. Nemo vel adeo seuerus & austerus, vt eam peccare, vel adeo fatuus, vt ex animi sui sententia loqui putet, meritoque ridetur ab Æsopo lupus ille stolidus qui auditis huiuscemodi comminationibus præstolabatur ad fores, & expeditis ad prædam rictibus inhiabat.

Comminationes.

100. Scio quod velum soleat his aliisque locutionibus obtendi. Negant subesse mendacium: hæc postrema comminatoriè dicta concedunt: in superioribus translationem, ironiam, antiphrasim, hyperbolem, mimesin, anthropopathiam agnoscũt: quiduis denique potiùs concedunt, quàm his verbis inesse mendacium. Quasi verò de voculis inter nos, & non de rebus grauissimis disputetur. Non quæritur vtrùm, μεταφορικῶς, ὑπερβολικῶς, μιμητικῶς, μετωνυμικῶς ista dicantur. Sed vtrùm cùm metaphoram, hyperbolem, mimesim, metonymiam vsurpas, aliud mente concipias, aliud voce significes: cùm dicis gemmare vites, florere iuuentutem, segetem fluctuare, primas illas pampinorum eruptiones, ætatis vigorem, culmorum crispationes habes in animo, gemmas, flores, fluctus oratione depromis: cùm ais sine Cerere & Baccho frigere Venerem, panem, vinum, voluptatis illecebras habes in mente, fabulosos harum inuentores rerum lingua pronuntias: Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, cætera diuinitatis attributa cogitatione versas, oculos, manus, viscera, cæteras corporis humani partes sermone declaras.

101. E quibus liquet aliud te clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, ac proinde mentiri. Etenim, vt iam ex Aquinate vidimus, non materiale solùm, sed etiam formale mendacium est, quoties ex certa destinatáque voluntate falsum oratione profertur. Profertur autem huiusmodi locutionibus, vt ex eo compertum est, quòd si quis pro certo naturæ miraculo (quod reuera miraculum est, & si propter assiduitatem non videtur) narraret certam esse Indiæ regionem in qua gemmæ de quibusdam arboribus extuberent, & flores ex humanis corporibus explicentur, orationémque suam cum certa fallendi voluntate vestiret iis circumstantiis, vt veros gemmas, veros flores dicere videretur, eum nemo excusandum putaret à mendacio. Tamen vt aduertit Doctor Angelicus, hæc animi inductio, & falsitatis auditorum mentibus imprimendæ voluntas posterior est, & falsæ locutionis effectus, & pertinet duntaxat ad perfectionem, non ad ipsam essentiam naturámque mendacii. Quid porro fingi potest anterius illa fallendi voluntate ex quo formalis illa falsitas in orationem deriuetur, nisi voluntas loquendi μεταφορικῶς, & cùm primas pampinorum è palmitibus eiectiones, adolescentiæque pubertatem habeas in corde, linguâ gemmas, & flosculos proferendi? Quis autem adeo seuerus, ne dicam superstitiosus, vt figuratas loquendi rationes, vt verborum Tropos, vt Parabolas, Fabulas, Apologos, & cætera veritatis integumenta sceleris aliquando condemnet? Ne tu quidem ipse, Philalethes, quantumuis studio veritatis incensus, nonnunquam extra veritatis rectæque rationis præscriptum exorbitare videare. Maneat igitur illud, quod probandum suscepimus, nudam enuntiandi falsi voluntatem vacare peccato, nisi accersitis aliunde sordibus allinatur.

Voluntas fallendi an pertineat ad essentiã mendacij.

XV. *Vtrum Tropi, Figuræ & Fabulæ sint Mendacia.*

102. PHIL. Equidem, Pseudagora, neque figuras & tropos, neque fabulas, & cætera, vt appellas, veritatis integumenta damnaui, si tamen, vt ais, sint integumenta veritatis, eiusque significationem inuoluant. Sed abs te sciscitor, cur mendacem in corde & corde loqui, siue cor duplex scriptura commemoret? PSEVD. Duplicem mentientis cogitationem Augustinus iam antè laudatus exponit. *Alteram rei quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert: alteram eius rei quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans.*

Mentientis cor duplex.

PHIL. Ignatius Martyr, cùm militibus decem Romam perducitur. Scribit se deligatum esse cùm decem leopardis. Cogitationes duas animo versat: alteram, quam veram esse scit, videlicet milites omni crudelitate ac diritate teterrimos: alteram, quam in vero germanóque verborum sensu falsum esse non dubitat, videlicet hos milites esse leopardos. Quæro iam vtrùm tibi mentiri videatur? PS. Hoc ipsum est quod meis rationibus adstruere moliebar.

130. PHIL. Si inter nos ita conuenerit, vt cum panem dixero, tu vinum, & vicissim intelligas, cùm ignem verbis expressero, tu aquam interpretere, tu me mentitum putabis, cùm tibi sciscitanti ecquid in India rerum agatur, vinum mandùcari, panem potari, æstiuos calores igne

Verba ex instituto. temperari ac terram humectari, lignum iniectis, aquis ardere respondero? Psevd. Equidem non arbitrabor. Ph. Quid si plures in eandem vocabulorum acceptionem consenserint? Ps. Hæc eadem inter se loquentes, haud mentientur. Phil. Quid si alios nostræ conspirationis ignaros affari velim, iisdémque verbis orationem meam ad ipsos conuertero? Ps. Purum dices putúmq; mendaciū. Ph. Quid si hæc eadem literis ad te destinatis commisero, has autem interceperint alii, meóque testimonio persuasi vinum comedi, & illa reliqua crediderint, an me putabis esse mentitum? Ps. Equidem non putabo. Phil. Fallentur nihilo seciùs. Ps. Fallentur omnino. Ph. Atqui nemo fallitur credendo veritati. Ps. Fateor. Ph. Non igitur interceptoribus vera erit oratio hisce literis exarata. Ps. Non erit. Ph. Neque falsa. Ps. Ne falsa quidem.

104. Ph. Mira narras. Sed iam, si placet, vel nosmetipsos, vel asinam cum Balaamo, vel cum Achille & Mezentio equos alloquamur, & quibuscunque verbis dicamus, vel hæc eadem, vel quicquid aliud in buccam venerit, an ex animi tui sententia mendacium proferemus? Ps. Nequaquam. Phil. Dicemúsne quidquam quod ad veracitatem siue moralem veritatem pertineat? Ps. Ne id quidem? Ph. Quæ ratio discriminis, vt easdem voces, iisdem omnino de rebus & eodem modo spectatis vsurpans cum aliis vera dicas, cum aliis, mentiare, cum aliis neque vera dicas, nec omnino mentiare? Ps. Quia videlicet cum verba signa sint rerum ab hominibus ad mutuam Societatem instituta, quibus alteriùs interna cogitatio sensúsque cæteroquin ignotus, & in latebras pectoris abditus in alterius animum transfunditur, parum aut etiam nihil omnino refert quibus verbis animi tui sensa traiicias, dum tua ipsius cogitatio, quam veram esse scis, vel putas, auditorum animis imprimatur: siue pro pane vinum, pro aqua ignem appelles, inter quos ita conuenerit. Quod si pactum peculiare nullum intercedat, veracitas moralis exigit, vt verbis vtare communibus, nec tuo ipsius sensu, sed prout à populo sunt instituta.

Cum bestiis nemo mentitur.

105. Cùm autem omnis significatio, quæ morali veritati mendacióque subiecta est, & sit intelligentis, & ad intelligentem dirigatur, si quisquam tuas ad me literas nostro peculiari sensu conscriptas interceperit, aut nobis ex condicto colloquentibus aures curiosiùs applicuerit, & in errorem inductus fuerit, errorem hunc temeritati suæ, non tuo debet imputare mendacio, vt si quis, aut Latini sermonis ignarus, aut etiam omnino surdus te de rebus diuinis Latinè disserentem vana & futilia loqui temerè iudicaret. Neque si tecum ipse, vel etiam cum brutis animantibus, aut etiam rebus inanimis loquare, aut verum dices, veritate morali, aut etiam mentiere, quia nullam cogitationem ex animo tuo in tuum ipsius animum transfundis, & omnia rationis expertia vim intelligendi non habent, qua voluntariam & ex humano pendentem instituto verborum significationem intelligere possint, & signa cum rebus ipsis, ac loquentis cogitationibus comparare.

106. Phil. De cæteris in præsentia non disputo: illuc reuertor. Si mihi tecum ita conuenerit, vt cum leopardum, hominem ferreum, aut etiam ferro duriorem dixero, tu neque leopardum, neque ferrum, sed hominem crudelem intelligas, me videlicet mentitum putabis, cùm hominem admodum crudelem his nominibus affecero? si conuenerit, vt cùm equos audies fuisse,

Qui candore niues anteirent, cursibus auras, Hyperbole.

Tu maximam quidem equorum velocitatem, sed non quantum verba præseferunt, interpretere, eum tu mentitum putabis, qui maximam equorum celeritatem nobis exhibuit, non nudam illam quidem, sed illis hyperboles integumentis adumbratam? Psevd. Ego sanè non putabo: sed inter eos duntaxat, qui de verborum vsu consenserint? Phil. Quid si decem inter se conspirauerint? Psevd. Nec illi decem inter se mentientur. Phil. Quod si mille, aut etiam populus vniuersus? Ps. Ne illi quidem. Phil. Quid si omne genus humanum de hoc translationum, aut hyperbolarum fabularúmque vsu consentiat? Psevd. Ego verò fatebor hunc naturæ totius esse consensum. Phil. Putásne Græcos cùm Æsopi Fabellas audiunt, cùm λεοπάρδοις, cùm Equos

Λευκοτέρους χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοίους.

Magis falli, quàm Latinos cùm easdem Fabulas verbis Latinis expressas, leopardos, equos niue candidiores, vento velociores iisdem in circumstantiis audiuerint? Quid si hæc eadem verbis Iaponicis, Sinicis, Gallicis, Germanicis, Hebraïcis proferantur? magísne fallent? Psevd. Non.

107. Phil. Vide quantæ res tua responsione confectæ sint. Mendacium formaliter in falsitatis enuntiandæ voluntate consistit,

Voluntas fallendi quomodo se habeat ad mendacium.

sistit, quod S. Thomæ concedimus, neque tamen repugnamus Augustino, qui sine voluntate fallendi negat cogitari posse mendacium. Etsi enim sola falsitatis enunciandæ voluntas ad mendacii naturam, atque essentiam pertinet, ea tamen tacitam eiusdem falsitatis auditorum animis instillandæ voluntatem inuoluit. Ad veritatem porro nihil refert, quibus verbis cogitationem tuam, quam tu veram esse putas, aliorum animis instilles, dummodo quos affaris, ij tecum de orationis tuæ significatione conuenerint. De verbis possunt inter se vel pauci quidam, vel vniuersus populus, qui loquendi magister est, conuenire: de figuris ac tropis communis naturæ consensus, siquidem verba ex humanis titulis instituti, figuratæ locutiones ex ipsis naturæ fontibus hauriantur, ac proinde falsæ non erunt, nisi aliunde vitientur.

108. Enimvero qui mentitur & qui figuratas locutiones vsurpat, eò conueniunt, quòd vterque duas cogitationes animo versat, quarum alteram veram, alteram falsam existimat: eò differunt, quòd mentiens posteriorem hanc omnino falsam esse putat, figuratè loquens partim veram, partim falsam arbitratur, falsam si per se ac solitariè spectetur: veram si ad priorem illam cogitationem, cuius ista vicaria est, expressa, solida & eminenti similitudine referatur. Qui mentitur, veram retinet animi recessibus absconditam: falsam exprosmit adumbrata veri simulatione fucatam, vt qui adulteratam pecuniam pro vera, pro auro supponit orichalcum: qui figuratè loquitur, vtramque profert, sed alteram nudam, atque apertam, alteram Hyperbolæ, Parabolæ, Fabulæ, Translationis, & aliam eiusmodi siue troporum, siue schematum integumento velatam, vt qui aurum exhibet crumena inclusum, aut Regis imaginem linteo inuolutam. PSEVD. Me iterum circumuenisti, Philalethes, sed vis vt ego par pari referam, téque vicissim meis interrogatiunculis irretiam? PHIL. Age sanè: prægestit enim animus tuas istas argumentorum tendiculas & verborum aucupia propiùs intueri.

Figuratæ locutionis & mendacii discrimen.

XVI. *An liceat in ambiguis significationibus directè aliorum deceptionem intendere?*

109. PSEVD. Omnes omnino Theologi, si vnum duntaxat & alterum excipias, fas esse docent certis locis ac temporibus ambiguas locutiones adhibere. PH. Non assequor. PS. Putas me magnum aliquid dicere: hoc volebam. Mulier adulterii tibi conscia rogatur à marito ecquid adulterium admiserit, aut qui sacris eius confessionibus præest, ecquid mulierem audierit id flagitii confitentem. Qui sic interrogatur, potest vel generoso mendacio, vt ego quidem arbitror, vel suppressione ac restrictione mentali, quod plerique malunt, vel ambiguitate responsi, quod fatentur omnes, præter Sepuluedam & Barnesium, potest, inquam, importunum & malè feriatum sciscitatorem ancipiti responso eludere. Quid censes? PH. Hoc esse faciamus, ne si disputare singula velimus, nox priùs diem adimat, quàm nostra disputatio finiatur, ita tamen vt si quando mihi tecum res erit, Amphiloge, mihi sit integrum liberalitatem hanc meam reuocare. AMPHIL. Næ tu valdè confidens, Philalethes, qui iudicem tuum, quem muneribus corrumpere debuisti, & vltrò lacessis & tenacitate offendis. Sed hæc postea viderimus, nunc ad quæstionem.

Æquiuocationes.

110. PS. An igitur honestum putas in ambiguis huiusmodi locutionibus deceptionem audientis intendere? PH. Negant omnes Theologi, quorum ego sententiam libens amplector. PS. Quanam igitur animi inductione, qui sic interrogatur, responsiones ambiguas vsurpat? PH. Vult iniustam redimere vexationem, periculúmque depellere. PS. Periculum depellet, nisi crimen celarit? PH. Minimè. PS. Crimen mulier celabit séque ab adulterio probabit alienam, nisi maritum interrogantem ambigua responsione deceperit. PH. Ne id quidem. PS. Igitur effectus ad quem ambiguæ responsiones re ipsa per se ac primariò diriguntur, est interrogantis deceptio. PH. Imò Pseudagora, longè aliud intendit reus, aliúmque scopum sibi proponit, quo ad finem siue salutem expediendam destinato collineet. PS. Quid illud? PH. Aliud est velle occasionem subministrare ex qua præuideatur error in alterius animo secuturus, aliud ipsum errorem intendere: vult illa occasionem erroris marito suggerere, non vult autem eum in errorem inducere. PS. Metaphysicè quidem hoc dicitur & distinguitur, sed vt Laurentius de à Ponte sapienter aduertit, in praxi, quod vult mulier, est falsam opinionem marito ingerere, vt eius offensionem effugiat, suamque redimat vexationem. In Sap Salom. c. 1. digress. 13. n. 9.

111. Vis & ex eodem aliud exemplum? Iosue ex Dei præcepto milites in insidiis ad vrbem Hai collocauit fugámque simulauit. Quæro quid intenderit per illam Ios. 8.

fugam efficere? PHIL. Celare secretum. PSEVD. Quodnam? PHIL. Milites in insidiis collocatos. PSEVD. Cur eos celare desiderat? PHIL. Vt insciis Haitis vrbem à tergo inuadant propugnatoribus destitutam. PSEVD. Destituetur, nisi Haitæ longiùs ab vrbe protrahantur? PHIL. Non. PSEVD. Protrahentur nisi vt Israelitis fugientibus insistant, eósque fusos ac palabundos persequantur? PHIL. Nec illud. PSEVD. Persequentur nisi reuera fugere crediderint timore perculsos? PHIL. Non oppidò. PSEVD. Hoccíne credent nisi fuerint illa fugæ simulatione decepti? PHIL. Nequaquam. PSEVD. Ergo deceptio Haitarum est vnicum medium, quo longiùs ab vrbe protrahantur, eámq; relinquant flammis hostilibus vstulandam. PHIL. Negare non possum. PS. Quoties vna duntaxat via sine medio potest ad finem aliquem perueniri, fierine potest vt qui finem efficaciter intendit, non simul & semel eadem intẽsione & efficacitate ad medium illud collineet, sine quo finis nõ potest obtineri? PH. Neminem hactenus aut Theologorum aut Philosophorum vidi qui fieri posse concederet. PS. Ergo eo ipso quòd Iosue voluit hostem ad persequendum allicere, vrbémque defensoribus orbatam per milites in insidiis positos occupare, quod licitè & ex Dei præcepto fecit, simul & semel hostium deceptionem intendit, vt vnicum & singulate medium intentione finis intrinsecè & essentialiter inclusum.

Iosue insidiæ.

112. PHIL. Equidem vix habeo quod respondeam. Quia tamen communem omnium Theologorum authoritatem priuatis nostris ratiociniis antepono, è disputationis pomœrio depulsus ad superiorem illam distinctiunculam, velut ad arcem receptum habeo, dicóque non id directè spectare Imperatorem vt hostes decipiat atque in errorem inducat, sed vt ansam erroris subministret quâ illi prehensâ seipsos in errorem inducant, quemadmodum Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, non quòd eius voluerit obdurationem, sed quòd occasiones ei suggesserit, è quibus præuidebat fore vt obduratio sequeretur. PS. Mirabilis iterum & ad tenue limata subtilitas. Sed quid tandem caussæ est cur tu cæterique Theologi, quorum equidem consensum etiam ipse venerot, opinionem hanc, quam adstruere molior, non animis tãtùm, sed etiam auribus respuatis? PHIL. Quia videlicet alterum decipere per se malum est, idque intendere naturali lege prohibemur. PS. Qua tandem? PHIL. Quia id est contra bonum societatis humanæ, & quod nobis fieri nolumus, alteri facere prohibemur.

113. PS. Licétne vel hostem publicum in bello iusto interficere, vel insidiatorem in via, si tuam ipsius salutem aliter expedire non possis? PH. Quidni liceat? cùm moderamine tamẽ inculpatæ tutelæ, vt Theologi loquuntur. PS. Tu ipse, si vel bellum iniustum inferres, vel insidias in viatoris vitam comparares, velles vel ab hoste publico, vel à viatore interfici? PH. Nollem profectò. PS. Cur igitur quod tibi fieri nõ vis, alteri faciendum putas? PH. Quia videlicet iniustum grassatorem occidens nullam ei facit iniuriam, & eadem lex naturalis, quæ me facere prohibet alteri quod mihi fieri nolim, exigit vt quod alteri facere moliot iniustè, id mihi iustè fieri non recusem. PS. In his igitur circumstantiis licebit telum certo determinatoque ictu vel in hostem publicum, vel in insidiatorem destinare si nullum aliud medium occurrat, quo tuam ipsius salutem possis in tuto collocare? PH. Licebit omnino. PS. Faciamus duas tantùm repræsentandæ propriæ salutis occurrere rationes, vt videlicet, vel interficias latronem, vel eum ambiguitate responsionis in errorem inducas. PH. Faciamus. PS. Si latronis optioni relinquas: vtrum eliget è duobus? PH. Profectò si alterutrum sit oppetendum, decipi potiùs eliget quàm interfici. PH. Si te consulerem, vtrum mihi faciendum suaderes in hoc rerum discrimine, secundum ordinem charitatis? vtrùm, inquam mihi suaderes hostem perimere, an in errorem ambiguitate vocis impellere? Tu ipse quid faceres in eas redactus angustias? PH. Næ deciperem potiùs quàm occiderem? PS. Ergo falsam opinionem in alterius animum insculpere non semper, & ex se est naturæ contrarium, & contra commercium humanum: imò aliquando multum conferens & secundum charitatis ordinem, vt infert idem qui suprà Laurentius de à Ponte. PH. Apparet. PS. Cur igitur aliquando non liceat decretam habere fallendi voluntatem, & certa determinataq; animi inductione verbis ambiguis vti, vt error in hostium, vel latronũ animis imprimatur.

An deceptio sit secundum se contra bonum societatis humanæ.

114. PH. Equidem hiscere contrà non possum. Malo tamen inscitiam meam confiteri, quàm à communi Theologorum opinione discedere. Sed volo vicissim vti mihi respondeas: si sciam insidiatorem mihi quicquid dixero non esse crediturum, imò crediturum omnia contraria, eúmque dicendo veritatem voluero in fraudem inducere, putabisne hanc latronis fallendi voluntatem ad mendacium pertinere? PS. Equidem non putabo. Qui enim fieri pos-

ſit, vt qui verum dicit, is fallendo mentiatur? Ph. Et merito quidem. Nam vt tuus ille Laurentius ibidem annotauit, malitia mendacii quæ conſiſtit in deordinatione vocum cum æſtimatione & conceptu, dicit oppoſitionem ad conceptum proferentis, & non ad conceptum interrogantis: adeo vt inordinatio & falſitas opponere ſe debeat æſtimationi meæ, ita vt voce proferam aliter quàm intus ſentio, & non conſiſtit in deordinatione cum alterius conceptu, niſi aliunde tenear rite & rectè reſpondere, vt iudici legitimè interroganti. Siue igitur aliquando licet directam habere fallendi voluntatem, ſiue nunquam licet, inde non probas aliquando licitum eſſe mendacium. Quare cùm vt tute fateris cætera confutata ſint argumenta, poſtremum iſtud nihil pertineat ad propoſitam quæſtionem, nihil adhuc abs te dictum eſt quod euinceret quibuſdam locis ac temporibus honeſtum eſſe mentiri.

XVII. *Probatur à magnorum ſcriptorum authoritate aliquando licitum eſſe mendacium.*

115. PS. At certè id euincet magnorum virorum authoritas, quod tertium erat diſputationis noſtræ caput. Ph. Audiamus teſtes fide digniſſimos contra veritatem pro mendacio productos. Ps. Ordiar à poëtis, quos diuinus ille Plato

1. Lib. 2 de Rep. 2 In Lyſide. 3. in Ione. θεῶν παῖδας, [1] *Deorum filios*, τοὺς πατέρας τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνας: [2] *Patres ac Duces ſapientiæ:* ἱερὸν χρῆμα, [3] *rem ſacram:* ἑρμηνεῖς θεῶν, *Deorum interpretes* eſſe cenſuit, adeoque non ipſos loqui poëtas, ſed deos à quibus occupantur. Ab eorum antiſtite Vlyſſes, quem politicæ prudentiæ proponit exemplum, vbique

Ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Poëtarum teſtimonia de mendacio. *Falſa loquens permulta ſimillima veris,*

imò & eo mendacior Achilles inducitur, vt multis probat Socrates in Hippia minore, inter cætera munera quæ ſinguli dij Pandoræ contulerunt,

Ψεύδεά τ' αἱμύλιοί τε λόγοι καὶ ἐπίκλοπον ἦθος,

Sermones blandi, mendacia, córque doloſum

ab Heſiodo numerantur. Omitto Piſandrum, Diphilum, Euripidem in Excerptis Ethicis, à Stobæo laudatos. Menandrum certè cuius aliud teſtimonium Apoſtolus conſecrauit, ne quis huiuſmodi teſtes in Theologia reſpuat, omittere non poſſum.

Κρεῖττον δ' ἐλέσθαι ψεῦδος ἢ ἀληθὲς κακόν.

Vero, inquit, *nocente potius eſt mendacium.*

Apud Timantem Pythagoreum cap. de iuſto & iniuſto. Cleobulina neſcio quem κλέπτοντα καὶ ἐξαπατῶντα commendat, & Æſchylus,

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

Deus ipſe iuſto non deeſt mendacio.

Ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅπῃ τιμᾷ θεός.

Mendaciorum tempus aliquando Deus honorat.

116. Dies me deficiat volentem Latinorum teſtimonia producere. Quare, ſi placet, ad Philoſophos veniamus. Nolite tamen expectare dum exhibeam Cyrenaicos & Epicureos, qui omnes vitæ ſuæ rationes è ſuis commodis aut voluptatibus ſuſpenſas habuerunt, aut Pyrrhonios & recentiores Academicos qui omnem veri comprehenſionem è vita penitus ſuſtulerunt, omnes mihi facilè conceſſerint Pythagoreos, Platonicos, Stoicos, Peripateticos omnium Philoſophorum grauiſſimos extitiſſe. Pythagoreus proximè laudatus, αἰ γάρ, inquit, δέοι τὸν πατέρα ἢ τὰν ματέρα φαρμακόν τι ἐγχαταφαγεῖν, καὶ μὴ θέλοι, οὐ δίκαιόν ἐστι καὶ ἐν τῷ ῥοφήματι καὶ ἐν τῷ ποτῷ δόμεν, καὶ μὴ φάμεν ἐνῆμεν; *Si enim patrem aut matrem oporteat ſumere medicinam, & nolit, nonne iuſtum eſt, & in ſorbiuncula, & in potu dare, ac dicere non eſſe?* ὥστε ἤδη ψεύδεσθαι καὶ ἐξαπατᾶν τοὺς γονέας δίκαιον, *Igitur & mentiri & parentes decipere iuſtum eſt.* Plato libro ſecundo de Rep. exeunte. τὸ ἐν τοῖς λόγοις ψεῦδος, *Mendacium quod in verbis reperitur aduerſus hoſtes & amicos furioſos*, ὡς φάρμακον, *velut medicinam vtile eſſe* defendit. & libr. 3. ineunte medicis permittit: *Et Rempublicam*, inquit, *adminiſtrantibus præcipuè. Si quibus alijs προσήκει ψεύδεσθαι, mentiri conuenit, vel hoſtium, vel ciuium cauſſa*, ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως, *ad vtilitatem ciuitatis. Reliquis autem à mendacio abſtinendum eſt. Sed aduerſus huiuſmodi principes priuatum mentiri, idem ac maius peccatum eſt, quàm ægrotum mentiri erga medicum, vel ſe exercentem erga ludi magiſtrum circa ſui corporis vitia*, &c.

Philoſophorum. Pythagoreorum. Platonis.

117. Cambyſes apud Xenophontem Cyro filio tradens præcepta rei militaris ait imperatorem aduerſus hoſtes oportere ἐπίβουλον εἶναι, καὶ κρύψινον, καὶ δολερόν, καὶ ἀπατεῶνα, *eſſe & inſidiatorem, & mentis occultatorem, & fraudulentum & veteratorem.* Et lib. 4. Memorab. ineunte. *Quid igitur*, inquit Socrates, *ſi quis Imperator deiectis animis eſſe copias ſuas videat, & conficto mendacio dicat aduentare ſocios*, καὶ τῷ Lib. 1. Cyri inſt. exeunte.

Xenophōtis. *ψεύδει τούτῳ, atque hoc mendacio militibus animi defectionem adimat, quanam ex parte fraudem hanc collocabimus? Videtur mihi, inquit Euthydemus, ad iustitiam referenda. Si quis autem filium suum indigentem vsu pharmacorum, & pharmacum respuentem ita deceperit, vt pharmacum ei det loco cibi,* καὶ τῷ ψεύδει χρησάμενος οὕτως, *eóque vsus mendacio valetudini eum restituat: hæc item fraus vbi erit collocanda? videtur, inquit, ea quoque mihi eodem referenda.* Maximi Tyrij. Maximus Tyrius dissertat. 3. ne Deo quidem indignum putat esse mendacium. *Nec enim, inquit, res per se præclara est verum dicere, nisi id cum vtilitate fiat eius qui audit. Ita sæpe medicus ægros, dux exercitum, gubernator fallit nautas,* καὶ δεινὸν οὐδέν. nec hoc in iis reprehenditur, ἀλλ' ἤδη καὶ ψεῦδος ὤνησεν ἀνθρώπους, καὶ τἀληθὲς ἔβλαψεν. *Sed mendacia sæpe prosunt hominibus, nocet contra veritas.*

118. De Stoicis Fabius lib. 12. Institut. Stoicorũ. orat. cap. 2. *Stoicorum quoque asperrimi confitentur facturum aliquãdo bonum virum, vt mendacium dicat.* Stobæus in Ecl. Eth. breuiario dogmatum Zenonis ac Stoicorum: *Non mentiri sapientem dicunt, sed in omnibus verare.* οὐ γὰρ ἐν τῷ λέγειν τι ψεῦδος τὸ ψεύδεσθαι ὑπάρχειν, ἀλλ' ἐν τῷ διαψευστῶς τὸ ψεῦδος λέγειν, καὶ ἐπὶ ἀπάτῃ τῶν πλησίον. *Non enim in eo quòd quis mendacium dicat, mentiri constituunt; sed in eo quod quis mendaciter, & fallendi proximos animo dicat mendaciũ. Mendacio tamen vti varijs modis posse censent absque assensu, vt in militia contra hostes aut alia necessitate.* Aduersus Mathemat. Adstipulatur Sextus Empiricus affirmans ex mente Stoicorum non mentiri sapientem, eo quòd nec assentiatur mendacio, nec illud ex mala proferat animi inductione, vt aduersus hostes Stobæus tit. 11. ægrotos, & alios eiusmodi. Quanquam in rebus suis, & vbi non agitur aliorum vtilitas aut necessitas, à mendacio penitus abhorrent, & τὸ εἰρωνεύεσθαι φαῦλον εἶναί φασι. *ironia siue dissimulatione vti malum esse defendunt.*

Aristotelis. 119. Quam Aristoteles Stoicis hac in parte liberalior, ab animi magnitudine quam οἷον κόσμον τινὰ τῶν ἀρετῶν, *quasi quoddam virtutum ornamentum* appellat, non 7. Ethic. Nicomac. putat alienam. *Magnanimum,* ἀληθευτικὸν πλὴν ὅσα μὴ δι' εἰρωνείαν εἴρωνα δὲ πρὸς τοὺς πολλούς. *Veracem, nisi vbi dissimulanter loquitur, est autem dissimulator in vulgus.* Et Eustratius eius interpres non solùm Philosophus & Peripateticus, sed etiam Christianus & Episcopus disertis verbis probat aliquando laudandum esse mendacium. Quid Rhetores cùm orationis hilaritatem præcipiunt mendaciunculis aucupari? cùm honesto & misericordi mendacio saluti esse Cic. pro Ligario c. 3 Fabius lib. 12 c. 2 ciuibus calamitosis? Nosti cuius ista verba sint, vt superuacaneum sit testes producere.

120. Venio nunc ad Christianos. Chrysostomus tum alibi frequenter, tum lib. 1. de Sacerd. exeunte, multis rationibus eandem de mendacio doctrinam inculcat. Orat. de pœnitentia laudat Raab meretricis mendacium. Πρῶτον μὲν, inquit, οἰκοδομεῖ τὴν ἀλήθειαν, καὶ οὕτως εἰσάγει τὸ ψεῦδος. *Prius quidem veritatem ædificat, deinde mendacium inducit. Nequaquam enim mendacium ex se creditur, nisi praeueniens veritatẽ ostenderit. Propterea qui probabiliter mentiuntur, prius vera fatentur atque omnibus manifesta, deinde mendacium inducunt ac dubium.* Tum exposito Raab mendacio, ὢ καλοῦ ψεύδους, inquit, οὐ προδιδόντος τὰ θεῖα, ἀλλὰ φυλάττοντος τὴν εὐσέβειαν. *O pulchrum mendacium! ô bonum dolum diuina non tradentem, sed pietatem custodientem!* Omitto quos refert & sequitur Hieronymus, Origenem, Apollinarem, Eusebium Emisse- In epist. ad Galat. c. 2. num, & alios, qui quandam in proferendis officiosis mendaciis œconomiam & dispensationem agnoscunt. Omitto Cassianum collat. 17. multis capitibus ista fusissimè disputantem. Omitto Heliodorum libr. 1. Æthiop. hoc ipsum verbis conceptissimis asserentem. Quid enim opus est Patrum seriem contexere? Augustinus quæstione 68. in Leuiticum. *De mendacio, inquit, pene omnibus videtur, quòd vbi nemo læditur, pro salute mentiendum est.*

121. Inter Theologos Scholasticos, quicumque Deum de potentia, quam vocant absolutam, falsum dicere posse confirmant, necesse est vt quibusdam locis ac temporibus mendacium sine peccato proferri posse fateantur. Ij sunt nec pauci, nec obscuri quia doctissimo Suare, disputat. 3. de fide. §. 5 n. 3. referuntur, Gabriel, Petrus de Al- Hugo Grotius lib 3. de iure belli & pacis, cap. 1. liaco, Holcot, & Adamus, quibus addi possent, & cæteri Nominales, qui, vt notat Emonerius lib. de Æquiuocationibus, c. 2. Alc. consilio circa materiam duelli, l. 5 resp. refellens calumnias Barnesij, mendacium intrinsecè malum esse minimè censuerunt. Inter Iurisconsultos Alciatus, Grotius, Bodinus affirmant multa incidere tempora, & lib. de singul. cert. quibus omni diuino humanóque iure ius fasque sit mentiri, vt omittam Iouianum Bodinus l. 4. Dæmonomaniæ, c. 1. exeunte. Pontanũ, Balæum & Burlæum qui ab eodem Emonerio referuntur. E quibus aduertis non solùm Poetas, sed etiam Philosophos Platonicos, Stoicos, Peripateticos, Patres, Scholasticos, veteres, recentiores, Oratores & Iurisconsultos in eandem

conspirare de mendacio sententiam.

122. Ph. Egregios verò testes Poëtas, quos tantopere commendat Plato, tamen teniis redimitos, delibutos vnguentis è sua ciuitate, tanquam errorum magistros eliminat. Sed age, Pseudagora, tu qui fabis interdum vesceris, si quis tibi caput patris apponeret, eo vescerere? Ps. Absit. Ph. Tamen si Pythagoram audimus,

Ἶσόν τοι κυάμους τρώγειν κεφαλήν τε τοκῆος.

Est æquale fabis vesci cerebróque parentis.

An si Reip. gubernacula tractares, in eam facultatum omnium, imò & vxorum communitatem induceres? Ps. Bona verba quæso. Ph. induxit Plato. An tibi ipsi mortem accersendam putares? Ps. Ah! meliùs ominare. Ph. Tamen id Stoici non indignum sapiente suo censuerunt. An abundante ciuium multitudine mulieribus grauidis fœtum priusquam animaretur, medicamentis abigere, aut etiam natos si mutili
1 Po icic. cap 16. li fuissent, interficere suaderes? Ps. Ah! odio me iam enecas. Ph. Duas tamen leges ferendas putauit Aristoteles, de susceptione & educatione liberorum, alteram: μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν. *Ne quid mancum, aut debile alatur*, Alteram his verbis concepit. *Propter multitudinem autem liberorum, ne plures sint quàm expediat, si morum instituta & leges vetet procreata exponi, definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum. Quòd si quibus inter se copulatis & congressis, plures liberi quàm definitū sit, nascantur, πρὶν αἴσθησιν καὶ ζωὴν ἐγγενέσθαι, ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν. Priusquā sensus & vita inseratur, abortus est fœtus inferendus.* τὸ γὰρ ὅσιον καὶ τὸ μὴ, διωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τῷ ζῆν ἔσται. *Quid enim pium ac religiosum sit, sensu & vita circumscriptum ac definitum erit.*

123. Ps. Sed quorsum ista? Ph. Quorsum? ὦ πόποι, vt intelligas veterum authoritatem tanti non esse faciendam, vt debeant nobis contra rationem ac naturam ipsam præscribere. Quanquam de cæteris, Aristotele præsertim postea videbitur. illud nunc mirari satis non possum, te cùm tanta diligentia vel potiùs ambitione scriptorum testimonia corraseris, vt ne Bodinum quidem hominem suspectæ fidei, & eius librum nominatim ab Ecclesia damnatum prætèrires, non etiam Lucianum & Machiauellum Atheos, Priscillianistas Hæreticos, & Caluinum eiúsque sequaces, quos quo nomine appellem nescio, protulisse. Narrat enim Bolsecus in vita Caluini cap. 20. eum Euangelii ratio postularet, mendacium & innocentium circumscriptionem in laude posuisse.

124. Ad Patres quod attinet, illud in præsentia dixisse sufficerit eos non tam mendacium probasse, quàm dispensatione quadam & οἰκονομίᾳ, vt Hieronymus loquitur, vel potiùs compensatione tolerandum putasse. Vnus sit instar omnium Cassianus, quem vulgo putant, omnium acerrimum patronum esse mendacii. Is collatione 17. cap. 17. *Quando igitur*, inquit, *graue aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia, ita tamen vt reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur, &c.* Tum de Iacobi mendacio, *Hispidū*, inquit, *fraterni corporis speciē obuolutione pellium simulare non timuit, & instiganti ad hoc mendacium matri laudabiliter acquieuit. Videbat enim ex hoc maiora sibi lucra benedictionis, atq; iustitiæ, quam per simplicitatis obseruantiam conferenda. Non enim dubitabat mendacii huius maculam inundatione paterna benedictionis protinus abluendam, & velut nubeculam quandam flatu Spiritus Sancti velociter absumendam, atque vberiora sibi per hanc affectatitiam simulationem, quàm per illam ingenuam veritatem meritorum præmia conferenda.*

125. Hæc ille, cui cæteri, saltem eorum plerique consentiunt: Rectè an secus, nihil ad nos, aut si ad nos, nihil ad controuersiam quam hodierno die ventilamus. Non enim quæritur vtrùm in peccatis detur compensatio siue vtrùm facere expediat minora quædam mala, vt grauiora fugiantur, aut maiora bona eueniant, quod Cassianus & alii voluerunt, nos in medio relinquimus, sed vtrùm ab omni culpa sit immunis, qui vel consequendi boni. vel mali vitandi studio mentiatur, quod tu videlicet affirmas, ego pernego. Restat, vt quoniam neque tibi communis hominum consuetudo, neque ratio, neque Patrum testimonia suffragantur, ad Sanctorum exempla veniamus. Amphilogus.

Μηκέτι παῖδε φίλω πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον.

Νὺξ ἤδη τελέθει, ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι.

Ne pueri ad pugnam procedite longiùs, ecce

Nox operit terras: æquum est concedere nocti.



DE MENDACIO AC VERITATE

LIBER SECVNDVS.

I. PRÆFATIO.

1. MPHIL. Hesterno die Pseudagoras hominum consuetudine, ratione, Philosophorum ac Patrum dictis conatus est authoritatem conciliare mendacio. Restabat è promissis, vt de Sanctorum exemplis, Deique verborum fallaciam vel iubentis, vel compensantis approbantísque suffragio protinus disputaret. Quia tamen hæc faciliùs explicari poterunt si priùs constiterit nullis vnquam temporibus honestum esse mentiri, pretium vidêris operæ facturus, Philalethes, si priùs quàm Pseudagoram de cæteris audiamus, tuam ipse protuleris de Mẽdacio & Veritate sententiam. PH. Equidem, vt liquidò compertum habeo nullâ temporis locíve circunstantiâ licitum esse mentiri, ita posse mihi videor vetus illud Platonis pronuntiatum ad institutam quæstionem traducere. Difficilè quidem Deũ animo cognosci, sed Oratione longè difficiliùs explicari, vel potiùs omnino verbis explicari non posse. Quid enim Veritatem Deo comparare verear, cùm tantus sit eius splendor, tanta maiestas, eam vt similitudine quadam ad Dei naturam accedere, vel potiùs esse radium quemdam ab ipsa diuinitate libatum sapientes plerique censuerint? Ἀλήθειαν Socrates in Cratylo quasi ἄλην θείαν diuinam vagationem siue quandam emanationem diuinæ naturæ creatis rebus infusam atque Veritatis
omnia permeantem: θεὸν μεγίστην Ἀλήθειαν elogia.
Deã maximam Polybius in Excerptis: Θεῶν πρεσβυτάτην, *Deorum omnium antiquissimam*, ipsámque adeo τὴν τῶν ὅλων φύσιν, *re-* Plutarch.
rum vniuersarum naturam M. Aurelius ap- de Iside &
pellat libro 9. soliloquiorum ineunte. Hanc Osiride.
Persarum Magi [1] Oromasis, quẽ Deorum Stob. serm.
summum putabant, filiam: Oromasem [2] ip- 2. de veritate.
sum corpus luci, animam veritati simillimam habere crediderunt. Et sanè si diligenter attendere voluerimus, non pauca reperiemus in quibus veritas diuinitatem imitetur.

ἐοικέναι τὸ μὲν σῶμα φωτί, τὴν δὲ ψυχὴν ἀληθείᾳ.

II. Veritas cum Deo comparatur.

2. DEus, vt Theologi loquuntur, est ens summe necessarium, &c. actus purus, qui quantus quantus esse potest, re ipsa existit, nullámque potentialitatem (quid enim eorum verba non vsurpem, quorum sententias, vt debeo, veneror?) siue passiuam potentiam inuoluit: cui proinde nihil decedere potest, nihil actualis perfectionis accedere, cùm nulla sit inter οὐσίαν & ὕπαρξιν essentiam existentiámque distin-

ctio. E quibus viri doctissimi diuinitatem argumento necessario demonstrare se crediderunt. Deus, inquiunt, est actus purus ac necessarius per seque existens, neque aliam naturæ diuinæ informare possumus animo notionem; atqui nihil repugnat huiusmodi actum purum in rerum natura reperiri. neque enim hæc duo *actus* & *purus* ita sunt inter se comparata, vt contradictionem implicent, & alterum altero consecutione necessaria destruatur. igitur Deum esse nihil repugnat, ac proinde necessariò Deus existit. si enim non existeret, actus purus non esset, cùm ea sit actus puri notio vt eius actualis existentia, totam, vt sic loquat, possibilitatem siue passiuam potentiam exhauriat.

Deus actus purus & necessarius.

3. Veritatis tanta necessitas est, vt vel eius negotio manifestam contradictionem inuoluat. & secum ipsa pugnans extricare se non possit. Nam si, quod fieri non potest, veritatem nullam vel esse vel ab æterno fuisse statuamus, verum fuit ab æterno nullam esse veritatem. Si verum fuit, ab æterno veritas fuit, ergo si nulla veritas fuit, aliqua veritas fuit, ac proinde planè fatendum est veritatem adeo necessariam esse, vt vel eius negatio se ipsa dissoluat, & inextricabilibus contradictionis ac repugnantiæ laqueis implicetur.

Veritas necessaria.

4. Deus, vt ait Gregorius Magnus libr. 2. Moral. cap. 12. *Quia ipse manet intra omnia: ipse extra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia: & superior est per potentiam, & inferior per sustentationem: exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum sustinens, extrà circumdans, interiùs penetrans: nec alia ex parte superior, alia inferior: nec alia ex parte exterior, alio manet interior: sed vnus idemque totus vbique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens: circumdando penetrans, penetrando circumdans. Vnde superiùs præsidens, inde inferiùs subsistens: & vnde exteriùs ambiens, inde interiùs replens, sine inquietudine superiùs regens, sine labore inferiùs sustinens: interiùs sine extenuatione penetrans, exteriùs sine extensione circumdans, est itaque inferior & superior sine loco: est amplus sine latitudine, subtilis sine extenuatione.*

Deus immensus.

5. Veritas rebus omnibus infunditur: peruadit & permeat vniuersa, subest infimis, supremis incumbit, interiora penetrat, exteriora complectitur. Suo quoque modo nescio quam immensitatem habet, nec maior est in maiore spatio, minor in minore: sed quamuis in indiuisibili consistat,

Veritas suo modo immensa.

---*per omnes*

Terrásque, tractúsque maris, cælúmque profundum,

atque adeo per ipsa, si qua sunt, imaginaria spatia sine extensione diffusa est. vt, si dicere fas est, videri possit veritas aliud esse nihil quàm rebus creatis impressa diuinitas, & verè, iuxta Platonicos ἀλήθεια.

6. PSEVD. Quid igitur? veritatem ϑεοποιόν, noua consecrandam putas, audésque nescio quam diuinitatem rebus creatis inuitis ac reluctantibus obtrudere? PHIL. Ego verò non puto, Pseudagota. Sed ipsissimam Dei naturam & cognitionem, quatenus est rerum idea siue exemplar, veritatem primariam appello, sigillum & characterem qui rebus omnibus creatis impressus est, vel potiùs ex quo res omnes expressæ veritatem in suo genere pro suo quæque modulo sortiuntur. *Conceptio enim diuina* (vt pulchrè Leonardus Lessius libr. 6. de Perfect. diuinis, cap. 4. n. 31.) *quæ singula secundum suas species ab æterno excogitata, & in mente diuina veluti efficta sunt, est omnium mensura, omnium regula & veluti primæuum sigillum omnibus impressum cui omnia sunt conformia, per quam conformitatem singula secundum suas species vera sunt, & dicuntur.* Siquidem à Deo veritas omnis in res creatas, tanquam à primario fonte accersitur, à rebus in cognitionem nostram deriuatur. *Quia* (vt subdit vir eruditus, num. 39.) *veritas rerum est nostræ cognitionis mensura & origo: à nostra cognitione in nostros sermones ac scripta dimanat, quatenus sermones sunt signa conceptuum animi & scripta sermonum. In his ergo cernitur solum veluti extremum veritatis ἀπήχημα, & resultans quoddam vmbratile vestigium.* De qua locutionis ac litterarum veritate præsens est suscepta disputatio. Hane Philo μόνην καὶ ἀληθῆ θυσίαν, *solum & vnicum sacrificium* appellat. Pythagoras, vt auctor est Ælianus, veracitatem ac beneficentiam cum ipsis Deorum immortalium operibus comparabat. Ægyptij, si Plutarchum audimus, malum Persicam veritatis hieroglyphicum Diis offerebant, quòd illius arboris frondes ad linguæ, fructus ad cordis humani similitudinem accederent. Non igitur sola illa rebus omnibus affusa veritas, quam philosophi *transcendentalem* appellant, sed etiam cognitionis atque adeo locutionis veracitas magnum habet cum ipsa diuinitate consortium.

Deus veritas primaria.

Secundariæ veritates.

Lib. quod deterius potiori insidietur.

Lib. var. 12.

Opusc. de Iside & Osiride.

7. Iam si, non dicam Deus pater luminum, eiúsque Verbum posuit tenebras latibulum suum. & lucem inhabitat inaccessibilem, adeóque scrutator maiestatis opprimetur à gloria, sed vt cum Minutio Felice

loquar, *Solem* ipſum, qui tertiæ lucis fons eſt, *qui videndi omnibus cauſſa eſt, videre non poſſumus, radiis acies ſubmouetur, obtutus intuentis hebetatur, & ſi diutius inſpicias, viſus extinguitur.* Equidem non ſine cauſſa vereor vt difficile ſit admodum veritatem ſecundariam illam lucem in diuinæ lucis & corporeæ confinio ſitam propiùs contemplari, cauſſáſque rimari cur nunquam honeſtum poſſit eſſe mendacium, & cùm inuenero verbis exprimere non poſſim, in qua tamen inquiſitione ſi alucinatus fuero, Pſeudagora, me cum Auguſtino

Epiſt. 8 ad Hieron. conſolabor: *Nam vt non dicam nullâ, certè non magnâ culpâ meus error veritati fauet, ſi rectè in te poteſt veritas fauere mendacio.*

III. *Examinantur quædam Scripturæ teſtimonia, quibus probari videtur nunquam licitum eſſe mendacium.*

8. QVibus igitur argumentis probare poterimus veritatem nũquam poſſe ſine ſcelere violari, nec mendacium vllis temporum, locorum, perſonarum circumſtantiis ad officium boni viri pertinere? Sunt qui à Gregorio V. Decretalibus, de vſuris, *ſuper eo*, tanquam fidei dogma definitum exiſtiment. *Cum Scriptura*, inquit, *Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus eſt quis ne etiam pro redimenda vita captiui, vſurarum crimine inuoluatur.* Verùm & ipſe Pontificum reſponſa ſuſcipio, & cum veneratione ſuſpicio, mihi tamen perſuadere non poſſum quicquid ſummi Pontifices ad concluſionum ſuarum probationem Decretis ſuis leuiter adſperſerint, id inter ipſas concluſiones, ac fidei dogmata numerari, & vellem Gregorius ea Scripturæ teſtimonia, quæ etiam pro alterius vita mentiri prohibent, liberaliùs protuliſſet.

Pſal. 5. v. 7. Sap. 1. v. 11. 9. Adfertur è Pſalmis: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* E libro Sapientiæ: *Os autem quod mentitur, occidit animam.*

Apoc. 21. verſ. 8. Ex Apocalypſi: *Timidis autem & incredulis & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Sed quoniam hæc Scripturæ pronuntiata nimis probant, & niſi prudenter intelligantur, plus aliquid à nobis extorquent, quàm ipſa, quam defendimus, veritas, & recta ratio patiatur, ea pro ſubiecta materia, perpenſis omnibus tum antecedentium, tum etiam conſequentium verborum momentis, prudenter interpretari debemus, ne quoduis etiam officioſum iocoſúmq; mendacium putemur æternis ſuppliciis vindicari.

10. Nec ſanè repudiandam putamus eorum interpretationem, quæ his verbis ab Auguſtino concepta eſt: *Omnes quidem perdet Deus qui loquuntur mendacium, ſed non omne mendacium. Eſt enim aliquod mendacium quod tunc inſinuabat Propheta, in quo nulli parcatur, id eſt, ſi peccata ſua quiſque confiteri detrectans defendat ea potius, & nolit agere pœnitentiam: vt parum ſit quia operatur iniquitatem, niſi etiam iuſtus videri volens medicina confeſſionis non ſuccumbat: vt ipſa verborum diſtinctio non aliud indicare videatur, odiſti omnes qui operantur iniquitatem: ſed non perdes ſi pœnitendo in confeſſione veritatem loquantur.* Et paucis interiectis: *Perdes autem omnes qui non ſolum operantur iniquitatem, quod odiſti, ſed etiam loquuntur mendacium, falſam iuſtitiam prætendendo, nec in pœnitentia confitendo peccata.* Hæc Auguſtinus. Addo non penitus omne mendacium, ſed vnum illud quod malignitate, iniuſtitia, iniquitate, quorum ſeries eodem tenore contexitur, implicatum fuerit, tam ſeuera perditionis interminatione prohiberi. *Neque habitabit iuxta te malignus*, inquit, *neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.* — De mendacio, c. 17. inſt. med.

11. Et quod ait Sapiens os quod loquitur mendacium animam occidere, de his duntaxat intelligẽdum puto qui cum murmuratione, ac detractione mentiuntur, & partim vt facilius in auditorum animos influant, partim ne conuincantur mendacii, obſcuros de induſtria ſermones variis calumniarum ambagibus inuoluunt, ſcorpionum inſtar, locum, in quem infixuri ſunt aculeum, antè permulcent ac maledicentiæ ſuæ venenum quodam laudationis melle circumlinunt. De quibus Ioannes Saraſberienſis lib. 7. Polieratici, cap. 17. eleganter. *Illos*, inquit, *Deo odibiliores inter cæteros eſſe crediderim, qui latenti odio vt magis noceant, eiſque credatur fidelius, laudes prædicant alienas, amicitiam ſimulant, ſubiicientes tamen in calce ſermonis vel modicum, quod præcedentibus titulis aduerſetur.* — Detractio artificioſa.

Felix & nato, felix & coniuge Peleus,
Et cui, ſi demas iugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.

Nunquid tanti parricidij labes omnes non modo fortunæ dotes, ſed quamuis magnificos virtutis titulos non obliterat? Tale eſt illud Oratoris: Iulium Fortunatum fateor virum fortem, & quem conſtat geſſiſſe quamplurima,

ma. quo tamen pacto iudicium repetundarum apud Iudices iustos euaserit, mirarer equidem si vis eloquij eius mihi esset incognita.

Sap.1.6. 12. φιλάνθρωπον, inquit, πνεῦμα, *Benignus est Spiritus sapientiæ*, ac proinde malignas huiusmodi calumnias beneuolentiæ specie fucatas execratur, *& non liberabit maledicum à labijs suis*, καὶ οὐκ ἀθῳώσει, neque calumniatorem absoluet, innocentémque declarabit ab iis calumniis ac maledictis, quæ ex ipsius ore exiuerint. Quantumuis enim fucum inducat, amicitiæque colorem obtendat, tamen *renum illius testis est Deus*, & cordis illius scrutator, Ἐπίσκοπος, inspector *verus*, qui nec fallit, nec fallitur,

Sap.1.v.7. *& linguæ eius auditor. Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*: cúmque immensitate sua repleat, & veluti quodam suæ magnitudinis amplexu circumdet & contineat vniuersa, hinc efficitur eum perfectam vocis habere scientiam, eique liquidò compertum esse non modò quid vox & sermo prolatus exteriùs sonet, sed etiam quo quicque animo proferatur.

8. 13. *Propter hoc qui loquitur iniqua non*
potest latere, & quamuis hominum qui in-
timas animi cogitationes penetrare non
possunt, oculos euadat, Deum tamen hu-
manæ mentis atque intentionis arbitrum
non effugiet, *nec præteriet illum corripiens*
iudicium, ἐλέγχουσα ἡ δίκη, iustitia conuin-
cens. Neque solùm *sermonum illius audi-*
9. *tio ad Deum veniet*, sed etiam *in cogitatio-*
nibus impij interrogatio erit, in cogitationes
& consilia impij ἐξέτασις ἔσται, inquiretur,
ad correptionem iniquitatum illius, εἰς ἔλεγ-
10. χον, vt coarguatur eius iniquitas. *Quoniam*
auris zeli audit omnia, Dei videlicet, qui
quasi maritus zelotypus vehementérque
sollicitus, ne vel tantillum de vxoris suæ pu-
dicitia, vel etiam existimatione libetur, ita
grauiter indignatur & animaduertit in eos
qui bonorum famam dente maledico car-
punt, & calumniis arrodunt, Dei, inquam,
auris audit omnia, quæ Sycophantæ vel
mussitant inter se, vel aliorum auribus in-
susurrant, καὶ θροῦς γογγυσμῶν, *& tumultus*
murmurationum non absconditur. Siquidem
huiusmodi clancularie murmurationes
non minùs Deo notæ sunt, quàm si cum
tumultu & aperto conuicio dicerentur.
11. 14. *Custodite ergo vos*, inquit Sapiens,
à murmuratione, quæ nihil prodest, imo plu-
rimùm nocet, *& à detractione parcite lin-*
guæ, siue linguam vestram à calumniis at-
que obtrectationibus abstinete, *Quoniam*
sermo obscurus, & clandestinus, aut etiam

obscuritate verborum inuolutus, & quibusdam laudationum coloratus offuciis, *in vacuum non ibit*, nec erit impunitus, sed à Deo tam intentionis quàm sermonis vindice seuerissimè punietur, vel φθέγμα λαθραῖον κενὸν οὐ πορεύσεται, sermo obscurus non ibit vacuus & inanis, sed perpetuo cum noxa & dispendio proferetur. vnde insignis ille calumniator. Medius apud Plutarchum familiares suos identidem hortabatur, vt gnauiter genuinum maledicentiæ suæ dentem inimicis suis infigerent, quoniam etsi vulnus curaret, qui morsus fuerat, nihilo tamen seciùs calumniæ cicatrix impressa remaneret. Κἂν θεραπεύσῃ τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος, ἡ οὐλὴ μένει τῆς διαβολῆς. & Artabanus apud Herodotum meritò censet calumniam vitium esse teterrimum. Amph. Pergratum vtrique feceris, Philalethes, si ipsa Scriptoris verba melle dulciora protuleris. Ph. Age sanè: Διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον, inquit, ἐν τῇ δύο μέν εἰσι οἱ ἀδικέοντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος. *Grauissimum scelus est calumnia, in qua duo faciunt, vnus accipit iniuriam.* ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων ἀδικέει οὐ παρεόντος κατηγορέων, ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος πρὶν ἢ ἀτρεκέως ἐκμάθῃ· ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τάδε ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθείς τε ὑπὸ τοῦ ἑτέρου, καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι. *Nam & qui calumniatur, iniuriam facit, dum absentem accusat, & qui audit, dum fidem adhibet, priùs quàm compertam habeat veritatem. Qui autem abest à sermone, in his ab vtroque patitur iniuriam quòd ab altero accusatur, ab altero malus habeatur.* Maledicentia. Lib.7.

15. Imò noxæ pars longè maxima redit ac retorquetur in auctores,

Circumretit enim fraus atque iniuria
quemque,
Atque vnde exorta est, ad eum pleram- Lucr.l.5.
que reuertit.

atque, vt, quoniam semel aliena lingua loqui cœpimus, decantatum Græcis adagium vsurpem,

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ
τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κα-
κίστη.
Hic sibi damna parit, socio qui damna
parabat.
Consiliúmque malum res pessima consi-
lianti.

Nam vt qui calumniã patitur bona nominis existimatione: ita qui facit, veracitate, qui audit, veritatis cognitione priuatur: atque adeo frequenter hi duo posteriores, alter obtrectatione ac mendacio, alter teme-

ritate iudicii, nimiáque credulitate Dei gratiam, veram animæ vitam amittunt. E quibus videtis & Chaldæum Paraphrastem Ps. 140. v. 12. Hebraïca verba, quæ Latinis hisce respondent, *vir linguosus* feliciter interpretari, *vir delator lingua triplici*, ac לישן תליתי Latinæ translationis authorem Eccl. 28. v. 16. Γλῶσσα δισσὴ πολλοὺς ἐσάλευσε, non *lingua duplex*, vt Græca sonant, sed, *Lingua tertia multos commouit*, sapientissimè reddidisse. Hebræorum videlicet exemplo, qui, vt ait Rabbi Iacob. lib. qui *Mosar* siue *eruditio* inscribitur, cap. 13. *Delationem* שלישי *tertiam vocant, quòd tribus noceat, deferenti, audienti, & ei de quo sermo est. Verbi caussa, Doëg Idumæus eiectus fuit propter Sycophantiam, Sacerdotes interfecti, Saul qui eos interfecerat, propter criminationem Doëgi, graues sceleris sui pœnas exoluit*, ac proinde *sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur*, crimen alteri per calumniam affingent, *animam* non calumniantis modò, sed etiam audientis *occidit*.

16. Quòd autem Ioannes stagnum ardens igne & sulphure *timidis & incredulis, &c. idololatris, & omnibus mendacibus intentat*, eum pro subiecta materia, sic interpretari debemus, non vt nullum mendacii genus exceperit, sed vt eos tantùm in sententia comprehendat, qui vel persecutionis metu, vel infidelitate Christum abiurant; & idololatras, omnésque adeo ariolos, aruspices, augures, omnes Necromantiæ superstitionibus deditos, timidos ac mendaces appellet, neque simplicem timiditatem ac fallaciam æternis suppliciis addicendam esse pronunciet, sed eam quæ fuerit incredulitate, fornicationibus, idololatriâ, veneficiis, atque aliis eiusmodi criminibus inuoluta. Verùm hoc in præsentia non agitur: illud venit in quæstionem, Ecquid purum putúmque mendacium, præcisè quia mendacium est, quamuis nihil aliunde turpitudinis accedat, probari possit inhonestum, quod certis scripturæ testimoniis demonstrandum hodierno die suscepimus.

17. Amph. Imò antequam dicendo proueharis vlteriùs, scire velim, vtrùm Pseudagoras noster iis assentiatur quæ contra sermones obscuros, & obtrectationem laudariunculis adspersam, charitatísque velatam integumento perorasti. Pseud. Ego verò non solùm assentior, sed etiam, nisi molestum est, addam aliquid, & quidem alienâ linguâ: ne solus iste sibi de Græcis authoribus blandiatur. Phil. Age sanè, Pseudagora. Nam, quantum ex Amphilogi nostri vultu coniecto, rem feceris illi iucundam, mihi quidem certè gratissimam.

18. Pseud. Audite, sultis, Demosthenem, ac videte quibus coloribus & lineamentis sycophantam veteratorémque depinxerit. Πονηρόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον. τοῦτο δὲ καὶ φύσει κίναδος ἀνθρώπιόν ἐστιν, οὐδὲν ἐξ ἀρχῆς ὑγιὲς πεποιηκός, οὐδ' ἐλεύθερον αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος Οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ, *Improba res, Athenienses, improba res calumniator, semper & vndecunque inuidendi & accusandi caussas quæritans. Iste autem homuncio naturâ est vulpecula, neque iam inde ab initio quicquam sani fecit aut ingenui, tragicus simius, rusticanus Oenomaus, adulterinus orator.* Pro Ctesiphonte. Calumniatoris & Sycophantæ descriptio.

19. Videte quibus orationis pigmentis eundem adumbrarit Themistius, & è Demosthene propemodum expresserit. Orat. 3. de calumn. φύονται καὶ ἐν ἀνθρώποις ἀλώπεκες, μᾶλλον δ' ἀνθρώπια σμικρά τε καὶ ἀνελεύθερα ταῖς ἀλώπεξιν ὄπισθεν ἐφελκόμενα, οἱ δ' αὐτῶν οὐκ ἀλώπεκας, ἀλλὰ δράκοντας ἰοῦ χαλεποῦ καὶ ἀτόπου μεστούς, ὑφέρποντας, καὶ κρυπτομένους εὐνοίας καὶ φιλανθρωπίας παραπετάσμασιν, οὓς ἀπελαύνειν χρεών, καὶ ἀποσοβεῖν πορρωτάτω. κηλούμεθα γὰρ πολλάκις, καὶ γανύμεθα τὰ ἄκρα τῆς γλώττης μόνον ὁρῶντες, τὰ δ' ἔνδον οὐκ ἐθέλοντες διιδεῖν. *Nascuntur quædam etiam inter homines vulpeculæ, imò homunciones minuti & ad seruitutem nati qui post se trahunt vulpeculas. Quidam etiam eorum non vulpeculas, sed dracones veneno quodam periculoso & nefario plenos furtim adrepentes & tectos humanitatis ac beneuolentiæ velo, quos oportet longè submouere atque absterrere. Demulcemur enim frequenter, & quasi blanda titillatione gestimus iis mordentibus, dum sermones extrema lingua natantes videmus, interiora non videmus.*

20. Vultis & aliam calumniatoris imaginem è Synesii penicillo? Epist 44. ad Ioannem. οὐκ ἔστιν ἕτερος οὕτω τρόπος θεομισὴς ὡς ὁ λογοποιὸς ὁ τιτρώσκων ἐξ ἀφανοῦς, ἀγεννέστατος γὰρ ὢν μέγιστα κακὰ διαπράττεται, καὶ λέγεταί τις αὐτοῖς μοῖρα κιναίδοις προσκεῖσθαι, &c. *Non cuiusquam alterius mores ita Deo sunt execrabiles, vt famigeratoris, qui ex occulto vulnus infligit, ignauissimus enim cùm sit, maxima perpetrat mala, & dicitur iis aliquod esse cum cinædis & catamitis fatum commune siue consortium*, & aliquot verborum interstitio, ὥς τι αὖ τις ἄλλῳ φήμας ἐπὶ τοῖς οὐκ οὖσι ποιῶν, τοῦτ' ἐκεῖνο μηδ' ἐπαιτέρῃ, μηδὲ δηχθείς, ἀλλὰ καὶ πραότατος εἶναι δοκῇ, θαρρῶν ἀποφαίνω τὸν ἄνδρα ἡμιάγιον, αὐτόχρημα θιασώτην τοῦ Κότυος. *Quare si quis deprehensus fuerit rumores comminiscens, hoc ipsum ne inqui-*

ras, aut vllo modo dubites, sed quamuis firmissimus esse videatur, audacter hunc semimarem, effœminatum, thiasis & sacris Cotyttiis initiatum esse pronuntia.

Lucianus lib. de non temerè credendo calumniæ. Quòd si nullam tabulam admittitis nisi quæ ex ipsius Apellis prodierit officina, age sanè, Apellæam Calumniæ videamus imaginem. Ptolemæus Lagi filius cùm Antiphili calumniis impulsus Apellem pene de medio sustulisset, comperta rei veritate centum ei talenta largitus est, & Amphilum ipsum in seruitutem addixit; Apelles contrà periculi memor hac imagine calumniæ natutam, caussas & effecta spectanda proposuit. Ad dextram tabulæ sedebat vir quidam auribus prælongis insignis, quales à Poëtis & pictoribus Midæ tribuuntur, manum porrigens procul accedenti Calumniæ. Circumstabant eum mulierculæ duæ: Ignorantia, ni fallor, & Suspicio. Ex altera parte veniebat Calumnia formâ pereleganti, & eximiè comptâ. Vultu ipso & gestu corporis effetam rabiem, atque iram æstuanti conceptam pectore præferens, sinistrâ facem ardentem tenens, dextrâ secum adolescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem obtestantémque deorum immortalium fidem rapiebat. Anteibat vir pallidus ac deformis oculorum acie subtili, iisque similis qui diuturno quercerόque morbo contabuerunt. Hunc facilè liuorem esse conicias. Quin & mulierculæ Calumniam sequuntur comites, quarum munus est dominam ornare, vestem, reliquúmque cultum & mundum muliebrem curare, cutem polire, faciem cerussa, fuco, minio perlinere, oculos stibio & andricelo pingere, crines calamistro vibrare, cincinnos componere. Interpres tabulæ dicebat Insidias & Fallaciam nominari. A tergo lugubri habitu pulla, laceráque Pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo cum lacrymis ac pudore procul venientem aspicit Veritatem.

21. Sed iam, si placet, ab isto diuerticulo redeamus, & quoniam conuenit inter nos obscurum sermonem in vacuum non ire: os autem quòd perniciosè loquitur, animam susurronis & calumniatoris occidere, restat, vt videamus an aliqua scriptura tam præcisè mendacium omne condemnet, vt nullum prorsùs excipiat, non officiosum, non iocosum, non illud quod sola mentiendi libidine profertur: hoc enim vnum venit in quæstionem: de cæteris in præsentia controuersiam non mouemus.

Leuit. 19. 11. Prou. 12. 22. 22. PHIL. Omnia generatim in Leuitico prohibentur. *Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum.* In Prouerbiis. *Abominatio est Domino labia mendacia.* Ad Colossenses. *Nolite mentiri inuicem,* Coloss. 3. 9. nullo vel officiosi mendacii, vel iocosi, vel perniciosi discrimine. Quid? quòd Prouerb. 6. v. 16. Sapiens inter illa quæ odit Dominus, non modò falsum testimonium, sed etiam alia medaciorum genera numerauit? *Sex sunt*, inquit, *quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* Quorum deinde seriem ita cum aperta distinctione contexuit. 1. *Oculos sublimes.* 2. *linguam mendacem.* 3. *manus effundentes innoxium sanguinem.* 4. *Cor machinans cogitationes pessimas.* 5. *Pedes veloces ad currendum in malum.* 6. *Proferentem mendacia testem fallacem.* 7. *Et eum qui seminat inter fratres discordias.* Vbi nisi linguam mendacem à fallaci teste perniciosa mendacia coram iudicibus in reum proferente, & susurrone fictis ambiguisve sermonibus & malignis obtrectationibus discordias seminante distinxeris, insulsam habebis enumerationem, neque sex illa quæ Dominus odisse dicitur, ac septimum, quod detestatur anima eius, poteris inuenire.

23. Quid quòd eadem scriptura solius interdum vanitatis, atque, vt cum antiquis loquar, fallaciloquentiæ caussa mendacium reprehendit? *Duo*, inquit, *rogaui antequam moriar vanitatem & verba mendacia longè fac à me: mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.* Prou. 31, v. 7. 8. 9. Prou. 10. 4. Quid illud? *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem ipse sequitur aues volantes.* Quid his verbis aliud reprehendit quàm puram putámque Verborum fallaciam? Sap. 5. v. 7. 8. Quid author libri Sapientiæ? *Homines*, inquit, *stulti non apprehendent illam (Sapientiam) & homines sensati obuiabunt illi: homines stulti non videbunt eam: longè enim abest à superbia & dolo. Viri mendaces non erunt illius memores, & viri veraces inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectum Dei.* Vbi quis non videt tantum esse mendacii virus vt aditum ad Sapientiam intercludat, & eius obliuionem offundat, præcisè quia mendacium est, & oppositum veritati? Est enim sapientia nihil aliud quàm rerum diuinarum humanarúmque scientia: nullum autem esse potest scientiæ cum falsitate mendaciόque commercium.

IV. *Vtrùm prohibitio mendacij contineatur aliquo Decalogi præcepto.*

24. PSEVD. Quid igitur caussæ fuisse dicamus si diuinæ paginæ menda-

cium tantopere vetuerunt, cur Legislator in Decalogo falsum prohibens testimonium, cætera mendaciorum genera, quæ sine proximi damno & iniuria proferuntur, pene conceptis verbis exceperit? *Non loqueris*, inquit, *contra proximum tuum falsum testimonium*. Quibus verbis omnino videtur omne mendaciũ lege permitti, dum is in mentiendo modus, præscriptióque teneatur, ne cuiquam innocenti atque integro labem aut infamiam falsis testimoniis inferamus. PHIL. Quid tu? mulierem si maritum proximæ suæ concupiscat, Decalogi legibus teneri non putabis, aut rationem adferre potes cur Legislator, cùm prohibitionem illam ad vtrumque sexum pertinere vellet, alterum duntaxat expresserit? PSEVD. Vide non quid ego, sed Augusti-

Quæst. 71. in Exod. nus: *Ista lex*, inquit, *non solis viris in populo, sed etiam fœminis data est. Neque enim quia dictum est: non concupisces vxorem proximi tui, nihil sibi hic præceptum putare debet fœmina, tanquam licitè posset concupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum est*, NON MOECHABERIS, *vterque sexus constringitur, cùm & ipsum præceptum potest referri ad vtrumque, sicut* NON OCCIDES: NON FVRABERIS, *& alia quæ similiter non expresso sexu vtroque videntur sonare communiter, tamen vbi vnus exprimitur, honoratior vtique exprimitur, id est masculinus, vt ex hoc intelligit etiam fœmina quid sibi præceptum sit.* Hæc ille. Quamuis quod ait videri sonare communiter, apud Hebræos communiter non sonant, apud quos in verborum inflexione quædam est generum distinctio. Sed parum refert ad quæstionem.

25. PHIL. Mihi fas erit, opinor, ex eodem Augustino, tanquam ex abundantissima penu, responsionem depromere. *In ipso Decalogo scriptum est*, inquit, FALSVM TESTIMONIVM NE DICAS, *quo genere complectitur omne mendacium. Quisquis enim aliquid enuntiat, testimonium perhibet animo suo.* Hæc ille lib. de mendacio ad Consentium, cap. 5. PSEVD. Imò nullum aliud mendacij genus interdictum videtur, quàm id quod ad proximi perniciem redundat.

Lib. 1. de ciu. c. 21. PHIL. *Nec ideo tamen*, inquit idem magnus veritatis assertor, *si aduersus seipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum, quoniam regulam diligendi proximum à semetipso dilector accepit, quandoquidem scriptum est*, DILIGES PROXIMVM TVVM, SICVT TEIPSVM. *porro si falsi testimony non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quàm si aduersus proximum hoc faceret, cum in eo præceptò, quo falsum testimonium prohibetur, aduersus proximum prohibeatur, poßitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum vt aduersus seipsum quisquam falsus testis assistat*, &c.

26. PSEVD. Si de perniciosis tantùm mendaciis agamus, equidem nullus abs re vel ab Augustino dissentiam, hæc enim contra mentientem ipsum, aut etiam eius proximum citra controuersiam proferuntur, neque verò cuiquam dubium esse potest, quin qui, verbi caussa, pudicus cùm sit, impudicum se esse testatus fuerit, is lege, quæ falsum testimonium dici prohibet, obstrictus teneatur. Sed quærebamus vtrũ lex illa Decalogi ad omne genus mendacij, qua mendacium est, pertineret. At illa duo mendaciorum genera, officiosum ac iocosum, non modò non aduersus nos ipsos, aut proximos, sed etiam pro nobis ipsis aut proximis, quorum vel commodo vel oblectationi consulimus, concepta sunt, ac proinde hac legis exceptione videntur exclu-

di. PHIL. Potes paucis definire quid sit Perniciosum mendacium.
perniciosum mendacium. Ps. Illud, opinor, quod alicui perniciem creat. PHIL. Perniciem hoc loco quid appellas? Ps. Non modò necem atque exitium, quæ videtur esse primaria vocis acceptio, sed quamuis iacturam, damnum, detrimentum, dolorem, incommodum, atque vt vno verbo rem absoluam, quodvis malum. PHIL. Est igitur ex animi tui sententia perniciosum, siue detrimentosum mendacium falsa significatio cum voluntate fallendi, quæ vel bonum cuipiam adimit, vel malum apponit. Ps. Assentior.

27. PHIL. Celebris est apud Peripateticos illa bonorum partitio vt alia sint animi, alia corporis, alia externa, quæ singula rursus in honestum, iucundum, vtile diuiduntur. Cui diuisioni, quoniam adsti- Bonorum genera inter se comparata.
pulari te video, ex te aueo scire ecquid animi bona bonis corporis, hæc externis & fortuitis, honesta iucundis & vtilibus anteponas? Ps. Ego verò sic antepono vt propemodum Stoicis assentiar, qui sola bonorum animi siue virtutis honestate contenti, cætera omnia ne in bonis quidem numeranda duxerunt. vtilis autem ac iucundi videtur difficilior esse ratio: cùm enim vtile finis rationem habere non possit, sed sit τῶν πρός τι, atque vtile dicatur prout medium est ad finem, & ad boni vel iucundi vel honesti adeptionem comparatur, abs re non fuerit aliquam distinctiunculam adhibere. Etsi enim medio, qua medium est, præstantior est finis, & caussa cur medij fiat electio, ac proinde voluptas secundum se magis

expetenda sit quàm bonum illud vtile, quod ad obtinendam ac perfruendam voluptatem tanquam medium applicatus, si tamen bonum vtile ad finem honestum referatur, voluptati bonóque iucundo nimium quantum præponderat.

28. PHIL. Mentis & intelligentiæ quodnam bonum? PSEVD. Veritas, opinor, atque adeo formalis & expressa veri
Veritas bonum intel ectus. notitia. PH. Quid porro signi cuiuslibet bonum, siue finis ad quem naturâ suâ collineat? Ps. Eiusdem veri euidens ac natiua repræsentatio. PH. Signum est aliquod locutio. Nónne? Ps. Fateor. PH. Eius igitur bonum in veri repræsentatione cōsistit. Ps. Non abnuo. PH. Habitus animum ad veri repręsentationem inclinans ad virtutes an ad vitia tibi videtur esse reuocandus? Ps.
Veracitas. Ad virtutes. PH. Quæ porro illa virtus? quænam? Ps. Veritas moralis, siue veracitas. PH. Qui quidpiam falsum significat cum voluntate fallendi, vult eum qui cum loquitur in errorem inducere, eique, quantum in ipso est, adimere notitiam veritatis. Ps. Quidni? PH. Sibi veracitatem. Ps. Quis enim negat?

29. PH. Meministi quibus verbis errorem definiat magnus Augustinus Enchiri-
Cap 17. Error quid? dio ad Laurentium? Ps. Sic, opinor, *Vt nihil sit aliud errare, quàm verum putare, quod falsum est, falsúmque quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertúmque pro certo, siue falsum, siue sit verum.* PH. Est igitur error ex Augustini mēte falsa opinio.
In Theæthet. longè post med. Ps. Assentior, & aio cum Socrate falsam opinionem ἀλλοδοξίαν, quandam alterius rei opinionem esse, cùm quis aliquid eorū quæ existunt, cum altero item existente permutans illud alterum esse animo affirmat, & quasi sibi ipsi pronuntiat. Sic enim id quod est semper quidem opinatur, sed alterum pro altero, καὶ ἁμαρτάνων οὗ ἐσκόπει,
Falsa opinio. *& aberrans ab eo quod intuendum sibi proposuerat*, iure dicetur falsum opinari. Et quibusdam interiectis ita dicta recolligit vt affirmet eum qui falsum opinatur, οἷον τοξότην φαῦλον ἱέντα παραλλάξαι τοῦ σκοποῦ καὶ ἁμαρτάνειν. *instar mali cuiusdam sagittarij iaculantem permutare destinationem, & à scopo quem sibi designarat, aberrare, quod vtique falsum nominatur.* Addit opinionem veram vel falsam in ijs ipsis versari quæ vel scientia vel sensu percepimus, quæ κατ' ἀντικρὺ μὲν καὶ κατὰ τὸ εὐθὺ τὰ οἰκεῖα συνάγουσα ἀποτυπώματα καὶ τυποῦσα, ἀληθής, εἰς πλάγια δὲ καὶ σκολιὰ ψευδής. *Cum è conspectu directéque nixu propria simulacra colligit, figuratque, vera est: cum autem obliquo & transuerso, falsa opinio nuncupatur.*

30. PH. Quid tu? hoc ipsum in bonis, an in malis numerandum putas? Ps. Ego verò eidem Platoni libenter assentior, οὐδὲν τοσοῦτον κακὸν εἶναι ἀνθρώπῳ, ὅσον δόξα ψευδής, *nullum tantum esse homini malum*, a de Rep. excunte.
quantum est falsa opinio, illúdque adeo esse τό γε ὡς ἀληθῶς ψεῦδος, *verum illud germanúmque mendacium*, quod πάντες θεοί τε Falsa opinio magnū homini malum.
καὶ ἄνθρωποι μισοῦσι, *omnes tum Dij, tum homines oderunt.* Mendacium autem quod in oratione consistit μίμημά τι, *quamdam imitationem* interioris illius esse mendacii, καὶ ὕστερον γεγονὸς εἴδωλον, οὐ πάνυ ἄκρατον ψεῦδος, *& posterius quoddam simulacrum, non omnino purum*, & vt ita loquar sincerum defæcatúmque *mendacium.* E quibus effici vult, quamuis Deus ab omni fuco & fallacia semper abhorreat, incidere tamen quædam tempora, quibus homo sapiens non quidem sponte & voluntatis inclinatione, sed incumbentis necessitatis impulsu fictos interdum sermones quasi medicinā adhibeat, atque obtinendi maioris boni vel euitandi mali gratia mentiatur. Sed hæc omitto, vt sciscitationi tuæ verbis ipsius Augustini fiat satis: *Cum dico*, inquit, *in non-* Enchirid. ad Laurent. cap. 19.
nullis rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipsum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum, sed malum quò non venitur, vel bonum quo venitur errando, id est ex errore, &c. *Nam ipse per seipsum error aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, tamen semper est malum. Quis enim nisi errans malum neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* hæc Augustinus.

31. PH. Quæro iam ecquid is qui mentitur, & quod falsum credit, enuntiat cum voluntate fallendi, is videri velit intus in animo cogitare, quod foras oratione depromit? Ps Quasi me soli facem admouere iubeas. Quis enim dubitet mendacium aliter persuaderi non posse? PH. Quisquis er- Omnis mentiens contra se falsum testimonium perhibet.
go mentitur, quocunque tandem genere mendacii, significat se cogitationem aliquā in animo versare, quam errorem .i. opinionem falsam esse vel putat, vel etiam agnoscit. Ps. Non inficior. PH. Porro qui malum aliquod habere se testatur, quod reuera nō habet, is contra se falsum testimonium dicit, vt si quis nobilis, locuples, disertus, eruditus innocens se contra mētem conscientiámque suam obscurum, genere, mendicum, infantem, idiotam, omnibus sceleribus ac flagitiis coopertum esse confirmet, is contra seipsum falsum testimonium sine controuersia perhibebit. PSEVD. Perhibebit omnino.

32. PHIL. Vide quantæ res iam præsenti disputatione confectæ sint. Quærebatur inter nos vtrùm diuina lex circumscripserit omne mēdacium. Diximus omne perniciosum lege prohiberi. Perniciosum autem esse quodcunque vel reipsa, vel hominum opinione malum adiiceret cuipiam, vel bonum adimeret: cognitionem veritatis ad animi bona, errorem ad mala pertinere: quouis mendacio, quantum in ipso est, veritatis notitiam adimi, errorem auditoribus obtrudi: ipsi mentienti tum errorem cogitationis affingi, tum orationis adimi veritatem. E quibus efficitur omne mendacium suo modo perniciosum esse, ac proinde de lege diuina prohibitum. Quanquam mendacium perniciosum ac damnosum propriè vocamus quod præter illa damna siue detrimenta, quæ quòd in mera veritatis violatione consistant, omni mendaciorum generi sunt annexa, alterius incommodum, aut perniciem, pro materia sententiáque locutioni subiecta, contra charitatem, aut iustitiam inuoluit. *Non loqueris*, itaque *contra proximum tuum falsum testimonium*, perinde est atque si conceptis Ecclesiastici verbis diceretur: *Noli arare mendacium aduersus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias*, ac proinde nec aduersus teipsum. *Noli velle mentiri omne mendacium*. Vbi priore versiculo calumniam falsúmque testimonium interdicit: posteriore omnes etiam cuiusuis mendacii fibras conatur euellere. *Omne mendacium*, inquit, nullum excipit, non officiosum, non iocosum, non illud quod sola mentiendi cupiditate profertur.

Omne mendaciū suo modo perniciosum.

Eccl. 7. 13.

v. 14.

33. Ps. Atqui, Philalethes, video scripturam hanc in varias interpretationes esse distractam. Nam, vt iterum optimis Augustini verbis vtar, *cùm alius dixerit ex isto Scripturæ testimonio vsque adeo generaliter omne mendacium esse detestandum, vt etiam si quis mentiri velit, etiamsi non mentiatur, iam voluntas ipsa damnanda sit: atque ita interpretetur quod non dictum est*, NOLI MENTIRI OMNE MENDACIVM, *vt non solùm mentiri, sed nec velle mentiri quisquam audeat illo mendacio: Dicit alius: Imò quod ait*, NOLI VELLE MENTIRI OMNE MENDACIVM: *de ore cordis exterminandum, atque alienandum omne mendacium voluit, vt à quibusdam mendaciis ore corporis abstinendum sit: sicut illa sunt maximè quæ pertinent ad doctrinam religionis: à quibusdam verò non sit ore corporis abstinendum, si maioris mali euitandi caussa exigit: ore autem cordis ab omni mendacio penitus abstinere debeamus, &c. Est & tertius intellectus quo sic accipias*: NOLI OMNE, *vt exceptis aliquibus mendaciis mentiri te sinat, tanquam si diceret, noli velle credere omni homini, non vt nulli crederetur, moneret, sed non vt omnibus, aliquibus autem crederetur, & id quod sequitur*: ASSIDVITAS ENIM EIVS NON PROFICIET AD BONVM: *ita sonat, quasi non à mendacio, id est à consuetudine, atque amore mentiendi prohibere videatur.*

V. *Rationibus probatur omne Mendacium esse peccatum.*

34. AMPH. Imò, Philalethes & Pseudagora, quoniam hoc Scripturæ testimonium (quod haud scio an & de quibusdam aliis dici possit) facilè torqueri potest in aliquot intepretationum diuortia, ac tanta est veritatis diuinæ cum humana ratione coniunctio, vt impenetrabilis illa scripturarum obscuritas ab humana ratione lucem accipiat, humanæ rationis imbecillitas Scripturæ testimoniis fulciatur, vbi de genuino scripturæ sensu nō constat, eius interpretationem ita debemus ex humana ratione moderari, vt nec ratio cum scriptura, nec scriptura cum ratione confligat. *Si enim*, inquit idem qui frequenter à vobis laudatur Augustinus, *Ratio contra diuinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationis velut Scripturarum Sanctarum obiicitur authoritas, non intelligit qui hoc facit, & non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obiicit veritati. Nec quod in eis, sed quod in seipso, velut pro eis inuenit, opponit*: Quare cùm iam hesterna disputatione rationes audierimus, quibus Pseudagoras noster conabatur authoritatem conciliare mendacio, restat vt Scripturarum, quæ iam pro veritate prolatæ sunt, vel deinde proferendæ supersunt, intelligentiam vicissim ad rationis calculos exigamus, vt si quando vnius & eiusdem testimonii vel duæ vel plures adferentur interpretationes, eam cæteris præferamus cui rationis humanæ momentum accesserit.

Scripturæ & rationis consensus.

Epist. 7. Marcellino.

35. PHIL. Equidem, Amphiloge, sat apertis indiciis hactenus probasse mihi videbar nullis vnquam temporibus, nullis personarum locorúmve circumstantiis honestum esse mentiri, cùm ne ipsa quidem, quæ perniciosa dicuntur mendacia, hoc in se perniciosissimum habeant, quòd in tertiæ personæ damnum ac perniciem incumbant, sed quòd loquentem veracitatis virtute priuent, audientem cognitione veri-

Prima ratio contra mendaciū.

tatis. Quæ duo postrema cùm ad animi bona pertineant, ac proinde bonis fortunæ vel corporis, in quibus alteri pernicies infertur, sine controuersia præponderent, & quidem honesta sit veracitatis virtus, cognitio veritatis magnum habeat cum honestate commercium, necesse est earum priuationibus insit aliqua turpitudo. Atque hæc quidem ita penitus insederunt, vel potiùs inoleuerunt omni mendacio, vt ab eo exuri nullo modo possint. Quacunque enim animi inductione mentiare, semper & teipsum veracitate spolias, & auditorem veri notitia. Imò, vt diximus, contra mentem tuam falsum testimonium loqueris, tibíque affingis errorem, quod malum Deus & homines oderunt.

36. Quod ne potiùs è meo quàm è Patrum sensu deprompsisse videar, operæpretium fuerit audire quid Basilius Magnus ad Cæsarienses, apud quos tum ipsius vita, tum etiam fides calumniis apposita laceratáque fuerat, epistola LXXV. rescripserit. Τρισὶν, inquit, προσώποις τὴν βλάβην προστρίβεται ὁ διαβάλλων, τόν τε γὰρ συκοφαντούμενον ἀδικεῖ, καὶ πρὸς οὓς ὁ λόγος ἐστὶν αὐτῷ, καὶ αὐτὸς ἑαυτόν. *Calumniator tribus personis noxam adspergit. Lædit enim & eum quem falsò defert, & eos quibus loquitur, & ipse seipsum, &c.* Ἐν τρισὶ βλαπτομένοις ὁ τὰ ἐλάττονα ζημιούμενος εἰμὶ ἐγώ. ἐγὼ γὰρ ὑμᾶς ἀποστεροῦμαι. ὑμεῖς δὲ τὴν ἀλήθειαν ἀφαιρεῖσθε, καὶ ὁ τούτων αἴτιος, ἐμὲ μὲν ὑμῶν διέστησεν, ἑαυτὸν δ᾽ ἀλλότριον τοῦ κυρίου. *Ex his tribus personis quæ læduntur, ad me quàm minimum detrimenti redundat. Nam ego quidem amicitia vestra destituor, vos autem veritate priuamini. Et qui huic rei caussam dedit, me quidem à vobis separat, seipsum verò à Domino reddit alienum: propterea quòd Deum nemo conciliare sibi potest qui ea perpetrat quæ diuina lege prohibentur. Propter vos itaque magis quàm propter me, & vt dispendio vos haud ferendo eximam, ista scribo.* Τί γὰρ ἂν καὶ μεῖζον πάθη κακόν τις τὸ τιμιώτατον τῶν ὄντων ζημιωθεὶς ἀλήθειαν. *Quod enim maius malum cuiquam accidere poterit, quàm vt rem omnium pretiosissimam veritatem amittat?*

Secunda ratio.

37. Quòd si tantum malum est inuitum decipi, veritatísque iacturam facere, vt maius cogitari vix possit, quantò deterius est prudentem & scientem mentiri, id est eandem veritatem sapientiæ domesticam, vt vocat Plato, omnibus diis & hominibus ad omnia bona ducem, mentis pabulum adulterare fallacia? & cùm hæ duæ præcipuæ labes non pernicioso tantùm, sed etiam officioso iocosóque mendacio sic inhæreant, vt ab illis elui nulla ratione possint, hinc efficitur mendacium præcisè quia mendacium est, esse peccatum, idque proinde nullis locorum, temporum, personarum, negotiorum circumstantiis ad boni prudentísque viri officium pertinere.

6 de Rep. iucunte. 5. De legibus post initium. In phædro, ante med.

38. Iam si veritas nihil est aliud quàm recta ratio, peccatum est autem quicquid extra præscriptum rectæ rationis exorbitat, totáque mendacii natura deflexus & deliratio, siue aberratio quædam est à veritate, non video quî fieri possit vt quisquam sine peccato mentiatur, & verum non sit illud non tam Aristotelis quàm naturæ ipsius effatum. Καθ᾽ αὑτὸ δὲ τὸ ψεῦδος φαῦλον ἐστὶ καὶ ψεκτόν, τὸ δ᾽ ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. *Secundum se verò mendacium malum est & vituperatione dignum, veritas verò bonum & laudabile.* 3. Ratio.

39. Ipsius, inquam, naturæ pronunciatum, quæ sic abhorret à mendacio, eiúsque teterrimæ labis horrorem hominum insculpsit animis, vt etiam inter rixas & iurgia qui aduersariis mendacii crimen impingunt, honorem auribus præfari soleant, ac præsentium offensionem deprecari impunè possis obiicere ganeas, adulteria, libidines, aliáque flagitia, quæ quantumuis in se propudiosa sint, etiamsi excusatio nulla præcesserit, plerumque propitiis auribus audiuntur, dum obscœnis prætextatísque verbis orationem tuam abstineas: at verò si quemquam accuses mendacii, nisi bonam auditorum veniam pacémque antè petieris, aut quadam ἐπανορθώσει dicta lenieris, eos qui te audiunt, parum honorificè tractasse, & viræ communis, atque humanitatis oblitus esse videare. Quod profectò non fieret, nisi constaret, vel ex ipsis naturæ principiis illud Ecclesiastici, *opprobrium nequam in homine mendacium.* Quod vt liquidiùs intelligamus, ratio videtur altiùs esse repetenda. 4 Ratio. Eccl 26. 16.

VI. *Ab ipsa hominis & locutionis natura probatur Mendacium esse peccatum.*

40. Obseruat Aristoteles ciuilem hominum Societatem voluntariam non esse, sed ex ipso naturæ iure proficisci, atque hominem ciuile animal & consortionis appetens esse naturâ, eúmque proinde qui à conciliis ac cœtibus hominum ad communem vtilitatem iure sociatis non fortunæ culpa, sed suopte ingenio & insita propensione refugiat, aut improbum esse, aut homine meliorem, in-

1 Polit c.2 φύσει ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ ὅτι ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον, καὶ ὁ ἄπολις

ἀλλὰ φύσιν, καὶ οὐ διὰ τύχην ἤτοι φαῦλος, ἢ κρείττων ἀνθρώπου.

probum, inquam, qualis ab Homero non sine graui contumelia describitur.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος.

Curia cui nec iura placent, nec secta, laresque.

vt enim quisque talis est, ita bellum maximè desiderat, quippe qui iugi sit impatiens, vt in nonnullis volatilibus apparet. Atque, vt aliquanto pòst subnectit, qui vel propter animi feritatem moresque belluinos in huiusmodi societatem conuenire non potest, ἢ μηδὲν δεόμενος δι' αὐτάρκειαν, *vel propter copiam sibi sufficientem ad bene beatéque viuendum aliorum consortia non requirit*, is ad ciuitatem non pertinet. ὥστε ἢ θηρίον, ἢ θεός. *adeóque aut bellua est aut Deus.* φύσει μὲν οὖν ἡ ὁρμὴ ἐν πᾶσιν ἐπὶ τοιαύτην κοινωνίαν. *Cuiuis autem hominum innatus est quidam ad eiusmodi societatem instinctus, naturalisque propensio.*

Homo animal ciuile & sociale.

41. Nimirum, vt ait Philosophus Orator, cuius sententiam ac rationes amplectenti religio sit ab oratione discedere, *Nihil est tam illustre, nec quod latiùs pateat quàm coniunctio inter homines, & hominum quasi quadam societas, & communicatio vtilitatum, & ipsa charitas generis humani, quæ à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio & stirpe coniungitur, serpit sensim foras cognationibus primùm, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum ciuibus, & iis qui publicè socij atque amici sunt, deinde complexu totius gentis humanæ.*

Cic. 5. de finibus.

42. Cùm igitur natura nihil frustra moliatur, neque homini ciuile illud atque populare quod Græci πολιτικὸν vocant, sine caussa indiderit, necesse est vt homines coire possint in mutuam societatē, & innatum illum coniunctionis appetitum explere. coire porro non poterunt, nisi non tantum corporibus, sed etiam, & quidem multo magis animis inter se misceantur. Atqui (vt ait S. August. Præfat. lib. 1. de Doctr. Christiana) *Ipsa Charitas quæ sibi inuicē homines nodo vnitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum si homines per homines nihil discerent.* neque quicquam homo per hominem disceret, nisi eorum alter animum cogitationésque suas in alterius animum oratione transfunderet. Ac proinde, vt ait idem M. Tullius, quem non video cur Philosophiæ Romanæ principem dicere non liceat, nisi quia pari non possumus vnum & eundem hominem pluribus rebus excellere, huius coniunctionis *vinculum est ratio & oratio, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate. Neque vlla re longiùs absumus à natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, vt in equis, in leonibus: iustitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis & orationis expertes.*

Locutio vinculum Societatis humanæ.

1. de Offic.

43. Et Aristoteles quidem naturæ sagacissimus indagator à posteriori colligit, ac tanquam ex impresso vestigio subodoratur hominem magis quàm vllam apem aut vllum animal gregale ad vitæ societatem esse natum, maiorique propensione cum sui similibus congregari, quòd natura quæ temerè nihil agit, cæteris animantibus vocem tristis ac iucundi nuntiam, quorum duntaxat illæ sensum habent, largita est: homini, qui prętet iucundum & molestum, etiam vtilis & inutilis, iusti & iniusti notitia præditus est, loquendi facultatem siue orationem adiecit non solùm doloris ac voluptatis, sed etiam damni, vtilitatis, turpitudinis, honestatis interpretem. Quo perfectiùs ac pluribus modis animi sui sensa communicaret aliis, séque totum ad eorum societatem applicaret.

44. Et eam ob rem vt luculentis Basilij Magni verbis vtar, *Qui nos condidit Deus, in hoc impertiuit sermonis vsum, vt aliud alij suis cordis arcana reuelet, ac propter innatam communicandi sui cupiditatem suo quisque proximo ex abstrusissimo recessu pectoris quasi ex intimo quopiam conclaui sua consilia cogitationésque depromat. Si enim ipsi viueremus anima omnium oculis conspicua & nuda, inter nos continuò per mutuam cogitationum intelligentiam conueniret. Nunc quoniam anima carnis adoperta velamine multifarias commiscitur secum ac versat cogitationes, & verbis opus habet & nominibus, vt quæ in reconditiore mentis secessu delitescunt, in apricum euulget. Mens igitur nostra mox vbi vocem apprehenderit cuiuspiam rei significatiuam, perinde ac traiectitia quadam nauicula, sermone ipso præteruehitur, qui simul vt traiecit aërem; è loquentis ore ad aurem vsque transmittitur audientis.*

Homil. in illud, Attende tibi. ipso initio.

τοῦ λόγου τὴν χρῆσιν δέδωκεν ἡμῖν ὁ κτίσας ἡμᾶς θεὸς ἵνα τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν ἀλλήλοις ἀποκαλύπτωμεν, καὶ τὸ κοινωνικὸν τῆς φύσεως ἕκαστος τῷ πλησίον μεταδιδῶμεν, ὥσπερ ἔκ τινων ταμιείων τῶν κρύπτων τῆς καρδίας προφέροντες τὰ βουλεύματα εἰ μὲν γὰρ γυμνῇ τῇ ψυχῇ διεζῶμεν, εὐθὺς ἂν ἀπὸ τῶν νοημάτων ἀλλήλοις συνεγινόμεθα· ἐπειδὴ δ' ὑπὸ παραπετάσμασι τῇ σαρκὶ καλυπτομένη ἡμῶν ἡ ψυχὴ τὰς ἐννοίας ἐργάζεται, ῥημάτων δεῖ καὶ ὀνομάτων πρὸς τὸ δημοσιεύειν τὰ ἐν τῷ βάθει κείμενα· ἐπειδὰν οὖν ποτε λάβηται φωνῆς σημαντικῆς ἡ ἔννοια ἡμῶν, ὥσπερ πορθμείῳ τινὶ τῷ λόγῳ ἐποχουμένη, διαπερῶσα τὸν ἀέρα· ἐκ τοῦ φθεγγομένου μεταβαίνει πρὸς τὸν ἀκούοντα.

45. Quanta porro molitione, quanto pulmonum,

pulmonum, arteriarum, faucium, linguæ, palati, labiorum, dentium apparatu naturalem loquendi facultatem machinatus fuerit author naturæ, cùm difficile est verbis explicare, tum fortasse minùs necessarium, quòd totum hunc locum non solùm Medici ac Philosophi, sed etiam grauissimi sanctissimiq; Patres, Gregorius, inquam, Nyssenus, Theodoretus, Nemesius (vt Ludouicum Granatensem, aliósque recentiores omittam) doctissimis commentariis occuparint. Ne tamen hæc omnino negligere videamur, operæpretium fuerit è multis pauca libare.

Nyss. de hominis opificio. Theodor. orat. 3 de prouident. Nem. de nat. hom. cap. 14.

46. Sapientissimus humani corporis opifex cùm in corde natiui caloris fomitem ac spirituum tum vitalium, tum etiam, vt contra Medicos Peripatetici defendunt, animalium officinam posuisset, pulmones quasi flabella quædam seu ventilabra vnde & Græci πνεύματα appellant, vicinos esse voluit, qui & calorem ipsum, ne marcesceret ductâ extrinsecus animâ ventilarent, & ipsum ἐργαστήριον siue fornacem fabricandis excoquendisque spiritibus destinatam, ne ignesceret, afflatu suo refrigerarent ac mulcerent. His raritatem indidit, lenitatem & spongiosam mollitudinem concipiendis auris, spirandis, ac respirandis aptissimam. Adiecit asperam arteriam totam è cartilaginibus, membranis, venulis, arteriolis ac neruis intextam, instar fistulæ, siue tubi cuiusdam è pluribus annellis concinnati, à pulmonibus ad fauces pertinentem, quæ & animam ad pulmones deduceret, & eandem rursus in cordis æstuario calefactam, vel potiùs partes eius crassiores & quasi fecem procudendis spiritibus haud satis idoneam vi natiui caloris excretam, aptam tamen formandæ voci materiam foras emitteret. In quo & illud omnem superat admirationem, quòd quamuis in omnibus eadem sit arteriarum asperarum ratio, idem modus commissuratum ac striarum in quas aër inclusus alliditur, & repercussu quodam per arteriam volutatur, tamen, vt Plinius obseruat, *Vox in homine magnam vultus habet partem. Agnoscimus eam priusquam cernimus, non aliter quàm oculis, totidemque sunt ex quot in rerum natura mortales, & sua cuique, sicut facies.* Adeo vt etiam gemellos, quorum in facie totiúsque corporis ductu nullum discrimen apparet, frequenter sola voce dignoscere possimus.

Partes corporis ad vocis emissionem fabricatæ.

Vocis humanæ diuersitas.

Lib. 11 nat. hist. cap. 51. [illegible]

47. Miratur idem luculentissimus naturalis historiæ scriptor lusciniæ cantum perfectâ musicæ scientiâ modulatum, qui *nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur concisо, copulatur intorto: promittitur, reuocatur, infuscatur inopinato: interdum & secum ipse murmurat: plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi visum est, vibrans, summus, medius, imus.* Quiuis tamen æquus rerum æstimator, cùm locutionis humanæ modum ac rationem diligenter attenderit, hanc vim ac facultatē eò mirabiliorem iudicabit, quod quamuis magna fit in cantu sonorum interuallorúmque distinctio, magna canori, fusci, læuis, asperi, grauis, acuti, flexibilis, duri varietas, tamen harmonici concentus ad septem discrimina, vel etiam ad quinque genera reuocantur, at in articulata locutione ex aliis atque aliis literarum coniunctionibus voces innumerabiles existunt. Quis enim μερόπων, vt Græci vocant; hominum linguas enumeret? quis dialectos è singulis linguis deflexas? Quis in singulis dialectis nomina, verba, dictiones certo numero comprehendat? Quis verò non miretur nonnunquam pueros septennes diuersis linguis non solùm expeditè, sed etiam adeo purè ac tersè loqui vt sermonem integrum, qua semel exorsi fuerint, dialecto detexant, & cùm verbi gratiâ, germanicè loqui cœperint, nullam gallicam vocem, cùm gallicè, nullam germanicam admisceant, nec proprias singularum linguarum voces oratione confundant.

Lib. 10. cap. 30.

Cantus lusciniæ.

Harmonici concentus.

Articulata locutio.

48. Quis iam non obstupescat in formandis dictionibus singulis tam diuersas linguæ vibrationes, & alios atque alios palati, labiorum, dentium impulsus, quos nescio quo pacto præmeditari ratio debuit, certóque singulos ordine digerere, priusquam vocem articulatam eliceret? Res exemplo fiet illustrior: Christum in animo versas, intimúmque animi tui sensum vis in alterius mentem oratione transfundere. Ratio vocem exquirit latentis in corde cogitationis interpretē. Inuenit CHRISTVM. Ea vox literis ac velut elementis octo continetur, quot elementa, tot diuersi linguæ cæterorúmque locutionis instrumentorum flexus adhibendi. C. molaribus extrema lingua pulsis exprimitur. H. contractis aliquantulum faucibus inhalatur. R. ad dentium radices & anteriorem palati partem lingua spiritum crispāte corraditur. I. pressis propemodum labiis tenuatur. S. sibilum facit dentibus animâ verberatis. T. appulsu linguæ dentibus percussis excuditur. V. ore constricto, labrisque se proiicientibus exhibetur. M. labris imprimitur. Quæ omnia tam celeriter & expeditè geruntur vt imperare se ratio non aduertat, nedum imperium possit ab executione discernere.

Vocis articulatæ formatio.

49. Hanc porro locutionis eliciendæ machinulam plerique solent cum lyra & cithara, linguam cum plectro, dentes cum fidibus comparare: nos cum Theodoreto, si placet, instrumenti illius musici, quod æneis aut etiam stanneis compactum tubulis organum vulgo dicitur, ac follium flatu inspiratum, digitisque impulsum in templis resonat, simillimam esse dicamus. Vt enim vtres huic organo suppositi auras in illos tubulos emittunt, artificis autem manus ligneis admota clauiculis, & modò hunc modò illum feriens, atque vltro citróque transiliens animam in fistulas temere profusam moderatur ac fingit, mirabilémque illum concentum, sonorúmque varietatem, interualla, distinctiones efficit, ita pulmones, follium instar, toti locutionis instrumento subiecti sunt, quos non hominis alicuius pedes, sed sexaginta quinque pectori adiacentes musculi modò ad recipiendas auras dilatant, tum autem ad remittendas contrahunt. Spiritus autem per asperam arteriam emissus atque depulsus gutturis, operculum, quod ἐπιγλωττίδα Græci appellant, aperit, ac per fauces ad os vsque perlabitur. Ratio verò linguam, quasi dexteram aliquam dentibus admouens facit eam sursum ac deorsum lubrico facilíque lapsu percurrere. voxque partim dentibus illisa, partim palato repercussa figuratur, & articulatim effingitur. Quantumuis tamen ars naturam imitetur, & concentum carminis effingat, nulla tamen sagacitate potest locutionem articulis & velut quibusdam syllabarum internodiis discriminatam exhibere. Atque, vt optimè Theodoretus, quemadmodum ars animalis figuram imitatur, & vel æneam massam vel lapidem in humanæ formæ speciem effingit, simulque & oculos, & nares, os, aures, collum, manus, pectus, ventrem, femora, crura, pedésque addit, & externa corporis lineamenta ducit, sensum verò ac rationem, motúsque voluntarii facultatem largiri non potest, sic lyra quoque & cythara, &, quod ex æneis fistulis constat, organum sonum quidem concinnum & suis constantem numeris per inspirationem & pulsationes reddunt, vocem verò articulatam solum illud viuum, quod horum exemplar est, organum emittit.

50. Nec minor in formando auditu naturæ sollertia. Et quadrupedibus quidem atque homini dedit auriculas extantes vt sensum tegerent ac tutarentur in fornicis aut conchæ modum excauatas vt voces exciperent, nec eas priùs quàm ab his sensus pulsus esset, elabi atque errare paterentur: flexuosa cauitate vt vocem exceptam versarent, numerosiúsque volutarent, non osseas aut carneas, ne vel ob duritiem osseam in fragmina dissilirét, vel ob carneam mollitudinem facilè figuram & cauitaté amitterent: sed cartilagineas mediámque naturam sortitas, atque ad repercutiendum sonum aptissimas, quæ & mollitudine sua citra fractionis periculum ictibus cederent, faciléque se inflecterent, & duritie figuram constantiùs retinerent, easdem pauco sanguine irrigatas, quòd arida corpora sonum referant ampliorem. Aurem interiorem angusto, tortuoso, viscosóque introitu, labyrinthis, cochlea, fenestellis, ossiculis tribus, quorum vnum medici malleolum, alterum incudem, tertium stapedem appellant, musculis, neruis, aliisque partibus instruxit, in quibus operæpretium non videtur diutiùs immorari.

Auriculæ.

Auris interiori.

51. Iam vox principium à mente ducens ex intimo cordis conclaui velut arcanorum consiliorúmque omnium conscia futura cogitationis & voluntatis interpres cùm à pulmonibus per arteriam asperam ad os appulsa fuerit, mentis arbitrio, linguæ ministerio, palati, labiorum, dentiumque repercussu in orationem fingitur, figuratur, articulatim, syllabatímque distinguitur. Atque, vt Homericè loquar, è septo dentium fugiens & euolans mirâ naturæ solertiâ multiplicatur, & in omnem partem longè latéque diffunditur. Quam vocis propagationem solent cum circulis è lapilli coniectu in aqua nascentibus comparare: vt enim si calculum in aquam inieceris stantem & quietam, paruus initio circulus existet, quem innumerabiles alii maiores semper & maiores à centro crescentes excipient, nisi loci interpolarit angustia: sic aër linguæ percussione figuratus ac soni qualitate imbutus vicinum aërem impellit & figurat, hic rursus proximum, *& vt* in fluminibus.

Vox.

Vocis propagatio.

--vnda impellitur vnda,
Vrgetúrque prior veniente, vrgétque sequentem.

Sic in aëre vnda vocalis, vt cum Auicenna loquar, altera alteram informat serie quadam textúque mirabili, donec loquentis oratio vel per seipsam, vel per imaginem sui vicariam, quam speciem intentionalem appellant, ad tortuosam auriculæ cauitaté illabitur, vbi prius quam intromissa suam legationem obeat, tanquam in vestibulo se colligit, & ex alio sinu in alium sinum reciprocata vires instaurat, ac tandem, vt optimis Andreæ Laurentii verbis vtar, *Per meatum auditorium foris obuium sempérque patentem primùm membranæ siccissimæ, ma-*

Libr. 11. Anat. q. 9.

Auditus. *ximéque sonoræ (quam propterea tympanum vocant) allidιtur, & meninx pulsata ossicula tria mouet, eisque characterem soni momento imprimit. Hunc sonum vernaculus aër & congenitus excipit, quem per fenestellas in tortuosos anfractus & labyrinthum, mox in cochleam defert, ab hac in neruum auditorium traycit, & ab eo ad communem sensum, tanquam censorem ac Iudicem.*

52. Dies me deficiat, si omnia non dicam locutionis, sed cuiuslibet soni miracula coner exprimere. illud tamen tacitus præterire non possum, eum quodammodo spiritalem, & ab omni materiæ concretione defecatum videri: vt enim Deus vbique, vt angelus certo locorum spatio, vt animus humanus in corpore, quod animat, sine extensione & quantitatis mole diffunditur, ac totus est in toto, totus in qualibet parte, nec maior est in maiore spatio, minor in minore: sic vnus & idem sonus nulla sui parte diminutus ad certam loci distantiam in orbem vsquequaque dimanat, atque ita propagatur, vt è quolibet sphæræ suæ puncto totus & integer audiatur. Etsi enim vox, cùm edita fuerit partes aëris viciniores priùs ac vehementiùs; remotiores & tardiùs & languidiùs impellit, integra tamen ad totius concionis aures illabitur. Neque enim, vt aliquid exempli caussa dicamus, cùm hanc vocem, DEVS, emisero, ita dispensabitur ac diuidetur inter vos, vt alteram eius syllabam Pseudagoras, alteram Amphilogus exaudiat, sed vterque totam vocem, nulla syllaba mutilatam excipiet: quamuis Amphilogi, qui mihi propinquior est, auribus clariùs insonabit.

Soni ac vocis miracula.

53. Scio dici, quod & iam antè significauimus, vnam quidem & eamdem esse specie vocem quæ totius concionis aures feriat, sed complures voces, ne dicam innumerabiles solo numero diuersas ab illa, quæ primum in loquentis ore producta fuerit, in aëre propagari, & ad singulorum aures singulas peruenire: aut quemadmodum videmus in aqua, cæterisque corporibus læuibus colorum imagines, quæ citra controuersiam in pluribus speculis numero distinctæ sunt, ita vocem à loquente profusam species quasdam sui vicarias numero distinctas ad singulas spatii sui partes orbiculatim emittere. Hæc, inquam, dici non ignoro. Sed siue vox numero diuersa nouis & nouis aëris impressionibus, & quadam veluti propagatione multiplicatur, siue per species ad auditum perlabitur, reddenda ratio est, quî fieri possit vt etiam per interiectos parietes audiatur. Neque enim credibile est aërem impresso, vt ita loquar, sigillo figuratum per angustissimos illos lapidum poros & inaspectabiles rimulas permeare, aut aërem arctissimis illis meatibus inclusum ac stipatum exterioris aëris impulsu figurari, aut illa, quæ dicuntur, soni simulacra, eò penetrare, quò

Species soni.

Nec radij Solis, nec lucida tela diei,

nec ipsæ adeo colorum & lucis imagines peruenire possunt, vt pene credibilius (ridebitis fortasse quod dicam, sed vel ideo dicã vt rideatis) pene credibilius, inquam, videri cuipiam possit vnam & eandem numero vocem indiuisibili quadam & propemodum spiritali ratione, quod de substantialibus perfectarum animantium formis aliqui Philosophi prodiderunt, totam in toto spatio, totam in qualibet spatii parte reperiri. Quanquam huic officit coniecturæ quòd non simul & semel totum spatium sibi præfinitum peruadit, sed prius à vicinioribus, tum autem à remotioribus auditur, & continuatione quadam seriéque sensibus humanis incomprehensibili totius concionis aures, vnam ex alia longè latéque circumuolat: vnde & à poëtis ἔπεα πτερόεντα, *verba alata*, meritò nuncupantur.

54. Sed mihi necesse non est nouas & paradoxas opiniones in Philosophia procudere. viderint ij quorũ interest limarius ista tractare. Instituto meo satis est admirari naturæ vel potius creatoris in soni productione solertiam ac sapientiam singularem. In quo & illud naturæ miraculum occurrit quòd quamuis natura sua sonus in orbem spargatur, atque ad omnem loci differẽtiam emanet, tamen vbi solidum sibique impenetrabile corpus offenderit, vel instar pilæ reflectitur ac resultat, atq; ex alio in aliũ scopulũ reciprocatur, vel longo tractu porrectus sensim elabitur, & quamuis tenuis adeo sit ac remissus vt si liber sibi relinquatur vix in puro patentíque spatio possit orbem tripedalem describere, idem tamen sonus in angustos carinarum tubulos vel columnarum strias inclusus sic in longum extenditur vt vel triginta pedum interuallo frequenter audiatur, & si læuigatæ trabis extremum, aridæ præsertim, digito percusseris, vel exiguus plagæ crepitus superficiem inoffenso liquidóq; tractu delibans, & quasi glaciem perlabens in altero extremo quantouis intersticio resonabit. vt mirari satis non possimus auctoris naturæ sapientiam, quæ tot miracula præstruxit vt ad maius miraculum perueniret, hominésque inter se loquerentur, atque intimos animi sui sensus oratione certis literarum ac syllabarum articulis distincta, atque, vt sic loquar, geniculata sibi vicissim impertirent.

Aliud soni miraculũ.

55. Hactenus orationē à loquentis ore mētis imperio destinatā, quasi sequestrā interpretemq; tationis vsq; ad audientis sensum communem vocis arbitrum censotémque perduximus. Quia tamen ita de voce iudicat sensus communis, vt de significatione, quam vocis animam dicere possumus, perfectè iudicare non possit, necesse est eam penitus eliquatam, atque ab omni mareria secretam vlteriùs ad auditoris rationem transmitti, cuius vnius est de significatione vocum ac subiecta verbis sententia iudicare. Quomodo autem vel vox ab illa materiæ fece purgetur, vel recepta signi specie rei significatæ species occurrat & præsto sit, rerúmque imagines verborum idolis applicētur, explicare si velim, miracula miraculis inuoluam, maiorque fortasse res est quàm vt verbis explicari facilè possit. Quare hæc, si placet, omittamus, subductisque calculis totius argumentationis summam breuiter colligamus, vt ratio liquidiùs appareat.

5. Ratio contra mendaciū. 56. Homo est animal natura sua Politicum & Societatis appetens, cuius vinculum mutuus animorum consensus. Hic porro consensus animorum ne cogitari quidem potest, nisi homines inter se alter alteri suos sensus & cogitationes impertiant. Sed quoniam cogitationes sunt actiones immanentes, vt vocant, & tam altis in cogitantis animo radicibus infixæ, vt à suo principio separari non possint, atque in alterius animum propagari, necessarium fuit signa quædam adhibere, & quasi substituere Vicarios, inter quos voces Principatum tenent mentis sequestræ, sensuum interiorum nuntiæ, cogitationum interpretes. His tum emittendis, tum excipiendis sapientissimus humani corporis Architectus ita prouidit, vt vtriusque facultatis organum, nisi res assiduitate vilescetet, posset inter maxima naturæ miracula locum obtinere. E quibus efficitur eum qui mendaciorum offuciis orationem suam adulterat, naturæ repugnare, tem ei commendatissimam violare, societatis humanæ fundamenta subducere, ac proinde non vacare peccato. Vnde & Marcus Antoninus Imperator lib. 9. τῶν εἰς ἑαυτόν. Qui mentitur, illum ait impietatis in Vniuersi naturam Deorum omnium antiquissimam, quæ veritas etiam dicitur, crimine se obligare. Quis prohibet aliquot eius verba producere ὁ μὲν, inquit, ἑκὼν ψευδόμενος ἀσεβεῖ, καθόσον ἐξαπατῶν ἀδικεῖ. ὁ δ' ἄκων, καθόσον διαφωνεῖ τῇ τῶν ὅλων φύσει, καὶ καθόσον ἀκοσμεῖ μαχόμενος τῇ τοῦ κόσμου φύσει. *Qui itaque studio mentitur, impietatem admittit, in quantum decipiendo facit iniuriam: Qui non deditâ operâ, in quantum ab vniuersi natura discrepat, & præter decorum agit repugnans vniuersi naturæ.* μάχεται γὰρ, &c. *repugnat enim ei qui in contrariam partem à veris deflectit, præterquàm ipsius natura ferat, quæ* [percipiendæ veritatis] *occasiones ei præbuit, quibus neglectis iam non potest à veris falsa discernere.*

VII. *Aliis argumentis probatur eadem conclusio.*

57. IAm si naturam suo fine frustrari peccatum est, profecto peccatum est omnis verborum fallacia quæ naturam suo fine frustratur. Sapienter Augustinus: *Omnis qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et vtique verba propterea sunt instituta non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* 6. Ratio. Enchiridio ad Laurentiū cap. 22.

Narrat nobilis Orator Solonem cùm nescio cui perniciosæ legis authori diem dixisset, atque alia perorasset, hoc etiam adiecisse omnibus ciuitatibus legem esse, vt si quis pecuniam adulteraret, capite plecteretur: tum à Iudicibus quæsisse, ecquid eam legem iustè & præclarè latam putarēt, cùm annuissent, ac legem omnes ad vnum suo suffragio probassent: Atqui, inquit Solon, monetam arbitror apud priuatos priuatorum contractuum caussa in vsum receptam, leges autem esse monetam publicam ciuitatis. Oportet autem Iudices, si quis publicum numisma ciuitatis corruperit & adulterino signo percussum protulerit, eum multo magis odisse ac punire, quàm si quis priuatorum pecuniam, vel impuritate materiæ, vel alieni characteris impressione vitiarit. Elegantior est apud Græcos vocum allusio. Lex enim apud eos νόμος, nummus siue moneta νόμισμα dicitur, vtrumque à νέμω *distribuo*. Nummus enim inuentus est, quasi quædam mercium, aut operum mensura communis, vt in priuatis contractibus, lex vt in ciuili Societate ius suum cuique tribuatur. Demost. aduersus Aristocratem.

58. Narrat Ischomachus apud Xenophontem quibus verbis vxori persuaserit, ne fucum, ac formæ lenocinia, ementitámque pulchritudinem exquireret. Ego, inquit, ô Socrates, cùm eam vidissem cerussato vultu, vt candidior appareret, & miniato, vt rubicundior videretur quàm reapse esset, excelsis cothurnis, vt se proceriorem: quàm erat, ostenderet: Dic mihi, inquam, ô mulier, mene amore digniorem In Oeconomico.

in bonorum communicatione iudicares, si tibi, quas habeo diuitias, sine fuco & fallacia demonstrarem, neque maiores illas quàm reuera sunt, venditarem, neque quicquam earum abs te absconderem, quàm si te conarer in fraudem impellere dicens me maiores vero diuitias possidere, si tibi argentum adulteratum,& armillas intùs ligneas, fucatam purpuram pro veris sincerisque ostenderem. At illa statim arrepto sermone: Bona verba, quæso, inquit, ne ita te gesseris: non enim si talis esses, te possem ex animo salutare. Ecquid, inquam, in mutuam corporum communicationem conuenimus? Sic aiunt, inquit. Et ego, vtrùm igitur, inquam, dignior essem cui tecum esset corporis communicatio, si tibi corpus meum conarer sanum, vegetum, ac proinde bene coloratum exhibere, quàm si tibi vultu miniatus, oculis andricelo perductis meipsum tibi ostenderem, tecúmque versarer, te in fraudem inducens, & tibi pro corpore meo minium videndum & contrectandum exhiberem.

Epist.73. 59. Quòd, vt Augustini verbis vtar, *fucari pigmentis quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari secundum veniam, non secundum imperium:*

7. Ratio. Si matrona, quæ marito dormienti se clam subtraheret, ac meretricem sui vicariam, aut etiam, quod de sagis quibusdam aiunt, malum genium succubum aëreo corpore vestitum supponeret, ea matrimonii fidem immani scelere violaret; si capitale est adulterare pecuniam, subæratósque nummos pro aureis ac legitimis venditare: quis eum peccato vacare dicat, qui veritatem ipsam, vnicam consensus animorum tesseram, ac societatis hominum amicitiæque vinculum vanitate corrumpit, ingenuam illius pulchritudinem mendaciorum offuciis decolorat, eiúsque vice falsitatem audientibus obtrudit? & eo magis, quòd multæ ciuitates stant incolumes, quamuis argentum ære vel plumbo mixtum in commerciis adhibeant, neque inde quicquam accipiant incommodi, vt olim quædam gentes in Africa pro nummis calculos certis figuris

Paulus Venetus peregrinationum. lib.2.c.21. inscriptos habuerunt, & etiamnum Tartari, si Marcum Paulum Venetum audimus, toto Magni Cham imperio, corticem interiorem arboris Mori in rotundas particulas concisam regiisque notis impressum, in

cap. 17.18 39. Gadderi Prouincia corallium, in regione Caniclu sal in massulas solidatum, in regno

Haitho. lib.1.c.1. Caraiam candidos lapillos è mari collectos monetæ loco vsurpant: & si Haithonis Armeni testimonio credimus in regno Cathai quadratas papyri plagulas regio signo distinctas expendunt, neque hæc earum gentium vel incolumitati vel contractibus officiunt: At, vt iam diximus, sublata veracitate sinceráque sensuum communicatione mutuus animorum consensus aufertur, eo porro sublato, fundamentum societatis humanæ subducitur.

60. Quid? quod, vt eleganter Augustinus lib. de Mendacio ad Consentium, *aut temporalia commoda vel propria vel aliena veritati præponit quicumque mentitur: quo quid fieri potest peruersius? aut cùm veritati adipiscendæ opitulante mendacio vult facere idoneum intercludit aditum veritati, &c. Quamobrem, aut non est credendum bonis, aut credendum est eis quos credimus debere aliquando mentiri, aut non est credendum bonos aliquando mentiri. Horum trium primum perniciosum est: secundum stultum. Restat ergo vt numquam mentiantur boni.* 8. Ratio.

61. Quid? quòd *omnis qui mentitur, iniquitatem facit* (inquit idem Augustinus lib. 1. de doct. Christiana cap. 36.) *& si cuiquam videtur vtile aliquando esse mendacium, potest videri vtilem aliquando esse iniquitatem. Nemo enim mentiens in eo quod mentitur, seruat fidem. Nam hoc vtique vult vt cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non seruat, omnis autem fidei violator iniquus est. Aut igitur iniquitas vtilis est aliquando, quod fieri non potest, aut mendacium semper inutile est.* Addamus, aut igitur iniquitas iusta est aliquando, quo nihil fingi potest absurdius, aut mendacium semper iniustum est, ac proinde peccatum. 9. Ratio.

62. Iam si tantum scelus est, ac tanta iniquitas societatis humanæ iura mendacio violare, sacrilegium pene dixerim Christianum Christiano mentiri, id est Christum ipsum mendacio lacerare, membratimque diuellere. *Veritatem*, inquit Apostolus, *facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*, quem in locum Chrysostomus, σφόδρα ἀσαφῶς ἡρμήνευσε τῷ πάντα ὅμως θέλησας εἰπεῖν, *admodum obscurè loquutus est, quòd simul omnia dicere voluerit.* Ἀληθεύοντες, *veritatem facientes*, quod alii latiùs ac generaliùs transtulerunt, *veritatem sectantes*, eámque tum verbis, tum etiam factis exhibentes in charitate crescamus, per omnia corporis Ecclesiæ membra, vel potiùs in omnem 10. Ratio. Ephes.4. 15.

exercendæ virtutis occasionem intenti, crescamus, inquam, non in nobis ipsis, sed *in illo, qui est caput* Ecclesiæ, *Christus*, qui gratiâ per omnia corporis sui mysticiâ membra diffundit. Et queâdmodum spiritus qui descendit à cerebro, sentiendi facultatem per neruos non æqualiter dat omnibus, sed secundum analogiam & proportionem vniuscuiusque membri, ei quidem, quod plus potest suscipere, amplius, minus autem ei quod minus: Sic etiam Christus. καθάπερ γὰρ μελῶν τῶν ψυχῶν εἰς αὐτὸν ἀνηρτημένων, ἡ πρόνοια αὐτοῦ καὶ ἡ χορηγία τῶν χαρισμάτων κατ' ἀναλογίαν ἐν μέτρῳ τῷ ἑνὸς ἑκάστου αὔξησιν ποιεῖται. *Animabus enim tanquam membris ex ipso suspensis, eius prouidentia & charismatum subministratio secundum quandam proportionem & mensuram, prout cuique conuenit, augmentum facit vniuscuiusque membri.* Ait Paulus. Ex quo totum corpus cōpactum & connexum, &c. augmentum corporis facit, &c. Christus, qui caput est Ecclesiæ, totum eiusdem Ecclesiæ corpus, mirabili quadam continuatione serieque membrorum, vt alia nectantur ex aliis, & omnia inter se apta quadam animorum consensione sibi colligentur, compactum & coagmentatum, sibique ipsi tanquam capiti connexum auget gratiâ per omnem corporis illius iuncturam siue commissuram subministratâ & largiter in corpus influente, secundum operationem, prout videlicet Christi Spiritus in singulis operatur, non æqualiter in omnibus, sed in mensuram vniuscuiusque membri, & prout vnumquodque fuerit ad maiorem vel minorem gratiam destinatum. Atque ita fit vt Christi corpus ædificetur in seipso, singulis membris pro mensura gratiæ sibi communicatæ crescentibus in charitate. In charitate, inquam. *Quomodo enim si contigerit, vt manus auulsa sit à corpore, Spiritus qui procedit à cerebro, quærens continuationem, cùm non repererit, non exilit à corpore, & eo perforato exit ad manum, nec eam attingit omnino nisi reliquis membris compactam & coagmentatam inuenerit. Ita hic quoque nisi fuerimus inter nos mutua charitate deuincti.*

Chrysost hom. 11. in Epist. ad Ephes.

Chrys. ib.

Ephes. 4. v. 25.

63. Addit Apostolus. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra.* Ποῖον ψεῦδος; τὰ εἴδωλα ἆρα φησίν; οὐ περὶ τούτων, ψεῦδος γὰρ καὶ τοῦτο, ἀλλὰ νῦν οὐδὲν αὐτοῖς κοινὸν πρὸς αὐτά. ἀλλὰ τὸ πρὸς ἀλλήλους φησί, τοῦτ' ἔστι τὸ δολερὸν καὶ ὕπουλον. *Quod mendacium? num dicit idola? Non de iis dicit. Nam hoc quoque est falsum seu mendacium. Sed nunc nihil est eis commune cum ipsis. Sed de eo mendacij genere quod est eis inter se; hoc est dolosum & fraudulentū, &c.* οὐ γὰρ οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἔχθρας ποιοῦν οὕτως, ὡς τὸ ἀπατᾶσθαι καὶ παραλογίζεσθαι. *Nihil enim, nihil est quod æquè pariat inimicitias atque decipi ac falli.* Hæc & alia multa præclarè Chrysostomus, quæ Quirinus de Salazar Prouerb. 18. Emonerius & alii iampridem occuparunt. Amph. Quid igitur? eius quod publici iuris est, vsucapionem dari putas, vt primi, quod aiunt, sit occupantis, & si qua Patrum restimonia libata fuerint à prioribus, ea sequentibus non liceat attingere?

Hom. 14. ad Ephes. initio.

64. Phil. Age igitur, Chrysostomum tantisper audiamus. Μὴ ψευδέσθω, φησι, ὁ ὀφθαλμὸς τὸν πόδα. Sed parco Græcis. *Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum, vt si fossa profunda supernè positis arundinibus ac terra coopertis, in superficie terræ solidæ speciem præbeat oculis, an non vtetur pede, vt sciat* πότερον εἴκῃ *lege* εἶναι, καὶ διάκενον ἐστι κάτω, *vtrum cedat & sit vacuum infernè, an contranitatur & resistat? Non fallit pes, sed verum indicat. Quid si serpentem videat oculus aut bestiam, an pedem decipit? an non statim renuntiat, & ille, cùm ab isto didicerit, non vltra progreditur? Quid verò? cùm neque oculus neque pes ad veri cognitionem peruenire potest, sed totum id in odoratu positum est, verbi caussa, vtrùm sit malum venenum an non sit? Ecquid os fallitur ab odoratu? Nequaquam. Cur? Quia seipsum quoque perderet odoratus. Sed quod in ipsius notitiam venit, fideliter enuntiat. Quid verò lingua? Num stomachum fallit? Ne illud quidem. Sed quod amarum deprehenderit, id reÿcit, quod dulce, transmittit. Vide ministerium ac retributionem seruitutis. Vide prouidentiam è veritate manantem, ídque alacri & prompto, vt ita dicam animo. Ita nos quoque ne mentiamur inuicem, nec fallamus, si sumus alter alterius membra,* τοῦτο, inquit, φιλίας τεκμήριον, τὸ δ' ἐναντίον ἔχθρας, *hoc amicitiæ, contrarium autem inimicitiarum est indicium.*

65. Hæc magnus Chrysostomus. Quia tamen, ne quid dissimulem, quædam putar incidere tempora, quibus licitum esse possit honestúmque mendacium, eiúsque prohibitionem ad sola Christi membra, siue Christianos eodem spiritu animatos, ac mutua charitate deuinctos restringit his verbis: *Quid si insidietur? inquies.* Agnosce veritatem, ἂν γὰρ ἐπιβουλεύῃ, οὐκ ἔστι μέλος. *Si enim insidias moliatur, membrum non est. membris autem interdixit ne sibi inuicem mentiantur:* non solùm à Chrysostomo, sed etiam à Christi membris & Apo-

ſtoli ratione tantiſper abducamus animum, atque ad naturalem fallacis orationis turpitudinem redeamus.

Inſtit. Chriſt. lib. 3. cap. 1. 66. *Deus*, inquit præclarè Lactantius, *hanc voluit rei eſſe naturam, vt ſimplex & nuda veritas eſſet luculentior; quia ſatis ornata per ſe eſt, ideóque ornamentis extrinſecùs additis fucata corrumpitur, mendacium verò ſpecie placet aliena, quia per ſe corruptum vaneſcit ac defluit, niſi aliunde ornatu quæſito circumlitum fuerit, ac politum.* Tanta eſt enim eius fœditas, tanta turpitudo, vt niſi laruatum, vt ita loquar, ſub perſona veritatis obrepſerit, non ſolùm à ſapientibus verique cupidis, ſed etiam à ſtultis ac mendacibus reſpuatur, & ne admittatur quidem niſi ſub aliqua veri ſimilitudine deliteſcat. Adeò vt nec ipſæ Sirenes, quantauis orationis ſuauitate, quicquam perſuadere potuerint, niſi

Vndecima ratio cõtra mendaciũ.

--Ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

--*Falſa loqui non pauca ſimillima veris.*

Et mendacia veritatis integumentis obuoluta quaſi per cuniculos prætennauigantium auribus inſinuare didiciſſent.

12. Ratio. 67. Neque verò ſpecie duntaxat & ementita veritatis imitatione fucandum eſt, vt in auditorum animos obrepat, ſed etiam tam infirmum eſt natura ſua, vt omnino cohærere non poſſit, ac fidem inuenire, niſi vel ipſiſſimæ veritatis adminiculo fulciatur; quo fit vt quo quiſque eſt in comminiſcendis mendaciorum officiis ingenioſior, eo ſollertiùs illius adiumenta conquirat. *Veris*, vt ait Poëta quidam non ineptiſſimus,

Veris falſa probans, quia ſemper falſa loquendo
Fallere nemo poteſt: Veri ſub imagine falſum
Influit, & ſenſum turbatas occupat aures.

13. Ratio. 68. Iam ſi, vt ait apud Platonem Socrates in Theætheto exeunte. Sic à natura comparati ſumus, vt ratio ſuas cogitationes velut in ſpeculum aut aquam ſic in orationem ex ore profluentem impreſſas auditoribus repræſentet. Si, vt eleganter Mercurius ille ter maximus in Pimandro, λόγος ἐστὶν εἰκὼν τοῦ νοῦ, καὶ νοῦς τοῦ θεοῦ. *Oratio eſt imago mentis & mens Dei*: inficias ierit nemo contra locutionis naturam peccari, ſi velut imago ab exemplari, ſpeculum ab obiecto, ſic oratio à ratione diſſentiat. Vt enim ſpeculum Hecubam pro Helena repræſentans vitioſum duceretur, vt pictor contra artem peccaret, qui vel equi pro boue delinearet imaginem, vel Æthiopem ceruſſa minióque, lac aut niuem atramento depingeret, ita contra naturam

Cap. 3.

peccat, qui veritatem fucatis fallaciarum pigmentis dicam an figmentis adulterat, vel potiùs ſpectandam exhibet vmbram pro corpore, ſomnium pro Vigilia, pro veritate mendacium.

69. Atque hæc eſt, opinor, illa ratio magno Theologorum cõnſenſu excepta, quàm Theologiæ diſputatricis Antiſtes tertio ſententiarũ in hæc verba concepit. *Cùm locutio inuenta ſit ad exprimendam conceptionem cordis, quandocunque aliquis loquitur quòd in corde non habet, loquitur quod non debet. Hoc autem contingit omni mendacio. Vnde omne mendacium eſt peccatum, quantumcumque aliquis propter bonum mentiatur.* & alibi. *Mendacium*, inquit, *eſt malum ex genere. Eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam, cùm enim voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum quod aliquis voce ſignificet quod non habet in mente.* Quicquid autem innaturale eſt, & indebitum, citra controuerſiam peccatum eſt. Vt ſapientes illi qui primi nomina rebus indiderunt, aliquid vidiſſe videantur, cùm verum νημερτὲς, quaſi ἄνευ ἁμαρτίας peccatóque contrarium appellari voluerunt, imò & Hebræi, qui linguam ſuam ipſi Deo peculiari quadam ratione referunt acceptam, vix vllum in peccati, præuaricationis, iniquitatis ac mendacii vocabulis diſcrimen agnoſcunt, & idola mendacium frequenter indigitant.

Diſt. 38. q. 1. in 6.

14. Ratio.

2. 2. q. 110.

Si quis, quod olim leproſos Iudæis auctoribus in Gallia feciſſe ſcriptores Annalium produnt, publicos fontes, aut puteos infuſo veneno corrumperet, eum mefitò quaſi teterrimam generis humani peſtem omni ſupplicio mactandum, atque infra mortuos amandandum putaremus. Quid enim ſceleratius, quid immanius quàm omnibus mortalibus, bellum indicere, omnibus cladem ac perniciem moliri? Et eum peccato vacare cenſebimus, qui, vt dicitur in Timæo poſt tertiam circiter libri partem, τὸ δὲ λόγων νᾶμα *Sermonum laticem ſiue ſcatebram ex ore manantem ſeruientémque rationi*, omnium ſcaturiginum optimam longéque pulcherrimam, mutuæ charitatis alimentum, vel potiùs humanæ ſocietatis elementum immiſſo mendacii fallaciæque toxico vitiarit.

15. Ratio.

16 Ratio. 71. Linguas aiunt triſulcas eſſe ſerpentibus, bifidas lacertis, quibuſdam Triballorum atque Illyriorum familiis duas in ſingulis oculis pupillas, quibus interimunt quos diutius intuentur: Thibios in Ponto in altero oculo equi effigiem, in altero duas itẽ pupillas geſtare: in Paphlagonia cor duplex

inesse perdicibus. His fidem adhibere necesse non est. Illud aio. Si quis reperiretur eiusmodi, qui vel bisulcam à natura linguam, vel duas in singulis oculis pupillas sortitus esset, aut cor animúmque duplicem haberet, is monstri loco, cui inauspicatum esset occurrere, sine controuersia duceretur. Quid igitur illis facias qui cùm vnam à natura linguam, cor vnum, vnam mentem veram animæ pupillam acceperint, sibi duplicia fabricantur in moribus, & quod in natura peccati damnarent, in voluntate conantur absoluere? A quibus Psaltes Regius non solum veritatem diminutam esse queritur, sed etiam, *vana locuti sunt*, inquit, *vnusquisque ad proximū suum, labia dolosa, in corde & corde locuti sunt*. Et Sapiens ille Siracides. *Væ duplici corde, & labiis scelestis!* Et iterum: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua*. Et Iacobus Apostolus: *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo*. Quisquis enim mentitur, cogitationes habet duas: alteram quam veram putat, & silentio premit: alteram, quam falsam existimat, & oratione depromit. quo fit vt cor duplex, animúmque duplicem habere meritò censeatur. E quibus proinde effici videtur omne mendacium non modò peccatum esse, sed etiam prodigium ac portentum extra naturæ fines exterminandum.

Psal. 11. Eccl. 2. 14. Eccl. 5. 11. Iac. 4. 8.

VIII. *Antiquorum Scholasticorum argumenta ad demonstrandam turpitudinem mendacij.*

72. AMPHIL. Equidem satis mirari non possum, Philalethes, te qui tam enucleatè contra mendacium disputaris, atque omnes vndique probationes ambitiosè collegeris, nihilo tamen secius vnam ex omni Schola libasse rationem, quę S. Thomæ potissimùm arrisit, cæteras autem prætermisisse, quas antiqui Scholastici (Recentiores enim plerique ne attigerunt quidem) magnis inter se concertationibus vltro citróque ventilarunt. PHIL. Ingenuè fatebor, Amphiloge. Non exciderat animo quibus argumentis veteris Theologiæ proceres contra mendacium vterentur, sed ea prudens & sciens omisi, ne rixandi studio viderer contra viros doctissimos, quorum authoritatem veneror, in certamen descendere. Partim enim, ne quid hodierno die dissimulem, futiles admodum rationes aduersariis opponunt, partim vltro concedi sibi postulant, quod vnum in quæstione versatur, quod si negaueris, vltra progredi non possint.

73. Petrus de Tarantasia, is qui totius Ecclesiæ gubernaculis admotus Innocentij V. nomen obtinuit, hoc nititur argumento. Quicquid auertit à Deo, peccatum est. Sed omne mendacium auertit à Deo Deus enim est veritas, cui sine controuersia falsitas opponitur. Ergo peccatum est omne mendacium. Atque ex his effici putat nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione, nec diuina, nec humana licitum & honestum fieri posse mendacium. Contra quem Bonauentura, Scotus, & alij præscribunt sicut alia est creata bonitas, alia bonitas increata, ita veritatem aliam esse creatam, aliam increatam: mendacium porro præcisè qua mendacium est, haudquaquam cum increata sed cum creata veritate confligere.

17. Ratio contra mēdacium. Petri de Tarantasia.

74. Si Bonauenturam ipsum audimus, nullà loci temporísque circumstantiâ mentiri fas est, quia omne mendacium non modo cadit supra materiam indebitam, sed etiam indirectam fallendi voluntatem, quæ per se mala est, semper inuoluit. Sicut nullo modo potest bene fieri, quòd aliquis cognoscat alienam intentione adulterandi, siue ex improbitate voluntatis. sicut enim ex charitate non potest scienter committi malum, quod quidem maneat malum, vt inde eueniat bonum: sic etiam non potest ex charitate dici falsum, vt inde eueniat verum vel bonum. & est simile: quoniam sicut vis operariua deseruit affectiuæ, sic vis interpretariua deseruit intellectiuæ: & sicut finis affectiuæ est bonum, ita finis intellectiuæ est verum. Sicut ergo nullum opus potest ex charitate fieri, nisi quis intendat bonum, & illud opus sit ordinabile ad bonum: sic etiam nullus sermo potest ex charitate proferri, nisi in illius sermonis prolatione primo intendatur verum. & quia mendacium ordinatum est ad contrarium veri, videlicet ad iudicandum falsum ex ipsa intentione proferentis, ideo non potest fieri ex charitate, sed semper male.

3. Sent. dist. 38 quæst. 1. in C. & ad 6.

18. Ratio Bonauenturæ.

75. Hæc & alia Doctor Seraphicus, in quibus vt verum fatear, duo sunt quæ satis intelligere non possim. Nam quod concedi sibi postulat voluntatem fallendi semper esse malam, hoc ipsum est quod in controuersiam vocatur. Quod autem ait nullum opus ex charitate fieri posse nisi vel bonum sit natura sua, vel saltem ad bonum ordinetur intentione facientis, verisimè dictum est. Neque tamen hinc efficitur nullum posse sermonem ex charitate proferri nisi

ad verum certa proferentis intentione atque animi destinatione collineet. Non, inquam, id efficitur, quia bonitas est charitatis obiectum; charitas autem voluntatis perfectio, quo fit vt quodcunque malum opus, aut mali cupiditas cum charitate confligat. At verò cùm duplex sit veritas, altera quam obiectiuam appellant rebus ipsis penitus insita, atque, vt ita dicam inolita, quam intelligendi facultas velut obiectum intuetur: altera formalis & inhærens intelligentiæ perfectio, quæ perinde se habet ad intelligentiam, vt charitas ad voluntatem: quam, nisi vobis aliud nomen commodius occurrit, perspicuitatis caussa veracitatē appellare poterimus: si diceret eminentissimus ille Doctor quemadmodum opus non potest ex charitate fieri nisi vel reapse bonum sit, vel saltem indifferens, & ad bonum operantis intentione destinetur, ita sermonem ex veracitate proferri non possse, nisi vel in se verus putetur, vel ad veri significationem, vt fit in fabulis & parabolis, loquentis intentione referatur: Equidem audiendum putarem, & Pseudagoras hic noster vltro concederet. Sed aliud in quæstionem veniebat, vtrùm videlicet conniuente tantisper ratione mendacium posset aliquando charitatis imperio proferri: de qua dixit aliud nihil quàm mendacium ex ipsis naturæ suæ principiis prauam fallendi voluntatem inuoluere: idque concedi sibi postulat, in cuius probatione laboramus. Sed hæc omitto, quæ quoniam confutare pudor ac reuerentia prohibet, malo meā in intelligendo tarditatē & inscitiam cōfiteri.

19 Ratio Scoti. 76. Scotus reiectis aliorum rationibus, ne nihil ipse dicere videatur, ait ad declarandam Bonauenturæ sententiam mendacij nuncupatione non solùm locutionem naturalem, sed etiam annexam mendacij turpitudinem ac malitiam contineri, quemadmodum adulterii vocabulum non modo coïtûs naturalis, qui & in ordine naturæ bonus est, & in genere morum ἀδιάφορος, atque in boni malique confinio constitutus, sed etiam libidinis atque iniustitiæ significationem inuoluit, ac proinde quemadmodum fieri nequit, vt quisquam iustè casteque adulterium admittat, ita fieri non posse vt quis licitè mentiatur. Sed hoc ipsum est quod in controuersia versatur, vtrùm locutioni qua mendacium concipitur, semper adspersa sit moralis aliqua turpitudo. Quod vt verum esse fatear, mihi tamen certius probari velim, neque Pseudagoras sine probatione facilè concesserit.

20 Ratio aliorum. 77. Alij cùm virtutes in duo genera descripserint, quarum aliæ sint ad salutem necessariæ, ac lege diuina sancitæ, vt charitas, iustitia, pudicitia, quæ sine peccato violari non possint: aliæ voluntariæ, quæ non præcipiantur quidem, tanquam ad salutem necessariæ, sed velut ad consequendam Christianæ vitæ perfectionem vtiles consulantur, vt paupertas Euangelica, cui priuatus omnis quantumuis iustus & moderatus diuitiarum vsus propria voluntate susceptus opponitur: vt virginitas, aut etiam religiosa castitas, quibus aduersantur etiam illa, quæ ita matrimonii sanctitate purgantur, iis vt nemo possit, nisi aliunde sordescant, vel minimam peccati labem offundere: quibus Christianæ perfectionis adminiculis qui destituti fuerint, modò bonis operibus intenti præcepta legis obseruent, *non sedebunt quidem*, vt cum Augustino loquar, *cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi*: cùm hæc, inquam, ita distinxerint, ita se probare putant nullis vnquam temporum locorúmve circumstantiis honestè proferri posse mendacium. Quicquid contrarium est virtuti præceptæ ac necessariæ peccatum est, atqui mendacium veracitati virtuti præceptæ ac necessariæ contrarium est: Peccatum igitur. Hæc illi. Quos equidem exoratos velim, vt vel quod in disceptationem venit, certa ratione demonstrent, probéntque veracitatem in virtutibus imperatis atque ad salutem necessariis censeri oportere, vel, quod facilius est, sileant, vel saltem æquo animo nos vim huius argumenti non intelligere, & ne eum ipsis altercari necesse sit, alias rationes enucleare patiantur. Epist. 89. extremo.

IX. *Explicantur Scholasticorum argumenta.*

78. AMPH. Imò, Philalethes, tantisper orationis tuæ vestigia relegamus, videamúsque quid in singulis veterum Scholasticorum probationibus probabilitatis affulgeat. Ait Petrus de Tarantasia mendacium omne contrarium esse diuinæ & increatæ veritati: alii negant, & creatæ duntaxat veritati contrarium esse defendunt: ac proinde quemadmodum bonitas creata destrui sine peccato potest si vel bona Dei venia & permissio, vel præceptum accesserit, vt brutarum animantium vita, quæ citra controuersiam bona est, Deo permittente sine peccato destruitur, & Isaac eodem iubente non solùm sine scelere, sed etiam cum laude potuit immolari: ita, si nihil aliud officiat, vel charitatis intuitu, vel dispensatione diuina destrui posse creatam

veritatem mendaciúmque proferri. In hoc igitur inter Tarantasianum cæterósque Theologos totius controuersiæ cardo versatur, vt probet mendacium cum diuina & increata veritate confligere.

79. Equidem sic existimo, quicquid vel in natura vel in moribus bonum est, aut saltem ἀδιάφορον, id omne diuinis ideis, atque infinitæ illius perfectionis, quam Nazianzenus ἄπειρον τῆς οὐσίας πέλαγος, infinitum essentiæ pelagus, Dionysius τὴν τῆς ὑπεραγαθότητος ὑπερύπαρξιν, *super bonitatis superexistentiam* appellat, eminentiâ contineri, quicquid autem non continetur, nec bonum esse nec indifferens, sed diuinæ perfectioni contrarium: sic intemperantia, iniustitia, imprudentia, ignauia. & si qua eiusmodi, quamuis primo & per se cum creatis virtutibus confligant, quia tamen haudquaquam eminenter, vt vocant, diuinæ perfectionis excellentia clauduntur, sic ei videntur esse contraria, vt nullo fine, nulla operantis intentione possint in rebus honestis ac licitis numerari. Neque enim fieri potest, vt verbi gratia, quisquam honestè faciat quod animo iniusto, vel impudico susceperit. Ita mendacium, qua mendacium est, videri potest natura sua malum ac diuinæ veritati contrarium, quia quatenus est oppositum veritati creatæ, nullis ideis diuinis, nulla infinitæ illius naturæ perfectione includitur. Quamuis enim, vt eleganter aduertit magnus ille Dionysius, vel ipsum non ens, siue entis creati limitatique negatio in infinita illa diuinitatis perfectione suo modo continetur, & aliquam in ea bonitatis induit rationem; mendacium tamen, quia mendacium est, cum illo veritatis fonte cohærere non potest, nec in illa natura falsitati locus est quam totam veritas occupauit.

De diuinis nominib. cap. I.

Confirmatur ratio Petri de Tarantasia.

De diuinis nominib. cap. 4. καὶ τὸ μὴ ὂν μετέχει τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ ἀγαθοῦ, &c. vide.

80. Hoc autem est inter mendacium & cætera illa, quæ cùm proximo noceant, secundâ legis diuinæ tabulâ prohibentur, discrimen, quòd ab externis aliorum vitiorum actibus aboleri diuina dispensatione potest omnis malitiæ turpitudo, in mendacio non potest. Cùm enim verbi causâ, furti labes in eo consistat, quòd inuito domino rem alienam vsurpes: adulterii, quòd cum aliena, in quam iuris habes nihil, rē habeas: homicidii, quòd per iniuriā ac sine legitima potestate hominem interficias. Si tibi Deus rerum, corporum, vitæ, necisq; dominus tui iuris esse fecerit bona, corpus aut vitam alienam, sine fraude & iniustitia, quantumuis inuitis Dominis inferioribus, poteris attrectare rem & coniugem alienam, & innocentes occidere. Cùm enim furti, adulterii, homicidii malitia consummatetur exteriùs, & ab obiecto siue externa materia peteretur (non enim, verbi gratia, malum est adulterium, quia mala intentione committitur, sed potiùs mala est intentio, quia externo actu ius alieni matrimonii violatur) mutatis diuina dispensatione iurísque concessione peccatorum obiectis, peccata iam esse desinunt, & nisi sordes contraxerint aliunde, non solùm ab actibus externis, sed etiam à voluntate labes exuritur.

Cur in mēdacio dispensari non possit.

81. At alia mendacii ratio est cuius fœditas ac turpitudo perficitur interius, nec tam in eo consistit quòd ab obiecto remoto, siue ab externa rerum veritate dissentiat, quàm quòd contra loquentis conscientiam proferatur, siue quòd eodem reuoluitur, προφορικὸς λόγος prolatitius sermo ab interiori & insito verbo dissideat, quem Philo διανοίας ἀδελφόν, *cogitationis fratrem eleganter appellat*. Cuius id officium, vt obstetricetur animæ patienti. *Cùm enim*, inquit, *excitata mens in aliquid sibi familiare sumpserit impetum, aut intus à seipsa, aut diuersis rerum externarum formis aliunde receptis commota fuerit*, κυοφορεῖ δὲ καὶ ὠδίνει τὰ νοήματα, *concipit & parturit cogitationes: quas volens parere non potest, donec per linguam cæteráque instrumenta vocalia, vox eas excipiens, obstetricis more producat in lucem*, ἣ δὲ δεξαμένη μαίας τρόπον εἰς φῶς προάγῃ τὰ νοήματα. Hic igitur est proprius mendacii næuus, hæc insita labes, quòd à loquentis cogitatione tanquam frater à sorore dissideat, & vt Pharao præcipiebat obstetricibus Hebræorum, cùm obstetricatur rationi, & tempus partus aduenit, si masculus fuerit, interficiat: si fœmina, reseruet. Cùm enim mentientis, atque, vt in psalmo dicitur, in corde & corde loquentis ratio duas cogitationes conceperit, masculam alteram, veram ac robustam, alteram effœminatam, falsam, imbecillem, cùm pariendi tempus aduenerit, mendacium veram illam animæ prolem maternis adhuc visceribus inclusam elidit, falsam in lucem educit. Quò fit vt adspersa, vel potiùs insita mendacio labes, & perficiatur interiùs, & nullis locorum, personarum, temporum circumstantiis eluatur.

21. Ratio contra mendaciū.

Quod deterior potiori insidiari soleat, post 3. circiter partem.

82. Quid? quòd, vt ait idem Philo, quemadmodum quæ in tenebris penitus abstrusa delitescunt, sine lucis admistione non videntur, ita rationis humanæ cogitationes in pectoris recessum abditæ suis è latebris extrahi nequeunt, nisi sermonis velut affuso lumine retegantur, vt meritò lux rationis ipsius vocari possit oratio. *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quan-*

Ibidem.

Matth. 6. 23.

Luc 11.35. *tæ erunt? Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint.* E quibus effici videtur, quod ait Bonauentura, ideo nunquam honestè proferri posse mendacium, quia secundum se, & ex ipsis naturæ suæ principiis malam fallendi voluntatem inuoluit. Si tamen eum sic interpretemur vt per *fallendi voluntatem*, dicendi falsi & contra mentem conscientiámque propriam loquendi voluntatem intelligat. Nam si sola fallendi, siue erroris in auditoris animum instillandi voluntate mendacii macula contineretur, & malum esset mendacium non quia dissidet à loquentis conscientia, sed quia proximum in errorem inducit, non video cur eum certis locis ac temporibus certo destinatóq; consilio decipere non liceret, quem frequenter licet occidere. Cùm præsertim grauissimi Theologi alienum à diuina veracitate non putent, vt habitum erroris hominum animis infundat, quamuis falsum authoritate testimonióque suo confirmare non posit.

Explicatur ratio S. Bonauent.

Vasques 1. 2. disp. 9. n. 11.

83. Quod ad eos attinet qui veracitatem in virtutibus non liberis ac voluntariis, sed imperatis & necessariis numerandam putant. Equidem videre non possum cur eorum ratio tibi respuenda tantopere, videatur. Neque enim, opinor, vel Pseudagoras hic noster, vel acerrimi quique mendaciorum patroni concedi sibi postulant, vt quocunque loco, quocunque tempore, quoties citra cuiusquam iniuriam fieri potest, liberè mentiantur. Quòd si consilii duntaxat esset veracitas, non etiam præcepti, fas esset quacunque occasione, si modo neque charitas, neque iustitia læderetur, proferre mēdacium. E quibus efficitur veracitatem esse virtutem necessariam atque imperatam, ac proinde vitium esse quicquid cum ea confligit. Sed quoniam me non alterutrius partis aduocatum, sed totius controuersiæ disceptatorem esse voluistis, hæc à me dicta putatote, non vt contra mendacium veritati patrociner, sed vt obiter moneatur Philalethes habuisse veteres Theologos quid spectarent, eorúmque rationes comi benignáque interpretatione leniorem in partem inflecti potuisse.

X. *Hugonis Grotij opinio de mendacio.*

84. RESTAT vt paucis Hugonem Grotium conueniamus. PHIL. Virum sanè doctum, qui vtinam pariat aliquando, quod iampridem videtur animo parturire, totúmque tandem se Catholicis partibus addicat, quas contra Molinæi calumnias non dubitauit rectò Catholicóque sensu defendere. sed perge porro. AMPH. Ait Grotius tùm l. 3. de iure belli & pacis ineunte, tum Commentariis in Euangelia duas esse mendacii notiones: alteram communem, laxiorémque: alteram strictiorem ac propriam. Communem in eo consistere, vt quod dicitur, scribitur, notatur, innuitur, intelligi aliter nequeat, quàm in eum sensum qui à proferentis mente discrepet: ad strictam propriámque rationem mendacii præterea requirit vt differentia siue conditio quædam accedat. Eam porro nullam aliam videri præter repugnantiam cum iure subsistente ac permanente illius ad quem sermo aut nota dirigitur. Id autem nihil aliud esse quàm iudicandi libertatem, quàm homines colloquentes, his quibus loquuntur, debere quasi pacto quodam tacito intelliguntur. Significare voluit, opinor, potestatem siue facultatem, qua possint qui sermones inter se miscent, si modò velint ac mentem adhibeant, per orationem cogitationum interpretem, alter in alterius animum penetrare. Hæc autem, inquit, nec alia est mutua illa obligatio, quam homines introduci voluerunt, simul atque sermone notisque similibus vti instituerunt. Nam sine tali obligatione inane esset tale repertum. Vnde vult effici falsiloquium ex iis caussis crimine vacare, è quibus obligatio per illud tacitum generis humani pactum suscepta vel penitus aufertur, vel saltem ab effectu suo suspenditur. Videtis ex eruditi viri sententia veram interdicendi mendacij caussam non ex ipsa rei natura, non è rationis orationisque dissidio, sed ex humani generis instituto petendam, quòd videlicet homines tacito quodam consensu iam inde ab rerum initio conuenerint, vt inter se sine fuco & fallacia loquerentur, nec sibi mutuis verborum aliorúmve signorum præstigiis erroris necessitatem obiicerent. Itaque verum germanumque mendacium non esse, vt vulgo definiunt, falsam locutionem cum voluntate fallendi, sed falsam locutionem, siue rei falsæ significationem, qua pactum humani generis, & mutua dicendæ veritatis obligatio violatur. Qua de sententia, nisi vobis molestum est, equidem scire velim quid vterque censeatis.

12 Ratio contra mēdacium Grotii.

85. PSEVD Ego verò, Amphiloge, hanc eruditi viri disputationem non solùm admitto, sed etiam obuiis, quod aiunt, vlnis amplector, quæ quantumuis ille dissimulet, videtur apertè velificari mendacio. Cùm enim hinc effici velit, & vltro concedat, vt quoties cùm infantibus, furiosis, & mente

captis orationem habemus, sine peccato falsum loquamur, & sermo noster à cogitatione dissentiat, quia vt ratione carent, ita pacti sunt incapaces, cùm præterquam in priuatis publicisque contractibus hostes significatione falsi deludi, atque in fraudem induci posse fateatur, quia vt vim vi, ita fraudem repellere iure naturæ concessum est, cùm fieri posse defendat, vt quis propter eminentissimam, qua pollet, authoritatem solutus sit omnibus legibus humanis, & nulla communis illius pacti, dicendæque veritatis obligatione teneatur, quo nomine Christum excusare potuit, qui finxit se longiùs ire, iudicii diem nescire, ad diem festum non ascendere? cùm denique omnibus illis circumstantiis, quibus, vt plerique sentiunt, tuque imprimis, Amphiloge, licet, vel iudicem iniustè contràque iuris formulas interrogantem, vel maritum curiosiùs & contra ius fasque de vxoris pudicitia sciscitantem ambiguitate responsionis eludere, falsam locutionem vsurpari permittat, cùm inter nos tota de re conueniat, non video cur diutiùs in verbo tricari debeamus.

Expeditur.

85. Cùm enim quæritur vtrùm aliquando mentiri, siue mendacium proferre liceat, aliud nihil in controuersiam venit, quàm vtrùm certis rerum ac temporum peristasibus falsum significare, atque adeo contra nostram ipsorum conscientiam loqui, & aliud in ore promptum, aliud in pectore clausum habere possimus. Hoc si concesseris, equidem de mendacii nomine non magnopere contendam. *Nam si* (vt verbis vtar Ambrosij) *orator illorum qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc positas esse fortunas Græciæ, hoc an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat: si ipsi Philosophi eorum qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinis & receptis vsi sermonibus sunt, vt propriis vterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria?* &c. Omissis igitur vocabulis ipsam Grotij sententiam amplector, aióque non ex ipsa rei natura, sed è taciti fœderis cum humano genere contracti violatione totam mendacij turpitudinem redundare, vt impune mentiri, vel saltem, ne de nomine rixemur, contra mentem & oppositi conscientiam loqui falsúmque significare possimus, vbicumque cessat obligatio communi generis humani pacto suscepta. Id adeo verum esse vel ex hoc quasi vestigio subodorari poterimus, quod si quis vel seipsum mentemque suam cum Vlysse, vel equum suum cum Achille, vel auram alloquatur cum Cephalo, & Ariadne, quantumuis, animi relaxandi caussa, falsa falsis, mendacia mendaciis inuoluat, ei nemo vel minimam imputabit peccati labeculam. Quid verò? Quia videlicet nullum homini cum brutis animantibus, nullum cum rebus inanimis, nullum cum seipso pactum intercedit, quod illa falsi prolatione violetur.

In Lucam cap. 2.

Demosth. pro Ctesiphonte.

87. Alii & ipsi viri sanè doctissimi, quamuis cum Hugone Grotio mendacii labem in eo consistere putant, quod pactum illud dicendæ veritatis voluntaria falsi significatione rescinditur, nihilo tamen secius leniendæ orationis & inuidiæ declinandæ caussa turpitudinem illam ex ipsa rei natura manare defendũt, totámque falsæ locutionis siue maculam siue honestatem quadam, vt vocant, boni malique præponderantia metiuntur, vt tum demum honesta sit oratio contra loquentis mentem, & partis oppositæ conscientiam prolata, cùm bona consequentia malis ex eadem prouenientibus antecellunt; turpis & inhonesta, cùm mala bonis vice versa propondetant, & cùm maiora bona è veri significatione procedunt, pactum illud seruare teneamur: cùm maiora mala, omni dicendæ veritatis, cauendæque falsitatis obligatione soluamur. Sic adultera mulier eiuratæ pudicitiæ sibi conscia roganti marito ecquid flagitium admiserit, ac matrimonii fidem adulterio violarit, sine verborum ambiguitate, sine tacita mentis restrictione præfractè negabit, & prudens sciens cum oppositi conscientia loquetur, dicérque se Lucretia castiorem: neque tamen mentiri, nedum peccare censebitur, quia mendacium non est vbi sectandæ veritatis fugiendæque verborum falsitatis obligatio communi generis humani consensu suscepta relaxatur: relaxatur autem vbi bonorum è falsa locutione prouenientium momenta veritatis honestati præponderant.

25 Ratio aliorum.

Bonorum præponderantia.

88. Quibus equidem libentissimè subscribo. Neque enim vlla est inter nos opinionum diuersitas nisi quod ego mendacium appello quamlibet falsam locutionem cum voluntate fallendi, quacumque intentione proferatur: illi mendacium esse non putant nisi cùm aduersus rectam rationem, sine caussa iusta, ac proinde cum aliquo peccato profertur mendacium. Sed cùm de re conueniamus, de nomine controuersiam non mouebo. Illud tamen ab iis exoratum velim, vt quemadmodum eos suo modo loqui patior, ita me quamlibet falsam significationem cum intentione fallendi prolatam cum Augustino, cæterisque Patribus ac Theologis mendacium appel-

larc patiantur. Quo in sensu hactenus de mendacio velitati sumus. Neque aut ego tam ineptus fui, vt hesterno die pro mendacio contra rationem sine caussa concepto tot verba consumerem, aut Philalethes, vt hodierna disputatione tot vndecumque corraderet argumenta, quibus probaret mendacium quod contra rectam rationem suscipitur, repugnare rectæ rationi. Quare, vt iterum dicam, horum opinationem adeo non repudio, vt potiùs eam dissuauier, nec putem nisi paucis admodum voculis à mea sententia dissidere.

X I. *Confutatur opinio Grotij & aliorum.*

89. PHIL. Equidem nec ego nouis argumentis refellendam puto, Pseudagora. Vnum est tamen de quibus & eos ego monitos velim, & tu fortasse moneri desideres. Narrat Augustinus Catholicum quemdam hominem minimè malum & idiotam, cùm à culicibus importuniùs pungeretur, à Manichæo rogatum fuisse ecquid Deum putaret, tam molestæ bestiolæ conditorem? Negauit. Igitur, inquit ille, ne muscæ quidem, assensus est. Igitur nec apem creauit Deus. Cùm huic etiam Catholicus annuisset, Manichæus ab ape ad leporem, à lepore ad Ouem, ab oue ad bouem, à boue ad equum, ab equo ad elephantum, ab elephanto ad hominem sensim sine sensu progressus est, & ita paulatim extorsit, vt Deum hominis authorem non esse fateretur. Et meritò, male enim concesserat culicem à Deo procreatum non esse, quo factum vt deinceps non haberit, vbi pedem figeret, donec per impietatis abrupta magis in singulas interrogationes lubricante vestigio deuolutus animaduertit eò se prolapsum, vnde ipsi non esset integrum sine stultitiæ confessione resilire.

90. Sic ab iis qui totam veræ falsæque locutionis honestatem boni malique inde prouenientis præponderantiæ referunt acceptam, eámque de duabus vsurpandam putant, in quam momenta boni maioris incumbunt, scire velim, vbi tandem & quo pacto par sit nos in bonis examinandis consistere. Fortasse cùm agitur vita vel nostra vel amicorum, bonum illud, cui falsa locutione consulitur, veritatis honestati præponderare credendum est. Fatebuntur. Si hoc, cur non & pudicitia, quoties oratione falsa poterit ab vrgenti periculo liberari? Assentientur. Si pudicitia, cur non & fama? concedent. Si fama, cur non & diuitiæ, præsertim ingentes? Si hoc etiam concesserint, aliquid de summa deducam, & cum vnciam, sextantem, teruncium detraxero, subductis singulis ex asse partibus rogabo, an quod residuum est, præponderare veritati existiment, & ita pergam vlteriùs donec ad sembellam veniatur. Eorum est, vt cum Satyrico loquar, depungere vbi sistam, & bonorum è falsitate procedentium examen compescam, certósque mihi circumscribere limites, extra quos progredi non possim, aut si definire non poterunt, fateri certè debebunt, vbicúmque vel minimi lucelli spes affulget, insuper habendam esse veritatem, dicendúmque, vt illi vocant, falsum, vt ego cæterique omnes purum putúmque mendacium.

Refutatur opinio de præponderantia.

1 Ratio

91. Illud etiam quæro, cùm bonum honestum siue moralem honestatem bonorum præponderantia metiuntur, & fas atque nefas tam exiguo fine discernunt, quid nomine bonorum præponderantium intelligant? honestum, vtile, an iucundum? Honestum? At ridiculum est dicere honestum in honesti præponderantia consistere. Vtile? At cùm vtile semper ad bonum vlterius referatur, nec propter se, sed expetatur ob aliud, honestati morali secundum se præponderare non potest, sed in eo expendendo necesse est, vel honestatis, vel certè voluptatis haberi rationem. Si honestatis, in priorem illam ταυτολογίαν absurditatémque reuoluimur. Restat igitur, vt dicamus honestam esse quamlibet moralem actionem, cùm iucunditas ex ea prouenìens oppositæ actionis honestati præponderat, quod planè sensisse videtur Epicurus. 2. Ratio.

92. Illud præterea scire velim quis Grotio renuntiarit quibus conditionibus primi mortales inter se conuenerint, ne mutuis sermonibus ad fallaciam vterentur: quos circumscripserint pacto suo cancellos? quos limites fixerint, ad quos nec vlteriùs dicendæ veritatis obligatio pertineret? quis pueros? quis mente captos? quis hostes? quis iniustè vel otiosè interrogantes exceperit, vt eos cùm liberet, falsis locutionibus in fraudem inducere liceret? Scio dicturos ex boni quod ex audientium errore sequitur, excellentia, siue, vt loqui malunt, præponderantia iudicandum. Sed ea ratione iam ad superiorem disputationem Epicuríque sententiam relabimur. 3. Ratio.

93. Accedit & illud, cuius hesterno die gratiam tibi, Pseudagora, faciendam putant. Aiunt mulierem adulteram de cuius adulterio maritus suspicatur, & stricto gladio sciscitatur an corrupta fuerit, matrimo- 4. Ratio.

niique subsessorem admiserit, sine cunctatione, sine verborum ambiguitate, sine mētis restrictione, vel cum admissi flagitij conscientia negaturam: quia tunc vbi maior præponderantis boni moles in falsitatis partem incumbit, omni pacto & obligatione dicendæ veritatis absoluitur. Quid si maritus iniuratæ crediturus non est? an etiam falsò iurabit, & conceptis iurisiurandi verbis Deum prudens & sciens falsitatis illius testem, interpretem, sequestrum adhibebit? Liceat hic iterum inculcare quod hesterna disputatione quasi per transennam ex Augustino libauimus. *Et sunt in eis docti qui etiam regulas figant, finésque constituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O vbi estis fontes lacrymarum? & quid faciemus? quò ibimus? vbi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solùm negligimus cauere mendacia, sed audemus insuper docere periuria? Viderint enim insuper assertores defensorésque mendacij quale genus, vel qualia genera mentiendi eos iustificare delectet. Saltem in Dei cultu concedant non esse mentiendum, saltem sese à periuriis blasphemiísque contineant: saltem vbi Dei nomen, vbi Deus testis, vbi Dei Sacramentum interponitur, &c. nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat & præcipiat, nemo iustum dicat esse mendacium.*

Contra mendac. ad Consentium. c. 18.

94. At enim fluctus, quod aiunt, excitamus in simpulo, & clamore exorsi rem paruam verbis magnam facimus. Non enim falsa locutio vel contra veri conscientiam prolata mendacium est vbi ex illo tacito generis humani, consensu nulla promendę veritatis necessitas incumbit. Si nullum mendacium, neque periurium, cùm Deus falsę locutionis testis, ac fundus adhibetur. Quasi verò de voculis inter nos, & non de re grauissima certemus, aut magni referat quo nomine appelles illud iusiurandum, quo Deus falsitatis testis interpréſque producitur.

XII. *An Deus mentiri possit.*

95. VEl illud quàm indignum est repertos fuisse qui dicerent posse aliquem sic inter mortales eminere, vt nulla proferendæ veritatis obligatione ex pacto tacitóque generis humani consensu contracta teneatur, eúmque qui habet ius supereminens in omnia iura alterius defendi posse non mentiri apud personam eò vsque sibi subiectam. Hæc tamen ita primis illis apta sunt, ac nexu necessario colligata, vt ab illis omnino separari non possint, si enim ius illud voluntarium est, totáque vitandæ falsitatis obligatio ex illo mortalium instituto petitur, hac certè lege soluti sunt Angeli, solutus Christus propter eminentissimam vnionis hypostaticæ dignitatem. Atque ita mentiri, vel saltem (ne rursum verborum tricas implicare necesse sit) falsum testari poterit Deus. Quo semel admisso Scripturæ diuinæque reuelationis authoritas vacillat, euertitur fidei fundamentum, Ecclesiæ columna subducitur. Non enim, vt prudenter aduertit Suares, fides potest esse firma & certa, nisi sit infallibilis, non potest autem esse infallibilis, nisi fundetur in testimonio cui falsum subesse non possit.

De fide, disp. 3 § 5. n 9.

96. PSEVD. Atqui meminisse debueras duas diuinæ potentiæ species à Theologis agnosci. *Nam*, vt optimis Melchioris Cani verbis vtar, *& generalem quandam intelligimus, quæ quoniam lege nulla etiam naturali constringitur, à Theologis absoluta vocatur: & aliam huic subiectam, quæ spectat in rerum ordinem præfinitum, ideóque potentiam appellant ordinatam. Atque illa superior, definiri solet circa eas res, quas esse non repugnat, quæve non implicant contradictionem: sic enim loquuntur. Quæ autem potentia ordinaria subiecta illi priori quasi generi est, eam definiunt circa ea quæ esse possunt salua lege statutisque diuinis.* Bene omnia, nisi quòd potentiam ordinariam absolutæ, velut speciem generi subiecit, cùm vtramque, quasi species duas oppositas communi potentiæ notioni substernere debuisset. Sed parum id refert, illud dicere volebam, Scholasticorum esse neminem, qui cum Priscillianistis, quorum error iampridem ab Ecclesia proscriptus est, Deum aliquando falsum dixisse, aut de potentia ordinaria mentiri posse fateatur, quia legem statuit non mentiendi, cui legi suam ipse potentiam obligare dignatus est. Nōnulli tamen, qui quatuor à Suare cæterisque Theologis vulgo numerantur, Deum absoluta sua potentia falsum significare posse censuerunt, quamuis ad declinandam vocis inuidiam, negauerint falsi enuntiationem à Deo conceptam futuram esse mendacium, *quia*, inquit Gabriel, *mendacium significat falsum dictum cum deordinatione, & malitia morali: Deus autem, licet falsum diceret, non faceret malum moraliter, & ita non mentiretur.* His ita positis satis fidei, satis scripturarum authoritati factum putant, si Deum neque mentitum esse, neque ordinaria potentia mentiri posse defenderint. Nunquam enim falsum loquetur, aut in Scriptura locutus est Deus, quia voluntariè fidem suam hominibus obstrinxit, & cùm absolu-

Lib. 2 de locis Theol. c. 5.

Potentia Dei absoluta.

Potentia ordinaria.

Loco citato. nu. 3.

te falsum enuntiare posset, sibimetipsi dicendæ perpetuò veritatis legem indixit.

97. Phil. Imò, Pseudagora, si quoquo modo Deus ad enuntiationem falsi declinare posset, meritò dubitare poteramus, an eo ipso quòd potentiam suam voluntaria dicendi veri lege obligatam esse reuelasse creditur, abusus fuerit absoluta sua potentia, vt extra lineā veritatis exorbitaret, orationémque suam in falsi (ne dicam mendacii) salebras a e prærupta diuerteret. Atque ita conuulsis authoritatis diuinæ fundamētis superstructam scripturæ, fidei, religionis pietatisque Christianæ molem euerti necesse est: falsum ex ipso totius veri fonte manabit, quamuis Apostolo teste, *Omne mendacium non est ex veritate*: & quamuis omnis perfectio simpliciter simplex, vt vocant, ita debeat esse in Deo numeris omnibus cumulatæ perfectionis absoluta, vt maior, aut perfectior cogitari non possit, animo fingere poteris aliquam veritatem, quæ sit diuina veritate perfectior, & ab omni falsitate remotior, eam videlicet quæ ne de potentia quidem absoluta possit vllo modo mentiri. Quæ consectaria cùm ex illa persuasione nata sint quòd nonnulli totum mendacii virus, ac malitiam putant non ex ipsis naturæ fontibus; sed è voluntariis humani pacti ramulis redundare, consequētibus sublatis prima tolluntur. E quibus liquet causæ Grotio nihil fuisse curæ aliunde quàm ab ipsa mendacii natura propriisque principiis eius turpitudinem accersendam putaret. Hoc certè postremum argumentum, quòd videlicet, si mendacium naturâ suâ malum non esset, mentiri posset Deus, atque adeo Scripturæ vacillaret authoritas, fideique fundamentum subduceretur, tanti momenti putauit Hugo Cauellus Scholiis in Scotum, vt cæteris omnibus prætermissis in eo vel solùm, vel potissimùm acquiescat. Nunc, Amphiloge, quoniam vtrumque audire voluisti, tuæ sunt partes videre secundum vtrum pronunties.

Ioan. ep. 1.

14. Ratio. Contra mendaciū

3 Sent. dist. 38.

XIII. *De æquiuocatione & restrictione mentali.*

98. Amph. Imò, Philalethes, vnum est quod ex te priùs audire velim. Si quis innocens à tyranno quæsitus ad necem domum tuam velut in asylum confugerit, túque adeo supplicem in fidem tuam receperis, promiserísque te priùs mortem oppetiturum quàm amici salutem proditurum, misśique à tyranno satellites abs te quærant ecquid ille domi tuæ delitescat, fidem verbis tuis, quicquid dixeris, habituri, scrutaturi sine dubio domum, ac miserum ad necem extracturi, nisi tu conceptis verbis domi non esse responderis, quæro quid sis in hoc rerum cardine facturus, proditurus amicum an veritatem? Phil. Nihil est quòd à me responsionem expectes; *Nec prodam, nec mentiar*, inquit Augustinus. *Fecit hoc Episcopus quondam Tagastensis Ecclesiæ Firmus nomine, firmior voluntate. Nā cum ab eo quæreretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentiâ, quantâ poterat, occultabat, respondit quærentibus nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passúsque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus vsque adeo mirabilis apparuit, vt ipsi homini quem seruabat indulgentiam sine vlla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius?*

De mendacio ad Cōsentiū. cap. 13.

99. Pseud. Equidem Firmi constantiam improbare non possum, qui cùm ab eo generatim quæreretur vbi lateret ille qui se ipsius fidei commiserat, nec amicum prodidit, nec à veritate desciuit. *Sed*, vt eiusdem Augustini verbis vtar, venitur aliquādo ad huiusmodi articulum, vt non interrogemur vbi sit ille qui quæritur, sed nominatim vtrùm illo loco sit an non sit, verbi caussa, vtrùm in nostro conclaui lateat. *Vbi, si esse scimus, inquit, tacendo eum prodimus, vel etiam dicendo nequaquam nos esse dicturos vtrùm ibi sit, an non sit: ex hoc enim colligit ille qui quærit, ibi eum esse, vbi si non esset, nihil ab eo qui mentiri nollet, nec hominem prodere, nisi eum non ibi esse responderetur. Ita per nostram vel taciturnitatem, vel talia verba homo proditur, vt intret qui quærit, si potestatem habet, & inueniat eū qui tamen ab eius inuentione mendacio nostro posset auerti.* Ego certè numquam præferendam arbitrabor perniciosam & proditricē veritatem officioso fidelique mendacio. Nam si de vno loco definitè rogatus dicerem me non esse dicturum fidémque amico datam proditurum, perinde facerem, atque si intento digito latebras ostenderem.

100. Amph. Quid si certam inire possumus rationem qua magno humanitatis fideique compendio, nullo veritatis dispendio & mendacium vitemus, & supplicem à periculo liberemus? Phil. Id autem fieri quî potest? Amphiloge. Amph. Iniustas huiusmodi percunctationes vel ambiguitate, vel mentali, quam vocant, restrictione responsionis eludam, dicámque domi non esse, id est, non comedere, quod auditor de præsentia dictum interpretetur,

Æquiuocatio.

vel si conceptis verbis interroger, an domi lateat, nullúsque sit ambiguitati locus, totum hoc, quod sanè verissimum est, animo concipiam, *domi non latet Deum omnia videntem*, vel, *domi non latet sine periculo*, dicámque duntaxat, *domi non latet*, cogitationis meæ partem oratione depromens, partem animo reseruans, siue, quod eodem reuoluitur, communem illam ac generalem latendi notionem, quæ secundum se omne latendi genus comprehendit, ad certum latebrarum genus mente restringens, vnde & mentalis restrictio nuncupatur.

Restrictio mentalis.

101. PHIL. Apagesis, istas æquiuocationes restrictionésque Iesuiticas, quibus adulteratur fides, commercia tolluntur, pessundantur amicitiæ, omnis denique societas humana conuellitur. AMPH. Ain' tu verò, Philalethes. Atqui, vt scias, neque hæc peculiaris Societatis IESV doctrina est, & adeò societatis humanæ fundamenta non subducit, vt hac de medio sublata, non possit illa consistere. Quis enim eum congressu communíque salutatione dignum putet qui ad singulas interrogationes, quas vel iniustas, vel otiosas, vel inurbanas esse iudicarit, Amphilogiæ metu respondeat nihil esse quòd importunus ille percunctator responsionem expectet? Quis eum in secretorum suorum communionem adsciscat, cui persuasum esse videat nulla æquiuocatione dissimulari posse quod verum est, ac proinde si tyranno sciscitanti præcisè responsum negare non audeat, prodendam rei veritatem atque arcanum quod eius fidei commiseris. Quæ mulier adulterii sibi conscia, quis fur, quis homicida velit facinus aut flagitium in Sacerdotis auriculam confiteri, si semel sibi persuaserit eum, qui ipsius confessionem exceperit, rogatum an eiusmodi quicquam audierit, nullum habere vel restrictionis vel ambiguitatis siparium, quo exceptæ confessionis arcanum inuoluat? Dies me deficiat recensentem incommoda quæ ex illo præfracto reseruationis aut æquiuocationis odio in exitium conuersationis humanæ redundarent, vt verè dicere possim morosam illam austeramque veritatem hominum societati perniciosiorem futuram, quàm iocosum officiosumque mendacium. Nam cùm nihil prohibeat ei te familiarem esse atque in eius sinu omnia secreta deponere qui quauis vel ioci vel officii causa facilè mentiatur, nihilo tamen secius impensè fidem & amicitiam obseruet, ei nemo secretas animi sui cogitationes crediderit, cuius fidem ex amore veritatis arcani prodigam, atque, vt loquitur quidam Lyricus, vitro perlucidiorem agnouerit.

Sine æquiuocationibus non potest societas humana consistere.

102. Quòd hanc doctrinam Iesuiticam appellas, næ tu vehementer erras, Philaletes. Quæ tamen pluribus refellere non libet ne post luculentam Theophili Rainaudi controuersiam Emonerii nomine tractatam, quæ *splendor veritatis moralis* inscribitur, si vel noua quærere, vel eadem inculcare voluerimus, actum agere, vel etiam minus quàm actum agere videamur. Qui liber oppidò pulcherrimus scire velim ecquid in manus tuas inciderit. PHIL. Incidit sanè. Sed miror te hunc pro Theophili partu agnoscere. AMPHIL. Quidni verò agnoscam, cùm illum in suis Moralib. suum esse fateatur? Quem si abdicaret, nullo tamen negotio patrem vel ex ipsa filii facie, cæterísque corporis lineamentis agnoscere possemus.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

PH. Sed quorsum ista? AMPH. Ex illa disputatione tibi constare potuit iam inde ab Ecclesiæ nascentis exordio repertum fuisse neminem præter Genesium Sepuluedam, virum, vt ait Melchior Canus, suo iudicio valdè doctum, & Ioannem Barnesium non tam Theologum, quàm Theologiæ vomicam, qui locutiones ambiguas sensúque multiplici grauidas ex toto proscriberet, & quibusuis locis ac temporibus vsurpari prohiberet. Quorum prior, vt ex Aluaro Gomesio refert idem vir eruditus, Complutensis Academiæ censura notatus est; posterior, tanquam nouus Hæresiarcha, post editam à Theophilo disputationem Vrbani VIII. Summi Pontificis authoritate damnatus est.

103. Ad locutiones tacita cogitatione restrictas quod attinet, eas fateor à quibusdam Theologis repudiari, sed paucis admodum, cùm ab authoribus Societatis Iesu discesseris, è qua vna non pauci, quibus illa restrictio non accidet. Azor, Rebellus, Ægidius Coning, Andreas Cydonius, & Paulus Laymanus ab eodem Theophilo nominantur. Qui & restrictionum vsum probar authoritate Sancti Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Anselmi, Bedæ Isidori Pelusiotæ, & aliorum qui tum sanctitate morum, tum eruditione primis Ecclesiæ seculis floruerunt. Tum è media Schola producit testes facilè quinque & viginti, atque in his Thomam, Bonauenturam, Scotum, Guillelmum, Altisiodorensem, Durandum, & alios Theologiæ primipilos. His addit sex & viginti Theologiæ Moralis interpretes. Quos inter quinquaginta pluresve Theologos ne vnum quidem è Societate

Cap 8. pag. 159.

Cap. 10. pag. 194.

Cap. 12. tot. Cap. 14. à pag. 248. ad 274.

cietate reperias, sed eos maximam partem floruisse comperies, priusquam eadem Societas nasceretur. Imò & illi ipsi qui restrictiones animo conceptas aspernari videbantur, per aliam viam redeunt vnde discesserant, vt erudirè docet idem Rainaudus cap. 9. nullúmque adeo est inter hos aliósque discrimen, aut tam exiguum vt meritò negligi posse videatur. E quibus aduertitis, Philalethes & Pseudagora, qua fronte quidam tenebriones huius opinionis inuidiam in Societatem Iesu detorserint. Quorum tu personam cùm ad tempus assumpseris, plenis iniuriarum & contumeliarum plaustris in Ordinem Religiosum inuectus, ô Philalethes, non tam, opinor, vt proferres animi tui sententiam, quàm vt eliceres meam. Age sanè, conuertamus ad eos orationem, & si rationem audire possunt, eorum loquacitatem, ferocitatem, audaciam, paucis interrogatiunculis comprimamus.

Æquiuocationes in Scriptura. 104. Dicitis, ô isti, restrictionum & æquiuocationum offuciis adulterari veritatem, tolli commercia, fidem aboleri, deleri amicitias; omnia denique societatis humanæ iura violari. Quæro sint, nécne, in Scripturis sententiæ quædam verbis ambiguis, ac proinde æquiuocis ita conceptæ vt aliam atque aliam expositionem admittāt? Si nullæ sunt, vnde tot opinionum interpretationúmque diuortia? Si sunt aliquæ, quis harum æquiuocationum author? Si Iesuitæ, non recuso quominus omnis in eos inuidia redundet. Si Spiritus Sanctus, etiā atque etiam videte cui tandem ancipitum locutionum incommoda, quæ tanta verborum atrocitate exaggeratis, accepta referantur.

Ioan. 2. v. 19. 20. 21. 105. Iam ipse Dei Filius, ipsa Patris Æterni Veritas humano corpore vestita Iudæis aiebat: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est hoc templum, & tu in tribus diebus excitabis illud? ille autem dicebat de templo corporis* Ioan. 11. v. 11. 12. 13. 14. *sui.* Aiebat discipulis: *Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret.* Cùm tibicinibus ad cantandam puellæ demortuæ neniam comparatis, ac turbæ tumultuanti dicebat: *Non est mortua puella, sed dormit, & deridebant eum scientes quòd mortua esset.* Si nulla suberat his verbis amphilogia, si ambigua non erat, si non vna & eadem pluribus significationibus scatebat oratio, qui fieri potuit, vt auditores vsitatiore magisque obuio verborum significatu dormitionem somni, templúmque manu factum intelligerent, ipsa Veritas reconditiore minúsque trito sensu de corpore suo & vera morte loqueretur? Quid est æquiuocatio, si hoc non est? an etiam Iesuitæ (quoniam eorum Societas æquiuocationum doctrinam inuexit) Christum ipsum voces ambiguitate perplexas vsurpare docuerunt?

Æquiuocationes à Christo vsurpatæ.

106. Neque verò tantum dormire puellam affirmat, quod quamuis sit æquiuocum duplicique significatione fœcundum, tamen ob figuratam locutionem à mendacio vindicari facile possit: sed etiam mortuam inficiatur, quam à tribus Euangelistis viuere desiisse proditum est, quod quo sensu sine tacita restrictione negare potuerit, velim ab istis explicari. Dicant si possunt quid aliud negare voluerit quàm mortuam esse puellam eo modo quo mortuam putabant, omnino videlicet & absolutè quasi iam è mortis faucibus ad vitam excitanda non esset. Qua loquendi forma communis illa notio mortis omnia moriendi genera complectens ad particularem certisque limitibus circumscriptam significationem tacita loquentis cogitatione restringitur. Item restrictiones mentales.

107. Cùm idem Dominus consanguineis quibusdam, quos Euangelistæ fratres appellant, aiebat: *Ego autem non adscendo ad diem festum istum, &c. vt autem adscenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festum.* Ioan. 7. v. 32. Cùm Apostolis de iudicii die curiosè sciscitantibus respondebat: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater:* vtebatur, nécne Marci. 13. verbis æquiuocis, restrictionibus, an vero genuinóque mendacio? vtrum placet? affirmate, negate. Hiscite si potestis,

--- Responsum date

Tacent, & ora pallor albus inficit.

108. Deinde vociferantur, ganniunt, blaterant: æquiuoca, æquiuoca, restrictiones, doctrina Iesuitica, doctrina perniciosa, & cùm vociferando, ganniendo, blaterando se disruperint, cogentur, aut propudiosè tacere, aut turpiter inscitiam suam ac stultitiam confiteri, aut quod longè deterius est, cum horrendis blasphemiis & impietate susceptam calumniandæ Societatis voluntatem mordicus retinebunt. *Mirum si in facie hominis tantum interuallum est inter frontem & linguam, vt in hac caussa frons non comprimat linguam.*

109. Sed me iam longiùs, quàm initio Aug. lib. 1. contra Iulianum. putabam, prouectum esse sentio: centies eos conscientia sua calumniæ conuincet, & ad vim argumenti quouis Harpocrate, vel

Angerona taciturniores efficier, vociferari tamen haud desinent æquiuocationum, restrictionumque doctrinam in humanæ societatis exitium à Iesuitis inuectam: neque priùs suis illi calumniis & obtrectationibus finem imponent, quàm hæc minima Societas Iesu,

Inuidiam placare paret virtute relicta.

Sed si, quod equidem illis numquam optabo, vel natura, vel institutione, vel propriæ voluntatis electione ita facti sunt, vt quod ait alius Satyricus,

Virtutem videant, intabescántque relicta,

nos, quantum assequi poterimus, maiorum nostrorum pietatem, doctrinæ studium, animi demissionem ac modestiam imitemur, atque istis in liuoris & inuidiæ tabe prætteritis, pergamus, quam exorsi sumus, orationem detexere.

X I V. *Diuersæ opiniones partim conciliantur, partim explicantur.*

110. Qværebas de illa quorumdam recentiorum opinione quid sentirem. Sic habeto. Videntur verbis potiùsquàm rebus ipsis à communi sententia dissidere. Conuenit inter omnes sermonis humani significationem κατὰ συνθήκην, vt loquitur Philosophus, esse impositam, ac proinde arbitrariam esse, & ex voluntario mortalium instituto pendere; quamuis non positu fortuito, sed ratione quadam, & arte naturam imitante rebus asperioribus asperiora nomina, molliora mollioribus frequenter indiderunt, vt disputat Socrates in Cratylo, & P. Nigidius apud A. Gellium luculentis verbis ex eo demonstrat,
Lib 10. Noct. Att cap. 4. quòd Vos *cùm dicimus motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demonstratione vtimur, & labias sensim primores emouemus, ac Spiritum atque animam porro versum, & ad eos, quibuscum sermocinamur, intendimus. At contra cùm dicimus.* Nos, *neque*
Vide Aug. in principiis Dialect. c. 5. de Stoicis. *profuso intentóque flatu vocis, neque proiectis labiis pronunciamus, sed & Spiritum & labias, quasi intra nosmetipsos coercemus. Hoc idem fit & in eo quod dicimus.* Tv *&* Ego, *&* tibi *&* mihi. *Nam sicuti cùm annuimus & abnuimus, motus quidem ille, vel capitis, vel oculorum, à natura rei, quam significat, non abhorret, ita in his vocibus, quasi gestus quidam oris & Spiritus naturalis, &c.* Subdit eandem esse rationem in Græcis quoq; vocibus ἐγὼ, σὺ, ἡμεῖς, ὑμεῖς. Quam etiã in Hebraïcis animaduertimus.

111. Nisi si quis fortè, cùm has voces audit,

---Armorúmque ingruit horror,
---Spargam arma per agros,
---Spargit rapida vngula rores
Sanguineos, mixtáque cruor calcatur arena,

etiamsi Latinæ linguæ sit ignarus, non intelligit horribile quiddam significari, & quasi rebus ipsis intersit, horrore percellitur: aut cùm audit

---Flamma crepitante crematur,
---Gemit icta securibus ilex.

non ipsos flammarum crepitus, aut securis in ilicem impactæ sonitus sibi videtur audire. Quid iis, etiam qui Latinè nesciunt, vel illo hemistichio iucundius

---Trahit sua quemque voluptas,

vel liquidiùs illo versiculo,

Qua via secta semel liquido pede detulit vndam?

E quibus liquet nominum impositionem partim ex ipsa natura, partim ex hominum instituto proficisci.

112. Fatentur omnes, si quis te de alterius crimine in sacra confessione comperto percunctetur, iubeátque te directè, præcisè, sine verborum ambagibus, aut æquiuocationum offuciis vel asserere, vel negare, quicquid aliud dixeris in eam partem interpretaturus, quasi reuera scelus illud Qui iniustè interrogat, potest eludi. apud te in sacro tribunali depositum agnoscas: fatentur, inquam, omnes non solùm posse te, sed etiam debere disertis conceptísque verbis inficiari, eámque responsionem defendunt penitus immunem esse mendacii, quamuis non vnam inierint veritatis expediendæ rationem.

113. Gregorius à Valentia Disput. de Prima ratio regendæ veritatis. iustitia. Quæst. 13. Puncto 2. Conclusione 2. Huius rei caussam assignat, quia cùm quis iniquè interrogatur, ei non minùs licet vsurpare verba ad significandum sensum, quem vult, quàm si à nullo prorsus de aliqua re determinata interrogaretur: vt si esset verbi gratiâ, solus, & recreationis caussa, vel quocumque alio fine secum ipse loqueretur. Sed cùm quis à nemine interrogatur, nec ad vllum conuertit orationem suam, quicquid in buccam venerit, dicere potest sine mendacio, ergo & cùm iniquè interrogatur. Neque enim iniusta percunctatio, vel minimam respondendi necessitatem inducit: neque mendacium in eo consistit, quòd non secundum alterius præsertim iniquè sciscitantis intentionem respondeas, sed quòd contra tuam ipsius mentem & conscientiam veritatis oppositæ loquaris, & prudens, ac

sciens animum inducas, id alteri significare quòd falsum esse, vel nosti, vel saltem arbitraris.

Expenditur.

114. PHIL. Atenim cùm orationem tuam ab interrogante auditum iri præuideas, eique verbis tuis erroris occasionem subministres, non video quî fieri possit ista præcisio. Esto enim: formaliter & in actu signato, vt loquuntur, eum abs te non compellari faciamus: in actu tamen exercitò, cùm ab eo qui responsionem tuam expectat, audiri velis, quod inde sequitur, sibi debet moraliter imputari, quemadmodum venator, quamuis non in hominem, sed in feram telum destinarit, si tamen occursurum & plagam intercepturum præuidit, aut præuidere debuit, censetur homicida. AMPH. Nodum in scirpo quæris, Philalethes. Non ait Gregorius auertendum ab interrogante sermonem, sed ab eius mente & interrogatione deflectendum, dicendámque veritatem non illam ipsam, quam iniustus ille percunctator volebat elicere, sed aliam ab ea separatam. Quod si in errorem is impellitur, non ei qui suo iure vsus est, & quæsitam veritatem occultare debuit, sed impudentiæ iniquitatique suæ caussam adscribat.

2. Ratio tegendæ veritatis.

115. Alii vel iniustam, vel otiosam, vel inurbanam, & quomodolibet humanæ societati contrariam interrogationem obtentâ locutionis obscuræ, atque ambiguæ nebulâ citra mendacium eludi posse defendunt. Cum enim vna & eadem dictio multiplici sensu exuberet, ac verbi caussa, nomen *confessio*, quod generatim omnes omnino confessionum formas ac modos communi notione complectitur, confessioni priuatæ, publicæ, verbis Latinis, Græcis, Hebraïcis, in foro, in templo, in cubiculo conceptæ tribuatur, eam de multis *confessionis* acceptionem eligam, quam occultandæ veritati commodissimam iudicaro, & confessionis de qua generatim absoluteque dicere iubeor, vocabulum ad vnam, vt paulò antè dixi, confessionis speciem mente restringam, vnde mentalis restrictio, vel cùm totam hanc orationem animo concepero, *mulier confessa non est adulterium quod vulgari debeat*, priorem sententiæ partem, *mulier confessa non est adulterium*, verbis exprimam, posteriorem, *quod vulgari debeat* silentio premam, & in mea cogitatione reseruabo, quæ mentalis reseruatio nominatur.

Mentalis restrictio.

Mentalis reseruatio.

Tertia occultandæ veritatis ratio.

116. Quibus ista non placent, aliam ineunt veritatis occultandæ rationem. Aiunt, cùm iusta veri tacendi necessitas incumbit, directáque responsio societatis humanæ iura violaret, verba quæ proferuntur, omnino nihil significare, aut, si quid significant, communem eorum acceptionem, quæ secundum se aliquem falsitatis næuum haberet, ex obiecto restringi, atque ad verum legitimúmque sensum sua sponte reuocari. Cùm enim verba, quæ ad conglutinandas retinendásque amicitias, & conciliandos hominum cœtus, in communem vitæ societatem inuenta sunt, ex hominum instituto significent, eorum tota vis ac significatio ad vnum illum vsum & conuersationis humanæ conseruationem ordinatur, nisi si praua voluntas ad abusum & coniunctionis illius violationem ea detorserit: ac proinde cùm quis te vel otiosè, vel inutiliter, vel inurbanè, vel iniustè, vel sacrilegè, & contra Sacrosanctum confessionis sigillum, aut naturale secretum interrogat, modò directam non habeas falsi testificandi voluntatem, poteris citra mendacium negare quod quæritur, quia tua negatio, vel nihil omnino significat; vel si quid significat, ex obiecto, reique natura, mutuóque hominum consensu ad veri significationem etiam te non cogitante restringitur.

117. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*, monet Sapiens. Prou. 26 v. 4.
Quæ sic in rem nostram interpretari liceat. Stultè quis te de occultis aliorum flagitiis, aut arcanis fidei tuæ commissis interrogat? Caue secundum stultitiam eius, & stolido præfractóque veri dicendi studio, *efficiaris ei similis*, & vel secreta detegas, vel famæ detrahas alienæ, atque ad eumdem quo ille iniusta curiositate impactus est, iniustitiæ scopulum adhærescas. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* v. 5.
Eum, si palam reprehendere stultæque percunctationis arguere non expedit, vel perplexitate tuæ responsionis elude, vel præcisè nega quod quæritur, eúmque suo fine frustrare, ne si, quam occultari decebat, cogitationem è pectoris tui latebris extraxerit, sibi sapiens & callidus veritatis indagator esse videatur.

118. Neque verò quisquam nisi vitæ communis ignarus, cùm te de occultis aliorum sceleribus, & quibuscumque secretis præter ius fásque interrogatum negare audierit, quicquam in alterutram partem statuet, sperabítque se posse tuis è responsionibus ad veri notitiam peruenire. Quæ est igitur illa verborum significatio, quam nemo prudens intelligat? Neque tamen officiosum mendacium est, sed honesta reseruatio veritatis, quam ita

Dispensatio veritatis.

dispensare debemus, vt neque strictiùs æquiuocationum integumentis inuoluta teneatur, cùm aliud postulat humana societas, neque denudetur apertiùs, cùm ex eius enuntiatione maiora redundarent incommoda. Quod vnum, ni fallor, ij dicere voluerunt, qui proferendæ vel occultandæ veritatis tempora censent ad boni malique ex ea prouenientis præponderantiam exigenda. Quo certè pacto minimè prolabentur in sententiam Epicuri. Non enim honestum cum voluptate comparant, sed veritatis enuntiandæ, vel occultandæ tempora societatis humanæ iure, vel iniuria metiuntur. Quod si mendacium non est, neque periurium. Non enim Deum testem erroris alieni, in quem iniustus ille percunctator sua temeritate prolapsus est, sed propriæ veritatis verbis nostro sensu prolatis expressæ arbitrum adhibemus. Atque hæc in eam partem accipi velim vt diuersæ concilientur opiniones, non quasi priusquam Pseudagoras omnino perorarit, de summa caussæ pronuntiem.

25. Ratio. Contra mendaciũ.

119. PHILALETHES. Imò, Amphiloge, Validius argumentum mihi subministrare non poteras. Cùm enim neque Pseudagoras hic noster, neque vllus mendacii Patronus mendacium per se experendum esse dixerit, sed aliquando contra vim & iniustitiam necessarium, atque vt Plato loquitur, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, quasi remedium siue medicinam adhibendum, hinc efficitur, vbi nulla mentiendi necessitas incumbit, nullum locum esse mendacio, quemadmodum citra valetudinis vel roborandæ, vel recuperandæ, vel conseruandæ necessitatem medicina nullum remedium vsurpat. Atqui si quoties sine cuiusquam iniuria, vel societatis humanæ detrimento, nostris vel alienis rationibus expedit, ius fasque est obducto restrictionum æquiuocationúmque tectorio celare veritatem, atque, vt ita loquar, honestis dubiarum locutionum præstigiis auditorum intelligentiam fascinare, nulla mentiendi necessitas vrgebit. licet autem. igitur exterminandum ex humana societate mendacium.

Lib. 3. de Rep. ineunte.

120. Maneat igitur illud mentem & linguam, rationem & orationem tam apte sibi mutuo nexu deuinciri, atque, vt ita dicam, conglutinari, vt sine quadam naturæ ipsius iniuria verbum prolatitium ab insito, siue sermo ab intima cogitatione separari non possit, vt proinde Sancti Patres vtriusque verbi coniunctione nihil habuerint ad explicandam hypostaticam duarum in Christo naturarum vnionem, atque in vnitate naturæ personarum Trinitatem, expressius. *Sicuti, cùm loquimur,* inquit magnus August. *vt id quod in animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur: nec tamen in eumdem sonum cogitatio nostra conuertitur, sed apud se manens integra formam vocis, qua se insinuet auribus, sine aliqua labe suæ mutationis assumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, vt habitaret in nobis.*

Lib. 1. de doct. Christiana c. 13. & alibi frequenter.

121. *Fons*, inquit Dionysius Alexandrinus apud Athanasium *bonorum omnium Deus est: filius autem fluuius quem ex eo manare diuinis literis proditum accepimus*, ἀπόρροια γὰρ νοῦ λόγος. *Est enim Verbum quidam mentis effluxus, atque, vt quasi de hominibus loquar, ex corde per os effunditur mens quædam siue cogitatio per linguam prosiliens, cùm ab ea quæ cordi insita est, siue Verbo interiori diuersa sit. Hoc enim Verbum post alterius emissionem remanet, iisdem, quibus antea, qualitatibus imbutum: hoc autem emissum euolat, & in omnem partem fertur.* καὶ οὕτως ἐστὶν ἑκάτερος ἐν ἑκατέρῳ ἕτερος ὢν θατέρου, καὶ ἕν εἰσιν ὄντες δύο. *atque ita, quanquam alterum ab altero diuersum est, alterum tamen in altero subsistit, & cùm duo sint, vnum tamen habenda sunt, eodem modo Pater & Filius vnum sunt, & in se inuicem esse dicuntur.* Hæc ex libro primo Dionysij verba referuntur.

122. In secundo, *Vt mens nostra*, inquit, *eructat ex se verbum, quemadmodum locutus est Propheta*: Eructauit cor meum verbum bonum, *& vtrumque alterum ab altero diuersum est, ac suum proprium & diuersum locum possidet, cùm hoc in corde, illud in lingua commoretur ac moueatur. Non tamen inter se distant, nec omnino alterum altero priuatum est,* οὐδέ ἐστιν οὔτε ὁ νοῦς ἄλογος, οὔτ' ἄνους ὁ λόγος, *neque mens est sine verbo, neque verbum sine mente,* ἀλλ' ὁ νοῦς ποιεῖ τὸν λόγον ἐν αὐτῷ φανείς, καὶ ὁ λόγος δείκνυσι τὸν νοῦν ἐν αὐτῷ γενόμενος, *sed mens Verbum facit, & in illo apparet, & verbum in mente consistens eam declarat,* καὶ ὁ μὲν νοῦς ἐστιν οἷον λόγος ἐγκείμενος, ὁ δὲ λόγος νοῦς προπηδῶν, καὶ μεθίσταται μὲν ὁ νοῦς εἰς τὸν λόγον, ὁ δὲ λόγος τὸν νοῦν εἰς τοὺς ἀκροατὰς ἐγκυκλεῖ. *& mens est quasi verbum insitum, verbum vero quasi mens prosiliens, & transit mens in verbum, verbum autem mentem in auditores insinuat.* καὶ οὕτως ὁ νοῦς διὰ τοῦ λόγου ταῖς τῶν ἀκουόντων ψυχαῖς ἐνιδρύεται, συνεισιὼν τῷ λόγῳ, atque

ita mens in auditorum animis collocatur vna cum verbo ingrediens, καὶ ἔστιν οἷον ὁ μὲν πατὴρ ὁ νοῦς τοῦ λόγου ὢν ἐφ' ἑαυτοῦ, ὁ δὲ καθάπερ υἱός, ὁ λόγος, &c. *Estque mens quasi* Verbi *Pater in se subsistens: Verbum autem velut Filius mentis, quod ante ipsam existere non potest, neque aliunde, sed vna cum illa existit, & ab ea prolatum est. Ita Pater maximus, & mens absolutè Filium suum Verbum interpretem, & nuntium sui habet.* Hæc Dionysius.

123. Iam si maiestatis crimen est regiam imaginem deformare, si sacrilegium, Christi vel Sanctorum effigies deiicere, si nullam antiqui maiorem infamiam tyrannis, aut patriæ proditoribus inferre poterunt, quàm vt eorum titulos inscriptionésque delerent, statuas luto spargerent, in carcerem traherent, patibulis affigerent, si Theodosius tam multa Thessalonicensium millia contrucidauit quòd aliquam vxoris suę simulacro contumeliā intulissent, quanto scelere se obstringunt, qui nodum illum, & intimam rationis orationísque coniunctionem mendacio dissoluunt, atque expressam illam & eminentem vnionis hypostaticæ, atque indiuiduæ trinitatis imaginem cœno falsitatis oblinunt, induunt, obliterant. Te, Te, inquam, ipsum consulo, Pseudagora, quid censes? Ps. Fateor equidem me nonnihil oratione tua commoueri. Quare noctem, quam εὐφρόνην Græci quasi consiliariam prudentiæque datricem indigitant, ad deliberandum peto.





DE MENDACIO AC VERITATE.

LIBER TERTIVS.

I. PRÆFATIO.

1. AMPHILOGVS. Aue, Pseudagora. PSEVD. Vos quoque, Amphiloge & Philalethes. AMPH. Sed vnde hæc insidens fronti nubecula? PS. Amicis ac familiaribus non est mentiri meum. PHIL. At meum ne ignotis quidem: imò nec inimicis, sed perge porrò. Quid est quod frontem tuam rugis inarauit? PS. Fatebor ingenuè, Philalethes. Et expectatio disputationis hodiernæ, & hesternæ memoria nullam mihi nocturnæ quietis partem indulsit. AMPH. Quid ita quæso? PS. Hactenus vt mendacium tuerer quinque munitiones obieci, obtendi communem hominum consuetudinem, velut exteriorem muri loriculam, hanc rationibus vt fossâ circumdedi. Philosophorum ac Patrum authoritatem quasi quosdam circa mendacium aggeres excitaui. Equidem ex his omnibus me, Philalethis impressione iam fateor esse deiectum. Neque enim vel hominum consuetudo vel ratio securitatem præstat opinioni meæ, neque tantum est in magnorum scriptorum authoritate præsidii, quantum mihi persuaseram. AMPH. Bene habet, Pseudagora, magna me sollicitudine releuasti. Nihil est quod iudicium meum expectes, temet ipse condemnas. PSEVD. Nondum tamen secundum Philalethem pronuntio. PHIL. Quid ita? PS. Restant adhuc arctiores munitiones duæ. PH. Quæ? PS. Exempla sanctorum, & ipsius Dei tum mendacium præcipientis, tum etiam remunerãtis authoritas. AMPH. Hęc igitur duo supersunt enucleanda: alterum ecquid sancti nobis ad mentiendum exemplo suo præiuerint: alterum an aliquando Deus mendacium vel præceperit, vel fuerit vlla mercede prosecutus. PS. Equidem nihil aliud video. Quare, si placet, à sanctorum exemplis ordiamur.

II. *Duo generatim proponuntur de Sanctorum praxi.*

2. SEd antequam ad singulos veniamus, de toto genere pauca dicenda sunt. Quotusquisque Sanctorum se non & omnium vilissimum, & peccatorum sceleratissimum confitetur? Hoc Franciscus Assisius, hoc Paulus Apostolus apertè pronuntiat. Atque vt alios innumeros omittam, Franciscus ille Xauerius, qui totum pene terrarum orbem Euangelii radiis illustrauit, qui mortuos facilè tres & viginti suscitauit, qui animas innumerabiles (quanquam aliqui septingenta millia numerarunt) sacris Christianis initiauit; hic, in-

quam Franciscus Xauerius, aliud nihil in Epistolis suis frequentiùs vsurpat, quàm se mortalium omnium esse teterrimum. Franciscus Borgia vir omnium virtutum numeris absolutus, & propemodum singularis contemplatus Christi Seruatoris Apostolorum pedes lauantis mysterium, querebatur se iam nusquam posse in rerum natura consistere, quòd qui se hactenus tanquam viliorem ac sceleratiorem ad Iudæ pedes abiecisset, iam eum locum à Christo Domino videret occupatum imò neque dubitabat se nequiorem ipso Cacodæmone peccatorem agnoscere. Ii profectò si loquuntur ex animo, falluntur: si contra mentem atque animi sui sententiam, mentiuntur, quos tamen qui peccasse diceret, hactenus inuentus est nemo.

3. Quid? quòd etiamnum inter hæreticos & infideles, vt in Anglia & Iaponia, viri Religiosi non ordinem modò suum vestis mutatione dissimulant, sed etiam cibis interdictis ab Ecclesia vesci non dubitant, ne si præceptis Ecclesiæ parere voluerint, Catholici detegantur, quibus, opinor, nemo propterea vel minimam peccati labem adsperserit. Quòd si in rebus etiam ad fidem spectantibus dissimulare nonnunquam, ac proinde ipso facto mentiri fas est, quis cæteris in rebus & vita communi putet anxiè vitandum esse mendacium?

III. *Vtrùm mentiantur sancti cùm se omnibus viliores ac deteriores esse pronuntiant.*

Non est humilitatis caussa mentiendum. 4. PHIL. Duo proponis, Pseudagora, quæ non facillimos habeant explicatus. Alterum an humilitatis ac modestiæ caussâ liceat mentiri: alterum an in terris infidelium & hæreticorum, eorum possimus aut vestes aut cibos vsurpare, ne catholici detegamur. Priori quæsito respondet Augustinus de verbis Apostoli, *Cùm humilitatis caussâ mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaueras. Veritas in te non est, nisi te ita dixeris peccatorem, vt etiam esse cognoscas: veritas autem ipsa est vt quod es, dicas. Nam quomodo est humilitas, vbi regnat falsitas?* Et Gregorius Magnus, *Incautè sunt humiles, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant: imò mentiendo superbiunt, quia contra veritatem se erigũt, quam relinquunt. Qui enim necessitate cogente vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati iungitur, quanto & veritati sociatur.* Atque iterum Augustinus, *Non ita caueatur arrogantia, vt veritas relinquatur.* Et alibi: *Quid*, inquit, *faciat virgo, quid cogitet ne se extollat super eos, vel eas quæ hoc tam magno dono carent? Neque enim simulare debet humilitatem, sed habere. Nam simulatio humilitatis maior superbia est, idcirco Scriptura volens ostendere veracem humilitatem esse oportere, cùm dixisset. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, mox quoque subdidit: & coram Deo inuenies gratiam, vtique vbi se fallaciter humiliare non posset.* Atque adeo septimus humilitatis gradus in S. Benedicti regula statuitur: *Si omnibus se inferiorem & viliorem non solùm sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu. Ne videlicet*, vt ait Augustinus, *humilitas constituta in parte falsitatis perdat præmium veritatis.*

Serm. 31. al. 29.

26 Moral cap. 3.

Tract. 43. in Ioan.

Lib de sancta virgin. c 13. to 6

Eccl 3.20.

cap 7.

De natur. & gratia, c 34 to. 3.

5. PSEVD. Quid igitur? an viros sanctissimos, quòd in parte falsitatis humilitatem collocauerint, & longiùs interdum à veritate discesserint, putas virtutis suæ præmium perdidisse? PH Ego vero, Pseudagora, perdidisse non arbitror, sed quòd eos animi demissionis ac modestiæ caussâ longiùs à vero exorbitasse defendis, id non solùm nego, verùm etiam pernego. Neque enim ad veram animi demissionem egent mendacio, cùm non modò grauissimas, sed etiam verissimas habeant demissè de se atque humiliter sentiendi rationes. Sciunt enim & verissimè sciunt se, cùm nihil ab æterno fuerint, nihil, vt essent, mereri potuisse. Sciunt quicquid sunt, quicquid possunt, id magnificentiæ diuinæ esse referendum, nihil habere se quod non acceperint, si autem acceperunt, nihil esse quod glorientur, Deum in ipsis omne bonum operari: *In ipsis*, inquam, *operari & velle & perficere pro bona voluntate*. Sciunt denique Deum cùm coronat ipsorum merita, coronare beneficia sua. His se cogitationibus muniunt, & vera humilitate stabiliunt, atque

Philip. 2. 13

Vt cymbæ instabiles fluctu iactante saburram,

has considerationes identidem vsurpant.

6. Neque verò duntaxat id sibi persuadent, quod fides exigit, sed etiam per summam animi demissionem in hac persuasione medullitùs acquiescunt. Gloriantur in cruce Domini nostri Iesu Christi, ac libenter in suis infirmitatibus gloriantur, vt si (quod fieri non potest, sed explicationis caussa fieri posse faciamus) si, inquam, vel hilũ virtutis ac firmitatis à seipsis aut aliunde quàm ex illo diuinæ liberalitatis fonte deductum obtinerent, id sibi probro potiùs & ignominiæ ducerent quàm honori, vel-

Quomodo sancti sentiant suos ad humilitatẽ inflectant.

lentque totum illud diuinæ maiestati sponte submittere. quod si submittere non possent, repudiarent potiùs ac respuerēt, quàm aliunde suam felicitatem accersendam putarent.

7. Ps. Non hic controuersiæ nostræ cardo versatur, Philalethes, sed id in præsentiâ quæritur, vtrùm iusti ac perfecti possint se peccatores citra errorem aut mendacium confiteri. Ph. Audi Ioannem, *Si di-*
Ep 1. c. 1. v. 8, 10. *xerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, &c. si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.* quod alibi scriptura frequenter inculcat. Ps. Quid deinde? Ph. Cùm igitur iusti se peccatores appellant, haud mentiuntur. Ps Si his finibus circumscriberent orationem suam, equidem inficias ire non possent. Sed quamuis eorum peccata constet esse leuissima, nihilo secius eò progrediuntur vt contra veritatem se maximos peccatores esse pronuntient. Ph. Nimirum ita sentiunt. Ps. Necesse est igitur eos vt errare fatearis, adeóque hæc animi demissio suos in errorem inducit, nec potest in veritatis regno consistere.

8. Ph. Si vilem mastrucam habeas ac vestem bombicinam filis aureis intertextam & acu Phrygia pictam, atque vtrique labes adspersa fuerit, vtram maculam molestiùs feres? Ps. Equidem malim in mastruca centum maculas ingentes, quàm vel vnam in Attalica veste labeculam. Ph. Verruca vel næuus in facie tibi, an in pede vel alia corporis parte deformior apparet? Ps. In facie. Ph. Si tibi proponantur ædificia duo, alterum è crudo cespite temere congestum, alterum è marmore Carystio, Proconnesio, Synadensi, è berillis, chrysolithis, aliísque magni pretii lapidibus excitatum, ita tamen abnorme vt neque columnæ, neque fenestræ, neque vmbilicorum aut oualium proiecturæ sibi concinnè respondeant, in vtro maiorem putabis esse iacturam? Ps. Equidem, si mihi detur optio malim in æde lutea centies peccari, quàm in marmorea libellam vel minimùm claudicare. Ph. Quid in statuis & signis? æquale damnum iudicas, si Phidias in ebore & auro, an Dibutades in argilla & luto peccarit? Ps. Phidias maiore dispendio peccaturus videtur. Ph. Æquè tolerandum putas si rusticellus ac Regis filius patinas ligurierint, aut contra vitæ communis vrbanitatem quicquam aliud admiserint? Ps. Non puto. Ph. Quid si Rhetor & puerulus vixdum primis Grammaticæ rudimentis initiatus in eumdem solœcismum impegerint? Ps. Alterum leniter admonendum, alterum verbis aut etiam verberibus obiurgandum putabo. Ph. Quid si Thersites & Achilles in eadem fuerint ignauia deprehensi? Ps. In Achillem profectò longè maior ignominia redundabit. Ph. Quid ita? Ps. Quia nimirum, vt ait poëta nescio quis,

Omne animi vitium tanto conspectius in se Iuuenal. sat. 8.
Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.

9. Ph. Habent igitur sancti grauissimas verisimásque rationes quæ ipsos ad vilem ac demissam suiipsorum æstimationem inducant, nec ad se deprimendos aut errorem aut mendacium requirunt. Non enim vulgi Sanctorum peccata. trutina, sed pondere sanctuarii iustisque momentis culparum suarum grauitatem examinant, nec peccati fraudisque suscepræ molem operis exiguitate, sed donorum à Deo sibi collatorum magnitudine, & sui status excellentia metiuntur. Vident se quo pluribus gratiæ donis ornati fuerint, & ad sublimiorem vitæ rationem euecti, eò magis ad sectandam virtutem obligari, eóque se ingratiores putant, cum vel minimum à pietate defecerint, quasi contra ipsos incipiat stare gratiæ sibi diuinitus collatæ

Nobilitas, clarámque facem præferre pudendis.

vt enim qui tædas ardentes præferunt, sordes vestibus aspersas magis ostendunt, quàm si in tenebris ambularent, ita & anima diuinæ gratiæ radiis illustrata non solum omnes culparum etiam minutissimarum labeculas, & quasi singulas atomos manifestiùs intuetur, sed etiam, si dicere fas est, diuinis oculis visendas exponit.

10. Norunt ad quam perfectionem inuitentur, quid in omnibus vitæ partibus debeant intueri, ad quod exemplar suas actiones effingere. *Estote*, inquit, *perfecti sicut Pater meus cælestis perfectus est.* Norunt quantum sibi desit ad illam perfectam cumulatámque virtutem; & quemadmodum luna, quamuis quo propius ad Solem accedit, eo maiore lumine compleatur, sic tamen illius astri vicinitate præstringitur, vt A simili. quo se magis illi applicuerit, eo minus appareat, & cum se planè coniunxerit, ne appareat quidem. sic isti quo propius ad verum iustitiæ Solem accedunt, eo se deteriores arbitrantur, quóque maiores fecerunt in virtute progressus, eo magis submittunt animos, quasi virtus ipsa virtutis accessione decederet. *Vere scio quòd ita sit*, inquit Iob 9 v. 2. quidam iustus, *& quod non iustificetur homo compositus Deo, &c. Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus* v. 30.
mea:

v. 31. *mea: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea, vt enim arbores*, inquit B. Dorotheus doct. 2. *cùm multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos, & eos plerumque frangunt: qui autem ramus nullum habet fructum, attollitur in altum & rectus assurgit. Sunt autem quædam arbores quarum ramus assurgens in fructus extuberare non potest: si autem ramus appendatur inclinetúrque, ne rectus assurgat, illico poma parit: sic anima nostra si humilietur, statim fructus edit, quóque plures fructus attulerit, eo magis humiliatur. Nam viri sancti quanto ad Deum propiùs accesserint, tanto se iniquiores agnoscunt.*

Rursum à simili.

11. Quod miranti cuidam Ciui Gazensi, principi suæ ciuitatis ita persuasit. Dic obsecro, Domine, vir primarie. Qualem te habes inter ciues tuos? Ad hæc ille, habeo me, inquit, vt nobilem & principem ciuitatis meæ. Cui Dorotheus, si Cæsaream pergas, qualem te illic es habiturus? Viliorem, ait, aliquanto principibus ciuitatis illius. Iterum: si Antiochiam abeas, quo te illic numero censebis? Vt rusticum, inquit, quemdam. Si autem Bysantii apud Regem, quem te reputabis? Vt pauperem, ait, quemdam ac mendicum. Tum Dorotheus ad eum conuersus: *Et sic*, inquit, *sese habent Sancti Viri: quò enim Deo propiores fiunt, eò se magis peccatores esse cognoscunt.*

12. Ps. Fateor equidem viros sanctos, vt se coram Deo peccatores agnoscant, haud quaquam indigere mendacio, sed nondum video quo sensu se reliquis mortalibus inferiores, atque adeo peiores arbitrentur. Etenim ne viros sanctissimos cum impuris ac nefariis comparem, Francisco Borgia compono Franciscum Xauerium. Borgia se Xauerio deteriorem clamat: reclamat Xauerius, & se Francisco Borgia deteriorem profitetur. Cùm hæc duo se collidant, nec inter te cohærere possint, quis non videt eorum alterum longiùs à vero discedere? Adde quòd virgo fuit Xauerius, neque citra mendacium, vel potiùs citra hæresim potuit virginitati suæ coniugalem Borgiæ castitatem, aut seruatam à matrimonio continentiam non dicam præferre, sed coæquare.

13. Ph. Cùm Sanctorum Praxis in controuersiam vocetur, &c, vt vulgo dici solet, vnicuique sit in arte sua credendum, ipsa Sanctorum verba proferam, ne responsio mea ex meo potiùs quàm ex eorum sensu deprompta videatur. Et vt incipiamus ab
2 2 q 161. art. 3. in c. Aquinate. *In homine*, inquit, *duo possunt considerari, scilicet id quod est Dei, & id quod est hominis. Hominis autem est quicquid pertinet ad defectum: sed Dei est quicquid pertinet ad salutem & perfectionem, secundum illud Oseæ 13. Perditio tua ex te, Israël; ex me tantùm auxilium tuum. Humilitas autem propriè respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur: & ideo quilibet homo secundũ id quod suũ est, debet se cuilibet proximo subijcere, quantum ad id quod est Dei in ipso. Non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id quod est Dei in seipso, subijciat ei quod apparet esse Dei in altero. Nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere secundum illud 1. ad Cor. 2. Vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Et ideò absque præiudicio humilitatis possunt dona quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei quæ alijs apparent collata.* Quomodo sancti se cũ aliis comparent. Sic absque humilitatis dispendio potuit Xauerius Borgiæ tum castitati, tum continentiæ suam virginitatem anteferre. *Sicut Apostolus ad Ephesios 3. dicit: aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius. Pergit, Similiter etiam non hoc requirit humilitas, vt aliquis, id quod est suum in seipso subiiciat ei quod est hominis in proximo; alioquin oporteret, vt quilibet reputaret se maiorem peccatorem quolibet alio, cùm tamen Apostolus absque præiudicio humilitatis dicat: nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximò, quod ipse non habet: vel aliquid mali in se esse quod in alio non est: ex quo se potest ei subijcere per humilitatem.* Quod infrà sic explicatur. *Aliquis*, inquit, *absque falsitate potest se credere & pronuntiare aliis omnibus viliorem secundũ defectus occultos quos in se recognoscit, & dona Dei quæ in aliis latent.* Hæc Thomas.

14. *Illud*, inquit, Augustinus, *cogitandum nullum esse hominem qui non possit habere aliquod bonum quod tu nondum habes,* 83. quæst. quæst 71. *etiamsi lateat, in quo sine dubio possit te esse superior. Quæ cogitatio ad contundendam edomandámque superbiam valet, ne arbitreris quoniam tua bona quidem eminent & apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateãt, & fortassis maioris ponderis bona quibus te superat nescientem.* Philip 2. v 3. *Non enim fallit nos aut adulatione potiùs vti Apostolus iubet, cùm dicit, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis alter alterum existimantes, superiores sibi. Non hoc ita debemus existimare, vt non existimemus, sed nos existimare fingamus, sed verè existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.*

15. Ps. Quid si pessimum Æneidos versum cum optimo Thebaïdos versu composueris, & hunc illo concinniorem deprehenderis, an iustè propter hunc versum Virgilio Statium antepones? Ph. Minimè vero? Ps. Quid si deterrimã & incultissimã Ciceronis Epistolam cum elegantissimã Plinii iunioris? an ex ista comparatione sincerum feres de vtroque iudicium? Ph. Ne id quidem. Ps. Quid ita? Ph. Quia videlicet vt aptè quadret comparatio, necesse est vt alterius vitia cum vitiis alterius, virtutes cum virtutibus, optimum cum optimo conferatur, & subductis omnibus, summa fiat earum rationum, quibus altet alterum antecellit.

16. Ps. Credis Iudam nihil vnquam boni fecisse? Ph. Equidem non credo. Ps. Petrum numquam peccasse? Ph. Nec illud. Nam & Iudas aliquando Christum annuntiauit, & Petrus Christum negauit. Ps. Vnde habuit Iudas vt Christum annũtiaret? Ph. A Deo. Ps. Vnde Petrus, vt Christum negaret? Ph. A se ipso. Ps. Petrus vt peccator, Iuda vt Euangelii Prædicatore deterior fuit? Ph. Negare non possum. Ps. Cur igitur Iudam Petro præferre dubitamus? Ph. Magnam Epistolarum principi faceremus iniuriam. Nam vt in iure dicitur *iudicantem oportet cuncta rimari.* Ps. Quid si Petrus ex animi demissione semetipsum Iuda deteriorem esse confirmet, ecquid non aut falletur, aut mentietur? Ph. Non. Ps. Quid ergo cogitabit, vt eius cogitationi respondere possit oratio? Ph. Si Iudam adhuc superstitem, & in salutis damnationísque æternæ biuio versari faciamus, cogitabit Petrus illud ipsum quod iam suggessit Augustinus, & alibi virginibus ne se cõiugatis, aut viduis anteponant, considerandum inculcat. *Occulta scilicet dona Dei, quæ non nisi interrogatione tentationis etiam semetipsum vnicuique declarauit, vt enim cætera taceam, vnde scit virgo, quamuis sollicita quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio: illa verò mulier, cui se præferre gestiebat, iam possit bibere calicem dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis amatoribus sublimitatis apposuit? Vnde, inquam, scit ne forte ipsa nondum sit Thecla, iam sit illa Crispina?* Vnde scit Petrus an Iudas interiore mentis affectu, qui soli Deo cognitus est, iam emerserit à peccato. Et vbi abundauerat delictum, ibi superabundet & gratia: ipse autem adhuc hæreat in eodem luto, neque peccati sordes absterserit, aut abstersurus sit aliquando?

Dec.c. 30. q.5. iudicãtem.

De Sancta virgin.c.4. tom 6.

17. Multas probabiles rationes suggeret charitas quibus Iudæ peccatum excuses: multas humilitas, quibus proprii sceleris atrocitatem exaggeres. *Etiamsi perperam actum quid deprehendas*, inquit Bernardus, *Nec sic iudices proximum; magis autem excusa. Excusa intentionem si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat: suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset si accepisset in me similiter potestatem?* Dorotheus doctrina 6. *Contingit plerumque vt aliquis è fratribus quædam faciat simpliciter, rem autem vnam in se habeat, quæ Deo mirificè placet super omnem vitam tuam, & tu sedens & otiosus illum iudicas atque animam tuam lædis? Esto ceciderit: Tu quid scis, quomodo concertauerit, quomodo effuderit sanguinem suum, antequam illud animo designaret, vt pene inueniatur lapsus eius tamquam iustitia reputatus apud Deum. Nouit forte Deus laborem eius & afflictionem quam passus est, priusquam tentationi succumberet, misertúsque est illius & ignouit, &c.* Καὶ σὺ τὴν μὲν ἁμαρτίαν οἶδας, τὴν δὲ μετάνοιαν οὐκ οἶδας. *Et tu nosti quidem peccatum, sed pœnitentiam non nosti.* Contrà quam multæ personarum, loci, temporis circumstantiæ, quibus nullo veritatis dispendio, magno humilitatis compendio tuum peccatum exaggerare possis? sed has persequi longum est, nec fortasse necessarium.

Serm. 40. in Cãtica.

18. Neque verò si purus & innocens se cum homine sceleribus omnibus ac flagitiis inquinato componat, séque deteriorem appellet, necesse est vt si ille semel adulterium admisit, se decies admisisse fateatur. *Deputate*, inquit Augustinus, *vobis tanquam omnino dimissum quicquid mali à vobis non est illo regente commissum*, & paucis interiectis. *Multa ergo sunt dona, & alia aliis clariora ac superiora singulis singula, & aliquando alter fructuosius est donis paucioribus sed potioribus, alter inferioribus, sed pluribus; & quemadmodum inter se vel coæquentur vel distinguantur, in accipiendis æternis honoribus, quis hominũ audeat iudicare, dũ tamẽ constet & multa esse ista diuersa, & nõ ad præsens tẽpus, sed in æternũ prodesse meliora?* Vnde ergo nosti vtrùm innocentiæ tuæ fructus illius pœnitentiæ fructibus antecellat? Præclarè Bernardus. *Noli te homo cõparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim, ô homo, si vnus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas: cuius vitam sceleratissimam ac singula-*

De Sancta Virg. c. 40. tom. 6.

Serm. 37. in Cant.

riter fœdissimam horres, & propterea illum spernendum non modò præ te, qui forte iam sobriè, & iustè, & piè viuere teconfidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam, si melior & te & illis mutatione dexteræ excelsi ipse quidem futurus sit, in Deo verò iam sit?

Cap. 9. v. 1. 19. Addam & illud. Quoniam, vt ait Ecclesiastes: *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrùm amore, vel odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Quid scis an ille sit electus ad gloriam, tu reprobatus ad supplicium & ignominiam sempiternam? Ille factus fuerit vas in honorem, tu vas in contumeliam? Ille inter oues Christi, tu inter hircos diaboli numeretis. Quòd si, vt ait Theologiæ disputatricis antistes, ea quæ causis proximis comparara futura contingentia dicuntur, Deo sunt ab æterno præsentia, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, nemo non videt omnem adhibendam esse contentionem, vt qui gloriatur non in seipso, sed in Domino glorietur, nec eorum quæ sunt hominis habita ratione vlli se mortalium anteponat; cùm fortasse iam in conspectu Dei, cuius æternitas tota simul collecta, vicissitudines temporum & omnes tum præteriti, tum futuri ambages præsenti fideliter inclusas amplectitur, infra Iudam ipsum positus eòque deterior æternis crucietur incendiis.

Rom. 9. v. 21.

1. 2. q. 14. art. 13. in c.

20. Amph. Sed heus tu, Philalethes. Aduerte quid Pseudagoras noster in controuersiam adduxerit. Quærebat quibus argumentis Sancti sibi persuadere possint se omnium esse vilissimos, ac maximos peccatores, vt cùm ista pronunciant, neq; seipsos decipiant, neque aliis mentiantur. Tu velut alia quæsierit omnia, instat cuiusdam Protei lubricus, & incomprehensibilis iniectos interrogationis huius laqueos eluctari te putas, cùm responderis temerarium esse sanctitatem ac iustitiam sibi præ cæteris arrogare. Volo igitur vt missis ambagibus ac diuerticulis ad quæsitum respondeas, quo pacto, cùm vtrute fateris, dubiæ sint vtrimque rationes, sancti potiùs in eam partem inclinent, vt se viliores ac deteriores omnibus esse fateantur.

21. Phil. Imò Sanctorum hac in caussa perrogemus sententiam. Aperte Gregorius Magnus in dubiis & controuersis eam in partem propendendum esse testatur quò ratio humilitatis incumbit. *Cùm*, inquit, *in doctrina atque silentio sit meritorum tanta diuersitas, vt sciri facilè non possit vtrùm ex auditoris, an ex eius vitio qui doctrinæ locum videtur tenere, docendi sermo subtrahatur: quid aliud nobis quàm seruari semper in rebus dubijs humilitas iubetur, vt quando loqui possumus, non extollamur, ne fortasse hac ipsa locutionis nostræ gratia non nobis, sed auditoribus nostris collata sit. Et rursus quando loqui non possumus, hi qui nobis commissi sunt, minimè nos diiudicent: ne forte non ex nostro, sed ex peccato audientium loqui minimè possimus. Ad hoc ergo nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, vt vnam certam gratiam teneamus humilitatem, quatenus & nos cùm loquimur, ex omnipotentis Dei dono hoc esse vestrum meritum putemus. Et quando à locutione doctrinæ obmutescimus, quamuis nostra culpa sit, vos tamen hanc esse vestram specialiter credatis, vt cùm vicissim mala nobis tribuimus, & bona alijs, per ipsam humilitatis gratiam, fiat vt doctrinæ sermo, qui ablatus fuerat, redeat.*

19. Ezech. homil. 12.

22. Præclarè Bernardus. *Si in quonam statu vnumquemque nostrum habeat Deus liquidò cognosceremus, nec suprà sanè, nec infrà secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, itavt nemo sciat si dignus sit amore vel odio, iustiùs tutiùsq; profectò iuxta ipsius Veritatis consilium nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superiùs educamur, quàm præsumimus altiorem vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum quãtumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem quàm sis, hoc est quàm te veritas habeat. Est autem grande malum horrendúmque periculum, si vel modicè plus vero extollas, si vel vni videlicet tua cogitatione te praferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimiùm bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem si vel transuersi digiti spatio plus quàm ostij patitur mensura, erexeris, ita vt impingas & capite quassato collidaris: sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiúmque pauenda vel minima temere præsumpta erectio.* Pseud. O Amphiloge, quonam tenebimus *mutantem hunc Protea nodo?* iterum nisi cauemus è manibus elabitur. Serm. 37. in Cant.

23. Amph. Nolim equidem, Philalethes, ex iudice mutatus in aduersarium videri, vnum tamen abs te sciscitabor, non vt te refellam; sed vt animi tui sensum eliciam. Si Petrum Iuda deteriorem esse dicas,

fateris ei te facturum iniuriam? Ph. Fateor. Quid si contra mentem tuam eum abiectiorem & viliorem esse dicas, quem digniorem aut certè æqualem arbitraris? Ph. Mentiar. Amph. Quid si Petrum verè ipso Iuda deteriorem esse credideris, eúmque animi tui sensum sine fuco ac fallacia verbis exprompseris. Ph. Equidem fallar, non mentiar tamen. Amph. Vnde igitur Petro fiet iniuria? Ph. Ex temeritate iudicii. Quia non expensis vtriusque meritis temerè secundum Iudam pronuntiaui, eúmque declaraui Petro meliorem. Amph. Idem iniuriæ faciendæ periculum imminere putas, si Petrus eadem de seipso pronuntiet? Ph. Ego verò non puto. Am. Vide igitur ne quæ hactenus ex Bernardo & Gregorio protulisti, non tam ostendant Sanctos non mentiri, quàm habere caussam cur plusculum quàm veritatis ratio postulat, humilitati largiantur. Nam si cùm se omnium sceleratissimos esse dicunt, ita sentiunt vt loquuntur, citra controuersiam falluntur: si non sentiunt, etiam mentiuntur. Ph. Sanctos humilitatis ac modestiæ caussa mentiri nego, quia reuera se omnium deterrimos arbitrantur, & quæ animo sentiunt, oratione depromunt: fieri aliquando posse vt falsam habeant opinionem, ac proinde fallantur, non iam nego quod superiùs imprudens negaui, sed id Bernardus apertè confitetur. *Quid si*, inquit, *in eo discordaret à veritate, vt minorem se inferiorémque putaret, quàm veritas haberet? Excusaret eum sua proculdubio ignorantia, & minime reputaretur superbus, nec tam inueniretur iniquitas eius ad odium, quàm humilitas fortassis ad gratiam.*

24. Ne tamen sanctos erroris mendaciique saltem materialis, vt vocant, temerè damnare videamur, debemus non tam eorum verba, quàm interiorem animi sensum ponderare. Quoniam tantæ sunt in hominum animis latebræ, tantique recessus, vt, quemadmodum loquitur Apostolus, nemo sciat *hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est*, & verba sunt instituta non solùm vt homines internas intelligentiæ suæ cogitationes, sed etiam vt voluntatis affectus non minùs abstrusos inter se communicent; sanctos, cùm se non modò peccatores, verùm etiam peccatores sceleratissimos esse testantur, sic audire debemus, quasi cogitationes animi sui certò affirmatéque manifestent, ac perinde vt loquuntur, ita sentiant peccata sua, quæ in aliis leuia videri possent, esse grauissima, si cum diuinis in se beneficiis ac sui status excellentia comparentur, cùm se præferunt

1. Cor. 2. 11.

Sanctorum humilitas.

nemini, iudicium suum quasi paribus momentis examinatum sustinent, & neutram in partem pronuntiant: ac proinde tam absunt ab errore & mendacio, quàm remoti sunt à temeritate iudicandi. Cùm se viliores ac sceleratiores omnibus, aut cæteros sibi superiores agnoscunt, non sic audiendi sunt, quasi reuera se vel pluribus sceleribus ac flagitiis coopertos, aut se cumulatiori gratiæ minùs cooperatos esse testentur. Neque enim, vt iam vidimus, requirit humilitas vt si proximus vnius adulterii conscientia vinctus tenetur, te decem adulteriis obstrictum aut vberiore gratia præuentum quàm ipsos Apostolos minùs huic gratiæ quàm Iudam obsecutum esse fateare.

25. Sed quia naturæ suæ vilitatem, súmque, vt ita loquar, nihilum, indulgentiam gratiæ, diuinorum in se beneficiorum magnitudinem, peccatorum quæ vel commiserunt, vel sibi relicti committere potuerunt, multitudinem & atrocitatem, cæteras animæ suæ miserias sibi solis ac Deo compertas intimè penetrant: ex his verissimis rationibus ad sui ipsorum infra cæteros abiectionem suspenso quantumlibet iudicio, affectu voluntatis incumbunt, & quoniam ex abundantia cordis os loquitur, nonnunquam se mortalibus omnibus, quorum occultam animi tum pulchritudinem, tum deformitatem minus compertam habent, turpiores esse pronuntient. Quod etsi fortasse speculatiuè falsum esset, practicè tamen verissimum esse constat. Non enim tam intelligentiæ suæ iudicium, quàm voluntatis in qua sedem habet humilitas, affectum oratione depromunt.

Humilitas affectus.

26. Atque hæc practica veritas experientiâ potius & vsu gustari potest quàm aut explicari verbis aut ratione comprehendi. Quod eleganti similitudine Dorotheus illustrat: *Hoc ego reor*, inquit, *vtique se habere, quemadmodum Sophistica & Medicina, quas artes cùm quispiam apprimè calluerit, & ad actum perduxerit, sensim frequentato actu ipsarum fit habitus & Medico & Sophistæ. Hi autem postmodum docere nequeunt nec norunt quo pacto ad earum disciplinarum habitum peruenerint, sic anima, vt dixi, sensim sine sensu disciplinas has ex actione concepit, idem dicere est de humilitate*, ὅτι ἐκ τῆς ἐνεργείας τῶν ἐντολῶν γίνεταί τις ἕξις ταπεινὴ, καὶ οὐ δύναται λόγῳ ῥηθῆναι, *quod scilicet ex crebra operatione mandatorum Dei fiat habitus quidam humilitatis in anima qui non possit explicari sermone.*

Doct. 2.

27. *Est*, inquit Bernardus, *humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & est humilitas quam charitas format*

Serm. 42. Cant.

Humilitas veritatis.

Humilitas charitatis. *& inflammat. atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit.* Cognitionis humilitas vel in ipso Lucifero potest inueniri: sciebat è nihilo se procreatum, nec in rerum natura sine Dei conseruantis adminiculo posse consistere: sciebat suam naturam, suas facultates, suas operationes magis à Deo quam radium à sole pendere. Neque enim ignorare potuit quod homines solo naturæ lumine videre potuerunt

Orpian. 2. ἁλιευτ. interpr.
—τί γὰρ μερόπεσσιν ἀνυστὸν,
Νόσφι θεῶν, οὐδ' ὅσον ὑπ' ἐκ ποδὸς ἴχνος ἀεῖραι,
Οὐδ' ὅσον ἀμπτιλάσαι βλεφάρων περιφαέα κύκλα,
—Quid enim sine numine possunt
Mortales? non ipsi solo vestigia tollant,
Non oculis nictare queant, cælúmque tueri.

Sed hæc indigentiæ suæ speculario adeo nō sufficit ad veram animi demissionem, vt ne humilitas quidem dicenda sit, & qui propter collata sibi vel naturæ vel gratiæ beneficia sibi quicquam ex auctoris honore decerpit, & in seipso non in Domino gloriatur, eò superbior ac sceleratior meritò censeatur, quò liquidiùs & euidentiùs agnoscit, se nihil habere quod non acceperit.

28. Ad voluntatis humilitatem ipsa Deipara nobis exemplo præluxit, quæ etsi perfectissimè nouerat, nullam sibi peccati labem vel ex origine vel ex propriis actionibus affusam, nihilo tamen secius intimo voluntatis affectu se non solum hominibus (Speculo B. Virginis lect. 4. tomo 6.) *tanquam ancillam & seruitricem*, vt cum Bonauentura loquar, sed etiam legi purificationis *tanquam ream & peccatricem* sponte submisit. Ad eandem cordis humilitatem nos ipse Christus inuitat. Bernardus: (Serm. 42. in Cant.) *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & formam humilitatis tradens, ipse se exinaniuit: ipse se humiliauit non necessitate iudicij, sed nostri charitate. Poterat nimirum vilem se & contemptibilem demonstrare, sed planè non reputare: quoniam sciebat seipsum, voluntate proinde humilis fuit, & non iudicio, qui talem se obtulit, qualem esse nesciuit, magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat. Denique ait, discite à me* (Matth. 11.) *quia mitis sum & humilis corde: corde ait, cordis affectu, id est voluntate itaque necessitatem exclusit, qui voluntatem confessus est. Non enim quomodo ego vel tu inuenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptus, dignos omni inferioritate & extremitate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis: non, inquā, ita & ille: quæ tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis.*

29. Pseud. At, at, Philalethes, videris eo reuolui vnde te euoluere vel maximè cupiebas. Ph. Quo pacto? Ps. Minus laborabas sanctos ab omni penitus erroris periculo quàm à mendacio vindicare. Quæ autem è Bernardo prolata sunt, probant quidem Christum Dominum erroris immunem fuisse, sed eum alienum à mendacio fuisse non probant. Si enim vilem se & contemptibilem demonstrabat, nec planè contemptibilem reputabat. Si humilitatem hanc cordis suadebat affectio, non discussio veritatis, aliud significabat exterius, aliud in animo versabat, quod (non equidem affirmandi caussâ dico, sed disputandi) videtur non tam ad veracitatem quàm ad mendacium pertinere. Ph. Bernardum comiter interpretari debemus, & in leniorem partem inflectere, vt cùm ait Christum talem se obrulisse, qualem esse nesciebat, séque contemptibilem demonstrasse, cùm planè non reputaret, sic intelligamus vt non aliud in pectore clausum, aliud in lingua promptum habuerit, sed vt quamuis se nosset esse solis radio puriorem, splendorem paternæ gloriæ, & figuram substantiæ eius, Hebr. 1. 3. speculum sine macula Dei maiestatis, & Sap. 7. 26. imaginem bonitatis illius, nihilo tamen minùs ex humilitatis & charitatis affectu contumelias peccatoribus debitas, opprobria, contemptum, flagella, crucem denique ipsam elegerit.

30. Quamuis ne ipsi quidem nedum sanctissimæ matri defuerunt grauissimæ rationes, quibus ex discussione veritatis animi demissio nasceretur. Considerabat se vt hominem nullis præcedentibus suis meritis è nihilo productum, nihilique sui, vt ita loquar, essentiam intimè perspicacissima mentis acie penetrabat, & quidem (infinitum quantum) perfectius quàm vel ipsi in cœlo Seraphini, non inflabatur bonis sibi gratuitò collatis, suam illam excellentiam non adscribebat meritis suis, sed totam, quanta quanta fuit, acceptam diuinæ gratiæ referebat: *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui vt hoc esset* (verba sunt Augustini) (De prædestinat. Sanctorū, c. 15. to. 7.) *quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparauit? respondeatur, quæso, ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem personæ assumptus filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruerit? quod eius bonum qualecunque præcedens? quid egit ante? quid credidit? quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret?* Has habuit ille verissimas grauissimásque sui deprimendi rationes, quibus illa naturæ humanæ tanta & tam celsa & summa sub-

uectio, & quò attolleretur altiùs quàm ad Deum non haberet, & quò deprimeretur humiliùs quàm ad nihilum suum non inueniret.

31. Atque ex his explicari facilè poterit quàm scitè Paulus & se postposuerit omnibus Apostolis, & humilitatis affectum cum veritatis & cognitionis humilitate coniunxerit.

1. Cor. 15. 9. *Ego*, inquit, *sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus.* Cur? Quoniam *persecutus sum Ecclesiam Dei.* Verissima deprimendi tui ratio, sed nescis te *vas electionis* ab ipso Christo nuncupatum? Scio, inquit, sed nullis præcedentibus meritis, *gratia autem Dei sum id quod sum.* Ecquid non Dei suâ te gratiâ vocantis dicto te audientem fuisse existimas;

1. Cor. 11. 6. & *nihil fecisse minus à magnis Apostolis? Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui*: cur igitur in teipso tuísque laboribus non gloriaris? *non ego autem* laboraui, *sed gratia Dei mecum.* Videtis in Apostolo mirabilem veritatis humilitatísque nexum, ac proinde caussæ nihil esse cur sancti, cùm se infra cæteros mortales deprimunt, in humilitatis gratiam mentiantur.

IV. *Vtrum mentiantur illi qui cibos interdictos, aut vestes infidelium proprias vsurpant.*

32. Venio nunc ad alterum disputationis nostræ caput, atque vt superiorum longitudinem eorum quæ restât breuitate compensemus, certum est numquam fas esse Christiano fidem disertis conceptísque verbis abiurare, neque quoties ad fidei professionem obligamur, interrogantem ambiguitate verborum eludere. Sed quibus locis ac temporibus eam profiteri teneamur, verùm & quando contra fidem, aut religionem peccet, qui vel occultandæ fidei caussa cibis interdictis vescitur, vel infidelium vestes etiam peculiari ritu superstitioni dicatas, aut idolorum figuris intextas vsurpat, magna quæstio est, & magnis Scholasticorum altercationibus ventilata. Videsis eorum sententias apud Suarem tract. de fide. qu. 14. non paucis sectionibus.

Fidei professio.

33. Nos iis supersedendum putamus quæ minùs ad institutum pertinent: illud vnum agitur verùm qui cibos interdictos, aut proprias infidelium vestes ad occultandam fidem vsurpant, aliquo modo mentiantur, ad quod facilis videtur & expedita responsio. Cùm enim vestes primò & per se vim significandi non habeant, sed eam ob caussam comparatæ sint, vt & corporis nuditatem inuoluant, & eius infirmitatem contra temporum iniuriam tueantur, potest earum vsus ab omni significatione separari, ad eúmque finem duntaxat adhiberi ad quem primariò sunt institutæ. Veritas porro moralis ac mendacium in sola significandi voluntate consistit, è quibus efficitur omnem eiusmodi vsum qui citra significandi voluntatem adhibetur, penitus vacare mendacio.

Vestium vsus.

34. Ps. Facilem ais hanc responsionem & extricatam? Ph. Planè sic videtur. Ps. At vide ne te rursum in eos laqueos induas, quos nudius-tertius vix ac ne vix quidem enodare potuisti. Ph. Quos? Ps. Redeunt interrogationes illæ, quibus primò congruè cùm de insidiis à Iosue positis ageremus, luculentam ab te confessionem extorsi, nihil præter Theologorum consensum obstare quominus certam destinatámque fallendi voluntatem aliquando licitam esse concederes. Faciamus huic vestes alias non deesse quibus & necessitati suæ subueniat & honestati: faciamus eumdem cibis ab Ecclesia permissis abundare; quæro cur cibos vetitos, aut vestes infidelium proprias vsurpet? Ph. Vt fidem occultet, quam ea temporis circumstantia profiteri non tenetur. Ps. Poterit efficaciter ad hunc finem collineare, nisi eadem efficientiâ voluntatis certóque consilio medium eligat sine quo finis non potest obtineri? Ph. Non poterit omnino. Ps. Atqui medium hoc vnicum ad tegendam veritatem necessarium aliud esse non videtur quàm purum putúmque mendacium. Ph. Atqui hoc ipsum est quod nego, & si vis, etiam pernego.

35. Ps. Audi Aquinatem. *Sicut*, inquit, 2. 2. q. 111.
Veritati opponitur quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium eius quod in eo est: quod propriè simulatio dicitur. Vnde simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Phil. Audio. Sed quid ad nos qui negamus quicquam hoc ciborum delectu, aut vestium mutatione simulari? Aliud est enim fidem abiurare, aliud eam non profiteri: aliud dicere te non esse Christianum, aliud non dicere te esse Christianum: aliud denique negare veritatem, aliud eam inuolutam silentio tenere. Vtitur hic cibis promiscuis ne Catholicus in Anglia detegatur, non vt significet

art. 1. in c. Mendacium.

Simulatio.

se animum ad Anglorũ hæresim appulisse; ille posito suæ Religionis, aut regionis habitu Bonziorum vestes induit in Iaponia ne Christianus appareat, non vt Christianam fidem abiuret: Neque vel alter hæresim esu carnium, vel alter Bonziorum superstitionem vsu vestium profitetur: sed vterque ita se gerit, vt nullam apprehendendæ veritatis, quam expedit abscondi, ansam exhibeat, non vt erroris occasionem aliis subministret.

V. *Vestium mutatio an sit mendacium.*

36. SEd quoniam ipse fidei splendor, cuius ingenuæ professioni nescio quo modo nonnihil officere videtur ille ciborum vestiúmque delectus, perstringit oculos, nec finit rei, qua de agitur, veritatem ad liquidum intueri, quòd semper nescio quid remordeat animum quasi fidem qualibet occasione profiteri magis expediat, quàm vlla veritatis integumenta sectari: Age, Pseudagora, potes aliis in rebus huiusmodi vestium mutationis exẽpla proferre? Ps. Narrat Palladius ex Hippolyto, qui Apostolis ipsis familiaris fuit, Corinthiacam Virginem Christianam quasi victimam impuris proteruæ iuuentutis libidinibus destinatam sententiâ nefarii Iudicis in lupanar abductam fuisse. Accessit ad lenonẽ Magistrianus probus ac nobilis adolescens: præsentem ei pecuniam numerauit: ad puellam admissus est. Quid deinde? quid expectatis? Non modò reliquit intactam, sed etiam vestes cum ea mutauit, séque pro virgine supposuit, vel vadem mortis, vel prædem pudoris. Ipse amictus palla muliebri, caliendro ac ricinio velatus mansit in lupanari; illa sub ipsum dubiæ lucis crepusculum in tunica virili, capite, ne agnosceretur, inuoluto, incolumis euasit. Adolescens detecta fraude productus & damnatus ad bestias, duplicem est, & ob editam fidei confessionem, & ob seruatam virginis pudicitiam martyrij Lauream consecutus. Idem fusè narrat[1] Ambrosius Antiochiæ paulo ante sua tempora contigisse.

36. Nec paucæ matronæ maritos suos in vincla compactos & iam iam producendos ad necem, vt[2] Sparthanæ Minyas, Persarum Regina,[3] cuius nomen literis proditum non est, Cabadem, Sanctia[4] Sanctij Legionensium Regis matertera Ferdinandum Castellæ Comitem, impetrato ad eos aditu permutatáque veste per simulationem doloris velatis capitibus emiserunt, ac virilibus indutæ quasi succidaneæ victimæ remanserunt, dum interim mariti muliebribus stolis amicti delusis custodibus è vinculis, ne dicam ex ipsis orci faucibus euolarent. Quæ profectò neque peccati damnare possis, neque mendacii absoluere. Ph. Imò, Pseudagora: non illi custodibus fucum facere, non falsam opinionem eorum animis obtrudere, non positiuam, vt vocant, erroris occasionem præbere, non denique alienum sexum mentiri, sed suum duntaxat occultare voluerunt. Adeóque quamuis aut hi, aut illæ sub alterius sexus veste delituerint, non magis sexum mentiebantur, aut in custodum errorem magis influebant, quàm si oppansis ad tegendam fugam sipariis, aut etiam vxorum vestibus per fenestram cum Paulo dimitterentur in sporta, aut perfosso pariete, nocte conscia, stipantibus tenebris per cuniculum euaderent.

1. Lib. 2 de virgin.
2. Herodotus li. 4. Valer. Max. li. 4. cap. 7.
3 Niceph. Calist. lib 16 c. 35. Cedrenus in Zeoone.
4. Lips li. 1 monit. polit. c. 17.

VI. *Exemplum Petri an patrocinetur mendacio.*

37. PSeud. Narrat Clemens Romanus in Recognitionibus externam patris sui Faustini speciem magicis præstigiis ita mutatam fuisse, vt qui oculos in eum conuerterant, ipsum Simonem Magum intueri sibi viderentur. Faustinus rei totius ignarus ad Petrum accessit, & præsentibus familiariter appellatis in circulo de more consedit. Illi mirari primo, deinde fraude comperta partim horrere præstigias, partim fallaciam ridere, postremo indignari, ac Simonis impudentiam intolerabilem dicere qui suis incantationibus fucum, vel Apostolo facere voluisset. At Petrus vtendum occasione præter spem oblata, & artem arte eludendam ratus iussit vt Faustinus, sicut erat, populo se daret, in suggestum adscenderet, ac frequenti concione Christi potentiam, idolorum vanitatem, veritatem Euangelij, pristinos errores suos, magicæ superstitionis impietatem, suam ipsius denique resipiscentiam prædicaret, suóque exemplo ad suscipienda religionis Christianæ sacra cæteros inuitaret. Quid quæris? magni motus in concione facti, pertinacissimus quisque perculsus, cæteri salubriter prostrati, incredibilis ad Christi fidem accessio. E quibus aduertis authore Petro non modò fas esse mentiri, sed etiam ad inserendam pectoribus hominum pietatem nonnumquam expedire. Ph. Ain' tu? Ps. Aio enimuerò. Ph. Atqui dicere poteram libellum hunc, qui abs te laudatur, innumeris scatere mendaciis, & apud corda-

tos viros, vt ab otioso quopiam & male feriato confictum nullius esse momenti.

38. Ne tamen desperatione solutionis vim huius authoritatis infringere videar, age videamus ecquid in hac caussa patrocinetur mendacio. An quod Faustinus Simonis Magi vultum, oculos, omnia corporis lineamenta, vocem, gestum, incessum, vestes ementita similitudine referebat? Non fuit illud mendacium: aut si fuit, Faustini certè non fuit. ipsum Simonem accusa, qui præstigiis suis oculos intuentium fascinauit, ac falsis rerum imaginibus illusit. An quòd Christi diuinitatem, idolorum inanitatem prædicarit? At si vel ipsa veritas loqueretur, non aliam orationem haberet. In quo igitur mentitus est Faustinus, aut Petrus mendacium indixit? Audio quid respondeas. Si pro Simone Mago, cuius externam speciem ac lineamenta repræsentabat, populo venditauit. At, ô bone, nunquam dixisse reperitur se Simonem esse, sed duntaxat Faustinum tacuisse. cur igitur prodibat in publicum, séque dabat in coronam, cùm præuideret fore vt error in animis hominum inde sequeretur? Quia videlicet, vtebatur iure suo, neque erroris ansam subtrahere tenebatur, poterátque citra mendacium errorem illum permittere.

39. Ps. Aueo scire quid de virginis illius Christianæ facto censeas, cuius meminit Cedrenus in Annalibus. Qua tempestate Diocletianus ac Maximianus omni crudelitate lacerabant Ecclesiam, & velut immanes belluæ Christianorum sanguinem hauriebant, cùm sacram Virginem variis machinis frustra tentassent, neque minis aut blanditiis ab ea quicquam extorquere potuissent, eam cum impuro milite domum includi iusserunt, vt nisi fidem abiurare vellet, stuprũ ab eo pateretur. Quid faceret Christi ouicula in hoc aut castitatis, aut pietatis amittendæ periculo constituta. Quibus artibus lupum diductis rictibus inhiantem eluderet, & vtramque virtutem integram illibatámque seruaret? lacrymis vbertim toto ore manantibus ad eius genua se prouoluit, orat, obsecrat, obtestatur vt suæ pudicitiæ parcat, id si fecerit dignum ob seruatam pudicitiam præmium adpromittit: se enim esse medicam, atque ipsi medicamentum præbituram quod mortis foret amuletum, quo perunctus non posset in bellis vulnerari, vtque eius rei periculum facere posset, rogauit vt sibi eius medicamenti conficiendi potestatem faceret. Id cùm miles admodum lætus permisisset, illa ceram oleo permiscuit atque subegit, quo cùm ceruicem suam inunxisset militem

Virgo Nicomediensis.

omni robore ferire iussit, medicamenti vim experturum. Quid plura? miles totis viribus connixus gladium extulit, ictum quàm potuit validissimum inflixit, venerandum virginis caput abscissum statim ad pedes suos prouolui miratus est, καὶ οὕτω, inquit Cedrenus, νικήσασα τῶν δυσμενῶν τὴν κακουργίαν διπλοῦν τὸν στέφανον τοῦ μαρτυρίου καὶ τῆς ἁγνείας ἀνεδήσατο. *Et hunc in modum aduersariorum improbitate superata martyrij coronam castitatis corona cumulauit.* Quid est Philaletes? quid hæsitas? quid tergiuersaris? Potes hoc immortale facinus, quod instinctu diuino Nicomediensis ista

Splendide mendax & in omne virgo
Nobilis æuum,

designauit, quia mendaciolo perspersum & conditum fuit, tuis cauillationibus in inuidiam adducere?

VII. *Expenditur factum Virginis Nicomediensis.*

40. Ph. Quæstiones quatuor inuoluis, ô Pseudagora, non paucis difficultatibus implicatas. Vnam an liceat seruandæ pudicitiæ caussâ voluntariam sibi mortem accersere: alteram, an Nicomediensis illa virgo mentita fuerit: tertiam, vtrùm si mentita est, peccarit: Postremam, si peccauit, vtrùm ea mendacii labecula totam eius actionem ita vitiarit, vt integram & seruatæ castitatis, & editæ fidei confessionis, & obitæ pro Christo mortis coronam amitteret. De quibus singulis si vobis videtur, pauca libabo. Amh. Nobis verò, vt pro vtroque respondeam, non videtur, ne si in singulis, vt ita loquar, diuersoriis interiungere voluerimus, nox priùs diem adimat, quàm ad finem itineris hospitiúmque veniamus. Quare, si placet, prima & postrema controuersia de voluntaria morte ex humanarum actionum meritis vel omittantur omnino, vel aliò commodiùs differantur.

41. Ph. Imò videte liberalitatem meam: videte quantum largiar caussæ veritatísque fiducia. Inficiari poteram eam verè Christi Martyrem fuisse, cùm eius acta non è publicis Ecclesiæ tabulis, sed è priuatis authorum non grauissimorum historiis proferantur, nec vspiam reperiatur censui Sanctorum adscripta. Poteram dicere eam non mendacio solum, sed etiam interitu sponte quæsito grauiter peccasse, cum ad facinoris huius encomium nulla nos Ecclesiæ Catholicæ compellat authoritas. Sed hoc totum remitto. Esto sane, faciamus eam non minus illustrem fuisse Christi martyrem,

quàm

quàm Apolloniam, quàm Pelagiam, quàm Pelagiæ matrem ac sorores. Faciamus eam dispensatione quadam sibi sine peccato necem intulisse, diuinóque spiritu fuisse compulsam, vt à suo corpore contumeliam, & petulantem illius emissarij libidinem voluntaria morte depelleret: faciamus etiam (quoniam hoc in præsentia me discutere voluisti) faciamus, inquam, vel minima peccati carie meritorum radicem ita vitiari, vt qui vel in vna facti circumstantia peccarit, totius operis mercedem amittat; quod etsi verum non arbitror, placet tamen disputationis caussa concedere.

42. Quæritur vtrum mentita fuerit, cum habere se finxit immortalitatis amuletum. Tu ipse postea videris, Amphiloge, ecquid excusari possit à mendacio, ecquid ambiguitate verborum, illum, vt modo loquebar, admissarium suæ pudicitiæ adhinnientem eluserit, immortalitatis medicamentum vocarit fidem æternæ vitæ conciliatricem. Qui hoc vnguento perlitus fuerit, eum dixerit vulnerari non posse quod cuius in corde charitas Dei diffusa est, is nullis malorum dæmonum artibus, nullis voluptatum illecebris saucietur: iusserit illum militem huius vnguenti vim inflicto in ceruicem suam gladio periclitari, quod illustri martyrio nobile Christianæ fidei constantiæque specimen esset editura. Hæc, inquam, tu ipse videris. Nam ad me quod attinet, cum Pseudagora nostro liberaliùs agere decreui. Itaque mentitam esse largior, sed ita mentitam esse defendo, vt mendacium illud, quantumuis natura sua turpe sit, & inhonestum, ipsi tamen turpe non fuerit, neque quicquam vel de seruata pudicitiæ laurea, vel de martyrij palma decerpserit. *Amphilogia.*

43. Pseud. Quid ais, Philalethes, concedis hanc virgunculam esse mentitam? Ph. Imò, vt dixi, largior & indulgeo. Ps. Fateris cùm hac virgine dispensari diuinitus potuisse, vt sine peccato voluntariam mortem oppeteret, & vel propria, vel aliena manu seruandæ pudicitiæ caussa purissimam illam animam violenter extruderet? Ph. Imò non tantum fieri potuisse, sed etiã reapse factum esse concedo. Ps. Concedis eum qui vel in vna facti circumstantia peccarit, totam mercedem amittere? Ph. Id etiam dissimulo. Ps. Credis hanc virginem ob mendacium virginitatis & martyrii lauream perdidisse? Ph. Imò ne vnus quidem flosculus eam ob rem ex eius corona decerptus est. Ps. Nullam igitur illa culpam contraxit, nullam fraudem omnino suscepit, cùm oppetendæ mortis, integritatísque seruandæ studio mentita est. Ph. Omnino nullam. Ps. Licet igitur aliquando mentiri. Ph. Imò adeo non licet, quod suo loco probauimus, vt ne Deus quidem ipse, qui dispensatione quadam legis de voluntaria morte non oppetenda relaxauit obligationem, dispensare possit vt quisquam quouis vel obtinendi boni, vel mali fugiendi prætextu mentiatur. Ps. Tamen, vt fateris illa mentita est. Ph. Etiam. Ps. Nec peccauit? Ph. Ah! tædio me iam enecas, non peccauit, inquam. Quousque tandem eodem reuoluemur? Ps. Mirum nisi tute met induas & inextricabilibus contradictionum laqueis inuoluas. Ph. Imò, Pseudagora, non ista se mutuò collidunt, vt reris. Mentiri non licet omnino, quia malum est natura sua mendacium, fieri tamen interdum potest vt quis citra peccatum diuinique numinis iniuriam, ex conscientia probabili mentiatur. *In mendacio nullus dispensationi locus.*

44. Non enim tam actionis ac locutionis externæ, quàm *spirituum ponderator est Dominus*, & cuiusque merita non rebus ipsis quę geruntur, sed inductione animi, qua geruntur, & conscientiæ momentis examinat, vt qui rem materialiter, vt loquuntur, & suapte natura bonam aggrediens improbum se facinus animo designare putat, is Dei qui falli non potest, sententia peccare statuatur. Contrà qui singulis facti circunstantiis non indiligenter expensis rem natura sua malam, quam ex ignorantia quadam ineluctabili bonam putat, aggreditur, is virtutis viam insistere, præclarè se gerere, diuinis denique præceptis obsequi censeatur, ac proinde nullus hoc loco sententiarum conflictus est, etiamsi Nicomediensem hanc virgunculam, quamuis peccatum sit ex natura sua mendacium, sine peccato mentitam, & sequestre mendacio martyrium adeptam esse fateamur. *Conscientia probabilis.*

XIII. *Vtrùm mentitus fuerit Alamundarus fingens sibi renuntiatum esse de morte sancti Michaelis.*

45. Ps. Hæc est videlicet interior illa munitio, hoc vnicum rebus desperatis præsidium, ad quod quoties tuis rationibus expediet, receptũ videris habiturus; vt enim aliquod mendacii proferetur exẽplum, si authorem peccati damnare non audeas, inuincibilis, vt vocant, ignorantiæ prætextu velare conaberis. Quæro enim de Alamundaro Saracenorum principe quid censeas? Is cùm Christiana sacra suscepisset, ac Dei prouidentia baptizatus ab Orthodoxis esset, impius Seuerus cum aliis hæ-

Seueri hæresis de vna Christi natura.

resibus nefariis addictus, tũ vnicæ in Christo naturæ assertor, duos ad eum misit Episcopos, qui eum labe suæ hæreseos inficerent, quos ille admirabili commento, vel potiùs mendacio confutauit. Dixit enim eo ipso die sibi literas de morte Michaelis Angelorum principis esse perlatas. Cúmque ij responderent nuntium illud esse ridiculum, nullóque fieri modo posse, vt Angelus moreretur? Quomodo igitur, inquit, nudus Deus potuit crucifigi? quod vos affirmatis, quomodo mortuus est Christus, si nõ constitit è duabus naturis, cùm ne Angelus quidem moriatur. Quo argumento eos verecundia perfusos obmutuisse Nicephorus, Cedrenus aliique rerum Ecclesiasticarum scriptores in Anastasio prodiderunt.

46. Video quid sis ad ista dicturus: Recens ad Christum accesserat; vix primis Christianæ fidei rudimentis imbutus erat: nondum pristinas opiniones penitus abolere potuerat: putabat ad reuincendos hæreticos honestum esse mendacium. Itaque tanti putauit, vel mentiri, dum ad stabiliendam religionis nostræ veritatem per mendacium perueniret. Phil. Meministi de quibus inter nos prima disputatione conuenerit? Ps. Quænam illa? Ph. Eum haudquaquam mendacij se alligare, qui ad significandam veritatem figuras, Fabulas, Parabolas, & cæteras rerum verarum imagines adhiberet: Ps. Equidem memini, sed quorsum ista? Ph. Igitur in Alamandari caussa, caussæ nihil est cur ad ignorantiam inuincibilem velut ad arcem receptum habeamus. Neque enim mentitus est, sed Orthodoxam veritatem exhibuit, non illam quidem nudam & inornatam, sed quodam veluti tectorio fucatam & Parabolæ integumento velatam, quæ si nuda vel propriis vestibus induta venisset, ad obstinatas hæreticorum aures non potuisset obrepere. Sic Nathan Propheta Dauidem post adulterium & homicidium, dormientem vel potiùs lethargo demersum, parabola diuitis qui vnicè dilectam pauperis ouiculam iugulauerat, ad sui sceleris agnitionem ac pœnitentiam excitauit. Sic mulier illa Thecuitis accersito parabolæ fuco veritatem obtexit, eumdemq; Regem infensum Absaloni luctus simulatione, confictáque de alterius liberorum suorum nece de alterius periculo narratione placauit, quam simulationem olfacere si ab initio potuisset, ne primam quidem filij sui mentionem auribus admittere voluisset. Neque tamen quisquam hactenus, aut hanc, aut illum mendacij damnandos putauit, quòd fictas

Ad significandam veritatem licet fictas Fabulas adhibere.

2. Reg. c. 12

2. Reg. c. 14.

narrationes pro veris obtruserint, cùm essēt astuti, bono dolo deceperint Regem, & luculentam ab eo confessionem veritatis expresserint: neque in veritate morali quæritur quid verba proximè significent, sed ad quid significandum vltimò referantur.

47. Pseud. Quid igitur? innocentis patrocinium qui susceperit, poterit citra mēdacii notam omnia comminisci, caussas fingere, quæ facta sunt, infecta dicere, pensi denique nihil habere quàm veros colores & prætextus adhibeat, dummodo clientis innocentiam tueatur. Res exemplo fiet illustrior. Iosephi, quasi dominæ suæ stuprum inferre voluerit, nomen defertur: pallium ad faciendam fidem exhibetur: producuntur testes, qui solum illum cum domina domi mansisse confirment. Eius ego patrocinium suscepi: eius integritatem atque innocentiam demonstrare volo. Hic vnus scopus est, hic finis ad quem omnia meæ defensionis argumenta collineant. Si, quod ais, ad veritatem moralem non spectatur quid primò verba significent, sed cuius rei significandæ caussa postremò referantur, possum sine mendacio negare has esse Iosephi vestes, testium fidem fictis criminibus eleuare, per superos omnes iurare Iosephum ab herili domo plus centum stadiis abfuisse, quo tempore stuprum ipso dominæ suæ puluinaribus intulisse dicatur.

Obiectio. An mentiri liceat ad patrocinium innocētis.

48. Ph. Non videris mentem meam assecutus. Alia sunt argumenta quæ ex eo ducuntur quod ante rem, quod cum re, quod post rem euenerit, vt si probare velim flagitium à Iosepho esse tentatum, ante rem queruntur quæ talia sunt: impudicus coniectus oculorum, apparatus, colloquia, solitudo, tempus ac diei solemnitas: cum re, pedum crepitus, strepitus, clamores, & si quid eiusmodi; post rem, rubor, pallor, titubatio fuga, pallium in heræ manibus relictus, heræ lamenta & eiulatus, sparsi capilli, tunica discissa, & cætera, quæ videntur impressa tentati flagitii vestigia. Quibus accedunt ea quæ vocantur antecedentia & consequentia quæ flagitium vel præcedunt vel consequuntur, eique tam necessariò connexa sunt, vt sine iis cohærere non possit, & caussæ, si animus impurus, si libidinosus, si ad impudentiam proiectus, & cætera huiusmodi argumenta quorum tota vis & efficacitas in narrationis veritate consistit, vt rei qua de agitur probatio tantum habeat ponderis ac momenti, quantum ex veritate narrationis accesserit, neque aliter fidem inuenire possit, nisi persuasum planè

Responsio.

Argumentorum diuersitas quorũ alia veritatem desiderant, alia non item.

fuerit rem vti narratur, ita reuera contigisse. In quibus proinde veracitas mendaciúmque versatur.

49. Alia sunt argumenta quæ petuntur à parabolis ac cæteris rerum imaginibus, integumentísque veritatis, quorum tota probandi ratio non in rerum gestarum veritate, sed in similitudine, & comparatione consistit, ac proinde nullam in se rei veritatem, sed concinnam duntaxat collationis analogiam desiderant. Neque vero minùs hæreticos Seuerianos refellisset Alamundarus, si proprijs disertísque verbis argumentationem suam hac propositionum serie texuisset. *Multo minùs credendum est vobis aientibus Christum vnica diuinitatis natura constitutum mori potuisse, quàm ei qui Michaelem Archangelum mortuum esse nuntiaret. Sed ei fidem adhibendam non putarem qui Michaëlem Archangelum mortuum nuntiaret. Ergo multo minùs credendum est vobis aientibus Christum vnica diuinitatis constitutum natura mori potuisse.* Hoc, inquam, argumentum si quis ea ratione contexat, nemo quærendum putabit ecquid reuera fuerit de Michaëlis obitu nuntiatum: Sed in eo duntaxat controuersiæ cardo verteretur, ecquid siue nuntiatum fuerit, siue non fuerit, ei fides adhibenda sit, qui rem eiusmodi nuntiaret?

50. Non porro hac animi inductione loquebatur Alamundarus, vt ita sibi nuntiatum esse persuaderet, sed vt hac imagine rei, quæ Catholicos inter & Seuerianos in controuersiam veniebat, veritatem liquidiùs ac faciliùs ostenderet, παραβολικῶς potiùs quàm ἐξηγητικῶς ista referebat & prudenter narrationis prætextu dissimulabat hypothesim, vt hac dissimulatione confessionem ab hæreticis incautis eliceret, quam ab obstinatis & singula cauentibus aperto syllogismo non potuisset exsculpere. Ps. Hæc interim non eum immunem à mendacio fuisse demonstrant, sed caussam habuisse cur mentiretur. Aliud enim in pectore seruabat, sibi videlicet de Michaëlis obitu nuntiatum non fuisse: aliud ore profitebatur: nuntiatum fuisse. Phil. Imò verò quod animo versabat, illud ipsum oratione promebat. Hæretici Christum Seruatorem vna diuinitatis natura præditum ac proinde secundum eandem naturam mortuum fuisse nuntiauerant: Dixit sibi de Michaëlis obitu nuntiatum: quia videlicet credebat posteriorem hanc assertionem illa superiore contineri, ac necessaria consecutione connecti. Vt qui Deo mortalitatem adscribit, multo magis Angelum mortalem esse fateatur. Neque si literas ad se perlatas esse dixit, eam ob rem mentitus esse credendus est, tum quia fortasse Seuerus literas ad ipsum dederat huiusmodi scatentes erroribus, tum quia vt literas absentium inter se colloquia vulgo dicimus, ita vicissim colloquia literas præsentium vocare potuit, sine mendacio. Non est igitur quòd vt Alamandarum alienum à culpa faciamus, eum inuincibilis ignorantiæ prætextu, culpa vacare dicamus, cùm ne mentitus quidem fuisse comprobetur. Pseud. Antequam ad Scripturam transimus, vnum adhuc, si placet, examinemus exemplum.

Parabola. — Litteræ colloquia.

XIV. *Vtrum mentitus fuerit S. Ignatius cum hominem à suscepto mortis oppetendæ consilio pia simulatione reuocauit.*

51. Qva tempestate Lutetiæ Parisiorum literis vacabat S. Ignatius Soc. Iesv fundator hominem quemdam macie retorridum, situ ac pedore squalentem, prægrandi saxo onustum, & veluti gementem sub pondere, via publica prætereuntem aduertit. Diuinitus collustratus, sicut rei probauit euentus (verba sunt Petri Ribadeneiræ) derepente comitem suum simili se habitu induere, atque hominem subsequi iussit, facetóque simulatè, quicquid illum verè facientem videret, se enim è vestigio vtrumque consecuturum. Extra ciuitatem homo ille egreditur: insequitur Ignatij discipulus. In solitarium locum se confert. Quò postquam ventum est, rogatus homo à nostro quid sibi vellet, quid quæreret? suspendium, inquit, volo & acerbissimam mihi mortem consciscere, crucior enim nimis, & tristissimis rebus ac perditissimis ad restim adigor. Nulla enim erit requies, nullus laborum ac dolorum finis, nisi mors quæ meta malorum est. Hanc mihi inferre statui, & idcirco huc veni. Cùm autem alter se in eadem caussa esse diceret, multísque vitam suam obsessam esse molestiis, ex quibus exire ipsi non liceret, nisi per mortem, Ignatius interuenit, & ad socium, quasi ad ignotum conuersus. Quis, inquit, tu? vnde? quo? quid tibi vis? quorsum saxum? quorsum sordidus atque incultus habitus? Hic ille titubare, hærere, & supra modum afflictum se ac perditum dicere, nullúmque desperatissimis rebus remedium esse præter laqueum. Quem blandè consolatus Ignatius sensim sermonis suauitate eò pellexit, vt se consilij sui pœnitere diceret, & fero atque execrando mortis genere reiecto spem suam

Lib 5 vitæ Ignatij c. 10.

magnam in Deo vitæ ac ſalutis ſuæ parente, atque certiſſimam collocare. Tunc ad hominem conuerſus, cuius cauſſa omnia ex compoſito fiebant: Quid tibi, inquit, videtur? Ego verò conſilium huius boni viri (Ignatium indicans) ſequi decerno: quando hanc mortem, quam mihi inferre parabam, breuem quidem, ſed miſerrimam altera ſempiterna & teterrima conſequitur. Neque enim hæc præſentium ærumnarum mors finis, ſed principium impendentium malorum, atque æternorum futura eſt. Quo exemplo animatus homo ille, & blandiſſimis verbis delinitus ab Ignatio, & confirmatus idem ſibi placere dixit, & à deteſtabili illa diráque ſe occidendi voluntate diſceſſit; Deo gratias agens quòd miſeriæ ſuæ ſocium inueniſſet, & communis calamitatis depulſorem.

52. Videtis totam fabulam è mendacio conglutinatam: mentitur habitum Ignatij comes, dolorem ſimulat; ſibi calamitates affingit; præ ſe fert certam mortis oppetendæ voluntatem. Hunc Ignatius, vt ignotum appellat, ab incœpto deterret, quem ſcit de inferenda ſibi morte non cogitare: Inſaniæ ac furoris accuſat, quem mentis compotem agnoſcit; mentitur ille ſe huius oratione commoueri, priorémque abiicere ſententiam. Sic ambo fucum faciunt homini minimè malo, eúmque mendaciis, piis quidem illis ac ſalutaribus, ſed tamen mendaciis à moriendi conſilio deducunt. Quæ omnia vt charitatis plena fatemur, ita ſunt inania veritatis, cui ſi mordicus hærere, eámque charitati præferre voluiſſent, miſer ille, cuius cauſſa Chriſtus ſanguinem profudit, per deſperationis abrupta deuolutus fuiſſet in exitium, & exitium animæ ſempiternum. P h i l. Quid? eos mendacii notares, ſi vt ad obſtructas illius deſperati mortémque cogitantis aures ſuis rationibus aditum patefacerent, parabolam eiuſmodi concinnaſſent? Homo quidam grauiſſimis calamitatibus oppreſſus præſentem miſeriam voluntaria morte finire decreuerat. Acceſſit vir prudens, eúmque rationibus grauiſſimis à ferali illo mortis accerſendæ conſilio deterruit: Deinde rationes omnes quæ id perſuadere poterant, non hortationis, ſed nudæ narrationis prætextu in medium protuliſſent: hos, inquam, putares eſſe mentitos? P s e v d. Ego verò non putarem. Nam, vt iam ſemel, atque iterum conuenit inter nos, aliud eſt mentiri, aliud veritatem fabularum, aut parabolarum integumentis, inuolutam proferre.

53. P h i l. Quid ſi rem eamdem fabulæ modo repræſentaret in ſcena: & alter deſperati, alter conſulentis perſonam ſuſtineret, eóque pacto rationes omnes ad absterrendum hominem appoſitas explicaret, eos tum putares eſſe mentitos? P s e v d. Ne tum quidem mentitos arbitrarer. P h i l. Vides admirabilem Ignatij prudentiam. Miſer ille obſtinato animo ferebatur in necem, omnibus monitis aures obſepſerat, omnia conſilia reſpuebat. Si hæc ægritudinis ſanandæ, dehortandíque ſui cauſſa proferri putaſſet, ne audiſſet quidem. Adhibuit ille parabolam, vt velut aliud agens eum à ferali cogitatione deduceret. Hanc porro parabolam ad ſe pertinere, ſi vel ſubodorari potuiſſet, importunum videlicet monitorem in malam crucem faceſſere iuſſiſſet. Quid egit Ignatius? Socium velut iiſdem calamitatibus affectum eoſdem affectus per imitationem exprimere iuſſit eúmque velut ignotum appellans, & à ſuſcepto ſcelere deterrens, parabolam quam citra mendacium explicare narrando potuiſſet, imitando velut in ſcena maluit adumbrare; interim animi deſtinatione ad ſedandam infelicis illius ægritudinem collineans, vt æternas illas veritates, quas apertis auſterioribúſque verbis in eius animum inculcare non poterat, per parabolam & imitationem, quam ὑπόκρισιν dicimus, quaſi per cuniculos induceret. Ignatij prudentia.

54. P s e v d. Atenim ille deceptus eſt ſerióque geri putauit, quæ per ſimulationem, & quaſi perſonam in ſcena gerebantur. P h i l. Quid tum? artem hiſtrionicam & imitatricem ſecundum ſe ſpectatam, ſi ad ſignificationem veritatis vltimò referatur, è ſuperiore diſputatione conſtat vacare mendacio. Eam citra veritatis diſpendium, magno compendio charitatis vſurpare potuerunt, quamuis inde ſecuturum viderent errorem, quo ad illius deſperati ſalutem vterentur. Atque vt paucis abſoluam, hic locum habent omnia de quibus conueniebat inter nos, cùm Alamundari parabolam ſatis ſupérque diſcuſſimus. Hactenus ex Eccleſiaſticis hiſtoriis, ad ſcripturam, ſi videtur, aliquando veniamus.

XV. *De Patriarcharum locutionibus, quæ videri possunt mendacia.*

55. PSEVD. Dies profecto me deficiat, si velim ambitiosiùs è Scripturis omnia mendaciorum exempla corradere. [Gen. c. 12 v. 13. C. 20. v. 2 C. 26. v. 6. C. 22. v. 7. C. 27. v. 17. 19.] Abraham & Isaac vxores suas sorores appellant. Abraham immolandi filii sui caussa montem adscensurus seruis suis ait se cum filio suo rediturum. Iacob cùm pelliculis hœdorum manus & colli nuda texisset, se pro Esau primogenito patri venditauit. *Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus Esau*, atque ita non voce tantum, sed etiam ipso facto mentitus est. Quid Ioseph? qui fratres suos in Ægyptum venientes variis strophis illusit, & quos probè nouerat nihil contra Ægypti tranquillitatem moliri, exploratores esse non solum affirmat, sed etiam interposita iurisiurandi religione confirmat, [Gen 42. v 16.] *Per salutem Pharaonis exploratores estis.* Quid illa quæ de eodem [C. 44 v. 4. & 5.] Iosepho sacer Historicus subtexuit? *Iamque vrbem exierant, & processerant paululùm: tunc Ioseph accersito dispensatore domus: Surge, inquit, & persequere viros, & apprehensis dicito. Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet, pessimam rem fecistis.* Quæ profecto cæcus est qui non videt scatere puris putisque mendaciis, & quidem in rebus grauissimis, vt cùm Abram & Isaac tantumnon matrimonium prodiderunt mendacio, Iacob paternam benedictionem interuertit, Ioseph non modò furti fratres insimulauit, sed etiam augurandi consuetudinem superstitionemque simulauit.

56. PHIL. *Nimirum hæc illa Charybdis*, hic ille scopulus ad quem plerique impacti sic adhæserunt, vt sanctis illis Patriarchis genuinum virulentæ maledicentiæ suæ dentem impingerent. Ignosce, Pseudagora, hanc à me dolor, & quidem vt spero, non iniustus vocem expressit. Faustus certè Ma- [Lib. 22. cõtra Faustũ Manich. cap. .] nichæus apud Augustinum sanctissimum Patriarcham vehementer accusat, *quòd matrimonii sui infamissimus nundinator* (audite & exhorrescite) *auaritia ac ventris caussâ, duobus Regibus, Abimelech & Pharaoni, diuersis temporibus Saram coniugem suam sororem mentitus, quòd erat pulcherrima, in concubitum venditarit.* Caluinus comm. in [In cap. 12.] Gen. licet præmittat *hinc latrandi materiam proterue quosdam canes arripere, sanctum Patriarcham lenonem fuisse propria vxoris, atque vt sibi astute caueret, neque illius pudori, neque suo honori pepercisse*: nihilo tamen secius, vt se canem fateatur, impudenter hirriens subnectit eum vxoris pudicitiam male prodidisse. *Particularis*, inquit, *lapsus non negandus est, quod ob mortem propinquam trepidans discriminis euentum non commisit Deo, ne vxoris pudicitiam male proderet.* [In cap. 20.] & rursum ait ex huius Patriarchæ exemplo conspici, *quàm facilis obrepat nobis tum pœnarum tum indulgentiæ Dei obliuio. Nam quod illi in mentem non venit se Deum semel tentasse, nec per suam culpam stetisse quin vxor ad alienum virum transiret, in eo excusari nimis crassa socordia non potest*, &c. *Adde quod etiam ab ingratitudine immunis non fuit Abraham*, tandemque concludit. *Ergo si probe omnia expendimus, infidelitate peccauit minus Dei prouidentiæ, quàm debebat, tribuens.* Auditis infidelitatem. Atqui, vt Caluinus ipse defendit lib. 3. Institut. cap. 2. Vera fides amitti non potest, & si amittitur, vera non fuit. E quibus efficitur eum vera fide præditum numquam fuisse, qui semel infidelitate peccauerit. Ac proinde Abraham, qui etiam post circumcisionem infidelitate peccauit, illum, inquam, patrem fidei nostræ Abraham, illum patrem omnium credentium, Caluino Iudice, numquam, ne [Rom. 6.] tum quidem cùm *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, ne tum quidem cùm *signum accepit circumcisionem, signaculum iustitiæ fidei*, veram fidem habuisse. Vt minùs mirum sit inuentum esse musculum, qui Isaacum in eadem caussa versatum petulanter arroderet. *Quod ergo*, inquit, *nunc Isaac ad eumdem impingit lapidem, in eo excusari non potest eius socordia.*

57. Sed vt ad Caluinum redeamus, idem Rebeccam acriter incusat, quod fallacia circumuenerit maritum, præstigiis in re sacra ludere ausa fuerit cœleste oraculum suo mendacio obscurans, quantum in se fuit, promissam filio gratiam aboleuerit. Iacobum, quòd turpem sanctæ Dei adoptioni maculam adsperserit, dum redempta mendacio videtur, & quamuis rectum finem spectaret, ad illum tamen obliquo cuniculo irrepserit, ac reditus sui celeritatem excusans sacrum Dei nomen suis mendaciis permiscuerit, dixeritque Dei voluntatem fuisse, vt citò sibi præda, quam volebat, occurrerit. *Ita*, inquit, Caluinus, [In cap. 27 v. 20.] *Vbi à veritate discessum est, qua Deo in speciem defertur reuerentia nihil aliud est quam gloriæ eius prophanatio.* PSEVD. Apagesis istas nominis Christiani pestes. Chrysostomus in his omnibus non solùm δείγματα siue fa-

bulas è mendaciis concinnatas agnoſcit, ſed etiam nonnullis, neque calumnioſis, neque maledicis *cùm hoc Abrahæ factum conſiderarent, viſum eſſe* ſcribit Auguſtinus, *quòd à firmitate fidei ſubdefecerit, atque titubauerit, & timore mortis, ſicut Dominum Petrus, ita iſte negauerit vxorem.*

Lib. 22. cõtra Fauſtum Manich. c. 34. Pag. 268.

Imò, quod Sanctiſſimo viro nollem excidiſſe, ὁ μὲν τοι δίκαιος, inquit Chryſoſtomus homilia 32. in Geneſim. καὶ σπουδάζει, καὶ πάντα ποιεῖ ὥστε εἰς ἔργον τὴν μοιχείαν ἐκβῆναι. *Hic iuſtus & contendit & omnem lapidem mouet vt adulterium opere compleatur.* & paucis interiectis.

Pag. 270. Καὶ τῇ μοιχείᾳ, inquit, τῆς γυναικὸς αἱρεῖται κοινωνῆσαι ὁ δίκαιος, καὶ μονονουχὶ ὑπηρετήσασθαι τῷ μοιχῷ εἰς τὴν τῆς γυναικὸς ὕβριν, ἵνα τὸν θάνατον διαφύγῃ. *Elegit eſſe particeps adultery vxoris, ac tantum non ſeruit adultero in mulieris contumeliam, vt mortem effugiat.*

58. Quid? quòd paucis iterum interpoſitis Saram etiam extollit quòd mariti conſeruandi cauſſa non ſolùm omnia fecerit, ὥστε τὸ δρᾶμα λαθεῖν, *vt illa fabula ſiue fictio lateret*, ſed etiam periculo ſuam pudicitiam

Pag. 271. obiecerit? τίς κατ' ἀξίαν, inquit, ταύτην ἐπαινέσειεν ἥ τις μετὰ τοσαύτην σωφροσύνην, καὶ ἐν ἡλικίᾳ τοιαύτῃ, ὑπὲρ τοῦ τὸν δίκαιον διασῶσαι, ὅσον ἐπὶ τὴν οἰκείαν γνώμην, καὶ εἰς μοιχείαν ἑαυτὴν ἐξέδωκε, καὶ συνουσίας ἠνέσχετο βαρβαρικῆς; *Quis hanc ſatis laudauerit, quòd poſt tantam continentiam, & in tali ætate, ad hoc vt iuſtum ſeruaret, quantum ex ipſius voluntate pendebat, etiam adulterio ſe expoſuit, & barbarorum tulit congreſſum?* Eamdem commendat Ambroſius lib. de Abraham cap. 2. *quòd ſororem ſe eius aſſeruit, contenta ſi ita eſſet neceſſe, ſe periclitari pudore quàm virum ſalute, vt tueretur maritum mentita eſt germanitatem, ne inſidiatores pudoris eius tanquam æmulum & vindicem pudoris necarent.* Hæc illi.

59. Neque verò iidem Sancti Patres eumdem Sanctiſſimum Patriarcham, cùm di-

Gen. 22. 5. *xit ad pueros ſuos, expectate hîc cum aſino, ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos:* etſi quod reuera futurum erat, prænuntiauit, quia ta-

Pag. 661. men futurum non putabat, dubitant eſſe mentitum, οὐκ εἰδὼς, inquit Chryſoſtomus homil. 47. ὅτι τοῦτ' ἔσται ὃ ἔλεγεν, ἀλλὰ προεφήτευσε μὲν ἴσως τοῦτ' ἀγνοῶν, ἔλεγε δὲ τοῖς παισὶ τάχα ἐξαπατῶν αὐτοὺς καὶ παρασκευάζων αὐτόθι μένειν. *Ignorans futurum, quod dicebat, ſed prophetauit quidem ignorans tamen fortaſsis. Dicebat autem hæc ſeruis fortè vt imponeret eis, & faceret vt ibi remanerent.* Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 8. *Prophetauit quod ignorabat: ipſe ſolus diſponebat redire immolato filio: ſed Dominus per os eius locutus eſt quod parabat. Captioſè autem loquebatur cum ſeruulis, ne cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obſtreperet & fletu.* Itaque faceſſat Caluinus, cæteriq; Chriſtianæ religionis perduelles: Patres & eruditione & pietate ſingulari præditos habemus in quorũ authoritatẽ recũbat noſtra de licito mendaciorum vſu ſententia; cûm

præſertim idem Chryſoſt. homil. 53. Iacob Pag. 714.

non mentirum modò, ſed Deo diſpenſante mentitum eſſe fateatur, *Ne igitur*, inquit, *hoc conſidera*, ὅτι ψευδῆ ἦν τὰ λεγόμενα παρὰ τοῦ Ἰακὼβ, *quòd mendacium fuerint, quæ dicebantur à Iacob: ſed illud cogita quod volens Deus prædictionem impleri*, ἅπαντα οὕτως ᾠκονόμησε γενέσθαι, *omnia vt ſic fierent diſpenſauit.*

60. Ph. Vtinam, Pſeudagora, tam facilè Patres comiter interpretari & ab errore vindicare poſſemus, quam procliue eſt Patriarchas Abraham præſertim ab omni culpa vel mendacii vel lenocinii ſuæ vxoris abſoluere. *Neque enim* (verba ſunt Auguſtini Abraham à

lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 32.) mendacio vindicatur.

Abraham flagitio conſenſit vxoris, eiúſque vendidit adulterium: ſed ſicut illa famulam ſuam non libidini mariti permiſit, ſed officio generandi vltro intulit: nequaquam turbato ordine naturali, vbi eius poteſtas erat, iubens potius obedienti, quàm cedens concupiſcenti, ſic & ipſe coniugem caſtam, & caſto corde ſibi cohærentem de cuius animo, vbi pudicitiæ virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit vxorem, dixit ſororem, ne ſe occiſo ab alienigenis atque impiis captiua poſſideretur, certus de Deo ſuo, quod nihil eam turpe ac flagitioſum perpeti ſineret. Quòd ſi vt ſubnectit, ita neceſſe eſſet intelligi, vt timore mortis, ſicut Dominum Petrus, ita iſte negauerit vxorem: *Peccatum*, inquit, *hominis agnoſcerem, nec ideo cuncta eius merita deleta atque obliterata cenſerem. Sicut nec illius Apoſtoli: quanquam culpa non ſit æqualis negare vxorem, & negare Saluatorem. Nunc vero cum habeam quod intelligam, ne hoc intelligam, nulla cauſſa cogor temeritate labi ad reprehendendum, quem nemo conuincit timore lapſum fuiſſe ad mentiendum. Neque enim vtrum eius vxor eſſet interrogatus non eſſe reſpondit: ſed cùm ab eo quæreretur quid ei eſſet illa mulier, indicauit ſororem, non negauit vxorem. Tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falſi.* Verè igitur ſororem ſuam appellat, ex patris ſui ſanguine procreatam.

61. Iam quòd vnus & idem impurus ganeo Patriarcham infidelitatis accuſat quòd ob mortem propinquam trepidans diſcri-

minis euentum non commiserit Deo: idem nimiæ cõfidentiæ vel etiam socordiæ quòd Deum tentarit, nec per eius culpam steterit quo minùs vxor ad alienũ thorum transiret: signum est enim in vtroque fuisse moderatum, vt nec Deum tentaret cùm habuit quod ipse faceret ad vitandum discrimen, nec in rebus perplexis, è quibus humano consilio explicare se & euoluere non poterat, diuinæ prouidentiæ diffideret. Etenim, vt prudenter aduertit idem Augusti-

Lib. 22. cõtr. Faustum Man. c. 36.

nus, *Si interrogatus Abraham illam fœminam indicasset vxorem, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam & coniugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctri-*

Deum tentare non oportet.

nam, vt quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum suum, &c. proinde *cùm inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinem Saræ & eius pudicitia & mariti vita esset in dubio; nec vtrumque tueri posset Abraham, veruntamen vnum horum posset, id est vitam: ne Deum suum tentaret; fecit quod potuit: quod autem non potuit, illi commisit. Qui ergo se hominem occultare non valuit, maritum se occultauit, ne occideretur: vxorem Deo credidit, ne pollueretur.* Nullum igitur siue prolati mendacij, siue, quod tertius est, infidelitatis ac lenocinii crimen in Abrahamum, vel in Isaacum redundat.

62. Quod autem ait Abraham se cum filio suo rediturum, ne tum quidem se videtur alligasse mendacii. Etsi enim cæca quadam obedientia, & clausis, vt aiunt, oculis ad immolandum filium pergebat hærebat tamen in animo promissum illud diuinitus acceptum de semine sibi in Isaac suscitando, atque ita fiebat vt in spem contra spem totus è diuinâ prouidentia penderet, superstitémque filium vel in ipsa morte sibi proponeret, confuseque se cum eo videret esse reuersurum, siue is diuina virtute suis è cineribus excitandus esset, siue, quod accidit, alio modo ab interitu vindicandus.

Abrahæ obedientia & spes in Deum.

Quid? quòd ita natura comparati sumus, vt vltrò sibi blandiatur humana cupiditas, atque, vt dici solet *qui amant ipsi sibi somnia fingant*, & quod fieri maximè quisque desiderat, id etiam futurum maximè arbitretur? ac proinde quamuis nullam de sua stirpe per Isaacum propaganda promissionem diuinitùs accepisset, facilè sibi persuadere potuit Abraham, & perinde vt sibi persuadebat dicere se cum filio rediturum. Amph. Quid si vir sanctissimus, vt omnes ab vna Dei prouidentia suspensas habuit vitæ suæ rationes, nec vnquam sensus suos ab eius voluntate deflexit, diuino monitus est oraculo, vel peculiari S. Spiritus afflatu compulsus non solùm vt in Ægyptum descenderet, sed etiam Saram sororem suam diceret, celaret vxorem, eo consilio vt eius commendatione tum apud Pharaonem, tum apud proceres ac Sacerdotes esset acceptior, eorum muneribus ditaretur, nec solum eis arithmeticæ & astrologiæ, sed etiam veri Dei cognitionẽ impertiret, quod ab eo præstitum Nicolaus Damascenus, Eupolemus, & Alexander Polyhistor apud Eusebium lib. 9. [illegible] prodiderunt. Quid si receperat Deus disertísque verbis promiserat curæ sibi fore ne quid interim detrimenti Saræ pudicitia pateretur? quis eum meritò reprehendat, quod totus in diuinam prouidentiam recumbens dicto se præstiterit audientem, *Fortè*, inquit Abulensis, *Abraham doctus à Deo intelligebat ea quæ futura erant, scilicet quod ipsa acciperetur à Rege eo modo quo accepta fuit, & ipse ditaretur propter eam sic acceptam.*

63. Sed ne caussæ diffisi nouas Dei promissiones procudere videamur. Esto sanè nullum à Deo promissum securitatis acceperit, imò prudenter iudicarit stuprum coniugi suæ per vim inferendum, si in Ægyptum descenderet, an vel contra Dei præceptum in Mesopotamiam redire, vel in Chanaanitide cum vxore totáque familia subsistens fame interire, vel Saram solam cum fame & rerum omnium penuria luctantem ibi destituere, vel denique in Ægyptum aliudve regnum appulsus apertè se maritum profiteri, & iniuriam omnem & contumeliam, quam illa sine consensu & peccato subire ac perferre potuit, debuit ab vxoris corpore cum manifesto mortis periculo prohibere? Quid si ne morte quidem sua coniugis suæ pudicitiam repræsentare potuisset? Non offerebat se istis temeritatibus, vt cùm vxoris pudori non prodesset, sine caussa moreretur, præsertim sine liberis credentes orbaret patre, Ecclesiam capite priuaret, gentes benedictione quas Deus in eius semine benedicendas esse promiserat. Cùm ne Sara quidem ipsa legibus vllis teneretur mortem potiùs oppetere quàm stuprum perferre, dum liberum voluntatis arbitrium ab assensu penitus abstineret.

64. Ps. Sunt ista vera, Amphiloge: & hinc facilè leniorem in partem interpretamur Ambrosium, qui Saram laudibus extollit, quòd maluerit *se periclitari pudore, quàm virum salute.* Nam integra mentis castitate, potuit hanc in corpore contumeliam pati, cuius iniuriæ depulsioni vitam mariti sui meritò præferebat. Sed quid Chrysostomo faciemus, qui Abrahamum

Vis illata non officit castitati.

dicit tantumnon ancillatum fuisse adultero, & omnem mouisse lapidem, vt adulterium opere compleretur: Amp. Quid enim aliud dicamus quàm aliquid humanitùs Sanctissimo viro contigisse, vt falsò quidem, non tamen sine quadam saltem adumbrata verisimilitudine probabile putauerit, *quod scrupulosiùs disputari posse* concedit Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum, *vtrùm illius mulieris pudicitia violaretur, etiamsi quisquam carni eius commixtus foret: cùm id in se fieri pro mariti vita, nec illo nesciente, sed iubente permitteret, nequaquam fidem deserens coniugalem, & potestatem non abnuens maritalem: sicut ille adulter non fuit, quando vxoris obtemperans potestati, de ancilla prolem generare consensit.*

Cap. 37.

Polygamia.

Quia tamen non ita cum naturæ lege pugnat maritum vnum pluribus vxoribus, quàm vnam vxorem pluribus maritis copulari, & virorum ad eamdem mulierem accedentium multitudo tum susceptionem prolis impedit, tum seminis permixtione confundit; vnius autem viri cum pluribus mulieribus congressu, neque proles impeditur, neque semen confunditur, probabilius est è mente Chrysostomi, Abrahamum, quemadmodum posteà repudiauit Agarem, ita cum Sara conuenisse, vt si qua necessitas incumberet, & illa per vim ad secundas nuptias adigeretur, prioris coniugii vinculo solueretur. Quod secundum, matrimonium quamuis & lege naturæ, & lege Mosaica perinde permissum esset, vt mulierum multitudo, Chrysostomus adulterium appellat, quòd in lege Euangelica, quamdiu superstes est prior maritus, huiusmodi nuptiæ adulterinæ censeantur.

64. Atque hæc dicta sint non tam ex meo sensu, quàm ad excusationem Chrysostomi. *Multo enim veriùs & honestius illud accipimus* (sunt iterum Augustini verba) *quod pater Abraham nec tentauit Deum, quando vita sua, quantum potuit homo consuluit, & sperauit in Deum cui pudicitiam coniugis commendauit.* Eadem inculcat lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 20. Sediam, si placet, Philalethem nostrum de Iacob & Ioseph dicentem audiamus.

65. Ps. Imò antequam progrediamur vlteriùs, scire velim quo sensu Saram & Abrahamus sororem appellet, & Abimelech iubeat sumere velamen oculorum. Ph. Res oppido videri poterat clarissima, nisi interpretes tenebras offudissent. *Verè*, inquit Abraham, qui & optimè norat, & iam depulso periculo veritatis tegendæ caussam non habebat, *Soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Plerique tamen eam esse putant quæ suprà cap 11. v. 29. Iescha nominatur, dicitúrque fuisse filia Arani, qui frater fuit Abrahami. Verùm in hac sententia illud est incommodi, quòd & à natiuo & simplice sensu scripturæ verba sine necessitate detorqueant aientes hæc verba *filia patris mei*, idem esse atque *neptis patris mei, & filia fratris mei*, qua verborum ambiguitate, quod minime conueniebat, rursus Abimelechum eluderet, & Saram octauo circiter Arani patris anno natam fuisse dicere cogantur: quod absurdum non putat Genebrardus, vel Abrahamum non fuisse primogenitum, contra quàm pura & puta scripturæ verba, eo sensu qui primus occurrit, sonare videantur, c. 11. v. 26. *Dixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram & Nachor & Aran.* Cùm enim Abraham decem duntaxat annis Sara coniuge sua fuerit prouectior, cap. 17. v. 17. Si Aran fuit pater Saræ, vel senior fuit Abrahamo, vel filiam genuit anno circiter octauo. Quæ cùm ita sint, pedibus eo in Caietani, Petauii aliorúmque virorum doctorum sententiam; credendum dicenti, *verè soror mea est, filia patris mei*, & ita nudè accipit Hieronymus in tradit. Heb. *In excusationem eius*, inquit, *dicimus necdum illo tempore tales nuptias fuisse lege prohibitas.* Quò etiam Petauius trahit Ambrosium, Epistola, vt ille citat. 48. *Illud tamen*, inquit, *licet in vetere testamento legimus, vt aliquis vxorem suam sororem diceret, istud inauditum vt quisquam neptem suam in vxorem accipiat, & sororem dicat.*

Sara soror Abrahæ.

66. Ad Abimelechum quod attinet, Saram reprehendit, ita tamen vt verborum comitate & liberalitate reprehensionem suam attemperet. Eam porro reprehendit quòd minore quàm grauem matronam decebat verecundia, detecto vultu incederet, & cùm esset admodum honesta facie & liberali, viros, quibus quasi maritum quærens suam pulchritudinem venditabat, in sui amorem alliceret. Ecce, inquit, mille argenteos dedi fratri tuo. i. Abrahamo marito tuo, quem tu maritum dissimulans fratrem appellas. Ideo autem dedi vt hac pecunia emat tibi velamen oculorum, ne tu in posterum faciem tuam adeo speciosam & elegantem ostentes, siue domesticis qui tecum sunt, siue alienis viris ad quoscumque perrexeris, mementóque te esse deprehensam in dissimulatione tua & pene mendacio, vel memento te pene captam fuisse, & nisi Deus peculiari prouidentia te protexisset, pudicitiæ periculum adituram fuisse, quia derecta facie ambulabas, perinde ac si nupta non fuisses.

67. Pseud.

67. Pseud. Enimuero quamuis citra mendacium fratrem dixerit, ipso facto mentita est. Nam quod spectat ad velamen oculorum, putant ad ritum nuptiarum alludi. Solebant enim, cùm nuptui dabantur, vel ob pudorem, vel ad significandam potestatem corporis sui, quam maritis concedebant, velo vel pallio caput obnubere, vt fecit Rebecca, Genesis 24. v. 65. vnde & Apostolus 2. Cor. cap. 11. v. 10. *μετωνυμικῶς* potestatem appellat. *Debet*, inquit, ἐξουσίαν. *mulier potestatem habere supra caput suum*, id est velamen. quod est signum suæ subiectionis, & potestatis quam vir quodam naturæ priuilegio in mulierem sortitus est. Quibus verbis etsi fœminas omnes etiam virgines comprehendat, vt scitè Tertullianus aduertit lib. de Virginibus velandis, præcipuè tamen matronas admonere videtur officii. Certè vt è prophanis pauca delibem, Hymenæus nuptiarum Deus, *cro-* 10 Metamorph. v. 1 *ceo velatus amictu*. à Nasone describitur. Id velum *flammeum* siue *flammeolum* vocabant. Lucanus 2. Phars.

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Iuuenalis Sat. 10.

----dudum sedet illa parato
Flammeolo.----

A colore videlicet luteo, & Flammeo siue ardenti, quo sensu possis interpretari *velamen oculorum*, vocabulū enim עינים *enaim* non solùm *oculos* aut *fontes*, sed etiam *colores* interdum significat, vt liquet è Leuitici 13. v. 55. & Tostatus annotauit.

68. Quicquid sit, ait Plutarchus in qu. in 10 Gen. Romanis moris fuisse ταῖς γυναιξὶν ἐγκεκαλυμμέναις. &c. εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι, *mulie-* Valerius Max lib. 6. cap. 2. *ribus capite velato in publicū procedere*. Et C. Sulpitius Gallus, *vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat*, &c. *Lex enim, inquit, tibi tantum meos præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere desideres*. Et Charilaus, vt est apud Plut. in Apophth. Lacon. rogatus cur Lacedæmonij puellas discoopertas, τὰς δὲ γυναῖκας ἐγκεκαλυμμένας, *mulieres verò velatas & obnuptas in publicum educerent*, hanc reddidit rationem, quòd τὰς μὲν κόρας, ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας. *puellas quidem oportet viros inuenire, mulieres autem maritos retinere*. Nec aliam fortasse ob caussam Venus Andromachæ dedisse dicitur velamen ipso die nuptiarum,

Κρήδεμνόν θ' ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσῆ Ἀφροδίτη,
Iliados x. Ἤματι τῷ, ὅτε μιν κορυθαίολος ἠγάγεθ' Ἕκτωρ.

Quódque illi dono dederat Venus aurea velum,
Cùm primùm vxorem duxit fortissimus Hector.

Porro, quod Gen. 24. v. 65. Rebecca dicitur pallium sustulisse, quo Isaaco veniente caput obnuberet, LXX. θέριστρον transtulerunt. *Theristrum autem*, inquit Hieronymus de tradit. Heb. *pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici vestimenti, quo mulieres Prouinciæ illius velantur.*

69. De his notandus ille Tertulliani locus lib. de Virginibus Velandis. *Iudicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere.* Et quod Christianis matronis sit pudori, Muhammedes Arabibus potissimùm scribens in Alcorano, Zaora 34. *Mulieres itaque bonæ*, inquit, *se curent, ne lunaticum aspiciant, suóque peplo tegentes collum & pectus, omnémque suam pulchritudinem, nisi quantum apparere necessitas coget, celent omnibus, speciémque pedum etiam eundo nisi maritis suis.* Quæ sanè videntur ad solas matronas & coniugatas, non autem ad cœlibes pertinere, ac proinde quantumvis Saram, cùm fratrem dixit, tacuit maritum, immunem à mendacio verborum fuisse faciamus, ipso tamen facto mentita est, cùm & abiecto velo se matrimonio solutam esse finxit, & mulieribus aliis, quas habebat in comitatu, auctor fuit vt eodem mendacii genere vterentur. Quòd significat interpretatio LXX. seniorum. ταῦτα ἔσαι σοι εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου, καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ, καὶ πάντ' ἀλήθευσον. *Hæc erunt tibi in honorem faciei tuæ, & omnibus quæ tecum sunt, & in omnibus sectare veritatem.* quasi dicat, noli fratris nomen coniugio prætexere, sed habitu, qui matronam & coniugatam deceat, præ te fer te esse maritatam, vt verè es: caue deinceps in mendacio deprehendi. Vbi videntur vocem illam ונכחת *Venokahat* deflexisse à נכח *nokah coram, ante*, vt si dicat Abimelech: *palam omnibus profitere te esse coniugatam.*

70. Alii interpretantur, & *erudiuit se:* alii, *& castigata fuisti.* Deducunt videlicet à radice יכח *iakah, castigauit, corripuit, erudiuit.* éstque secunda persona fœminini generis, præteriti temporis in coniugatione niphal, secundum formam quiescentium pe iod. vbi tamen litera ח pro sceua habet parah, quia est litera gutturalis. Quod præter consuetudinem meam dictum volui, quòd videam multos cætera doctissimos in hoc verbo cespitare.

71. Hebræus Scholiastes apud Marianam dicit eam vocem significare בר דברים *bor d.barim*, *puritatem verborum*. Sed hæc omnia sibi quadrant, eo enim ipso quod in mendaciô deptehensa fuit, castigata fuit, & erudita, ac verborum puritatem vetitatémque amplexa est. Phil. Quorsum ista? Pseud. Vt intelligas Saram ipso facto esse mentitam, meritóque ab Rege Geraræ reprehensam, quòd velum siue supparum matrimonii notam eierasset, & quamuis nupsisset Abrahamo, nihilo tamen seciùs aperto capite, vt innupta incederet. Phil. Quid si (quoniam grammaticari me docuisti) sensus hic Abimelechi fuit vt ipsum Abraham diceret velamen oculorum? Pronomen enim הו *hu* apud Hebræos masculini generis est. Hic, nimirum Abraham erit tibi velamen oculorum, & sub velo isto latere debes, cùm Deus illum pudicitiæ tuæ custodem præfecerit. Vel, vt interpretatur Abulensis. *Hoc, id est, iste modus loquendi obscurus, quo virum tuum fratrem appellas; sit tibi ad eos qui tecum sunt. i. ad illos inter quos conuersaris, qui te cognoscunt, quia illi non poterunt errare in tali modo loquendi: sed non debes loqui taliter inter extraneos, qui te non cognoscunt, quia citò sic deciperentur.* Hæc Abulensis. Quæ si admittimus, nihil est quòd ex abiectione veli Saram dicamus ipso facto esse mentitam, etsi neque velamen ita matrimonio connexum est, vt matrona quæ illud abiecerit, & in publicum innuptâ facie processerit, se necessariò cœlibem esse fateatur: neque Rex Geraræ tam de Sara queritur quòd siue verbo, siue reipsa mentita fuerit, quàm quòd tacuerit veritatem. Quid? quòd, vt scitè notat Guillelmus Altisiodorensis in 3. sentent. Dist. 38 Factum non est proprius mentis interpres? ac proinde si verbis mentita non est, multo minùs addendum est factis subesse mendacium.

XVI. De Iacobi Mendacio.

in 17. Gen. 1 Excusatio Iacobi. 72. Rabbi Samuel apud Tostatum à mendacio Iacobum excusat, quasi suam orationem interpunctione distinxerit. *Ego sum* videlicet. Ego sum qui tibi cibum adfero, deinde post aliquam respirationem hæc verba subiunxerit. *Primogenitus tuus Esau.* Quæ excusatio meritò displicet Abulensi, quòd subtilior quàm solidior esse videatur.

2 Excusatio. 73. Negat Theodoretus quæst. 80. in Genesin fuisse mendacium. Emerat enim priuilegia primogenituræ, erátque Esau non quidem in natura & persona, sed in primogeniti dignitate: quemadmodum Ioannes ab ipso Domino Elias nominatur. Et quoniam apud Hebræos עשו *asu* siue *Esau*, idem est quod *factus* siue *perfectus*, dicere possemus hanc Iacobi verbis subiectam fuisse sententiam. Ego sum factus primogenitus tuus, cùm videlicet frater meus vili lenticula inescatus mihi vendidit primogenita, suáque iura transfudit.

74. Augustinus ex eo probat mentitum Iacob non fuisse quòd cap. 25. v. 27. Simplex, ἄπλαςος, sine dolo fuisse tradatur. *Siue autem*, inquit 16 de ciuit. cap 37. *sine dolo, siue simplex, siue potius sine fictione dicatur, quod est Græcè ἄπλαςος, quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis? quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?* Et lib. contra mendacium ad Consentium, cap. 10. *Si*, inquit, *non est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur, profecto non solùm id quod fecit, aut dixit Iacob patri vt benediceretur, sed neque illud quod Ioseph velut illudendis locutus est fratribus, neque quod Dauid simulauit insaniam, nec cætera huiusmodi mendacia iudicanda sunt, sed locutiones actionésque propheticæ ad ea quæ vera sunt intelligenda referendæ. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, vt sensum pie quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant, &c.* Mox vbi docuit per hœdinas pelles peccata significari, per eum qui se his pellibus operuit, eum qui non sua, sed aliena peccata portauit, per Esau Synagogam, per Iacob Ecclesiam à gentibus congregatam, ista subnectit: *cùm igitur tam vera támque significentur veraciter, quid hic debet putari factum dictúmve mendaciter?* Et quoniam, vt loquitur Apostolus, omnia Patribus in figura contingebant, hinc effici videtur quæcumque à Patriarchis dicta, vel gesta referuntur, mendacia non esse, sed futurorum vmbras & mysteria.

3. Excusatio.

75. Pseud Quid igitur? cùm Iacob hœdinis pellibus obuolutus, patri suo se quasi primogenitum obtrusit, disertísque verbis se Esau primogenitum esse professus est, an tum temporis de Christo qui peccata nostra portauit, aut de gentium vocatione cogitabat? Ph. Equidem id affirmare non possum. Pseud. Non igitur hac animi inductione se pro Esau primogenito patri venditauit, vt futurum adumbraret mysterium, sed vt paternam benedictionem interuerteret. Phil. Fateor. Pseud. Non igitur illam figuram mysteri-

que significationem ipsi Iacob acceptam referre debemus, qui de significando mysterio ne cogitauit quidem, sed Deo, qui iussit de tenebris lumen splendescere, & de hominis mendacio prophetiæ veritatem. P h i l. Nullus abs te dissentio. Ps. Mentitus igitur Iacob. P h i l. Fortasse. Ps. Et quidem admodum pernicioso mendacio, cùm de præripienda patris benedictione, ac iure successionis ageretur. P h. Imò perniciosum non fuit, sed officiosum. Neque enim fratri, qui primogenita sua vendiderat, faciebat iniuriam: sed ius suum persequebatur, quod & fratris sui cessione, & diuinis promissis ad se pertinere minimè dubitabat.

Iacob mētitus videtur.

76. Itaque si Iacob, si Ioseph, si Dauid, si Salomon, si Chusai, si alios mentitos esse defendas, nolo tecum peruicaciùs contendere. Pseud. Eos igitur honestum erit imitari. Phil. Sapientissimè monet Augustinus. *Si qua mendacia viris etiam sanctis, Vt alia peccata subrepserint, non eis tribuendam iustitiam, sed veniam postulandam.* Siquidem, vt dixerat, *etiamsi aliquid propheticum* in eorum verbis, *aut factis intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur.* Sed quid prohibet eum pluribus loquentem audire? *Illæ*, inquit, *personæ, quas credendum non est ibi* (videlicet in sacris historiis) *prophetare voluisse, si quid faciendo vel dicendo finxerunt voluntate fallendi, quamuis ex ipsis quoque factis earum sine dictis aliquid propheticum possit exculpi, per illius omnipotentiam proseminatum atque dispositum, qui bene vti nouit etiam malis hominum, tamen quantum ad ipsas pertinet, sine dubitatione mentitæ sunt. Sed non ideo debent imitanda existimari, quia in eis reperiuntur libris qui sancti & diuini meritò nominantur. Habent enim conscripta & mala hominum & bona: illa vitanda, ista sectanda: & quædam ita posita, vt de illis etiam prolata sit sententia: quædam verò tacito ibi iudicio nobis iudicanda permissa: quoniam non solùm nos nutriri manifestis, verùm & exerceri oportebat obscuris.*

Contra mendac. c. 17. exeūte

Ibid. c. 14.

77. Et alibi cùm de Iuda & Thamare disputaret: *Ea quippe*, inquit, *hominum, facta, Sancto Spiritu disponente, atque inspirante, collegit propheta narrator, quorum interpositio non vacaret ad præsignationem rerum quas intenderat prophetare: ad significanda autem aliqua bona, nihil interest facta illa, quibus ea significantur, seu bona, seu mala sint. Quid enim mea interest, cùm volo aliquid legendo cognoscere, vtrùm ex minio reperiam scriptos* (lege scriptum) *nigros Æthiopes, & ex atramento candidos Gallos? Veruntamen si non scripturam, sed picturam talem viderem, sine dubitatione reprehenderem: ita in factis hominum, quæ ad imitandū vitandúmve proponuntur, magni interest bonáne an mala sint. Quæ autē ad significandū dicuntur, siue scribūtur, nihil refert in moribus facientium, quā laudem reprehēsionémve mereantur, si modò habent aliquam rei, de qua agitur, necessariam præfigurandi congruentiam.* Hæc Augustinus, è quibus liquet nihil esse quòd magnopere solliciti simus demonstrare Iacob immunem fuisse mendacii, cùm & eius mendacio futura veritas adumbrari potuerit, & vt Salomon testatur *nullus sit homo qui non peccet*, ac proinde quantumuis Sanctissimo Patriarchæ mendaciolum hoc obrepsisse fateamur, nihil est tamen cur huius exemplo mendacium putemus certis locis ac temporibus ad officium boni viri pertinere. Quid enim mirum, si vel ipsi Patriarchæ venialem mendacii culpam aliquando contraxerint, aut etiam in illis futurorum vmbris (non enim dicam tenebris) per ignorantiam quam vocant inuincibilem licitum putauerint honestúmque mendacium, quod in hac Euangelii luce non solùm credit Pseudagoras noster, sed etiam Platonis, Xenophontis, Origenis, Chrysostomi, Cassiani, cæterorúmque tum Patrum, tum Philosophorum authoritate defendit?

Contra Faustum lib. 22. c. 83.

XVII. *De Iosephi mendacio.*

79. PS. Expecto de Iosepho quid respondeas. P h i l. Quinque sunt crimina quibus in eum inuidia conflatur. Vnum quòd contra mentem conscientiámque suam fratres suos Exploratores esse dixerit: alterum quòd ita esse deierant: tertium, quòd quamuis ante legem scriptam iam tunc hominum cordibus insculpsisset ipsa natura, ne quod iuramentum nisi per Dei nomen conciperent, eúmque solum fidei & veritatis arbitrum, ac vindicem adhiberent, nihilo secius per rem creatam iurauerit: quartum quòd tam vilis ei fuerit salus ac vita Pharaonis, vt quamuis peierans illius caput non dubitauerit quasi fidei suæ pignus in medium deponere, vt si sciens ipse falleret, in ipsius Pharaonis vitam pœna periurii redundaret. Quintum denique quòd vno contextu multa mendacia inuoluens etiam finxerit scyphum sibi furto ablatum, quo, vt interpretatur Caluinus, ad diuinationes & *magicas artes* vte-

Crimina in Iosephum.

In cap. 44. Genes. retur. *Qua*, inquit, *simulatione grauiter eum peccasse negandum non est. Vnde colligimus, vbi semel quispiam à recta linea deflexit, quàm facilis sit in varia peccata lapsus.* Hæc sunt quæ viro Sanctissimo non mediocrem notam inurunt, quæ sic videntur interse connexa, vt qui primum concesserit, cogatur etiam reliqua confiteri.

80. Ps. Quid si Patriarcham viri singularis authoritate mentitum esse demonstro, sed ita mentitum vt nullam ex illo mendacio culpam susceperit? Ph. Viceris expectationem meam. Ps. Atque, vt saliuam magis tibi moueam, author à me producetur, cuius tot tantáque extant in sacram scripturam volumina, vt, quod author Bibliothecæ Hispanicæ notauit, si vel à primo natalis die numerando terna folia singulis eius vitæ diebus attribuas, plura scripsisse comperias Ph. Magnus liber, magnum peccatum, vt iam communi iactatur adagio, & iam olim Poëta nobilis:

Callimachus hymno in Apoll.

Ασσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς, ϗ πολλὸν ὑφ' ὕδατι σύφετον ἕλκει, &c.
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβάς. ἄκρον ἄωτον.

Ingens Assyriæ fluuius, sed plurima terræ
Purgamenta trahit secum sordésque volutat, &c.
Sacro fonte latex modicus libatur, aquarum
Primitiæ.——

Psevd. Non tibi duntaxat ingenii flumen, & vt sic loquar Euphratem, sed purum ac sincerum, vnde is emanat, Paradisi fluuium exhibebo. Phil. Alphonsum, opinor, Tostatum Episcopum Abulensem intelligis illum, inquam, stuporem mundi, Laus Tostati, *qui scibile discutit omne*, virum illum, vt ait Posseuinus in sacro apparatu, memoria mirabili, peracri in rebus perplexis & obscuris explicandis iudicio, & (quod caput est) magna sanctitate, quam vigiliis, ieiuniis, orationibus admodum fouit & auxit Virgo natus, Virgo quoque (vt constans est fama) decessit, &c. Quadraginta duntaxat vixit annos, & maximis tum regni, tum Episcopatus occupationibus districtus tot ac tanta duodeuiginti annorum spatio scripsit, quot ne attentè quidem perlegere aliquis possit. Psevd. Eum ipsum intelligo, quem opinor non repudiabis authorem. Is commentariis in Genesim cap. 42. *Dicendum*, inquit, *quòd Ioseph dixit mendacium officiosum, & ideo non fuit peccatum, quia erat ad inquirendam veritatem de statu Beniamin, vel an pœniterent, quia vendiderant eum, &c. Et satis credo esse licitum si iudex crederet certissimè aliquem esse malefactorem, per mendacia ornata officiosa inducere eum ad confitendum veritatem facti sui.*

81. Phil. Equidem Abulensis authoritati nihil detractum volo, dum tamen per ornata mendacia locutiones intelligamus, quæ quamuis nonnihil à vero deflectere videantur, non sunt tamen vera, vt sic loquar, & germana mendacia, sed adumbrata quædam mendaciorum simulacra, quòd non asserendæ falsitatis, sed veritatis indagandæ caussa proferantur. Et hoc ipsum est quòd alii negant Iosephum mentiri, quia non loquitur assertiuè, sed tentatiuè: (quid enim eorum verba repudiem, quorum sententiam amplector?) vt Iudex reum interrogans aliquid ait esse factum, non vt asserat, sed vt eliciat veritatem. Ita certè vel ipsi fratres intellexerunt, dum aienti Iosepho: *exploratores estis*: vt inficiando responderunt: non *ita est, Domine*: quo responso neque significabant Proregem esse mentitum, nec vllam ei contumeliam inferebant, quia, vt scite notat idem Abulensis, *non asserebat eos esse exploratores, sed inquirebat de hoc. Et quantum ad talia cuicumque magnæ personæ inquirenti de statu alicuius rei licet negare quod dicit, nec hoc est propriè repugnatio, quia orationes inquirentium, licet videantur indicatiuæ, imperatiuæ tamen sunt; oratio autem nulla vera, aut falsa est præter indicatiuam. ideo istæ non sunt veræ vel falsæ, quare orationes indicatiuæ negatiuæ vel affirmatiuæ non repugnant illis.* Sic, vt probat Guillelmus Altissiodorensis, *Logici in disputationibus suis sæpissimè dicunt falsum, vt videatur quid inde accidat, & constat quod non peccant, vt contingit in syllogismo ad impossibile, quia non dicunt falsum intentione fallendi, nec intendunt destruere, sed potiùs adstruere veritatem.*

Ornata mendacia.

82. Aliter respondet Augustinus q. 139. in Genesim, *ita videlicet dictum esse* Exploratores estis, *tanquam si dictum esset, Exploratorum pœna digni estis: hoc est, exploratores deputabimini merito mendacij vestri.* Estis *autem pro habebimini, & deputabimini innumeræ similes locutiones docent, vnde est illa Elia, quicumque exaudierit in igne, ipse erit Deus, non enim tunc erit, sed tunc habebitur.* Quæ si vera sunt, vt profectò sunt, non solùm à mendacii, sed etiam & multo magis à periurii crimine liberatur.

XVIII. *De iuramento Iosephi.*

83. Restat vt videamus ecquid concepto per salutem Pharaonis iureiurando aut eam flocci fecerit, aut honorem soli creatori debitum ad creaturam deriuarit. *Per salutem*, inquit Pharaonis, vel vt habent LXX. νὴ τὴν ὑγίειαν φαραώ, *per Pharaonis sanitatem.* חי פרעה ke *Pharo*, ex quo Aquila, ζῇ φαραώ, *viuit Pharao.* omnes eadem sententia: sic mulier illa Thecuitis, חי נפשך *per salutem*, inquit, *animæ tuæ, Domine, mi Rex.* AMPH. Quid si hanc ipsam iurisiurandi formulam reperire possimus apud Martialem lib. 11 Epigramm. 95. vbi Iudæum quendam *Solymis qui natus in ipsis*, ita compellat, & iurare compellit?

(2. Reg c. 14 v. 19.)

Ecce negas, iurásque mihi per templa tonantis,
Non credo. iura, Verpe, per Anchialum.

PHIL. Equidem nullum hic aduerto iuris illius iurandi vestigium. Nam viri docti sic intelligunt, vt eum quasi mollem & effœminatum iurare velint per Anchialum siue puerum, qui fuerit in deliciis, siue per vrbem Anchialum ab ipso Sardanapalo conditam ac redolentem flagitia sui conditoris, per Genium Sardanapali qui ea in vrbe colebatur. AMPH. Atqui censet Iosephus Scaliger tum Prolegomenis ad emendationem temporum, tum literis ad P. Scriuerium datis hæc ex Hebræis fontibus esse detorta, quasi חי אלה *ki ala. viuit Deus.* Atque, vt facile est inuentis addere, Thomas Farnabius ita concepit אם חי אלה *am ki ala.* Samuel Petitus: אין חי עליון *an ki alion. non viuit excelsus.* Ioannes Seldenus prolegomenis libri *de Successionibus*, qui & ista colligit, legendum putat apud Martialem

(Martialis explicatur.)

Non credo. iura, Verpe, iperan chi olam.

יפרע היעולם *vlciscatur*, aut *vindictam sumat is qui viuit in æternum.* Ioannes Crocus: *iura per Alchialam:* אל חי עולם de quibus Seldenus fusissimè: sed nos in viam à diuerticulo redeamus.

84. Multæ sunt iuramentorum formæ. Alia concipiuntur de præterito vel præsenti, quæ in scholis assertoria dicuntur. Alia de futuro quibus nullum, quod sciam, Theologi peculiare nomen hactenus indiderunt. De quibus S. Thomas 2.2. qu. 89. art. 7 c. *Vtrumque*, inquit, *iuramentum habet quandam obligationem diuersimodè tamen, quia iuramento quod est de præterito vel præsenti obligatio est non respectu rei, quæ iam fuit vel est, sed respectu ipsius actus iurandi, vt scilicet iuret id quod iam verum est, vel fuit. Sed in iuramento quod præstatur de his quæ sunt fienda à nobis, obligatio cadit è contrario super rem quam aliquis iuramento firmauit. Tenetur enim aliquis vt faciat verum esse id quod iurauit: alioquin deest veritas iuramento.* Posterius hoc iusiurandum quod de futuro concipitur, rursum spectari potest vel ratione personæ iurantis, vel eius cui iuramentum exhibetur, vel denique rei siue materiæ iuramento subiectæ, quam qui iurat, se facturum esse pollicetur. Qui iurat vel habet rem in sua potestate, vel non habet, si non habet, vel habere se putat, vel fingit. Ea porro vel Deo vel nobis ipsis, vel proximis exhibenda denuntiatur, sed nos de tertio genere disputamus. Res quæ proximo præstatur, vel bona est, vel mala, si bona, iuramentum promissorium: si mala comminatorium nominatur.

(Iuramentū assertoriū.) (Iuramentū de futuro.)

85. Inter promissorium & comminatorium hoc interest, quod in illo citra periurium possis aliquid ad promissi liberalitatem admetiri, in hoc liceat aliquid de minarum seueritate remittere. Hoc enim humanitatis ratio postulat, vt qui vel promittit vel comminatur, tacitam vel augendi beneficij vel minuendæ pœnæ conditionem inuoluat, excipiátque sibi fore integrum vel austeritatem misericordia temperare, vel liberalitatem beneficentia cumulare.

(Promissorium, comminatoriū.)

86. Atque est hæc est prior iuramenti diuisio quæ à materia siue obiecto petitur, posterior à forma siue modo iurandi accersitur. Nam, vt docet Scholæ Magister, *duplex est modus iurandi. vnus quidem per simplicem Dei contestationem, sicut cùm aliquis dicit: est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est, vt dicit August. Alius modus iurandi per execrationem, dum scilicet aliquis se vel aliquid ad se pertinens ad pœnam obligat, nisi verum sit quod dicitur, quemadmodum antiqui,*
—cæsâ iungebant fœdera porcâ.
sibique imprecabantur, vt si scientes fallerent, ita ferirentur à Deo, quemadmodum ipsi porcam saxo silice feriebant. Quæ execrationis formula vel tacitam vel expressam diuinæ veritatis inuocationem inuoluit. Is enim solus qui cordium inspector est, summúsque nostrarum cogitationum arbiter, nouit vtrùm lingua iurantis ab eius mente dissentiat, solúsque proinde potest vindex esse periurij.

(2. 2. q. 89. art. 1. ad 3. & ar. 6. C.) (Iuramentū simplex.) (Imprecatorium.)

87. E quibus videtis quàm imperitè Caluinus negauerit execrationes in Dei vel honorem vel iniuriam redundare. *Qui per Deum iurat*, inquit, *eum vult medium intercedere vt pœnam exigat periurij: qui per vi-*

tam suam vel caput iurant, quasi fidei suæ pignus in medium deponunt, quod maxime habent pretiosum. Hoc modo non transfertur ad hominem mortalem Dei *maiestas, quia longe aliud est eum citare testem qui ius habet vlciscendi, quàm per rem maxime charam asserere verum esse quod dicimus.* Imperitè, inquam. Aliud enim est quod habeas valdè pretiosũ quasi fidei pignus deponere: aliud imprecari, vt si sciens fefelleris, id tuo, vel filii capite eluatur. Qui rem sibi charam oppignorat, præstare non tenetur formalem, vt vocant, locutionis suæ veritatem, vt pignus apud eum ipsum, cui promittitur, vel apud sequestrem depositum tum demum recipiat si locutus fuerit ex animi sui sententia: sed ei satis est materialem veritatem, siue rem ipsam promissioni subiectam exhibere, quacunque tandem animi inductione promiserit. Qui per suam salutem iurat, caput suum non transfert in alterius hominis potestatem, sed apud Deum supremum veritatis testem ac vindicem suum caput quodammodo deponit, & cum Paulo vel tacitè vel expresse Deum testem inuocat in animam suam, vt si peierat, ab eo qui solus est veritatis arbiter, ob periurium puniatur.

Caluini imperitia.

2.Cor.1.23

88. Neque verò vt somniat Caluinus qui per Deum simpliciter iurat, eum vult medium intercedere, vt pœnam exigat periurii: sed eius duntaxat testimonium implorat, vt detegat veritatem. Commodè sanctus Thomas: *Alicuius*, inquit, *testimonium inuocatur ad hoc quod testis inuocatus veritatem manifestet circa ea quæ dicuntur. Deus autem manifestat an verum sit dupliciter vno modo simpliciter reuelando veritatem vel per internam inspirationem vel etiam per facti denudationem, dum scilicet producit in publicum ea quæ erant occulta. Alio modo per pœnam mentientis; & tunc scilicet est iudex & testis: dum puniendo mendacem, manifestat mendacium; & inde duplex est modus iurandi*, &c. E quibus efficitur eum qui per rem sibi charam & pretiosam iurat, non solùm Deum vt testem, quod fit in simplici iureiurando, sed etiam vt iudicem mendaciique vindicem implorare, addita simplici iuramento pœnæ sanctione.

Loco cit.

2 2 q. 89. ar.6 in C.

89. *Quod autem Ioseph*, inquit idem Doctor Angelicus, *per salutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi potest: vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligauerit Deo: vel per modum contestationis, quasi contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem principes terræ constituuntur.* Neque verò diuinam maiestatem ad creaturas hac iurisiurandi formula transferebat, sed vel simplici iuramento Deum obtestabatur qui erat salus & vita Pharaonis, vt interpretatur Abulensis: vel addita sanctione siue execratione Deo salutem Regis, qua nihil habebat pretiosius, obligabat, vt si sciens falleret, periurium Pharaonis ipsius capite lueretur. Neque verò vel suam vel liberorum salutem vilem habent, quorum hæc verba produntur,

Per caput hoc iuro, per quod pater antè solebat,
Μηκέτ᾽ ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆϊ κάρη ὤμοισιν ἐπείη,
Μηδ᾽ ἔτι Τηλεμάχοιο πατὴρ κεκλημένος εἴην.
Non deinceps caput hoc humeris insistat Vlyssei
Nec iam Telemachi genitor vocet.--

Imò quia pretiosius nihil habebant quod veluti fidei suæ pignus apud Deos veri falsique disceptatores deponerent, idcirco hanc iurisiurandi formam vsurpabant.

90. Quòd si qui ad confirmandam veritatem Regum salutem oppignorant, eam haberent contemptui, nunquam dixisset mulier illa Thecuitis: *Per salutem animæ tuæ, Domine mi Rex.* Nunquam Eliæ dixisset Elisæus, *Viuit* Dominus, *& viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Nunquam Iudith Holopherni. *Viuit Rex Nabuchodonosor Rex terræ, & viuit virtus eius quæ est in te ad correctionem omnium animarum errantium.* & iterùm: *Viuit anima tua,* Do*mine meus.* Nunquam Tertullianus Christianos à Gentilibus læsæ maiestatis accusatos ita defendendos putasset: *Sed & iuramus sicuti non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis.* Hoc igitur Iosephi sacramentum & indicabat apud Iosephum nihil haberi salute Pharaonis antiquius, & quamuis, vt probabilius videtur, execratione quadam erat implicatum, nulla tamen peccati labe fuit adspersum. Etsi enim, vt ait Augustinus in Psal. 7. *Iurare per execrationem est grauissimum iurisiurandi genus, cùm homo dicit, si illud feci, illud patiar,* culpa tamen vacat, imo laudem meretur iuramentum, quod *in veritate, & in iudicio, & in iustitia* nuncupatur, è Ieremia cap 4 v. 2. compertum est. Iurauit Ioseph in iudicio, id est interprete S.Thoma, *ex necessaria caussa, & discrete*, quia nisi iurasset, non facilè fratres suos illis comminationibus terruisset, iurauit in veritate non exituros donec veniret frater ipsorum minimus, quia re uera, vt notat Tostatus, *Non omnes exierunt, fuit enim detentus Simeon loco omnium, in cuius detentione omnes detineri videbantur*, ac nisi Beniamin adduxissent, eos Exploratorum

2 Reg.14. 19
4 Reg.1.2.
Iudith 11.5
Apol.c.32.
2.2 q 89. art.3. C.

loco erat habiturus, iurauit in iustitia, quia videlicet ipsa iustitiæ ratio postulabat, vt qui fratrem impiè vendiderant, aliquam sceleris sui pœnam exoluerent & saltem seruitutis metu plecterentur.

XIX. *In quibus videri posit Ioseph grauiter peccasse.*

91. PS. Esto sanè: faciamus eos omni supplicio dignos fuisse, in quos prima procella detonuit. Quid Iosephum pater, quid frater Beniamin violarat, in quos illi fluctus magna ex parte redundarunt? *Dixit pater Iacob: absque liberis me esse fecistis: Ioseph non est super: Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis, in me hæc omnia mala reciderunt, &c. Si quid ei aduersi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Quid cùm Beniamin è sinu gremióque patris orbitatem suam deplorantis, è complexu coniugis ac liberorum lacrymantium auulsus & in ignotam regionem abductus est? quid etiam putatis animi fuisse cùm patris luctum & squallorem, vxoris lamenta, paruulorum filiorum eiulatus, illam Proregis austeritatem sibi frequentibus fratrum narrationibus exaggeratam, frontem illam, supercilium, iusiurandum, compedes fratribus suis iniectas, ac trium dierum carcerem, Simeonem adhuc in vinculis detentum, iugum seruitutis suis ipsius ceruicibus impendens animo proponeret? Quid cùm Proregis Scyphus in eius sacco repertus est? cùm tanquam fur in manifesto scelere deprehensus, luce palam, in oculis totius ciuitatis, turbis ad spectaculum confluentibus & furtum execrantibus ad prætorium perductus est? cùm stetit ante Proregem, cum irati & exprobrantis vocem audiuit. Ex quo fonte ista manarunt? E Iosephi mendacio multis aliis criminibus implicato. Cuius enim iussu hæc à dispensatore dicta sunt: *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet?* Quibus verbis non solùm iniustus fuit in miserum atque innocentem, impius in fratrem, sacrilegus ac superstitionis simulator, sed etiam, de quo præcipuè controuersia est, sine controuersia mentitus.

Gen 42. 36.

92. PH. Vide quantùm à quæstione discedas. Statueras exemplo Iosephi probare mendacium nonnumquam ad officium boni viri pertinere. Nunc autem adeo non cohæret oratio tua, vt contrarium è tuis rationibus inferatur. Nam si iniustè vexauit innocentem, patrem ac fratrem impiè dolore affecit, augurium & superstitionem sacrilegè simulauit, profectò caussæ nihil est cur eum honestè, & citra culpam mentitum esse defendas. PS. Fateor equidem, Philalethes, sed nescio quo pacto ita me disputationis æstus absorbuit, & in hanc oram impegit, vt non modò mecum ipse pugnarim; sed etiam, cuius iam me pudet, pigétque, sanctissimo Patriarchæ non vnius sed plurium culparum maculas alleuerim. Quare mihi de mendacio concedas velim: de cæteris non ero molestus, imò, vt videas æquitatem meam, siue mentitus ille fuerit, siue non fuerit, eum & iniustitiæ & impietatis, & simulatæ superstitionis absoluam. Restat igitur vt Iosephum mentitum fateare, vel doceas nullum eius orationi subesse mendacium.

X X. *Vtrum ex eo sit excusandus Ioseph, quod dixerit iocosum mendacium.*

93. PHIL. Augustinus q. 145. in Genes. ita respondet. *An quia non seriò, sed ioco dictum est, vt exitus docuit, non est habendum mendacium: Mendacia enim à mendacibus seriò aguntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt, tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia.* Sed hæc responsio duas quæstiones satis perplexas inuoluit. Alteram, ecquid iocosa quæ dicuntur mendacia, verè debeant inter mendacia deputari? alteram, ecquid Patriarcha dixerit iocosum mendacium?

94. Ait quidem Augustinus libro de mendacio ineunte, quæ ioco dicuntur, *nunquam esse putata mendacia. Habent enim*, inquit, *euidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis.* Adstipulatur Hugo Victorinus. *Mendacium*, inquit, *est significatio falsa, id est oratio vel locutio per quam ille qui loquitur auditori falsum significare intendit, & putat. Nam etsi ita sit, vt dicit, mentitur tamen ille qui loquitur cum opinione & intentione fallendi. Iocosa mendacia, & ironiæ, & parabolæ mendacia non sunt, &c. Hoc tamen interest quod iocosa mendacia, etsi falsitatis reatum non incidunt, Leuitatis tamen culpam non euadunt.* Guillielmus Altissiodorensis in 3. dist. 38. *Sine dubio*, inquit, *Intentio fallendi, siue ponendi falsitatem in aliquo, vel destruendi veritatem, facit mendacium esse peccatum. Vnde falsa vocis significatio est sicut materia in mendacio: & intentio fal-*

Cap. 1.

De Sacramentis li 1. parte 12. c. 7. med.

Tract. 23. q 2.

Iocosum mendaciũ an propriè mendaciũ.

lendi est sicut forma, & propter hoc dicimus quòd mendacium iocosum, quod non habet eiusmodi formam, non est mendacium, secundum veram rationem mendacy, nisi largè sumatur mendacium. Quod superiùs his verbis ostenderat. *Per hoc*, videlicet iocosum *mendacium sine fallendi voluntate prolatum, non destruitur veritas in auditoribus, nec in ipso mentiente, quia ipse mentiens scit id quod dicit esse falsum, ergo non asserit illud mentaliter, quia asserere mentaliter est consentire. Sic igitur per mendacium iocosum non destruitur veritas in aliquo, ergo non est contra veritatem. Sed mendacium directè contra veritatem est, ergo iocosum mendacium non est mendacium.*

95. Sed etiam atque etiam videndum ecquid Augustinus secum ipse confligat, cùm in Psalm. 5. ita loquitur. *Duo sunt omnino genera mendaciorum in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cùm aut iocamur, aut vt proximis prosimus, mentimur. illud primum in iocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit. Nouit enim ille cui dicitur, ioci caussa esse dictum, secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam beneuolentiam.* Si diligenter attendimus, hæc se mutuò non collidunt. Non enim pugnat vt mendacium iocosum nunquam à viris cordatis putatum fuerit mendacium, ac proinde careat omni culpa mendacii, & tamen non sit sine culpa leuitatis, vt interpretatur Hugo Victorinus.

96. Quamquam si è mendacio iocoso falsitatis ac fallaciæ maculam eluimus, difficile non est etiam leuitatis labem abstergere. Vt enim leuis est animi totum se in ludos & iocum effundere: ita immanis est agrestisque naturæ respuere pœnitus omnes facetias Vrbanitatémque sermonis: ac proinde necesse est aliqua virtus in vtriusque mediocritate consistat, quam Aristoteles εὐτραπελίαν, quidam Vrbanitatem, Dexteritatem alii nominarunt. Quod, vt cæteros omittam Aristoteles 4. Ethic. Nicom. cap. 14. S. Thomas 2.2. q. 168. art. 2. M. Tullius 1. de officiis §. 103. & 104. multis ostendunt. *Duplex est omnino*, inquit iste, *iocandi genus, vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum*, quod non leuitate solùm, sed etiam multis aliis criminibus frequenter implicatum est, adeo vt etiam Græci scurras huiusmodi nugis deditos βωμολόχους quasi ararum insidiatores, impios ac sacrilegos appellent, *alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum*, quod non solùm vitio caret, sed etiam in laude ponendum est. *Facilis*, inquit, *est distinctio ingenui & illiberalis ioci, alter est si tempore fit ac remisso animo, libero dignus, alter ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscœnitas.*

Scurrilitas.

Eutrapelia.

97. Verum huiusmodi mendacia quæ obscœnitati, petulantiæ, flagitio coniuncta sunt, non ad iocosum, sed ad perniciosum mendacium reuocantur: ac proinde aliud iocosi mendacii genus in quo non magna culpa sit, aliquis tamen sit leuitatis næuus, Augustinus intelligit, illud videlicet, quòd quamuis obscœnitate & petulantia careat, non in aliorum famam incurrat, piorum castorumque aures non offendat, labem integris, infamiam bonis non inferat, per se tamen profusum est atque immodestum præscriptósque à recta ratione cancellos transilit, quantumuis neque falsum auditorum animis instillare velit, & sine fuco & fallacia proferatur. Ps. Quid est igitur quòd passim Theologi mendacium iocosum peccati labe infectum affirmant? Ph. Illud videlicet mendacium intelligunt quod non aut in alterius iniuriam, aut in vtilitatem, sed tamen cum aliqua fallendi voluntate profertur: & in decantata illa mẽbrorũ octo partitione, quinto loco numeratur. *Quintum, quod fit placendi cupiditate de suauiloquio*, & tandem cap. 21. ista subnectit. *Non est mentiendum quinto, quia nec ipsa veritas sine placendi hominibus enuntianda est, quanto minus mendacium quod per seipsum quia mendacium est, vtique turpe est.* Lib. de mend. ad Consent. c. 14.

98. Ps. Imò communis est Theologorum sententia fallendi voluntatem non ad ipsam essentiam, sed ad perfectionem duntaxat mendacii pertinere, totámque adeo mendacii naturam existere, cùm ex certa destinatáque animi inductione falsum asseritur etiam absque intentione fallendi, cuius opinionis Ioannes Sanches in selectis Disp. 5. num. 5. quindecim laudat authores. Quorum plerique sic Augustinum interpretantur quasi cùm fallendi voluntatem ad rationem essentiámque mendacij requirit, aliud nihil quàm dicendi falsi voluntatem intelligat.

90. Ph. Hic fortasse non rerum ac sententiarum, sed verborum conflictus est: sed, vt in mendaciis iocosis hæreamus, duo sunt falsarum locutionum genera, quæ aucupandæ voluptatis caussa proferuntur. Aliæ sunt quæ citra dolum ac fallaciam auditores nullo deceptos errore, nullam in fraudem inductos suo lepore ac festiuitate demulcent, vel quòd natura sua sint incredibiles, cuiusmodi narratiunculis Lucianus historiam illam veram contexuit, quæ quãuis falsitatem ingenuè præ se ferat, Lectores tamen admirabili delectatione perfundit:

Quando dicantur iocosa mēdacia hoc peccato.

dit: vel quòd hominum consuetudo præscripserit, nulla vt in iis veritas exigatur, cuiusmodi sunt Aristophanis & Plauti Fabulæ, cæteráque Poetarum figmenta: vel quòd ipse loquendi modus satis indicet eorum quæ dicuntur, præstandam non esse veritatem, vt Suarez tom. 2. de Relig. tract. de iuram. lib. 3. c. 4. num. 5. Augustinum exponit aientem ioca numquam putata esse mendacia. *Augustinus*, inquit, *intelligendus videtur quando locutio ita fit per iocum, vt ex ipso modo iocandi satis intelligi possit non affirmari id quod dici videtur, sed tantùm ad ludum proferri*: vel denique quòd is qui loquitur, ficta se proferre fateatur, *vt cùm aliquis* (verba sunt Caietani 2. 2. q. 110. art. 3. ad 6.) *narrat Fabellam, aperiens se narrare Fabellam, & sic dicens infinita mendacia iocosa in nullo peccat, si causâ delectandi, quando oportet, vt oportet, &c. dicit, quoniam hoc quod est falsum dicere cum intentione falsum dicendi, non cadit sub eius locutionem nisi materialiter, & hoc nec ex ipso genere operis natum est fallere, sed delectationem adferre.*

100. Quo in genere, vt & in cæteris iudicii partibus mirus dicendi artifex Virgilius excelluit, qui lepida quadam Vrbanitate significans omnia quæ de Æneæ ad Inferos descensu narrantur, esse Fabulosa & mera vetularum insomnia, non solùm vlmum opacam, ingentem, ramos annosáque brachia pandentem,

6 Æneid.

----*Quam sedem somnia vulgo*
Vana tenere ferunt, foliísque sub omnibus hærent,

In Orci vestibulo collocauit, sed Æneam porta eburnea,

Qua falsa ad cœlum ducunt insomnia manes,

Ex inferis emisit. *Quibus*, inquit Seruius, *omnia indicat esse simulata, si & ingressus & exitus simulatus est & falsus.*

101. Aliæ sunt falsæ locutiones delectationis captandæ studio prolatæ, quæ annexam habent vel suapte natura, vel loquentis intentione fallaciam, & tum demum auditores hilaritate prolectant, cùm assumpta veritatis persona se pro veris narrationibus in eorum animos obtruserint. *Vel serio*, vt notat idem Caietanus, *vt cùm quis fingit in suo sermone aliquid quo delectetur infirmus putando illud esse verum, vel iocosè, vt cum quis in suo sermone aliquid fingit, vt delectet audientes, siue credant, siue non in suspenso quãtum in se est relinquens, an verum, an falsum dicat, quo fit vt aliqui ex faceta inuentione prolata, aliqui ex credita, vel quasi credita delectentur, & quocumque horum modorum accidat, est propriè mendacium iocosum, & quantum est ex natura operis, natum est fallere.* Hæc Caietanus.

Iocosa mēdacia cū peccato.

102. Sãches loco citato negat esse mẽdaciũ iocosum dicere falsum, non vti falsum formaliter, *sed vti lepidum & iucundum*; *& esset*, inquit, *mendacium si enuntiaretur falsum tamquam verum*, & loquens tamquam vera narratione, lepida & iucunda delectationem ac risum in aliis vellet excitare.

103. Priore sensu negant Augustinus, Hugo, Guillelmus, & alij quæ per iocum falsò dicuntur, vnquam putata fuisse mendacia: posteriore mendacium iocosum omnes admittunt. Atque, vt cæteros taceam, Augustinus libro de mendacio ad Consentium, qui, vt præfatur cap. 2. quæstionem de iocis priore modo sumptis enodandam minimè susceperat, posterius hoc mendaciorum genus sine dubitatione condemnat. Cùm enim dixisset: *Nec illa sunt admittenda mendacia, quæ quamuis non obsint alteri, nulli tamen prosunt, & obsunt eis ipsis qui gratis mentiuntur, ipsi enim propriè mendaces dicendi sunt. Interest enim inter mentientem atque mendacem. Nam mentiens est etiam qui mentitur inuitus: mendax verò amat mentiri, atque habitat animo in delectatione mentiendi.* Cùm, inquam, ista dixisset, eodem tenore subtexuit. *Iuxta ponendi sunt, & qui de mendacio volunt placere hominibus, non vt aliení faciant iniuriam, vel inferant contumeliam, iam enim supra hoc genus remouimus, sed vt suaues sint in sermonibus suis. Isti ab illo genere in quo mendaces posuimus, hoc differunt, quòd illos mentiri delectat gaudentes de ipsa fallacia: istis autem placere libet de suauiloquio, qui tamen veris mallent placere: sed quando facilè non inueniunt vera quæ grata sint audientibus, mentiri eligunt potiùs quàm tacere.* & aliquanto pòst, *istis generibus sine vlla dubitatione damnatis, &c.*

Cap. 11. Mendaces qui propriè mentientes.

Cap. 12.

104. Atque vt huiusmodi ioca verè propriéque mendacia censeantur, satis est quòd natura sua tacitam quandam fallendi voluntatem inuoluant, vt proinde vix vlla sit inter Theologos hac parte dissensio. Qui enim fallendi voluntatem ad complendam mendacii naturam requirunt, vt Augustinus, Hugo, Guillelmus, Angelus, & Sanches, tacitam illam & implicitam erroris inducendi voluntatem intelligũt, sine qua mendacium iocosum negant esse verum germanúmque mendacium: qui desiderari negant, expressæ & explicatæ fallendi voluntatis videntur habere rationem. Restat vt videamus vtrũ Ioseph fratri Beniaminũ insimulãs dixerit iocosum mendaciũ.

Concilian. tor Theologi circa iocosum mendaciũ

105. Equidem affirmare non possum Patriarcham ab omni mendacio penitus immunem fuisse. Prudens enim & sciens falsum fratribus suis crimen intendit, non tentando & interrogando, vt superiùs Exploratores dixerat, sed planè asserendo, neque illam Scyphi furto sublati Fabellam idcirco commentus est, vt fratres illius fictionis conscios lepore quodam & commenti festiuitate mulceret, sed vt eos induceret in fraudem, ignarósque sui consilii falsa vel furti à Beniamino re vera commissi, vel calumniæ seriò per Ægyptios intentatæ opinione deluderet. Sed iam ex Augustino monuimus. *Si qua mendacia viris sanctis, vt alia peccata subrepserint, non iis tribuendam iustitiam, sed veniam postulandam.* Restat vt quoniam eum mentitum esse fateor, tu & iniustitiæ, & impietatis, & simulat, superstitionis absoluas.

XXI. *Vtrum Ioseph vel contra iustitiam, vel contra pietatem peccauerit.*

106. PS. Equidem vereor vt quas nebulas imprudens excitaui, facilè discutere non possim. De Rubeno enim non occurrit quid respondeam: qui cùm Iosephum è fratrum manibus eripere, incolumémque patri restituere conatus fuerit, certè non debuit eadem plagii pœna cum fratribus inuolui. PH. Quid? qui effusus fuerat sicut aqua, qui cubile patris adscenderat, eiúsque stratum maculatat, ei non potuit Ioseph aliquam pattati flagitii mulctam irrogare? Ps. Nullus abs te dissentio, hac quidem in parte. Sed velim vti mihi de Beniamin & ipso patre respondeas, ad quos pars doloris, vel maxima redundauit.

107. PH. Quid igitur? qui latronem, sicarium, perduellem, læsæ maiestatis reum, proditorem Reip. morte affecerit, eum putabis iniustè facturum, si quam innocentibus parentibus & consanguineis molestiam exhibebit? PH. Opinor iniustè non faciet. PH. Quid ita? Ps. Quia videlicet κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, & per accidens ex nocentis supplicio dolor ad innocentes redũdat. PH. Quid si videat iudex non dolorem tantùm & molestiam, sed etiam rei familiaris incommoda, imò & certum mortis oppetendæ periculum innocentibus imminere? Ps. Non intelligo quid velis. PH. Si perditus, inquam, ille ac nefarius, vel parentes habeat ætate confectos, vel paruulos liberos, qui eo sublato rem familiarem tueri sibique ipsis prouidere non possint, iniustum putabis iudicem qui iustas ab eo scelerum pœnas exegerit, vnde necesse sit calamitatem ad eius parentes ac liberos peruenire? Ps. Minimè vero. PH. Quid ita? PSEVD. Quia quod præter voluntatem animique inductionem accidit, id iudici non debet imputari. Alioquin summa sceleribus omnibus daretur impunitas, & rerum omnium perturbatio sequeretur, cùm vel sceleratissimi quique, atque omni supplicio dignissimi necessarios habeant innocentes, quorum caussa si iudices à reorum damnatione suam sententiam abstinere deberent, fas ac nefas funditus veteretur. Quod est per accidens, non imputatur.

108. PH. Quid? Iosephi fratres ob admissum plagium non putas omni cruciatu dignissimos? Ps. Dignissimos. PH. Iosephus in Ægypto proregiam authoritatem & iurisdictionem non habuit? Ps. Habuit omninò. PH. Potuit igitur, tamquam iudex, in plagiarios animaduertere? Ps. Negare non possum. PH. Non igitur à iustitia discessit, cùm fratres suos acerbiùs excepit. Ps: Fateor, si fratrum ratio duntaxat habeatur. Sed ex hac fratrum sollicitudine ac metu communis omnium pater, vel acerbissimum hausit animo dolorem. PH. Non dices, opinor, Iosephum huc certò destinatóque spectasse, vt eam patri suo molestiam crearet. Ps. Absit vt id existimem. PH. Per accidens igitur iste patris dolor reorum supplicio connexus est. Ps. Quis enim negat? PH. Atqui neque iustitiæ, neque pietatis ratio præscribit vt rebus cæteroquin licitis & honestis supersedeamus ad vitanda mala, quæ per accidens annexa sunt, dum tamen is modus præscriptióque teneatur, ne in eiusmodi malas, vt ita loquar, bonarum rerum appendiculas nostra feratur intentio.

109. Ps. Esto sanè: nullam Iosephus impietatis culpam è Iacobi luctu suscepetit: idem certè de Beniamino dicere non pores, qui non per fratrum latus sauciatus est, vt vulgo dici solet, sed certo destinatóque ictu percussus, & ita percussus, vt fratrum timor, ac sollicitudo ex huius vnius periculo redundaret. Non enim κατὰ τὸ συμβεβηκὸς, & per accidens calumniis appetitus est Beniamin, sed ex certa calumniandi voluntate. *Scyphum autem*, inquit, *meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris.* Ex te quæro, Philalethes, quo tandem crimine meruerit Beniamin, vt ea molestia, ac vel mortis, vel certè seruitutis impendentis metu plecteretur. PH. Nullo. Ps. Vnde igitur tanto in fratrem odio Iosephus exarsit, vt eum per Gen. 44. a.

calumniam in tantam sollicitudinem mortis aut seruitutis oppetendæ metum, terúmque omnium desperationem adduceret. PHIL. Ex amore videlicet, ac pietate. PS. Quo pacto? PH. Audi Theodoretum quæst. 105. in Genesim. Ad quid fabulam scyphi commentus est Ioseph? *Experiri, inquit, volens animum fratrum, & liquido nosse an Beniamin calumniam passum acriter & ex animo defenderent, ob id in eius saccum scyphum abscondit. At vbi non tantùm patrocinari, sed & pro eo certare illos perspexit, persona imperantis deposita fraternum vultum exhibuit, fratrésque trepidantes & tantumnon terram sibi dehiscere exoptantes ipse bono animo esse iussit*, &c. Quod pluribus exponit Philo lib. de Iosepho, id vt liquidiùs experiretur pecuniam singulorum poni iussit in summitate sacci, vt perspiceret an magis solliciti essent de pecunia apud se reperta, quàm de scypho & periculo Beniamini, & vnumquemque de sua ipsius salute anxium ac suspensum teneret.

110. Quid tamen de pecunia responderint, scriptura non dicit, quia illi suam omnem curam ac sollicitudinem ad depellendum à Beniamino periculum transtulerunt. Atque ita factum, vt non diuturna Beniamini molestia suspiciones atque odia domesticæque dissensiones, quæ ob Iosephi venditionem olim à fratribus designatam timeri poterant, stirpitus è Iacobi familia tollerentur. Quid? quòd vt ait Augustinus, ne cæteros quidem fratres fecit calamitosos, *quando tantæ etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat: & totum hoc quod agebat vt eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur.* quæst. 146. in Genes.

XXII. *Vtrùm Ioseph superstitionis simulatione peccauerit.*

111. PS. Iam, vt ad augurij superstitionísque simulationem aliquando veniamus, narrat S. Ephrem, cùm fratres epulaturi *sederent coram eo iuxta primogenita sua, & minimum iuxta ætatem suam*, diuinationis quoddam genus ab eo fuisse simulatum. Orat. de Iosepho. *Fratres*, inquit, suos sedere iubet singulos nominatim appellans, & per ordinem, sicut fuerant geniti constituens. vtebatur pro quolibet quadam quasi diuinationis forma in scypho quem tenebat. Scyphus autem ille poculum erat argenteum, quod sua tenens ipse manu atque in læuam transferens dexteræ manus suæ digito pulsabat, cumque scyphus pulsaretur magnum edebat sonitum in auribus omnium adstantium in domo: semel itaque pulsans ait: horum omnium primus Ruben est, ipse primus in honore discumbat. Pulsans autem iterum secundi nomen designauit, dicens: Simeon secundus natu est, ipse quoque secundo accumbat loco. Tertiò rursus pulsans ac tinnitum digito exprimēs. Leui, inquit, suo ordine accumbat, & tertio honoretur loco. Sicque omnes accumbere iussit nomine singulos per ordinem, sicut geniti fuerant, vocans. Quamobrem eos in stuporem rapuit, maioríque timore affecit, adeo vt ipsum omnia nosse existimarent dicerentque inter sese: Putásne eum ex scypho cognouisse nos antea sibi esse mentitos, cùm à fera pessima Ioseph diceremus esse occisum. Hæc Ephrem. E quibus sanè difficile est Iosephum simulatæ superstitionis absoluere.

112. PH. Si mater vt à filiolo confessionem veritatis eliciat, dicat se de omnibus quæ ille fecerit, vel à minimo digitorum suorum, vel à felicula, vel à statua fieri certiorem, eam vel mentitam fuisse, vel superstitiosæ diuinationis simulatione dices implicatam. Superstitiosa diuinatio. PS. Equidem nec mentitam putabo, quia quæ sciscitandi caussa dicuntur, potiùs quàm asserendi, iam statuimus non esse mendacia: neque superstitionem simulasse, quia rei gestæ notitia, quam per minimum digitorum, feliculam, aut statuā habere se fingit, potest à superstitiosa diuinatione separari. PH. Non assequor. PS. Quæro quid per superstitiosam diuinationem velis intelligi? PH. Eam videlicet rerum obscurarum notitiam, quæ vel expressum, vel tacitum cum malo genio pactum inuoluit. PS. In huiusmodi porro cognitione vt interueniat pactum implicitum cum dæmone, quid requiris? PH. Vt quæratur absque ope diuina, & per vanam inquisitionē, seu per medium de se ineptum, & de se inutile vt talis cognitio comparetur. Cùm enim medium illud natura sua sit ineptum, neque naturalem habeat cum ipsa re, cuius notitia quæritur, connexionem, non potest homo huiusmodi vanis inquisitionibus abstrusam indagare veritatem animo, & spe cognoscendi rem obscuram, via inuentionis, sed via disciplinæ: magister autem illius disciplinæ, cùm à Deo discessseris, non potest esse nisi dæmon. Ergo conuincitur homo quòd tacitè intendat doceri ab dæmone, & hoc est quod pactum tacitum siue implicitum nominamus. PS. Ecquid non potest Deus aut etiam bonus Angelus per vmbras, statuas, brutas animantes, & cætera eiusmodi hominem ad obscurarum rerum notitiam perducere? PH. Omnino. Suarez to. 1 de Relig. tract. 3. l. 2. c. 9. n. 2. ibid. n. 14.

113. Ps. Si quis per huiusmodi media, quæ cum obiecti veritate naturalem ac necessariam connexionem non habent, ab ipso Deo veritatem exquirat, vt Eliezer Genes. 24 v. 13. & 14. *Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero: inclina hydriam tuam vt bibam, & illa responderit: bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligã quod feceris misericordiam cum Domino meo:* Si quis, inquam, ita veritatem indaget, eum putabis vel tacitum vel expressum cum malo genio pactum iniisse? Ph. Alia potiùs omnia. Ps. Igitur huiusmodi signis & argumentis natura quidem sua seiunctis, sed à superiore intelligentia institutis subodorari & inuestigare veritatem res est natura sua indifferens, neque necessariò superstitionem aut vel tacitam vel expressam cacodæmonis inuocationem inuoluit. Ph. Nullus à te dissentio.

114. Ps. Atqui hoc ipsum est quod volebam, matrem illam non videri superstitionem simulasse, cùm se veritatem à felicula comperisse dixit, quia potest huiusmodi notitia citra superstitionem à bono Genio, vel etiam ab ipso Deo comparari. Cur enim si velit Deus, non possit hominem rebus eiusmodi, quæ cæteroquin inanes & alienæ videri possent, de rebus obscuris facere certiorem, cùm per Asinam locutus fuerit Balaamo, per sortem Achamum Ionathánque detexerit, Saulem ad regnum, Matthiam ad Apostolatum euexerit, per omina & voces quæ videri poterant fortuito prolatæ significarit Rebeccæ matrimonium, & tum Gedeonis, tum Ionathæ victoriam. Quæ si nemo diuinationis superstitiosæ condemnat, caussæ nihil est cur qui per vmbras aut statuas veritatem intelligere se fingit, eum simulatæ superstitionis accusandum putemus.

115. Ph. Gratias tibi maximas agit Iosephus, ô Pseudagora, quòd vel imprudens eius patrocinium susceperis. Ps. Quidum? Ph. Si quæ dixisti vera sunt, vt profectò sunt, quanto magis eum debemus simulatæ superstitionis absoluere, qui iam inde ab initio professus fuerat, se quicquid de rebus obscuris & inuolutis prædiceret, acceptum Deo referre, Genes. 40. 8. *Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. 41. 17. Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* vel vt Lxx. transtulerunt, Α῎νευ γὰρ τοῦ θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον τοῦ φαραώ. *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.* & Symmachus etiam apertiùs apud Hieronymum in quæstionib. Hebraicis: *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni.* aut etiam, vt legitur in Chaldæa Paraphrasi, *Non ex mea sapientia, sed à facie Domini respondebitur, Pax Pharaoni.* Quibus verbis non solùm ostendit sic diuinationem vel potius prophetiam suam à superstitionibus abstinere, sed etiam totum se Deo tribuere, neque quicquam ex ista laude sibi decerpere.

XXIII. *Retunditur Caluini impudentia & malignitas in Iosephum.*

116. AMPHIL. Quid igitur Caluino facias? qui in illa Genesis verba, *Surge & persequere viros, & apprehensis dicito, quare reddidistis malum pro bono? Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet:* & iterum: *an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* genuinus, inquit, sensus ille videtur, *quod scypho ad diuinationes magicas vsus fuerit, quod tamen finxisse dicimus augendæ inuidiæ caussa.* Deinde quærens quomodo sibi permiserit Ioseph tale figmentum, magna verborum atrocitate (tertium è coelo Catonem delapsum diceres) Sanctissimi Patriarchæ mendacium exaggerat: *Præterquam quod*, ait, *auguria profiteri illi nefas fuit, perperam & indignè cælestis gratiæ laudem transfert ad dæmonia. Priùs negabat se idoneum fore somnij interpretem, nisi quatenus veritatem Deus suggereret: nunc totum illud gratiæ Dei elogium obliterat, &, quod deterius est, magnum se iactans pro Dei propheta impie profanat Spiritus Sancti donum. Certe in hac simulatione grauiter eum peccasse negandum non est,* &c. Cap. 44. v. 6.

117. Ph. Bene habet quòd *fragili cupiens illidere dentem. Offendit solido.* Potest quidem ille mentiendo se distumpere, verum in Iosepho crimen inuenire non potest. Neque enim hoc loco verbum augurandi propriè strictéque sumendum est, quasi dicat se vel ex alitis inuolatu, vel ex cantu oscinis, vel è tripudiis solistimis obscurorum notitiam exquirere (neque enim in scypho sic augurari potuisset) sed augurari hoc quidem loco est, siue diuini spiritus afflatu, siue quocunque alio modo res opertas & obscuras inquirere: *Augurari quidem*, inquit Rupertus lib 9. in Genes. c. 10. *gentilium est, & ex lege Dei illicitum est, attamen rem diuinam, id est futurorum intelligentiam, qua gratia ipse præditus, somniorum quoque verus erat interpres, verbo augurandi rectè illum significasse non dubium* Auguria. Augurandi verbum est indifferens.

est. Et Caietanus: *Diuinare*, inquit, *nullum peccatum est, potest enim ex dono Dei, & quandoque beneficio naturæ sanctè fieri, ideo nihil illicitì de se protulit Ioseph.*

118. AMPH. Verùm si placet, textum principem adeamus. Recita Philalethes, verba quæ illis, *Quare reddidistis malum pro bono* proximè subnexa sunt: & ita reddidit Latinus interpres: *Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* PHIL. הלוא זה אשר ישתה אדני בו והוא נחש ינחש בו *halo ze ascher ischthe adoni bo? vehu nachesch ienachesch bo.* Quæ sic ad verbum interpretari possis: *Nunquid hoc quo bibet Dominus meus in eo? & ipse tentando tentabit in eo.* Vel si magis arridet, *obseruando obseruabit*, aut etiam *experiendo experietur*, & *diuinando diuinabit*, eadem vbique sententia; AMPH. Videris, Philalethes & Pseudagora, nullam in textu principe scyphi furto sublati fieri mentionem, sed illam orationem iis verbis esse conceptam, quibus & mendacium vitaret Iosephus, & fratres suos ambiguitate percũctationis eluderet. quid illa quæ proximè sequuntur? Ecquid vel superstitionis simulationem vel mendacium inuoluunt? Ecquid non sunt ista verissima? Ecquid non tentando tentauit, obseruando obseruauit, diuinando diuinauit, experientia expertus est quis esset fratrum suorum animus erga dilectissimum Beniaminum, quod se facturum esse prædixerat? quid eam ad rem diuinationibus magicis opus fuit? quid inuocatione dæmonum? non sufficiebat naturalis prudentia?

119. PS. Quid igitur caussæ fuit cur non solùm pro interrogatione noster interpres affirmatè loqueretur, sed etiam adderet de suo, *scyphus quem furati estis*, atque ita sanctissimo viro mẽdacium affingeret? AMPH. Nimirum perspicuitatem sectatus est interpres, & quoniam in hac oratione, *Nonne hoc (est) in quo bibet (bibit) dominus meus*, pronomen *hoc* זה *zeh* demonstrat & determinat aliquid quod vel sit præsens vel quod audientibus cognitum esse videatur, ac proinde duplicem potest habere sententiam, vel *nonne hoc quod videlicet penes vos habetis*, vel *nónne hoc, quod furto sustulistis?* quorum priorem sensum sanè verissimum intelligebat Ioseph, posteriorem, quamuis falsum à fratribus suis intellectum iri prævidebat, totáque adeo fabella è fratrum errore texenda fuerat: has ob caussas Latinus interpres missis ambagibus semotáque verborum ambiguitate, eum sensum, qui vnus ad caussam pertinebat, quémque fratres huic orationi subesse putauerunt, eleganter expressit, non solum illata furti mentione in quo videri potuit inhæsisse LXX. seniorum vestigiis, ἵνα τί ἐκλέψατέ μου τὸ κόνδυ τὸ ἀργυροῦν; *vt quid furati estis schyphum meum argenteum?* sed etiam interrogatione sublata.

120. Neque verò, quamuis scriptura verbum נחש *nahasch* in malam partem pro superstitiosa diuinatione frequentius vsurpat, desunt exempla quæ significationem mediam atque indifferentem esse demonstrent, vt Gen. 30. 28. נחשתי *nihaschti*, quod elegantissimè Latinus interpres: *experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* vt etiam Thargum נסיתי *nissethi*, *tentaui, expertus sum*: & Rabbi Abraham in commentariis transtulerunt. PS. Atenim Caluinus vix antiquus ac religiosus in paucis hoc in Iosepho concoquere non potest, quòd eum vulgo magus audiret, isque rumor in plebe vagaretur, vanam hanc opinionem ab errore populari fuerit mutuatus, viderique voluerit auguria captare. quid? quòd Ioseph non modò se augurem & ariolum profitetur, sed etiam omnibus auguribus anteponit? *An ignoratis*, inquit, *quod non sit similis mei in augurandi scientia?* AMPH. Vin'-tu vt hoc etiam loco fontes Hebraicos adeamus? PS. Age sanè. PH. Genesis 44. v. 15. *Nónne nouistis*, inquit Ioseph; כי נחש ינחש איש אשר כמני *ki nahesch ienahesch isch ascher kamoni*: *quia augurando augurabitur*, vel *tentando tentabit*, aut etiam *expendendo experietur vir qui sicut ego?* Vel vt LXX. virorum translatio apud Augustinum, Theodoretum, aliósque passim refertur: *Nesciebatis quia augurio auguratur vir qualis ego? Hæc autem dicebat*, inquit Theodoretus, quæst. 104. in Genesim, *non quod vaticinio vel auguriis vteretur, sed sermonem effingens iuxta materiam subiectam. Conuenit autem admirari exquisitam eius loquendi rationem. Neque enim vel simulando augurij peritiam sibi passus est tribui, sed cuipiam alteri cui summa imperij commissa esset, sicut fuerat ipsi commissa. Non enim dixit: auguror, sed augurando auguratur vir qui sicut ego?* Plures proferri poterant auctores huius sententiæ, sed totum hunc locum doctissimus Pererius occupauit, quibus proinde supersedendum puto.

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moneat cornicula risũ
Furtiuis nudata coloribus.--

121. PS. Fateor equidem tum in textu principe tum apud LXX. seniores Patriarchæ caussã esse facilem & explicatam, neq;
Tribus Anticyris caput insanabile:

Defenditur Latina translatio.

Caluini quicquam habere quod in ea merito reprehendat. Sed si communi translatione standum putamus, videtur Ioseph augurandi scientiam sibi præ cæteris arrogate. AMPH. An igitur ignoras verbum *augurari*, quamuis perinde vt נחש *nahasch* in malam partem frequentiùs vsurpetur, vocem esse mediam, & ἀδιάφορον, neque necessariò superstitiosam diuinationem significatione sua inuoluere? Audi Plinium Cornelio Tacito ita scribentem: *Auguror nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras.* Ps. Audio: sed quid deinde? AMPH. Quid deinde? ὦ πόποι Hinc efficitur nullum in his Patriarchæ verbis vel mendacii, vel simulatæ superstitionis extare vestigium. Augur erat Iosephus: augures erant cæteri quibus committi consueuerat Ægyptiorum Respublica. Eorum tamen nemo Patriarchæ similis fuit in augurandi scientia. Illorum diuinatio cum dæmonibus fœderata fuit: huius prophetia ex vno S. Spiritus afflatu pendebat. Illorum diuinatio *plena fuit*, vt loquitur Magnus Augustinus, *pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ seruitutis*: huius prophetia sanæ veræque sapientiæ studium, tranquillitatem animi, libertatem spiritus obtinebat. Illi suam diuinationem falsis deorum numinibus: hic suam prophetiam vni Deo acceptam referebat. Neque verò ad incutiendum fratribus suis terrorem magnopere pertinebat hoc an illo diuinationis genere ad occulti furti notitiam perueniret, vt proinde caussam non habuerit cur magiam superstitionémque simularet.

XXV. *Alia mendacia quasi per saturam è Scriptura colliguntur.*

122. PS. Esto sanè: nihil ex illis Patriarcharum exemplis pro mendacio colligatur. Alia sunt nec pauca diuinis consignata literis quæ mendacium certis locis ac temporibus honestum esse demõstrent. Quid enim? (vt omittam Ægyptias obstetrices, de quibus erit alius dicendi locus)
Iosue c. 2. peccati damnabis Raab illam Iericuntinam quod exploratores à Iosue missos non sine fuco & fallacia, vel potiùs cum insigni mendacio saluos incolumésque dimiserit? Peccati damnabis Michol Saulis filiam quòd Dauidem maritum suum, cùm is ad necem quæreretur per fenestram demissum ab interitu liberarit, positáque in lecto statua, capite pilis caprinis inuoluto maritum ægrotare fingens egregio commento missos à patre satellites eluserit? Quid mulierem de Bahurim, quòd Ionathan & Achimaan, ne à seruis Absalom comprehenderentur, in puteum abscondens, mentita fuerit eos celeriter gustatâ paulolum aquâ transiisse? quid Chusai Arachitem quòd consilium Achitophel eleganti mendacio dissiparit? quid Iuditham, quæ mendacia mendaciis inuoluens non solum decepit ac pellexit, sed etiam interfecit Holophernem, templum ab excidio, omne Iudaicum nomen ab exitio liberauit.

1 Reg. c. 19. v. 11. 13. 14.

2. Reg. c. 17 v. 20. Eod. c. v. 7.

123. PH. Multa velut in saturam congeris, ô Pseudagora, sed audi quid Augustinus de vnius facto respondeat, quod in reliquos etiam quorum eadem caussa est, quadrare nemo dubitabit. *Raab*, inquit, *in Iericho, quia peregrinos homines suscepit, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos occultauit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Ierusalem ciuibus imitanda laudetur. Quòd autem mentita est, etiamsi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur, quamuis Deus illa bona memorabiliter honorauerit, hoc malum clementer ignouerit.* Hæc ille à quibus non abludit Theologiæ disputatricis antistes: *Quidam*, inquit, *commendantur in scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus ex quo mouebantur ad quædam indebita facienda. Et hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita est Holopherni, sed propter affectum quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit.* De qua tamen Amphilogum nostrum alio die commodius audiemus.

Contra Mend. c. 17 sub finem.

2. 2. q 110. art. 3, ad 3.



DE MENDACIO AC VERITATE, LIBER QVARTVS.

I. *PRÆFATIO.*

Liuius lib. 31. ineũte.

1. MPH. Quod nobilis historiæ Romanæ scriptor aiebat, *Velut qui vadis littori proximis inducti mare ingrediũtur, ita quicquid progrederetur in vastiorem se altitudinem ac velut profundum inuehi, & crescere pene opus quod proxima quæque perficiendo minui videbatur*: idem arbitror in suscepta disputatione dicendum. Agimus de mendacio: iam rationes expendimus quibus probari vel negari videbatur illud ad boni viri ac sapientis officium pertinere: vidimus quantum vel Patribus, vel Philosophis tribuendum esset quorum authoritas creditur patrocinari mẽdacio. Diximus plerosque Sanctorum, Patriarchas præsertim, qui solent in exemplum adferri, vel mentitos non esse, vel certè non imitandos. Quo plus laboris exhaustum est, eo plus videtur superesse. Restat enim vt videamus ecquid Deus aliquando siue per seipsum, siue per Angelos ac prophetas mẽtitus fuerit, aut mendacium remunerarit, aut omnino suo suffragio comprobarit. Et nisi me fallit augurium, non paucis exẽplis è diuina scriptura petitis Pseudagoræ nostri exubetabit oratio. PSEVD. Non falleris, Amphiloge. Satis enim hodierno die mihi videor ad dicendum paratus, nisi si, quod vulgo dicitur, timẽdum est, ne inopem me copia reddat. PHIL. Vt video, *Parturient montes, nascetur*. Quid sit illud, non dicam ne mihi Pseudagoras noster succenseat. Ps. Equidem quid parituras sim nescio, sentio tamen me iampridem aliquid magni parturire. PH. Author tibi sum, vt vel Iunonem Lucinam, vel obstetricem accersas. Ps. Rectè admones. Hæ nobis argumentum validissimum subministrant.

II. *De obstetricum mendacio.*

2. OBstetrices Hebræorum iussæ masculos in ipso natiuitatis exortu elidere, mendacio Pharaonis imperium eluserant, sciscitantique cur eos neci non dedissent, responderant. *Non sunt Hebrææ* Exod 1. v. 19.
sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt. Atque hanc fallaciam videmus Dei remunerantis suffragio comprobatam. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus*, &c. *& quia timuerunt obstetrices Deum,* v. 20. 21.
ædificauit eis domos. PH. Imò, Pseudagora, non video quid ex hoc scripturæ testimonio lucis affulgeat. Sunt enim qui illa verba: *ædificauit eis domos*: ad populum Israëliticum referant, quasi Hebræi suis obstetri-

Quis horũ verborũ sensus: *ædificauit eis domos.* cibus domos munitas extruxerint, quibus illæ se contra Pharaonem, cuius mandatum contempserant, tuerentur. Sunt qui ad ipsum Pharaonem, quasi Pharao domos obstetricibus excitarit quibus eas includeret. Sunt qui ad ipsasmet obstetrices, vnde LXX. ἐποίησαν ἑαυταῖς οἰκίας. Fecerunt sibi ipsis domos. Et quãuis hæc ad Deũ referamus, nondum tamen liquet quibus ille domos extruxerit. Cùm enim in textu principe legatur *& fecit* להם *lahem, eis domos,* quod pronomen est generis masculini, quidam sic interpretantur quasi Deus non quidem obstetricibus, sed Israëlitis obstetricum beneficio domos ædificarit, id est sobolem ac familiam propagarit.

3. PSEVD. Exodi 15. v. 20. *Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris. Quibus præcinebat, &c.* Quæro quibus tandem præcinuerit Maria? viris an mulieribus? PH. Mulieribus. Ps. Atqui dicitur in textu primario ותען להם *Vatthaan lahem. & cantauit ipsis,* genere citra controuersiam masculino PH. Fateor Hebræos genera plerumque confundere. Ps. Iis igitur Deus ædificauit domos, & familiam opibus numerosáque sobole fundauit, aut etiam, in Isa. c. 65. vt Hieronymus interpretatur, æternas parauit in cœlo mansiones, quibus benefecit. Quibus autem benefecit? obstetricibus. Cur iis benefecit? Quia mares ab interitu suo mendacio liberarant. *Deus qui iustificat* Rom. 8. 33. obstetrices, remuneratúrque mendacium, *quis est qui condemnet?* Non certè Clemens Alexandrinus, non Chrysostomus, non Cassianus, non innumerabiles alij qui putarunt quibusdam locis ac temporibus honestum esse mendacium.

Contra mend c. 15. med. 4. PHIL. At certè condemnat August. *Quod scriptum est,* inquit, *bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Raab* August. *Iericunthina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est, itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdúmque non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora bona vellet ignoscere: ita mirandum non est quod vno tempore in vna caussa Deus vtrumque conspiciens,* Greg 18. moral. c. 2. *id est factum misericorditer, factúmque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum, malum illud ignouit.*

5. Condemnat Gregorius, quamuis dixerat huiusmodi mendacia facillimè relaxari: *Nam si qualibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hæc facilè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur?* Quamuis, inquam, hæc præfatus fuerat, tamen de obstetricibus nominatim adiecit. *Benignitatis earum merces quæ eis in æterna potuit vita retribui pro admissa culpa mendacij in terrenam est compensationem declinata, vt in vita sua quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona, reciperent, & vlterius quod expectarent mercedis suæ præmium non haberent. Nam si subtiliter attendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe conatæ sunt infantium vitam tegere, mentiendo suam.*

6. Condemnat Doctor Angelicus, eásque docet remuneratas esse, *non pro mendacio, sed pro timore Dei & beneuolentia: ex qua processit mendacium,* & aliquanto pòst vt Gregorium Hieronymo concilierd, mendacium illud dupliciter considerari posse defendit. *Vno modo quantùm ad effectum & beneuolentiam in Iudæos, & quantùm ad reuerentiam diuini timoris, ex quibus commendatur in eis indoles virtutis, & sic debetur eis remuneratio æterna. Vnde Hieronymus exponit quòd Deus ædificauit eis domos spirituales: alio modo potest considerari quantùm ad ipsum exteriorem actum mendacij, quo quidem non potuerunt æternam remunerationem mereri, sed fortè aliquam remunerationem temporalem, cuius merito non repugnabat deformitas illius mendacij, sicut repugnabat merito remunerationis æternæ. Et sic intelligenda sunt verba Gregorij, non quòd per illud mendacium mererentur amittere remunerationem æternam, quam tam ex præcedenti affectu meruerant.* Hæc ille.

2. 2. q. 110. art. 3. ad. 2.

art. 4. ad 4

7. Sed ne quid hodierno die dissimulem, equidem videre non possum quomodo siue mendacii siue cuiuslibet alterius culpæ vel minima labecula nõ repugnet merito mercedis etiam temporalis. Cùm enim meritum ad laudem pertineat, peccatum autem qua peccatum est, sit ab omni laude penitus alienum, fieri non potest, vt quisquam ex actu peccati quicquam non dicam æternum, sed caducum & temporale mereatur.

8. Quare sic existimo. Cùm obstetrices nascentibus Hebræorum masculis pepercerunt, earum beneficium, vel è diuina numerísque omnibus absoluta charitate, vel duntaxat ex humana benignitate manabat, Si ex vera charitate, meruerunt vt iis Deus pararet æternas in cœlo mansiones. Si ex humana naturalique duntaxat benignitate, Merces obstetricibus tributa. meruerunt aliquod præmium quod ad vitam præsentem pertineret. Quo factum est

est vt iis Deus ædificaret domos ac familiam numerosa serie propagaret. Atque vt benignitati, qua pueros Hebræorum ab exitio vindicabant, sua debebatur merces, ita mendacium quo suam ipsarum explicuerunt salutem, impendénsque supplicium à suis depulêre ceruicibus, veniam potiùs & indulgentiam, quàm iustitiæ præmium requirebat.

9. Neque verò Gregorius ait obstetrices ob admissam Venialis mendacii culpam æternæ vitæ præmium cæteroquin humanitati suæ debitum perdidisse, sed tantum significat eis terrenam mercedem esse retributam, è quibus initiis, si linguam abstinuissent à mendacio, ad cœleste præmium proficere potuissent. Verùm quia veniale mendacij peccatum admiserant, gratiam ijs efficacem datam non videri, qua excitante perfectè se diuino cultui manciparent, & ad vitam proueherentur æternam. Quæ cùm nemini debeatur ex merito. (*Si enim* Rom c 11 v. 5. & 6. *gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia*) potuit non modò mentientibus, sed etiam vera loquentibus obstetricibus denegari.

III. *De Salomonis & Iehu mendacio.*

10. PS. Esto sanè: faciamus in hoc obstetricum facto misericordiam à mendacio separari, quòd vt iam è Gregorio vidimus, parcendo vitam infantium texerint, mentiendo suam, atque ita beneficio mercedem, mendacio solam duntaxat veniam tribui potuisse. id certè de Salomone, & Iehu Israëlitarum Rege non dices, quorum egregia facinora diuino comprobata suffragio ita mendacijs implicantur, vt ne cogitatione quidem ab iis diuelli posse videantur. Salomon duabus mulierculis de infante viuo inter se contendentibus, vt in re dubia confessionem veritatis eliceret, infantis de quo suborta fuerat controuersia, diuidendi voluntatem illustri sanè mendacio simulauit. *Diuidite*, inquit, *infantem* 3. Reg. c. 3. v. 25. *viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.* Quibus verbis sine controuersia significauit falsam secandi infantuli voluntatem, ac proinde mentitus est. Tamen paucis interiectis sacer historicus ista subnectit. *Et timuerunt* v. 28. *Regem videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* 4. Reg. c. 10. v 19. Iehu Rex Israel Sacerdotes Baal insigni fallaciâ congregatos v. 30. internecione deleuit. *Achab*, inquit, *coluit Baal parum, ego autem colam eum ampliùs.* Idque mendacium diuino iudicio comprobatum. *Dixit autem Dominus ad Iehu; Quia studiosè egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super Thronum Israël.*

11. PH. Imò, Pseudagora. Nam video remuneratum fuisse Iehu mendacium, sed obedientiam & *zelum pro Domino*, qui capitibus 9. & 10. fusè describitur. Nam ad ipsam fallaciam atque superstitionis simulationem quod attinet, non dubitat magnus Augustinus, mendacium impium & sacrificium sacrilegum nominare: eumque proinde negat imitandum, *nec si de illo, qualis* Contra mend. c. 2 exeunte. *fuisset, scriptura tacuisset. Cùm verò scriptum sit eum rectum cor non habuisse* cum Deo, *quid ei profuit quòd pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem regni temporalis accepit?* adstipulatur Theologiæ Scholasticæ Magister, & Hieronymum qui huius Regis ex- 2 2 q 111. art 1. ad 1. emplo doceri nos ait, *Vtilem esse simulatio-* In c. 2. ad Galat. *nem & in tempore assumendam*, sic interpretatur quasi minùs propriè loquatur, & pro quacumque fictione, etiam illa quæ nullis mendaciis implicatur, simulationis nomen vsurpet, quemadmodum Christus ad cœnam inuitatus sine mendacio, *finxit se longiùs ire.* Lucæ 24. v. 28. AMPH. Nimirum hæc est nobilis illa quæstio magna contentione iampridem inter Augustinum & Hieronymum ventilata, in quam si ingressi fuerimus, vereor vt exitus inueniri non possit. Quare, si placet, ad aliud tempus differatur.

12. PS. His igitur vt supersedeamus, quæro ecquid Philalethes noster velit communi Theologorum opinioni subscribere. PHIL. Cui? PSEVD. Malitiam electionis in intentionem redundare, intentionémque finis, quæ cæteroquin esset honesta, malam fieri, quoties mala est mediorum electio. PH. Non assequor. Ps. Res Intentio cum electione cõparata. exemplo clariùs elucescet. Si res absolutè spectetur, honestum est indigentibus subuenire, omnes tamen Theologi consentiunt fieri posse vt hæc intentio turpis euadat, & prauæ electionis sordibus inquinetur, si quis hac animi inductione sibi furandum putet, vt res furto sublatas egentibus largiatur. PHIL. Ego verò subscribo non inuitus. Ps. Non potest igitur bonitas intentionis cum electionis malitia consistere, ac proinde cùm honesta est finis intentio, necesse est honestam esse electionem medii quod ad obtinendum finem adhibetur? PHIL Quis negat? Ps. Merces omnis

ac præmium ad meritum ita comparatur, vt sine illo ne possit quidem intelligi. PHIL. Etiam. Ps. Honestum est quicquid apud Deum mercedem ac præmium meretur. Nónne? PHIL. Quid ni? Ps. Iehu laudatur ab ipsa scriptura, & præmium obtinet à Deo quòd sacerdotes Baal internecione deleuerit. PH. Imò quòd Achabi familiam extinxerit, tamen vt vis, ita esse faciamus. PSEVD. Eum finem vt obtineret, sacerdotibus Baal fucum fecit, eósque per insignem fallaciam ac mendacium prætextu sacrificii conuocauit. PH. Quid deinde? Ps. Honestum ergo fuit illud mendacium: alioquin praua medii electio in finis intentionem, quam honestam esse concedis, suam malitiam transtulisset.

13. PH. Imò, Pseudagora. Aliud est sacerdotes illos mendacio congregare, eorúmque cædem velle per mendacium obtinere: aliud quocumque modo congregatos occidere. Mercedem consecutus est Iehu, non quòd Sacerdotes Baal per fallaciam congregarit, & ad sacrilegum sacrificium simulatione superstitionis induxerit, non quòd bonum cæteroqui finem voluerit per mendacium obtinere, sed quòd iussus à Deo familiam Achabi delere, dicto se præstiterit audientem, & Sacerdotes Baal quocumque tandem prætextu conuocatos occiderit. Quod vt liquidius euadat, operę pretium est videre quid doctissimus Vasques in primam secundæ Disp. 68. art. 1. num. 4. annotarit.

14. Duo dicit obseruanda. Alterum voluntatem finis absolutè spectati sic ex ipso fine suam obtinere bonitatem vt nullam è medio malitiæ partem accersat, non solùm cùm absolutè nullâque mediorum habita ratione finis appetitur, sed ne tum quidem cùm ad electionem mali medii proceditur. Nam si postea voluntas ad eumdem finem per medium inhonestum certa destinatione collineet, non vult finem voluntate illa priori quæ absolutè finem appetebat, sed actum elicit à priore diuersum.

15. Alterum quod obseruat Vasques, est intentionem finis cum ordine ad media tribus modis accidere posse: primo vt media confusè duntaxat respiciat, neque determinatè ad bonum vel malum medium ordinetur, & talis intentio, si secundum se bona est, cùm ad media confusè tantum & indefinitè referatur, honestatem suam obtinebit, quia cùm huiusmodi intentio de se bona sit, nec ad medium malum determinatè feratur, fieri non potest vt mali medii sordibus obsolescat. Secundo versari potest intentio cum ordine ad medium malum, quamuis voluntas nondum ad electionem processerit, vt si velis per malum etiam medium, si necesse fuerit, aliquid adipisci, & tunc hæc intentio mala est, quia iam ad malum medium aliquo modo comparatur. Tertiò denique cùm reipsa voluntas ad electionem mali medii procedit, & ad finem sibi propositum per huiuscemodi medium certò destinatóque collimat, quo tempore negauerit nemo malitiam ad finem ipsum è medii turpitudine redundare. Etsi enim fateor quasdam esse moralium actuum circumstantias, quæ quòd totam rei substantiam non attingant, totam non vitiant actionem, vt si quis cùm ad Dei gloriam dicere occœperit, in aliqua concionis parte sibi plus æquo placeat, & inani gloria efferatur, finis tamen inhonestus malúmque medium, præsertim quod vnicum adhibetur, vt in totam actionem influunt, ita inficiunt vniuersam, vt si quis vel ad aucupandum inanem gloriolam Euangelium prædicet, vel ad conciliandam Euangelio fidem noua confingat miracula.

Quomodo intentio ex electione vitietur, & contrà.

16. Iam in Salomonis iudicio tria spectanda sunt, vnum quod ius suum vtrique mulieri tribuerit alterum quòd ex affectu, atque (vt loquitur scriptura) viscerum commotione veram infantis viui parentē agnouerit. Tertium denique quòd viuum infantem diuidi bifariàm iusserit, vt ad veræ matris notitiam perueniret. Ais eum mentitum esse quòd falsam secandi pueri significauerit voluntatem. Næ tu valde austerus es, mi homo, si in imperio, eo præsertim quod sciscitandi, & indagandæ veritatis caussâ proferrur, putas inueniri mendacium. Sed tamen, quoniam ita vis, eum mentitum esse disputationis gratiâ faciamus. Hoc ille spectabat, hoc vnum intuebatur, ad hunc finem omnia consilia sua referebat, vt veræ parenti suum restitueret partum. Quamdiu id absolutè nullâque mediorum habita ratione spectauit, sine controuersia tectam habuit voluntatem. Quamdiu media confusè duntaxat, & indefinitè respexit, ne minimam quidem eo respectu contraxit culpæ labeculam. Nullam tamen hactenus sapientiæ, sed iustitiæ laudem inuenio. Veritatis, inquis, subodorandæ caussa mentitus est. Ne hic quidem vllum sapientiæ diuinæ, sed calliditatis humanæ vestigium. Vnde igitur viderunt, *sapientiam Dei esse in eo ad faciendū iudicium*? Non quòd mentitus fuerit (absit vt mendacium diuinæ sapientiæ tribuatur) sed quòd bene vsus fuerit mendacio, vel potiùs effectu mendacii, ac diuersum mulieris vtriusque sermonem, quem simulata

Salomonis iudicium.

diuidendi pueri voluntate fallaciter elicuerat, velut ansam apprehenderit, qua intimos earum sensus teneret, atque ex affectu veram matrem ab ementita dignosceret. Aliud est enim veritatis indagandæ caussa mentiri, aliud ex scientia mendacio parta vlteriorem indagare ac subodorari veritatem: quemadmodum nefarium est corpore quæstum facere, vt pecuniam flagitio partam in bonos vsus impendas, honestum autem pecuniam flagitio partam in bonos vsus impendere.

Iehu simulatum. 17. In Iehu facto tres actus inter se diuersos obseruat Abulensis. Vnum quòd Sacerdotes Baal internecione delere voluerit; alterum quòd eos mendacio congregarit, tertium denique quod ita congregatos reipsa trucidarit. Primum ac tertium, quòd à zelo diuini honoris & charitate manarent, ait dignos fuisse non solùm mercede temporali, sed etiam sempiterna: in secundo illius actu labem aliquam agnoscit officiosi venialisque mendacij. Sed pace tanti viri dixerim, videtur Iehu grauissimi peccati conscientia deuinctus, tum quòd siue ambiguitate sermonis, siue aperto mendacio superstitionem idololatriámque simularit, tum quòd solemnem Baali festiuitatem indixerit, eius cultores vestibus cæteróque instruxerit apparatu, eósque ad impietatem, atque, vt loquitur Augustinus, sacrilegum sacrificium induxerit.

IV. *Exempla eorum qui Magiam, idololatriam, hæresim, animum libidinosum cum laude simularunt.*

18. Ps. Multi tamen, ô Philalethes, non modò superstitionem, magiam, hæresim, libidinem, impuritatémque simularunt, sed etiam alijs huiusmodi scelerum occasionem non dicam sine suo scelere, sed magna cum laude præbuerunt. Ph. Ea si probare potueris, profectò viceris opinionem meam. Ps. Vir opulentus domi suæ grandem pecuniæ vim amiserat. Constabat neminem præter domesticos furari potuisse, sed vt non mediocris erat familiæ, fur haud facilè poterat agnosci. Accessit Agyrtes nescio quis; ac bona domini venia, data fide nulla se superstitione vsurum, totam familiam conuocauit: adducta fronte, contractis superciliis, oculis oberrantibus, & lymphati more aciem cruentam huc illuc versantibus, ore distorto μορμολύκεια quædam ac verborum terriculamenta submurmurans, vel potiùs infrendens circulū diuersásque figuras sanè ridiculas in pauimento virgula descripsit. Expectabant omnes sacro quodam horrore suspensi quid tanto moliretur apparatu, tū ille gallum gallinaceum furuo colore recentique fuligine perductum profert, certis verbis ac ritibus per simulationem inaugurat, deligatum in angulo cubiculi deponit, clausísque diligenter fenestris, ne qua se parte, vel per rimulam lumen infundat, iubet omnes ad vnum accedant, atem tangant, eiúsque dorsum manu permulceant, cantaturum sine dubio gallum subreptámque, furto pecuniam occentu suo proditurum statim, atque fur ei manum admouerit. Quid quæris? vbi singuli accesserunt, & suo quisque ordine gallum à se palpatum manúque demulsum esse respondit, admisso per fenestram lumine singulorum volas diligenter inspexit, eum cuius manus è galli contagione fuliginem nullam contraxerant, furem esse pronuntiauit, eo ductus argumento quòd male sibi conscius vnus omnium palmas abstinuisset, nec alitem ausus fuisset attingere.

Agyrtæ cuiusdam simulatio.

19. Præclarum & illud Democriti apud Iulianum epistola quadam ad Amerium, quod mutatis tantùm personis Demonacti tribuit Lucianus. Democritus Dario propter coniugis mortem immodicè se affligenti se magum esse mentitus est, posse se demortuam coniugem ex inferis excitare, cætera magico sacrificio necessaria sibi iam antè comparata: vnum deesse, quod quoniam ad manum ipse non haberet, ab eo qui rerum omnium potestatem habebat, cuiúsque maximè interetat, sibi cuperet exhiberi. Darius prolixè omnia se præbiturum esse promittit. Hic suggeri sibi postulat trium duntaxat hominum nomina qui omnis luctus, ac domesticæ calamitatis expertes fuissent, quæ mortuæ sepulcro imponat, diisque faciat inuidiam, quòd Dario negarint, quod nonnullis mortalibus indulserint. Atque huic post longam inquisitionem non inuenienti, quem nominaret, illico subiecit. Tamen, ô mortalium insulsissime, effusè lamentaris quasi solus omnium fueris tam acerbo dolore conflictatus, cùm ne vnum quidem omnium, qui sunt aut fuerunt, nominare possis domestici luctus expertem. Hos tu, si quòd pro magis se venditarint, magnum piaculum admisisse putas, es quidem admodum seuerus, negare non possum, sed à communi consuetudine, atque concessis non mediocriter abhorres. Phil. Equidem vt eos propter ignorantiam, inuincibilem fortasse, magni sceleris & piaculi damnare non

Epist. 38. In Demonacte. Democriti & Demonactis simulatio.

ausim, ita nec velim penitus absoluere. Neque verò cùm officiorum momenta expendimus, quid egerit aut non egerit Agyrtes quidam & planus, aut etiam Philosophi gentiles, nobis est magnopere laborandum. Ps. Quid igitur viris sanctissimis faciemus qui vel diis immolandi voluntatem, vel profitendæ hæresis, vel explendæ libidinis aliquando præ se tulerunt? Sexcenta proferri poterant exempla, sed è singulis generibus pauca libabo.

20. Rex Antiochus iam sex fratres Machabæos exquisitis suppliciis extinxerat, si tamen extinguere est efficere lucis ac beatitudinis æternæ candidatos: *Cùm adhuc adolescentior*, videlicet omnium minimus *superesset, vocauit Rex matrem, & suadebat ei vt adolescenti fieret in salutem. cùm autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo.* &c. Qua promissione etsi quod subditur, *crudelem tyrannum* irriserit, & voce patriâ contrarium filio suo suaserit, tamen ei se futuram impietatis ac superstitionis authorem sine controuersia simulauit.

2. Machab. c. 7. v. 26.

Matris Machab.

21. Martiano Præsidi Iulianum fortissimum Christi Martyrem ad idolorum venerationem inuitanti *respondit Beatus Iulianus: Quandoquidem multam nos laudem reportaturos dicis, & gloriam, hortarísque vt omnibus in vnum conuenientibus dijs vestris immolemus, id quidem facere non piget. Nam ideo semper distulimus, vt in hoc templo mirabili magnum sacrificium cunctis cernentibus immolaremus. Tunc enim lætatur qui conuiuium parat, si omnes defuerint inuitati, vt nullum prætereat epulum quod paratur, ne postea sit qui succenseat.* Quid plura? solutus vinculis, magna hominum multitudine prosequente cum sociis ad templum deducitur, procidit in genua, certísque precibus ad Deum conceptis, *cùm dixissent omnes Sancti Amen, omnia sculptilia illa ad nihilum redacta sunt, & templum ita subuersum est, vt quid fuerit penitus non pateret. Multi quoque Sacerdotum circiter mille cum templo subuersi sunt, & alia multa Paganorum turba simul interiit. ignis autem eructat in eodem loco vsque in hodiernum diem.* Hæc acta, quibus videris non solùm simulatam esse superstitiosi sacrificij voluntatem, sed etiam simulationem hanc ipsius Dei suffragio comprobatam.

Iuliani Martyris.

Apud Surium 9. Ianuarij.

22. De simulata profitendæ hæresis voluntate præclarum extat exemplum de quo si placet Ambrosium sermone 69. (qui ab aliis Maximo Taurinensi eiusdem & authoritatis & antiquitatis Patri adscribitur) audiamus. *Cùm*, inquit, *Arianorum detestanda perfidia totam cum vniuerso mundo Italiam perturbasset, atque eiusdem pestilentiæ sacerdotes*, qui Mediolanum conuenerant, *simplicitatem Sancti Dionysii* Mediolanensis Episcopi, *Martyris captiuassent, ita vt subscriptionis eius vinculum retinerent, qua illum è manibus eorum sapientia*, Sanctus Eusebius Vercellensis Episcopus *liberauit? sicut enim ait Sanctus Paulus: factus sum Iudæis tamquam Iudæus, vt omnes lucrifacerem: ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Dixit enim se eorum consentire perfidiæ, hoc sibi placere quod illis, sed quòd sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauiter se moueri: vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei, Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi Filium prætulistis? Qua illi ratione permoti statim Sancti Dionysii Chirographum deleuerunt priorem locum B. Eusebio deferentes. Quos ille increpans & irridens ait: Neque ego me vestris sceleribus polluo, neque Filium meum vobiscum participare permitto. Vnde cùm dicat Euangelium in hac generatione prudentiores Filios tenebrarum quàm lucis, ecce his ipsis tenebris prudentior Filius lucis inuentus est.* Hæc ille, quibus aduertitis non tantùm hæresim Arianámque perfidiam ab Eusebio fuisse simulatam, sed etiam simulationem hanc Sanctissimi Doctoris oratione laudatam, nunc ad assumptam ad tempus amatoris & libidinosi personam veniamus.

Eusebij Vercellensis.

1. Cor. 9.

23. Abramius Syrus Anachoreta vir omnibus religionis, ac pietatis laudibus ornatus fratris filiam habuit nominè Mariam eiusdem sociam instituti. Huic cùm post multos annos in summa vitæ puritate castimoniáque transactos aliquid humanitus contigisset, & vt ex amissa pudicitia facilis est ad desperationem prolapsio, fugam inire, seculum repetere, quæstum corpore facere placuisset, vir sanctissimus post diligentem annorum duorum inuestigationem certior factus quonam illa loco prostaret, in veste militari, capite ne agnosceretur obuoluto, expeditus in equò confestim accessit, blandè compellauit, *ac residentibus illis*, (verba sunt S. Ephræm in vita S. Abramii) *cœpit cum ea loqui vir beatus tamquam amator quispiam inextinguibili amoris igne flagrans, &c. Illo autem cum illa colloquente, ipsa consurgens & complexa collum eius osculis excipiebat.* Expressiùs etiam Metaphrastes apud Surium 16. Martij. *Amatoris*, inquit, *simulat & habitum & mores, &c. & fingit se amare, amore carnali, &c. amatoriis apud eam verbis vtebatur, annuebátque & suauiter arri-*

Abramij Syri.

debat, & alia omnia faciebat, quæ possunt prouocare & ad amorem accendere. His vterque subnectit quemadmodum puella repente quemdam pietatis ardorem è sancti corporis amplexu, & quodam Angelicæ puritatis odore conceperit, redierit in memoriam vitæ pristinæ, planxerit præsentem statum, in lacrymas sanctæ compunctionis diffluxerit, atque vt eam commodiùs & maiore cum fructu paulo pòst inuaderet, resurgentes illos igniculos in præsentia reprimendos, erumpentésque lacrymas ad tempus orationis suauitate detergendas putarit, mulierem ad hilaritatem inuitarit, cum ea fuerit epulatus, post epulas ab ea procaciter prouocatus vt ad cubandum in cubiculum introirent, secutus alacriter fuerit, & in lecto molliter strato sine cunctatione consederit, obstructis deinde foribus puellam ne aufugeret, apprehenderit manu, reiectóque pileo, deposita quam hactenus gesserat, amatoris impuri persona, patruum detexerit, puellam rei nouitate attonitam, præteritorum pudore confusam ac salutari pœnitentia percussam pristinæ restituerit sanctitati, bonúsque pastor perditam ouiculam, diu quæsitam, vix inuentam, suis impositam ceruicibus ad vitæ solitariæ septa, gratulantibus angelis, reportarit. Sed hæc prætermitto: illud præterire non possum quòd S. Ephræm non solùm hanc animi libidinosi simulationem, vel potiùs fabulam è multis simulationibus mendaciisque contextam probat, sed etiã modò Angelis ipsis admirationi fuisse testatur, modò ad singulos propemodum actus exclamat: *ô verè secundum Deum sapientiam! ô verè intellectum spiritualem! ô stupendum miraculum!* modò totius figmenti Poëtam ita compellat: *Quo pacto te appellem, aut quomodo te nominem, ô perfectissime Christi Athleta, equidem ignoro.*

Ephræm. 24. Neque laudasse satis fuit: etiam voluit imitari, si tamen secutus est, & non potiùs præiuit exemplo. Nam & familiares inter se fuisse compertum est, & Abramium Ephræmi fuisse discipulum aliqui tradiderunt. Quicquid sit, cùm à petulanti meretricula pelliceretur ad flagitium, respondisse dicitur his verbis: *Si mecum dormire vis, veni quò dixero tibi, vt ibi simul dormiamus. ad quem meretrix, dic mihi, inquit, locum, & veniam.* Atque illo plateam ciuitatis celeberrimam designante, subiecit: *Et non erubescimus conspectum hominum?* Cui Ephræm, *Si homines, inquit, erubescimus, multo magis Deum erubescere simul, & timere oportebit, qui nouit etiam occulta, &c.*

In eius vita.

Paphnutij. 25. Prætermitto Paphnutium qui amatoris impuri personam assumens ad Thaidem Alexandrinam meretricem accessit, cum ea stipulatus vt ad locum ab omnibus arbitris remotum concederent, cúmque mutatis frequenter latebris se tandem in ganeum obscurissimum immersissent, huc illuc circumspiciens ab ea sciscitatus est ecquid interuenturus esset nemo? Quid dubitas, inquit illa, nemo futurus est arbiter nisi Deus aut diabolus. Excepit vocem Paphnutius, & tanquam ad eam exhorruisset, iterum sciscitatur: credísne Deum? credo, ait illa. Etiámne credis eum vbique præsentem, omnia cernentem? & hoc credo. Credis eum libidinosis & impuris æterna decreuisse supplicia? Etiam, inquit. Hinc accepta prudenter occasione vir sanctissimus eam non solùm in præsens à suscepto flagitio deterruit, sed etiam in futurum ad eminentissimam Christianæ vitæ perfectionem sancto Dei viuentis & videntis timore excitauit.

26. Sed hæc omitto. Neque sanè par est Iudithæ. exempla plura corradere, cùm Iudith non contenta superioribus mendaciis quibus totam orationem suam non dicam adspersérat, sed planè conglutinarat, Eunucho ad Holophernis thalamum inuitanti respondérit: *Quæ ego sum, vt contradicam Domino meo? omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum, faciam. Quicquid autem illi placuerit, hoc mihi optimum omnibus diebus vitæ meæ.* Quibus verbis disertè se Holophernis libidini morigeram esse profitetur.

Iudith 12. v. 14.

27. Quòd si fas est interdum magiam, idololatriam, hæresim, stupri vel inferendi vel patiendi voluntatem simulare, non video quid Iehu ficta sacrificandi voluntate peccarit: cùm præsertim isti non minus eos quibuscum res erat, quàm Iehu sacerdotes Baal, ad peccandum induxerint. Nisi si forte quispiam dubitat aut seruos illos peccasse cum sacro quodam horrore perfusi & expectatione suspensi gallum gallinaceum, quem magicis incantationibus inauguratum putabant, manu palparunt: aut Darium cum magico sacrificio consensit, aut Martianum Præsidem cæterosque gentiles, cum Martyres quos idola veneraturos putabant, magno applausu deduxerunt, aut Episcopos Arianos, cum sibi ipsis gratulati sunt, rati Eusebium paratum esse subscribere: aut denique, vt cæteros omittam, Mariam eum animo libidinoso Abramii collum procaciter appetiuit.

li, Turca, Iudæo, Hæretico de fide publicè interrogatus verbis ambiguis aut eo modo conſtructis vt negatæ à ſe fidei opinionem excitet, reſpondeat, eandem vetantem legem violare videtur.

IV. Quando poſterioris generis ſigna primariò vel naturà, vel communi gentium omnium, aut certè gentis vnius, apud quam agitur ſententia & inſtituto ad religionis profeſsionem & ceremoniam aliquam referuntur, iis non aliter quàm apertis verbis vti oportet.

V. Quando eiuſdem generis ſigna ſecundariò, ſiue ex inſtituto, ſiue caſu tantùm aliquo, ratione conſuetudinis regionis, politici cuiuſdam ordinis fideles ab infidelibus diſtinguunt, iis vti & fidem occulere non nefas, cùm cautiones tres adhibebuntur. 1. vt neceſsitas aliqua poſtulet. 2. abſit omnis, quæ ad fidem redundare queat iniuria. 3. nullum cuiquam ſcandalum detur.

33. Ps. Hui tam multa ex vno. Amph. Quidni ex vno? cùm non potuerim preſſiùs, rotundiùs, elegantiùs meis verbis explicare communem omnium Theologorum ſententiam. Contra quos tamen prudenter excipit Mæratius vt id ſerio fiat.
Tract. de fide, &c. disput. 29. §. 1. n. 2. Nam ſi quis, inquit, ſiue factis externis, ſiue verbis neget veram fidem, aut falſam profiteatur, ſed non ſeriò, vt cum in comœdiis repræſentationis cauſſa vel idolo thus offertur, vel iuramentum per falſos deos concipitur, ſimilibúſque factis aut verbis externis Chriſtianæ fidei negatio, aut falſæ profeſsio fit, infidelitatis peccatum non committitur.

34. An autem is ſeriò fingat, qui hac animi fingit inductione, non vt opprimatur veritas, ſed vt tantiſper obſcuretur, ac paulo pòſt è nubibus clarior erumpat, & quaſi detracto ſimulationis tectorio detegatur, malim equidem audire doctiores, quàm meam ipſius proferre ſententiam. Ph.

Audire, atque togam iubeo componere.--

Neque enim ſuccenſebis, opinor, ſi Auguſtinum quaſi doctiorem produxero. Is cum Ioſephum affinē culpæ fuiſſe negat, quòd cùm ſibi magiam & augurandi ſcientiam
Quæſt. in Geneſ. præ cæteris vendicaret, id *non ſerio, ſed, vt exitus docuit, ioco* faciebat, planè ſignificat eum non ſerio ſed ioco ſimulare, qui ex ipſo rerum euentu deprehenditur aliquid finxiſſe, non vt oppreſſa veritas mendacio ſuccumbat, ſed vt ſe paulo pòſt ex illis fictionum integumentis euoluens iucundiori luce reſplendeat.

35. Quòd ſi mihi quantumuis indoctiori liceat aperire quod ſentio, vnum addam, verecundè tamen, & doctiorum iudicio me ſubmittens: de quo iam inter nos heſterno die conueniebat, cùm de mendacio ac veritate morali quæritur, non tam ſpectandum quid verba proximè ſignificent, quàm ad quid ſignificandum vltimò referantur. Sic in ironia, ſic in antiphraſi, ſi proximam ſignificationem attendas, dici putabis aliquid ſententiæ remotiore quadam intelligētia verbis ſubiectæ contrarium. Aliud eſt fidem abiurare & verbo tenus inficiari te eſſe Chriſtianum, vel vt aliquod emolumentum conſequare, vel vt aliqua te moleſtia ſeu periculo expedias, quod in Petro meritò reprehenditur: aliud idem ſimulare quod nonnulli Martyres magna cum laude fecerunt, vt ſublata paulo pòſt fictione & velut reducto ſipario fidei tuæ confeſſio fiat illuſtrior. Simulat ſancta mater ſibi conſtitutum ac deliberatum filio ſuadere vt ſe ad Regis Antiochi voluntatem effingat: Iulianus velle ſe diis immolare: Euſebius Arianorum impietati ſubſcribere. Si in verborum cortice hæreas, eos à pietate deficere cenſebis: ſi medullam introſpicias, ſpectéſque quorſum iſta ſimulatio referatur, videbis eos religionem magnificentiùs profiteri, quàm ſi nullam adhibuiſſent fictionem & apertè tyrannis ad impura ſacrificia compellentibus reſtitiſſent.

36. Quòd ſi horum verborum: *Benedic Deo & morere. Benedixit Deum & Regem:* Iob. 2. 9. 3 Reg. 21. 10.
proxima ſignificatio redolet pietatem, remota blaſphemiam, Deique contumeliam inuoluit, imò quandoquidem ad blaſphemiam vltimò reuocatur, quanta quanta eſt, Deo contumelioſa cenſetur, non video cur qui voluntatem abiurandæ religionis præ ſe fert vt religionem ſuam paulo pòſt cum maiore Dei gloria, falſorúmque Deorum ignominia, illuſtriùs teſtatam relinquat, ſacrilegio ſe obligaſſe reputetur, cum maximè fictio, quæ Amphilogo noſtro ſecundum ſe videtur indifferens & in boni maliſque confinio poſita, ſit medium & inſtrumentum, fidei profeſsio, finis ad quem tota mentis deſtinatione collineat.

37. Notat loco iam citato Mæratius externæ negationi aut profeſsioni duplicem ineſſe ſpeciē malitiam. vnam mendacij oppoſitam virtuti veracitatis, in eo conſiſtentem quòd qui ſic negat aut profitetur, contra mentem loquitur, quæ malitia venialis tantùm eſt, quia nulla malitia oppoſita veracitati, quatenus præciſè huic opponitur, mortalis eſſe videtur: alteram virtuti fidei oppoſitam, quæ lethalis eſt, & conſiſtit in graui iniuria quam tale mendacium primæ inferr veritati: cui ſæpe adiungitur malitia

tertia opposita cuidam alii virtuti. v.c. religioni, vt cùm timidus Christianus metu mortis & tormentorum, idolo sacrificat, vel thus offert. Hæc eruditus Mæratius.

38. Iam si duplex est speciè malitia, non video cur altera non possit ab altera separari. Esto enim: quamuis vtrumque adhuc in quæstione versatur, malum esse natura sua mendacium ac verborum ambiguitatem ἀδιάφορον, idest, inter bonum & malum positam explicationis causâ faciamus. Si quis cum supremæ Veritatis iniuria iudicem de fide sciscitantem ambiguitate responsionis eludat, non quidem ille se mendacij, sed infidelitatis & illatæ Deo contumeliæ laqueis inuoluet. Non, inquam, se mendacii alligabit: quamuis aliunde non vacabit malitiâ virtuti simplicitatis oppositâ, quia fraudulenter & vafrè, cùm nulla caussa subest, imò cùm aliud exigit diuinæ gloriæ ratio, locutionem ancipitem vsurpat. Si quis verbo tenus fidem abiuret, & se vel idola veneraturum, vel hæresi subscripturum esse mentiatur, vt secutura fidei confessio confestim eodémque pene temporis ac loci vestigio clariùs eluceat, & vt in picturis videmus, id quod erit illuminatum vmbra quadam & recessu magis extare atque eminere videatur, impietatis fortasse culpa vacabit, quia nullam Deo faciet iniuriam; sed mendacio tenebitur obstrictus. Quòd si fidei magnificentiùs deinde profitendæ proposito vel amphilogiam adhibeat quæ nullo pacto in iniuriam Dei redundet, vel eo modo loquatur vt è pronuntiatione, cæterísque loci, temporis, personæ circumstantiis ironia possit intelligi, neque veracitatem, neque simplicitatem, neque fidem, aut religionem, quantumuis sacrificandi, aut hæresis profitendæ voluntatem præse ferat, vllo scelere violabit.

39. AMPH. Vide quantum facinus incœptes. Quantum in te est omnia quæ lib. cōtra mendacium fixa rata posuit Augustinus, oratione conuellis. Hinc Machabæorum matrem, Iulianum Martyrem, Eusebium Vercellensem ab omni scelere alienos fuisse defendis quod eorum simulatio non fuerit diuturna, sed ad tempus assumpta, vt illustrior paulo pòst fieret secutura confessio. At qui non aliud impugnat Augustinus toto libro contra mendacium, sed totus est in iis refellendis qui simulandam tantisper hæresim, atque huiusmodi mendacio Priscillianistas iurato silentio fœderatos inter se, perfidiamque velantes, tamquam serpentes è latibulis extrahendos esse disputabant.

Obiectio.

40. PH. Imò: aliud est fidem verbo tenus negare, vt deinceps sine cunctatione clarior euadat ipsius fidei confessio: aliud fidem negare, vt eiusmodi fallacia latente hæreticos vestigare, atque indagare possimus. Qui fidem abiurat vt illam profiteatur illustriùs neque, primæ veritati facere, videtur iniuriam, adeóque non mentitur; vt potiùs suę confessionis adstruat veritatem. Non enim quod

Responsio.

– *repetens iterúmque, iterúmque monebo*,

Veritas, aut falsitas moralis in eo sensu consistit quem verba proximè significant, sed in eo ad quem significandum vltimò reuocantur; neque mendacium est, quod vel ipse conceptis Verbis testatur Augustinus, *quando ad intelligentiam veritatis signa* quædam *aliud ex alio significantia referuntur*, aut *cùm fingitur aliquid vt ad rem quæ intenditur*, *ficta quidem narratione*, *non mendaci tamen*, *sed veraci significatione venatur*. Qui alterius emolumenti caussa fidem abiurat, cùm fallaciter hæresim, aut idololatriam significauerit, vlteriorem significationem non habet ad quam ipsius intentio dirigatur. Quo fit vt nullus in huiusmodi significatione veritati supersit locus, quia totam vanitas occupauit.

Contra mend. c. 10. medio. c. 13. post med.

41. Adde quòd Sanctorum simulatio nihil in præsens affirmabat, neque sic assumebatur, vtiam de facto vel Deum verum contumeliis proscinderent, vel falsis thus adolerent, aut etiam victimas immolarent, vel aliquid intemperanter agerent, séque reipsa in libidinem effunderent, sed extendebatur in futurum, vt non admitterent scelera, sed duntaxat se admissuros esse promitterent: at affirmationem inter & promissionem hoc interest, quòd, vt S. Thomas aduertit, quamuis vtraque debeat habere veritatem, tamen in affirmatione rei siue præteritæ, siue præsentis obligatio cadit non in rem ipsam, cuius veritas ab affirmante minimè dependet, sed in ipsum affirmationis actum, vt scilicet affirmet id quod iam verum est, aut fuit; at in promissione, cuius obiectum est res futura, cadit obligatio super rem ipsam quam nos facturos esse promittimus. Quo fit vt affirmationem rei præsentis, aut præteritæ longè magis ab omni simulatione quàm futuræ promissionem abstinere debeamus, & eo magis quod affirmatio versatur circa rem præteritam, aut etiam præsentem, ac proinde iam suis conditionibus absolutam: promissio verò semper hanc tacitam conditionem inuoluit, si res licita sit & honesta, vt enim non licet in præsenti rem habere cum aliena, hac apposita conditione, si tua sit,

Simulatio de præsenti, & de futuro quî differant.

sit, quia præsens transit à statu, quem conditionatum appellant, ad absolutum: potes tamen in futurum ei condicere, & polliceri te cũ ea rem habiturũ, si tua fuerit, quia fieri potest in futurum, vt quæ tua non est, tibi postmodum legitimo matrimonio copuletur: ita quamuis in præsenti ne simulatè quidem liceat, aut idolis immolare aut hæresim ac blasphemiam profiteri: non tamen hinc efficitur nihil vnquam caussæ subesse cur liceat ad breue tempus hæresis, aut idololatriæ professionem, aut etiam sacrificium polliceri, aliqua conditione vel expressa, vel etiam intellecta.

42. Quapropter cum huiusmodi pollicitationibus non semper perimatur veritas moralis, aut Christianæ fidei professio, sed tantisper maioris emolumenti caussa conniueat, æquitas ipsa postulat, vt cùm hæc à viris sanctis gesta vel potiùs promissa referuntur, ea tum impietate vacare dicamus, tum etiam mendacio. Sed hæc, vt præfatus sum, timidè ac verecundè dico, paratus omnia mea non Ecclesiæ solùm, quod necesse est, sed etiam doctorum virorum censuræ submittere. De Iehu nihil est quòd solliciti simus, cùm is impius fuerit sceleratus, & quamuis in eo saltem à grauissimo scandali scelere excusari non possit, quòd Sacerdotibus Baal ostensioni fuit, eósque ad sacrilegum sacrificium simulatione sua pellexit, potuerit nihilo seciùs propter alia præclarè gesta laudari, terrenámque mercedem adipisci. Restat vt de scandalo siue præbita peccandi occasione pauca dicamus.

VII. *An supradicti ratione scandali peccarint.*

43. AMPH. Scandalum porro quid intelligis? PH. Illud Theologi non incommoda circumscriptione definiunt, vt sit scandalum *dictum vel factum minùs rectũ præbens occasionem ruinæ.* AMPH. Quid per dictum vel factum minùs rectum intelligis? PH. Id quod vel reipsa malum est, atque è præscripto rectæ rationis exorbitat, vel in speciem malum apparet. AMPH. Ruinam opinor, ac prolapsionem animæ dicere voluisti. PH. Nihil aliud volebam, Amphiloge. AMPH. Cùm tribus modis hæc animæ prolapsio præbenti occasionem possit esse voluntaria, quo pacto voluntaria esse debet, vt specialis ac propria scandali malitia contrahatur? PH. Ænigmata loqueris. AMPH. Hoc volebam. Tribus modis intelligi potest prolapsionis occasio voluntariè præberi. Primò si quid hac intentione certóque consilio facias, vt qui viderit, alliciatur ad peccatum ac spiritaliter moriatur. Deinde si quempiam ad peccandum directè compellas, non tamen hac animi inductione, vt ille peccet, sed vt tu ex illius peccato commodum aliquod, aut delectationem consequare. Denique offendiculum dici potest indirectè voluntarium. Si quamuis neque proximi lapsum directè appetas, nec eum emolumenti tui caussâ velis ad peccandum inducere, prudens tamen & sciens facias aliquid eo præsente, quod vel natura sua malum sit, vel adumbratam mali speciem habeat, vnde is ad peccandum exciteretur. Quærebam igitur an his omnibus modis, an vno duntaxat scandali specialis labes humanis actionibus allinatur. PH. Hac in re video Theologos in diuersas opiniones esse distractos. Sed horum præcipuæ sunt factiones duæ. Nam alij non pauci, quos laudat & sequitur Soares, disputant omnibus illis modis speciale scandali peccatum contingere. Alij quibus adstipulatur Vasques, nec inferiores authoritate, nec numero pauciores primo duntaxat modo, cùm videlicet spiritalis aliorum lapsus directè certáque animi destinatione spectatur, veram ac propriam scandali turpitudinem contineri putant.

2.2.q.43. art. 1.

Scandalum.

Scandalum speciale.

Tract. de charit. disp. 9. § 2.

1. 2. Disp. 101. c. 4.

44. AMPHIL. Faciliorem quidem difficultatis expediendæ viam Vasquesii sententia nobis aperiret; constat enim sanctorum simulationem non eo susceptam animo vt præsentes in ruinam & peccatum impellerent. Quia tamen non placet à dubijs & controuersis ad solutionem procedere, eius opinione non abutar; esto, tribus illis modis propria germanáque scandali malitia contrahatur. Iam illud quæro, Philalethes, si quem videas ita libidinibus inflammatum, vt quocumque modo velit explere cupiditatem suam, putaturúsne sis ei te offendiculum præbuisse, si author fueris vt potiùs in ancilla peccet suáque flagitia domesticis parietibus includat, quàm matronarum pudicitiam expugnet? PH. Ego verò non putabo. AMPH. Si quis ita sit animo comparatus vt inimicum interficere decreuerit, nec aliter eius iracundiam mitigare possis, ecquid religioni duces ei suadere vt vel fuste dolatum vel abscissis auribus deformem abire patiatur? PH. Planè non ducam. AMPH. Si quis abdomini suo atque ebrietati vacare statuerit, nec aliter possit ab eo consilio deduci, huic tu prolapsionis occasionem, aut etiam caussam dedisse credes, si persuaseris vt priuatim potiùs cum amicis & familia, plusculum quàm directa ratio patitur, se inuitet, genióque & lautitijs

An liceat minus malum suadere ad vitandum maius.

indulgeat, quàm in lustris ac popinis cum helluonibus discinctísque nepotibus vinum plenis faucibus ingurgitet? PHIL. Ne tum quidem me scandalo & offensioni fuisse credam.

45. AMPH. Quid ita? PH. Quia videlicet iuxta veram Philosophiam minus malum quandam boni videtur habere rationem, ac proinde suadere cuipiam vt è duobus malis minus eligat, non est mali authorem ei fieri, sed à grauiori flagitio abducere. Atque vt aliquid exempli caussa proferamus, cùm adulterium iniustitiam habeat libidine implicatam, qui vtrique mederi non potest, si adulterium cæteroquin admissuro suadet vt potiùs in meretricios amores suam cupiditatem effundat, non ei subiicit faces ad libidinem, sed è duabus malitiæ rationibus alteram, videlicet intemperantiam, tolerat atque dissimulat; alteram, nimirum iniustitiam, dissuadet, vt medici, cùm ægrotum duobus morbis afflictari viderint, si vtrique medicinam adhibere non possunt, ei prius medentur, è quo maius certiúsque periculum impendet, quamuis interdum fieri possit vt vel ex ipsis remediis, quæ periculosiori morbo applicantur, aliqua fiat ad leuiorem accessio. Quod tamen haud ipsi medico, cuius præter intentionem id euenit, sed prauæ dispositioni decumbentis adscribitur.

46. AMPH. Quid si labores omnium rerum penuria, malis fame interire, quàm ab vsurario, quem peccaturum esse præuideas, fœneratitiam pecuniam accipere? PH. Equidem adeo superstitiosus non sum, vt religioni ducam. AMPH. Atqui neutiquam ille peccasset, nisi tu pecuniam ab eo sub fœnore petiisses. PH. Fateor, sed cum ille sine peccato imò magna cum humanitatis laude mihi subuenire potuerit, si peccat, sibi ipsi peccat, non mihi qui vtor iure meo, & nummos vsibus meis necessarios vndevnde corradens vsuram his annexam adeo non appeto, vt mihi vel maximè doleat hanc apud me pecuniam fœnore occupari.

47. AMPH. Hæreticum si suas hæreses cum animi peruicacia defensurum ac proinde grauiter peccaturum esse præuideas, audebis ad publicam concertationem eo consilio prouocare, vt vel detegatur hæreticus & è suis latebris extrahatur, vel conuictus minus apud rudem plebeculam authoritatis habeat, vel ij resipiscant quos fucata doctrinæ specie, & inani volubilitate verborum in fraudem induxerat? PH. Id equidem facere non verebor. Neque enim hunc ad peccatum & ruinam impello, sed cum propria malitia per impietatis abrupta præcipitem in eam præcipitij partem inflecto, ex qua multarum animarum salutem ac Dei gloriam video redundare, occasionémque duntaxat ei subministro pariendi cum vtilitate multorum quod ad eorum perniciem scelerate conceperat.

48. Neque verò Helias prophetis Baalim scandalum posuisse, aut eos ad idololatriam impulisse credendus est, cùm iis in monte Carmeli congregatis ita populum affatus est. *Ego remansi propheta Domini solus, Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta. Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant. Inuocate nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudiet per ignem, ipse sit Deus.* Non, inquam, putandus est iis prolapsionis occasionem præbuisse, sed quoniam videbat eos in superstitiosum Baalis cultum sua sponte prolapsos, atque ita comparatos animo numquam vt vellent à superstitione desistere, multísque futuri essent exitio, quos ad eandem impietatem exemplo suo pertrahebant, è duobus malis minus elegit, eósque maluit semel & extremùm magno diuinæ gloriæ compendio diis suis immolare; quàm cum eiusdem dispendio eandem impietatem quamdiu vixissent, identidem vsurpare, & tum ad populum vniuersum, tum etiam ad posteros propagare. Neque verò in ipsam superstitiosi sacrificii substantiam influebat, sed tantum in locum, tempus, cæteráque facti circumstantias, quæ in Dei gloriam, idolorum contumeliam, animarum salutem latissimè redundarunt.

Lib. 3. Reg. cap. 18.

Helias an scandalum posuerit Prophetis Baal.

49. AMPH. Bene habet, Philalethes, caussam habemus eorum, quorum exempla producta sunt, facilè & explicatã. Quis enim prohibet eodem modo Iehu Regem Israelitarum, Machabæorum matrem, Iulianum Martyrem, Eusebium Vercellensem, cæteros omnes absoluere? Non enim eos, quibuscum res ipsis erat, in præceps agebant, sed cùm viderent improbitate sua tuere præcipites ac per scelerum abrupta deuolui, cùm latentes sustinere non possent, eam in partem dirigebant, vbi vel seipsos allidèrent minùs, vel pauciores eadem ruina secum inuoluerent. Neque positiuè, vt loquuntur, in ipsam scelerum substantiam influebant, sed duntaxat in circumstantias, quas maiori Dei gloriæ fuisse nemo non videt.

50. Et sanè cum Theologorum nonnulli vel ipsam peccati permissionem prædestinationis effectum esse sentiant, & om-

nes è duobus necessariis quod minus malum est boni rationem habere fateantur, meliúsque sit citra controuersiam semel duntaxat & solo voluntatis affectu peccare, quàm totam vitam, quàm longa fuerit, in lustris ac flagitiis exigere, potuit Abramius potuit Ephrem, potuit quilibet alius, quamuis mulierculam semel animo duntaxat & cogitatione peccaturam esse præuideret, ad tempus amatoris personam induere, non animo libidinoso, sed vt miseras illas popularium libidinum victimas ad morum honestatem pudicitiámque reuocaret.

51. Ps. Esto sanè: non peccarint illi, quia non appetebant peccatum ipsum sed volebant duntaxat ex aliorum peccato, quod è sua simulatione secuturum esse præuiderant, eorum ipsorum, qui peccaturi erant, melioris frugis & æternæ salutis occasionem accersere: sed quid Iudithæ faciemus, quæ Assyriorum peccatum non modò permisit verùm etiam expetiuit, atque vt habetur in textu Græco, cap. 10 v. 5. ἐκαλλωπίσατο σφόδρα εἰς ἀπάτησιν ὀφθαλμῶν ἀνδρῶν ὅσοι ἂν ἴδωσιν αὐτήν. *ornata est in deceptionem oculorum virorum quicunque vidissent eam.* Amph. Dictiunculam εἰς non semper affectum aut caussam, sed etiam plerumque nudum effectum significare facilè probari posset, si probatione res indigeret. Ornauit se Iudith in deceptionem oculorum, quam non appetebat illa quidem, sed præuidebat, & occasionem subtrahere nolebat. Ps. Imò expetebat. quam illa voluntatem cap. 9. v. 13. conceptis verbis exprompsit: *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ*, vel vt legunt Græci, ἐκ ἀπάτης μου, *meæ fallaciæ.*

Iudith excusatur a scandalo.

52. Phil. Quid si, vt fatetur Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3. eam suscepisse culpam leuiorem vtilis officiosique mendacij, laudari nihilo seciùs, *non quia mentita est Holopherni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro quo periculis se exposuit*, ita nos aliquam ob appositum Holopherni scandalum fraudem ab ea susceptam esse fateamur? Amph. Hæc Soari meritò displicent tract. de Charitate, disp. 10. §. 3. n. 6. *Quoniam*, vt legitur Iudith 10. v. 4. *omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Quòd si omnis è virtute, profectò nihil superfuit, quod sibi vel scandalum vel alius animi morbus ex illa compositione decerperet.

53. Phil. Quid igitur appetebat Iudith? Amph. Quid enim aliud quàm patriam à vastitate, ciues ab internecione, templum ab excidio, paternam religionem à contumelia vindicare? Honestissimum hunc finem qui citra controuersiam secundum se spectatus è virtute pendebat, vt obtineret, proximum medium elegit cædem Holophernis, iustè potuit hostis interfici. Ad eam cædem peruenire non potuit, nisi in eius cubiculum admitteretur, & vino somnóque demersum per insidias inuaderet. Hoc etiam sine peccato potuit eligere. Non potuit admitti, nisi prius Holophernis oculis elegantia formæ placuisset. Virorum oculis placere res est natura suâ indifferens & bona vel mala, prout ad bonum malúmve finem refertur. Placere porro non potuit, nisi se comptiùs ornasset, & naturæ pulchritudini fucum ac mundum muliebrem addidisset. Hæc iterum in virtutis ac vitij confinio posita sunt, & perinde se habent, vt eius animus, qui elegit quæ proinde ab heroina nostra non solum sine suo vel alieno flagitio, sed etiam maxima cum laude vsurpari potuerunt, quamuis aliunde futurum præuideret vt Holophernes his pro sua intemperantia, non ad honestum amorem & virtutem, sed ad flagitium & nequitias vteretur, tanquam admissarius ad suas cupiditates adhinniret, & haustam oculis libidinem omnibus modis & corporis & animi deuoraret.

54 Paucis vt absoluam, cùm finis honestissimus fuerit, media secundum se spectata nihil turpitudinis habuerint, honestè potuerunt ad persecutionem finis adhiberi, neque propter alienum peccatum, quod preter intentionem suam secuturum præuidebat, tenebatur Iudith à cœpto tam preclaro desistere, potiúsque permittere vt sui ciues partim gladio interirent, partim in seruitutem raperentur acerbissimam, templum deflagraret, extingueretur auita religio, quàm vt citra effectum solo nefariæ cupiditatis affectu semel & postremum peccaret Holophernes, quem ita sciebat animo comparatum, vt nisi elegantia formæ, & orationis venustate deceptus ac mollitus fuisset, reipsa libidinem, iniustitiam, crudelitatem omni dignitate atque immanitate teterrimam, superbia, impietate, sacrilegiis implicatam in homines, in templum, in castus ceremoniásque paternas, in Deum ipsum paratus esset exprómere.

55. *Absit igitur* (inquit Magnus Augustinus) *vt ea quæ propter bonum ac licitum finem facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda, ne quis eis se vel alterum interimat, nec arbor ac restis, ne quis se inde suspendat, nec fenestra* Epist. 154.

facienda est, ne per hanc se quisquam præcipitet. Quid plura commemorem, cùm ea commemorando finire non possim? Quid enim est in vsu hominum bono ac licito, vnde non possit etiam pernicies irrogari? Videte fultis Soarium loco proximè laudato, Lyranum, Abulensem, Serarium, Celadam, Tirinum, & alios qui in hanc historiam commentarios ediderunt. Sed longius prouecti sumus, quàm initio rebamur, quare vt à diuerticulo nostra disputatio repetatur, videndum est ecquid Pseudagoras noster alia proferre possit exemplo mendacij diuino iudicio comprobati.

VIII. *De præcepto quo Deus Isaac in holocaustum iussit offerri.*

56. PSEVD. Equidem etsi censeo quibusdam temporibus mendacium ad officium boni viri pertinere, dicere tamen non ausim Deum per se aliquando esse mentitum. Cùm tamen, vt Theologi defendunt, imperium nihil sit aliud quàm actus rationis ordinantis cum quadam motione ad aliquid agendum: & hoc ipsum quod ratio mouet imperando, ei fiat ex virtute voluntatis, non video qui fieri possit, vt qui quod fieri non vult imperat, nõ mentiatur. Atqui Deus, quod certè minimè fieri volebat, Abrahamo præcepit vt filium suum immolaret: *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Quibus verbis quod nouit futurum non esse, nihilo tamen seciùs futurum esse denuntiat. 1.2 qu. 7. art. 1 & 5. in corp.

57. PHIL. Imò verò, Pseudagora, non iussit Deus vt Abraham reipsa filium suum ferro iugulatum flammis absumeret, sed vt eum offerret in holocaustum, quod, vt iussit, ita planè fieri voluit, & Abrahamus citra cõtrouersiam exhausit. Reuerà enim, vt legitur ad Hebr cap. 11. v. 17. *Fide obtulit Abraham, Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones.* Neque verò qui sibi sacrificium offerri voluit, sibi ipsi necessariò præscripsit vt oblatum sacrificium admitteret: neque dictiuncula ל *εἰς, in*, semper ipsius rei designat euentum, sed plerumque solius voluntatis significationem inuoluit: vt illud *offeres eum in holocaustum*, aliud sit nihil, quàm admouebis filium tuum altari hac animi inductione vt is in holocaustum offeratur. Quid quòd si primam notationem vimque significandi spectemus, præceptum illud verbis Hebraicis ita conceptum est vt commodissimè sensum leniorem admittat, והעלהו שם לעלה *vehaalehu scham leolah. Et adscendere fac eum in adscensionem* עלה *ola* vocabant holocaustum, quasi adscensionẽ quòd id sacrificij genus quantum quantum erat, igne absumptum sursum adscenderet. Quis autem prohibuit Deum primario illo sensu, qui fons est & radix alterius, hanc vocem vsurpare, quamuis aliter intelligendam præuideret, ac præuisum errorem ad maiorem Patriarchæ probationem permitteret.

58 Quid? quòd Deus plerumque dispensatione quadam, & vt Græci loquuntur, ἀνθρωποπαθῶς ad hominum captum se demittit, vt cùm *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creaui; pœnitet enim me fecisse eos*: vt cùm ait Samueli: *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem*: vt cùm frequenter apud Ieremiam: *Misi*, inquit, *ad vos omnes seruos meos prophetas per diem consurgens diluculo*: item, vt *audiatis vocem seruorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens.* Et alia sexcenta, quæ si prout sonant, capiantur, non modò mẽdacium, sed etiam hæresim insulsissimam redolebunt, commodo tamen sensu seruata veri maiestate, ab hominibus ad Deum transferuntur. Atque ita Deus hoc etiam loco ἀνθρωποπαθῶς hominis imperantis personam adumbrare voluit, qui cùm aliquid præcipit, non eripit sibi voluntatem mutandæ voluntatis, mandatique reuocandi, si quid deinde melius atque vtilius occurrerit. Gen. 6. v. 7. 1. Regum c. 15. v. 11. Ierem. c. 7. v. 25. Cap. 25. v. 4. C. 26. v. 5. C. 35. v. 14. & 15.

59. Quod si, vt iam semel atque iterum concessimus, quæ sciscitando proferuntur, quamuis affirmationis speciem præ se ferant, non solent deputari mendacia, multo minùs is mentiri credendus est, qui vel indagandæ veritatis, vel exercendæ periclitandæque virtutis caussa, quidpiam quòd fieri posse non putat, suis discipulis imperarit. vt ille Senior Ioannis Abbatis in cœlesti disciplina magister: *Curre*, inquit, *Ioannes, saxum illud huc aduolue quantocius. Qui confestim saxum immane, quod turba multa hominum vel mouere non possent, applicita nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto nisu atque conatu prouoluere contendebat, vt sudore omnium membrorum suorum non solùm totum infunderet vestimentum, sed etiam saxum ipsum suis ceruicibus humectaret.* aut ille qui ad probandam penitus Abbatis Murij constantiam, *cùm quadam die vidisset infantem*, Mutij filium, quem ille in Monasterium secum adduxerat, *simulans se aduersus eum commotum, præcepit patri vt tollens eum iactaret in flumen.* Quod profectò fieri nolebat, vt vel ex eo liquet, quod certos appo- An in præceptis mẽdacium? Cassianus lib 4. de institut Renunt. c. 26. Cap. 27.

fuerat fratres *qui sollicitè ripam fluminis obsiderent*, & paruulum priusquam in alueum iaceretur, è patris manibus eriperent. Multo, inquam, minùs isti mentiebantur quod fieri nolebant imperantes, quàm qui veritatis expiscandæ caussa rem cæteroqui falsam enuntiant, quamuis alter, quod fieri naturæ viribus non poterat, alter quod nolebat, animi commotione simulata præceperit, & executioni mandari vetuerit.

60. Prudentiùs, opinor, quàm ille, qui (vt narrat Seuerus Sulpitius, Dialogo primo de virtutibus Monachorum Orientis, cap.13.) quemdam monasticæ vitæ candidatum seriò iussit in flammas insilire. *Casu*, inquit, *clibanus propter ardebat, qui multo igne succensus coquendis panibus parabatur. exundabat abruptis flamma fornacibus, & intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium. Huc igitur aduenam illum iubet magister intrare: nec distulit parere præcepto: medias flammas nihil cunctatus ingreditur. Quæ mox tam audaci fide victa velut illis quondam Hebræis pueris cessere venienti: superata natura est: fugit incendium, & qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusus se ipse miratus est.*

61. Sed hanc præcipientis imprudentiam nisi fortè diuino concitatus erat instinctu, quamuis obedientis obsequium miraculo Deus approbarit, meritò damnamus, cùm superiores illos, qui præceptum fingebant, nemo vel mẽdacij, vel imprudentiæ reprehendat, ad quod etiam citra mendacium potuit se Deus ad mentis humanæ captum vitæ communis imitatione demittere.

62. Quæ si vera sunt, non modò præceptum illud diuinum mendacio vacat, sed etiam caussa Salomonis est expedita: cùm enim ad inuestigandam veritatem aliquid interdum fingere, ac citra mendacij notam enuntiare possimus, is autem veræ parentis agnoscendæ caussâ non enuntiatione sed imperio fictam illam diuidendi pueri voluntatem expresserit, tanto longius abfuit à mendacio, quanto magis enuntiatio propria sedes est veritatis ac mendacij. Adde quòd non ad ipsas mulierculas, quæ seriò loqui putabant, & in errorem inducebantur, sed ad suos apparitores, sermonem dirigebat, qui fictionem atque ironiam intelligere nullo negotio potuerunt.

IX. *Vtrum Deus Iosue Hebræorum Duci mendacium præceperit.*

63. PSEVD. Hesterno die conueniebat inter nos mendacium non verbis modò, sed etiam factis aliquid contra proferentis mentem significantibus contineri, quod vt fateamur Angelici Doctoris authoritas extorquet. Atqui Iosue cùm vrbem Haïum obsideret, metum ac fugam simulauit: *Pone*, inquit, *insidias vrbi post eam*. Quibus positis, *Iosue & omnis Israel* *cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam*. E quibus effici videtur Israëlitas ab ipso Deo ad simulationem ac mendacium esse compulsos. at peccati Deus auctor esse non potest: nulla igitur peccati labes ex illo mendacio contracta est; ac proinde quibusdam locis ac temporibus honestum poterit esse mendacium. Iosue 8 v.2. v.15.

64. PH. Dicere poteramus nullam in Hebræo simulationis ac metus fieri mentionem: וינגפו *vaijnnagebu, & percussi sunt Iosue & omnis Israel ad facies eorum, & fugerunt per viam deserti*. & sic interpretari, quasi cum primùm vnus Hebræorum sagitta percussus est, omnes terga verterint, séque protinus in fugam coniecerint. Dicere poteramus iussisse Deum vt ad vrbem Haï ponerentur insidiæ, vt autem simularetur metus non iussisse. Quare, etiamsi daremus hanc fugæ pauorísque simulationem aliqua mendacii labecula fuisse respersam, eam tamen in Deum refundi non oportere. Cum enim tota mendacij ratio in voluntaria falsi significatione consistat, neque insidiator quicquam omnino significet, sed tantùm in latebras abstrusus suam celet præsentiam, vt cùm se dederit occasio, inde faciat impressionem, hostémque nec opinantem ex insidiis inuadat, si qua simulatio secuta est, si qua fraus & mendacium, id humanæ fallaciæ, non authoritati diuinæ videatur esse tribuendum.

65. Quia tamen non placet à vulgata translatione discedere, neque Deus inutiles poni voluit insidias, quæ nihil ad victoriam profuissent, nisi Haïenses longius ab vrbe fugæ simulatione protracti reliquissent vrbem propugnatoribus destitutam, sic agendum videtur quasi Deus reuerà metum simulari præceperit, ac proinde quærendum vtrùm omnis simulatio ex intrinsecis naturæ suæ principiis ita mendacio sit implicata, vt ab eo separari nõ possit.

66 Inter rerum simulationem ac verborum fictionem hoc interest, quòd verba primò & per se sunt ad significandum instituta, nullúmque penitùs vsum habeat cum ab eorum significatione discesseris, adeóque siue verberato aëre statim transeant, siue consignentur literis, siue notis & hieroglyphicis alligentur, seipsis ad significandum ordinata sunt, & hoc ipso quòd liberè proferuntur, quamuis expressam atque eli- Quid interest inter rerum simulationem & verborũ fictionem.

citam fallendi voluntatem non habeas? mendacia sunt, quoties à tua cogitatione dissentiunt.

67. Res autem externæ, quibus frequenter internas animi cogitationes in aliorum notitiam transfundimus, in quibus principatum tenent nutus, incessus, cæterique corporis gestus & si qua sunt eiusmodi, aliū vsum habent, nec è naturæ suæ principiis ad internorum animi sensuum significationem ordinantur. Quare vt aliquid significent, debent expresso voluntatis actu, certáque mentis destinatione, rebus ipsis, quas significare volumus, necessariò comparari. Quæ si vt par est applicentur, ac suis consentiant obiectis, ad veracitatem moralem: sin minus ad veram germanámque simulationem ac mendacium pertinebunt. Est enim duplex simulationis acceptio: altera laxior minúsque propria, quæ rem non tam significatione, quàm imitatione & quadam similitudine repræsentat, & absolutè profertur nulla fallendi voluntate, quæ proinde commodius similatio vel imitatio diceretur: quodam tamen vocis abusu simulationem vocamus non ex agentis intentione, sed ex secutæ deceptionis euentu: quem aliorum errorem qui præuident, & ex iusta caussa non impediunt, sed verum animi sui sensum occultant, non ideo mentiuntur. Nam, vt pulchrè docet Augustinus, *Non hoc est* occultare veritatem, *quod est proferre mendacium. Quamuis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult, quod verum est, celare, mentitur. Plerúmque enim vera non mentiendo occultamus sed tacendo.* vt si quis domi remansurus penulam induat, gladium è collo suspendat, equum iubeat adornari, calcaria proferri, ocreas expediri, omnes denique abiturientis gestus imitetur, ita tamen vt eorum nihil voluntatis falsò significandæ caussa moliatur, quamuis manendi consilium occultet, errorémque in aliorum animis ex occultatione consilij sui secuturum esse præuideat, mendacij se non alligabit. Altera strictior est, & vt sic loquar vera germanáque simulatio, quæ mendacium & falsam voluntatis, quæ nulla est, significationem inuoluit, certóque consilio non tantum ad celandam veritatem, sed ad falsum significandam assumitur.

Contra mendac. ad Consent. cap. 10.

68. Cum igitur fuga secundum se spectata nihil ex instituto significet, sed naturam habeat ab omni significatione absolutam potuit Iosue citra mendacium ac geminam hanc simulationem quæ in significatione consistit, terga vertere, & vti sua libertate huc vel illuc eundi, lentius aut celerius, hoc vel illo corporis gestu habitúve. Quod si hostes has actiones in signum pauoris acceperunt, id suæ ipsorum stultitiæ, non illius mendacio, fallaciæque adscribant, qui falsam opinionem quam in eorum animis inde secuturam præuidebat, adeo cauere non tenebatur, eam vt certa mentis destinatione tanquam medium ad obtinendam victoriam primò necessarium potuerit adhibere. Cæterùm etsi daremus eum, vt die primò disputabas, eadē efficacia voluntatis, qua finem appetebat, nempe victoriam, etiam hostium deceptionem, vt vnicum & necessarium medium intendisse, facilè tamen probaretur nullam huic electioni mendacii labem adspersam. Alioqui si ob solam fallendi voluntatem ex actione nihil significante mendacii culpa contrahitur, qui suspicacem alloquens quem sibi, quicquid dixerit, videt non esse crediturum, illius decipiendi caussa secundum mentem suam loquitur, verumque significat, is mendacio se obligaret: quo non video quid dici aut cogitari possit absurdius.

Metum igitur simulasse dicitur communiore illa simulationis notione, non quòd significauerit se timore perculsum, quamuis in eam partem hostes acceperint, sed quòd citra significandi voluntatem imitatione quadam timentium mores & fugientium modum expresserit.

X. *De simulatione Dauidis & Pauli.*

69. Sic vt vulgo dicitur, *Stultitiam simulare loco prudentia summa est.* quemadmodum Dauid, cùm periculum sibi videret à Gethæis imminere, ad quos ex animi perturbatione parum prudēter vel cum ipso Goliathi gladio confugerat, vt salutem suam in tuto collocaret, *immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebántque saliuæ eius in barbam.* vel vt in Hebræo legitur, immutauit את טעמו *eth-tahamo*, *gustum suum*, alij *sensum suum*, alii *sermonem suum*, alii *accentum*, siue *pronuntiationem suam* commodè transtulerunt: est enim accentus gustus quidam & sapor cuiusq; dialecti. ויתהולל *vaithollel. & insanum se faciebat.* καὶ παρεφέρετο, *in manibus eorum*, παραφορὰ enim Græcis est insania, ויתו *vaiethau*, *& designabat, depingebat, delineabat figuras quasdam super fores portæ, & descendere faciebat saliuam in barbam*, nec tamen furorem mentitus est. Hos enim furiosorum gestus exhibuit, non vt eos tanquam furoris atque insaniæ notas interno

1. Regum c. 21. v. 13.

animi morbo, qui nullus erat, significando applicaret, aut vt falsam in Gethæorum animis opinionem imprimeret, sed vt hostium errorem quem inde secuturum videbat, & cauere non tenebatur, ad suos vsus conuerteret, & quasi medium auertruncancando periculo necessarium adhiberet.

Act. 16. & 18. Act. 21.

70. Sic Paulus Timotheum circumcidit, Cenchreis votum persoluit, Ierosolymis à Iacobo admonitus, cum eis qui vouerant, legitima celebranda suscepit, non vt mentiretur Iudæis, iisque falsò significaret sibi legis antiquæ castus ac ceremonias adhuc ad salutem necessarias videri: sed vt hac falsa Iudæorum persuasione, quam non intendebat ille quidem, sed futuram animo præuidebat, ad eorum ipsorum familiaritatem sibi conciliandam, & multorum salutem, fideique propagationem vteretur. Quo facto, reprehensione dignus non fuit. vtebatur enim legalibus, quæ etsi mortua iam erant, nondum tamen mortifera, sed ad tempus permissa, neque, quod aiebant nonnulli, faciebat mala vt euenirent bona, sed rem adhuc licitam faciebat, minúsque malum permittebat, vt inde maius ac præstantius bonum eueniret.

XI. *De simulatione Petri.*

Epist. ad Augustinum.

71. PS. Qua igitur fronte, qua audacia, vt cum Hieronymo loquar, Paulus in Petro reprehendit quod ipse commiserat? *Cum venisset*, inquit Cephas *Antiochiam, ei in faciem restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim quam venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat*, & cibis Mosaica lege prohibitis vescebatur: *cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant*, ne videlicet eos vsu ciborum offenderet. Si Paulus reprehensione dignus non fuit, quis Petrum meritò reprehendat? aut si meritò reprehensus est Petrus, quis Paulum eiusdem, aut etiam maioris simulationis absoluat? *Et simulationi eius*, inquit, *consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in eam simulationem.* Hóccine simulare est offensionis vitandæ caussa se à quorumdam conuictu subducere, & per meram actus negationem à certis cibis abstinere? Quid si actu positiuo, vt vocant, aliquem circumcidisset è discipulis? Si caput è voto rasisset? si se purificasset, & ex legis antiquæ præscripto pacificas hostias obtulisset? Hoc fecit Paulus qui Apostolorum Principem simulationis accusat.

72. Amph. Longæ disputationis initium pepulisti, Pseudagora, iterúmque rem commoues magnis inter Augustinum & Hieronymum concertationibus, & prope dixi, altercationibus diu multúmque iactatam. Sed vt orationis vela contrahamus, paucis ad ista respondeo.

Per aliquod tempus Apostolis primisque adeo Christianis ius fásque fuit legis antiquæ cerimonias, quamuis ad salutem minimè necessarias, & quasi mortuas vsurpare, ne eas perinde vt idololatriam, superstitiones & sacrificia gentilium repudiare atque abiicere crederentur. *Iam enim*, inquit magnus Augustinus, *cùm venisset fides, quæ priùs illis obseruationibus prænuntiata, post mortem & resurrectionem Domini reuelata est, amiserant tamquam vitam officij sui. Verumtamen sicut defuncta corpora necessariorum, officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè, sed religiosè, non autem deserenda continuò, vel inimicorum obtrectationibus tamquam canum morsibus proiicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudæis, similiter ea celebrare voluerit, tamquam sepultos* (non *sopitos*, vt vulgo legitur) *cineres eruens, non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturæ violator.* Atque ita legis Mosaicæ Sacramenta, quæ Christi morte consummata sunt ac mortua, quamuis ad tempus vsurpari potuerint, aliquanto post vsurpantibus etiam mortifera esse cœperunt.

Epist. 19.

Legalia aliquādiu permissa Christianis.

73. Gentibus ad fidem conuersis quidam è secta Pharisæorum qui Christiana sacra susceperant, defendebant eos qui è gentibus credidissent, non solùm ad circumcisionem, sed etiam ad suillæ, leporinæ, cæterorúmque ciborum Iudæis interdictorum abstinentiam & alias legis antiquæ cerimonias obligari. Re diligenter expensa, Apostoli & seniores Gentilibus Antiochenis qui ad Christi religionem animum adiecerant, in hæc verba scripserunt. *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vlterà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* De iis autem qui è Iudæis ad fidem accessetant, nihil eo tempore decretum, quare & liberos circumcidere, & cæteras obseruare cerimonias, dum aliud Ecclesia statueret, sine sacrilegio potuerunt. Imò cùm offensionis vitandæ caussa necdum definiissent Apostoli vtrùm iis qui è circumcisione se Christo addixerant, seruandæ legis obligatio remaneret, an funditus lege gratiæ tolleretur, quamdiu definitum non fuit, salua fide potuerunt vtramlibet amplecti sententiam.

Status primitiuæ Ecclesiæ.

74. Potuit igitur Paulus sine cuiusquam reprehensione, potuit quilibet alius Apostolus piè & religiosè citra fallaciam veteratoriámque illam simulationem mendacio implicatam legales obire cerimonias non quidem vt adhuc necessarias ad salutem, sed vt nondum interdictas, & olim à Deo sapienter institutas, & opinionem illam falsam quidem; sed adhuc in Ecclesia toleratam de necessitate legalium Iudæis ad fidem conuersis incumbente maioris emolumenti vberiorisque animarum prouentus caussa permittere.

75. In quo igitur reprehensibilis fuit Petrus? Bono animo esto, Pseudagora. Nullam ex hac Petri simulatione tuæ caussę conflabimus inuidiam, quasi Petrus mendaci religionis simulatione iustam reprehēsionis ansam porrexerit. Multo minùs enim, vt bene dicebas, ob meram conuictus escarúmque gentilitiarum negationem simulasse dicendus est, quàm si actu positiuo circumcidisset discipulos, rasisset caput, nudipedalia exercuisset, & cum Paulo legitima celebrasset. Simulasse tamen dicitur abusiuè secundum communiorem illam simulationis notionem, non ab agentis intentione, sed ab euentu qui actionem excepit, non quòd aliquid falso significauerit, sed quòd eum intuentes aliter eius factum acceperint, itáque fuerint interpretati quasi legis antiquæ cerimonias Christianis omnibus necessarias iudicaret. Quo factum est vt etiam Christiani gentiles non iubentis imperio, sed authoritatis exemplo iudaïzare cogerentur, multique adeo qui legis Iudaicæ iugum tolerabile non putabant, se à Christianis sacris auerterent.

In quo reprehensibilis Petrus.

76. Reprehensibilis igitur fuit Petrus non ob simulationem & fallaciam, sed ob defectū actualis prudentiæ, & applicationis animi ad incommoda quæ his loci, temporis, personarum circumstantiis ab eo prævideri, & si venissent in mentem caueri magnopere debuerunt. Eámque ob rem Paulus eum videns οὐκ ὀρθοποδοῦν *non rectè ambulare ad veritatem Euangelij*, restitit in faciem, eúmque meritò reprehendit.

77. Vitatis igitur extremis mediam insistemus viam, vt neque Petrum *in prauam*, ac *superstitiosam simulationem lapsum* fuisse cum Augustino dicamus, neque cum Hieronymo, Chrysostomo, aliisque non paucis intelligamus tum Pauli reprehensionem, tum Petri secessionem & abstinentiam non quidem officioso mendacio, vt obiiciebat Augustinus, sed honesta dispensatione prudenter & ex condicto vtrimque fuisse simulatam, neque Petrum *tam Paulo fuisse reprehensibilem quàm his fratribus* è gentilitate collectis, *cum quibus antè edens se ab eis posteà separabat.* Quam interpretationem non mediocriter adiuuat, quòd in Græco legitur, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *quia reprehensus erat*, quasi dicat ei se restitisse in faciem .i. in speciem & dicis caussâ, quia iam fuerat reprehensus atque damnatus aliorum sententia.

Lib. de agone Christiano c. 30

Hieron in c. 2. epist. ad Galat.

78. PHIL. Atqui non ait Apostolus, *cùm putarent aliqui*, sed, cùm vidissem ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι, *quòd non recto pede incederent in veritatem Euangelij.* E quibus liquet Petrum non aliis modò fratribus, sed etiam ipsi Paulo reprehensibilem fuisse. AMPH. Respondet Hieronymus. *Sicut hi qui sanis gressibus claudicare se simulant, non vitium habent pedibus, sed est aliqua caussa cur claudicent, ita & Petrus sciens circumcisionem & præputium nihil esse, sed obseruationem mandatorum Dei, edebat quidem antè cum gentibus, sed pro tempore ab eis se, ne Iudæos à fide Christi perderet, subtrahebat, vnde & Paulus eadem arte, qua ille simulabat, ei restitit in faciem, & loquitur coram omnibus, non tam vt Petrum arguat, quàm vt hi, quorum caussâ Petrus simulauerat, corrigantur.*

79. Hactenus Hieronymus. Sed quoniam in caussa fidei non modò mendacium, sed omnis etiam simulatio tollenda est, non solùm in Euangelij veritate claudicare non potuit Petrus, sed ne claudicationem quidem vllo pacto simulare, ac proinde necesse est aliquid ab eo designatum fuerit, quod in iustam ac seriam Pauli reprehensionem incurreret. Quid autem illud? vel opus ipsum naturâ sua spectatum, vel operantis intentio, vel circumstantiæ quædam operi connexæ. Intentio illius Deus solus est arbiter & vindex, secundum se non potest humano iudicio reprehendi, nisi quibusdam indiciis ad notitiam peruenerit. Vsus legalium secundum se spectatus erat indifferens & ad eum diem in Ecclesia toleratus, eóque magis Petro licuit se à cibis lege Mosaica prohibitis abstinere. quòd si quis iam quacumque tandem animi inductione circumcisionem, Nazaræorum tonsionem, aliásque legis antiquæ cerimonias vsurpet, magno se sacrilegio inuoluet: nullum autem piaculum admittet, imò potiùs laudem mereatur, qui non seruandę legis, sed edomandæ carnis intentione compulsus sibi putauerit ab escis eiusmodi temperandum.

80. In quo igitur reprehensibilis fuit Petrus, eúmque Paulus agnouit non recto pede, contra veritatem Euangelii procedere, si

ſi nullam fraudem neque ex ipſo facto, neque ex intentione ſuſcepit? Quia videlicet, quamuis optima voluntate rem alioqui permiſſam faceret, non tamen ei venerat in mentem examinare ſingula rei momenta, nec animo proſpexerat quantum ex illa veri diſſimulatione veriùs, quàm ſimulatione falſi detrimentum & animarum pernicies immineret. Quæ incogitantia cùm potuerit eſſe merè naturalis nihil à nobis extorquet, vt ei facto, quod Paulus materialiter reprehenſibile iudicauit, vel minimam formalis peccati labem adſperſam eſſe fateamur, Atque hactenus de celeberrima illa quæſtione magnis inter Theologorum antiſtites altercationibus ventilata.

80. Quare vt ad Ioſue ſimulationem, quæ Dei videtur authoritate ſuſcepta, redeamus, Ioſuë metum ſine mendacio ſimulauit, quia videlicet neutiquam expreſſo voluntatis actu ferebatur ad ſignificandum falſum, & errorem intuentium animis imprimendum, ſed tantùm opinionem falſam, quam præuidebat è ſuis actionibus ſecuturam, nec auertere tenebatur, ad ſuos vſus volebat adhibere. E quibus plurima ducum, atque Imperatorum commenta, quæ iam Græco vocabulo ſtratagemata dici ſolent, facillimos habent explicatus.

XII. *De quibuſdam Prophetarum locutionibus quæ videri poſſunt fauere mendacio.*

81. PS. Quid ſi paucis oſtendero non modò rerum ſimulationem, quarum ſignificatio voluntaria eſt, ſed etiam
3.Reg c. 20 v. 38 verborum, quorum vſus in ſola ſignificatione conſiſtit, fictionem authoritati diuinæ acceptam eſſe referendam? Achabus Rex Iſraël captum Benadad Syriæ Regem præpoſtera quadam & inconſulta clementia dimiſerat. Propheta quidam percuti ſe iuſſit ac vulnerari, vulneratus *occurrit Regi in via, & mutauit aſperſione pulueris os & oculos ſuos.* Quam ſimulationem authore Deo concinnatam vel inde liquet, quòd ſocius qui percutere noluerat, ſtatim à leone diſcerptus eſt. Eſto ſanè: mentitus non fuerit, quia cùm res ad ſignificandum non
v. 39. ſint naturaliter inſtitutæ, potuerunt adhiberi ſine mẽdacio, ad verba veniamus. *Cũque Rex tranſiſſet, clamauit ad Regem & ait: ſeruus tuus egreſſus eſt ad præliandum cominus: cùmque fugiſſet vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait: cuſtodi virum iſtum; qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illúcque me verterem, ſubitò non comparuit.* Quæ verba ſcatere mendaciis, ne vos quidem inficiari poteritis, quæ tamen authore Deo prolata ſunt.

82. PH. Tricaris in expedito, mi Pſeudagora. Cùm enim neque vulnere, neque pulueris adſperſione mentitum Prophetam, ſed tantùm texiſſe veritatẽ, & Achabo erroris, quem præuidebat, occaſionem dediſſe fateare, cauſſæ nihil eſt cur verbis, quæ ſub parabola veri ſignificationem inuoluunt, fallaciam putes, aut mendacium contineri. Niſi ſi tibi falſa videtur interpretatio parabolæ, quam ipſe Propheta continuò ſubtexuit, ſacrum hiſtoricum ſi placet audiamus. *Et ait Rex Iſraël ad eum;* v 40.41.
Hoc eſt iudicium tuum quod ipſe decreuiſti. 42.
At ille ſtatim abſterſit puluerem de facie ſua, & cognouit eum Rex Iſraël, quòd eſſet de prophetis. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.

83. PS. At certè nihil eſt quòd ad parabolarum integumenta receptum habeas, cùm Eliſæus apertè, & quidem futura prænuntians, ac proinde diuino inſtinctus afflatu, velificetur mendacio. Ægrotabat idem Benadad. Venit Hazaël ad Eliſæum. 4.Reg. c 8
Cùmque ſtetiſſet coram eo ait: Filius tuus v.9.10.&c.
Benadad Rex Syriæ miſit me ad te dicens. Si ſanari potero de infirmitate mea hac? Dixítque ei Eliſæus; Vade, dic ei, ſanaberis: porro oſtendit mihi Dominus quòd morte morietur.

84. AMPH. Quid ſi Regem Iſraëlitico nomini longè infeſtiſſimum, & vt ſcriptura loquitur, *virum dignum morte* ſarcaſmo quodam & reſponſionis ambiguitate ludificari voluit Eliſæus, quemadmodum vulgo morbis omnibus leuari dicuntur, qui extremum ſpiritum ediderunt? Quid ſi vox illa, *ſanaberis*, ſiue *ſanus eris*, aut etiam vt habetur in Hebraico חיה תחיה *chaio thichich, viuendo viues*, ad Haſaëlem, non ad ipſum Benadad Prophetæ loquentis intentione referatur: quamuis hæc verba præuideat aliam in partem acceptum iri, perinde atque ſi non ad Haſaëlem, ſed ad ipſum Regem ea futuræ ſanitatis denuntiatio pertineret. Neque mendacio ſe obligaſſet Haſaëlus, ſi, vti iubebatur, Prophetæ reſponſum ita ſine fuco & fallacia retuliſſet; Dixit mihi Propheta: *viuendo viues*, id enim dixerat, & verè dixerat Propheta Haſaëlum Regi ſuperſtitem futurum, regnique ſucceſſorem à Deo deſignatum

intelligens, quod paulo pòst disertiùs expressit.

85. Ph. Imò, quoniam captiunculã hanc & cauillum prophetico spiritu indignum putat Abulensis, prophetam non tantum à mendacio sed etiam ab æquiuocatione absoluimus, cùm verba quæ proximè sequuntur, *ostendit mihi Dominus quòd morte morietur*, apertè demonstrent illam salutis & incolumitatis promissionem, non ad eum ipsum, qui moriturus prædicitur, sed ad alterum pertinere. Neque Hasaëlo persuadet vt Regem ambiguitate sermonis eludat, sed *Vade*, inquit, *dic* Regi, quòd tu Hasaël superstes eris, atque adeo regni successor, ipse autem Benadad morte morietur. Quæ duo sanè fuerunt verissima. Hasaëlius autem plus sapere volens quàm Propheta, dicto se audientem non præbuit, sed vt fucum faceret domino suo, alteram responsi partem quæ solitariè sumpta Regem ludificari potuit, verbis expressit, alteram, quæ ambiguitatem omnem sustulisset, mente suppressit. *Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem eius, quo mortuo regnauit Hasael pro eo.* vt eodem capite v. 15. subnectitur.

Elisæus an Hasaeli suasit mendacium.

86. Dicere poteramus cum Abulensis his verbis, לך אמר לא חיה תחיה *lek emor lo chaiah thichieh.* hanc subesse sententiam, *Vade, dic, non vita viues.* siquidem dictiuncula לא *lo* per *aleph* est particula negans, & *non* propriè significat. Quamuis, vt refert Buxtorfius in epitome radicum, notatur in Masora magna, Leuit. 11. v. 21. quindecim locis scribi לא per *aleph*, pro quo legendum sit לו per *vau*, *ei*, *ipsi*. vt hoc ipso, quem præ manibus habemus, ad cuius marginem posterior ista lectio frequenter adscribitur, atque, vt videtur ętate Hieronymi textum ipsum in plerisque codicibus occupabat, quo factum est vt sublata negatione transferre maluerit: *Vade, dic ei Sanaberis*, siue vt paulò post dicitur, *Recipies sanitatem.* quæ verba Benadado decumbenti salutem appromittunt, nec Hasaëlo nullis morbis afflicto possunt vllo modo conuenire, cuius translationis explanationem non Hebraici textus enucleandam suscepimus.

87. Aduertit Gaspar Sanctius in hunc locum frequentèr in scripturis imperatiuum & optatiuum sumi pro futuro, vt non tam optet atq; imperet aliquid propheta, quàm futurum prædicat, vt Psal. 108. *& oratio eius fiat in peccatum.* non id optat aut iubet Propheta, sed futurum esse prænuntiat. Quare si duo hæc, *vade, & dic*, per futurum exponas, hic erit sensus. Tu vades, ô Hasael, dicésque Regi pro tuo & aliorum assentatorum ingenio salutem & vitam. Longè tamen erit aliter quàm tu ad illius votum dicturus es: quia Dominus ostendit mihi illum esse moriturum.

88. Probabilius videtur his verbis permissionem ironicam contineri, cui dehortatio & dissuasio eodem tenore subnectitur: qualis est illa Threnorum 4 vers. 21. *Gaude & lætare filia Edom, qua habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.* atque vt multis interpretibus placet illa Ecclesiastæ 11. v. 9. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Vbi gestienti exultantíque lætitiæ calicis ac diuini iudicii mentione frenum inijcitur, cùm reliqua voluptatibus habenas permittere videatur oratio. sic apud profanos.

I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas. 4. Æneid.

Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,

Supplicia hausurum scopulis.

Fingit impotens mulier se discessum permittere, cùm potiùs manendi caussas innectat, & ventorum, vndarum, scopulorum, diuinæ vindictæ commemoratione deterreat. & Cæcilianus ille pater animo ardenti, corde ira cumulato, filium suum bona dilapidantem acriter obiurgans. *Dide*, inquit, *& dissice. per me licebit. Si egebis, tibi dolebit: mihi sat est, qui ætatis quod reliquum est, oblectem mea.* Ironicè bona profundere permittit: egestatis imminentis metu filium à profusione deterret. Sic Elisæus ironicè, *Vade, dic ei, Sanaberis.* hoc est, caue salutem ei denunties, quia *ostendit mihi Dominus quòd morte morietur.*

Cic. pro Cœlio.

89. Restat vltima huius nodi solutio quàm noster Sanctius reliquis omnibus expeditiorem putat, quæ negat (vt optimis eius verbis vtar) moriturum Regem à naturali caussa, id est ab eo morbo, quo tunc laborabat, & de quo propheta consulebatur: *Consule Dominum*, &c. *cùmque stetisset* Hasaël *coram eo* Elisæo, ait: *Filius tuus Benadad Rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac? Dixitque ei Elisæus, Vade, dic ei, Sanaberis.* i. sanari poterit Benadad, & reuera si vim infirmitatis intueare, sanabitur, siue non extinguetur ab infirmitate de qua vna me consulit, quia illa adeo grauis non est, & à medicina facilè leuari potest. Verùm morietur, quia vis ille afferetur extrinsecus, & à

ferro, aut laqueo seu ab alia caussa præcluso spiritu potiùs peribit, quàm ab extrinseca qualitate deficiente natura. Regem igitur eo morbo leuandum esse prædicit; quia morbus nón erat ita grauis vt eum extingueret, & re ipsa conualiturus erat, nisi Hasael ipse vi repentina domestici sceleris eum de medio sustulisset.

90. Quare, Pseudagora, nihil est quod Isaiæ vaticinium nobis obiicias, cùm ad ægrotantem Ezechiam accèdens, *Hæc dicit Dominus Deus*, inquit, *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues*: cum tamen Deus alios annos quindecim ad illius vitam adiecerit: verè enim moriturus erat Ezechias habita caussarum naturalium ratione, neque medicina erat vlla quæ posset vim mortiferæ qualitatis infringere. quod vnũ Dei nomine denuntiauit Propheta: Eum tamen Deus à morbo, cui depellendo impar erat omnis medicorum industria, naturalisque remediorum facultas, supra naturam sanitati restituit: vt idem eruditissimus Sanctius aduertit. Quis prohibet hoc loco S. Augustinum loquentem producere? Is lib. 6. de Genesi ad literam cap. 17. *Multa*, inquit, *secundum inferiores caussas, futura sunt, sicut ibi sunt: sed si ita sunt, & in præsentia Dei verè futura sunt. Si autem ibi aliter sunt, ita potiùs futura sunt, sicut ibi sunt, vbi qui præscit, falli non potest. Nam futura dicitur senectus in iuuene, sed tamen futura non est, si antè moriturus est: hoc autem ita erit, sicut se habent aliæ caussæ siue in mundo contextæ, siue in Dei præscientia reseruatæ. Nam secundum quasdam futurorum caussas moriturus erat Ezechias cui Deus addidit quindecim annos ad vitam, id vtique faciens quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate seruabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat, hoc enim magis erat futurum quod se facturum esse præsciebat. Nec tamen illi anni additi rectè dicerentur, nisi aliquid adderetur, quod se aliter in aliis caussis habuerat. Secundum aliquas igitur caussas inferiores iam vitam finierat: secundum illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æternitate nouerat, quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc finiturus erat vitam, quando finiuit vitam.*

Isaias an mentitus Ezechiæ.

91. Quare vt hunc locum verbis Gregorii concludam: *Nec Propheta fallax quia tempus mortis innotuit* (.i. innotescere fecit) *quo vir ille mori merebatur: nec dominica statuta conuulsa sunt. quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante secula præfixum fuit, atque spatium vitæ quod inopinatè foris est additum, sine augmento in præscientia fuit intus statutum.* Ph. Neque fortasse temerarium est quòd iis verbis ea mortis denuntiatio concepta est quæ se non tam extendere in futurum, quàm præsentem decumbentis habitum videntur includere. *Præcipe*, inquit, *domui tuæ*, quia מת אתה *meth atthah. moriens tu*, siue *moribundus tu*, quia iam extremo spiritu cum morte luctaris, nec animam potes naturalibus remediis retinere.

12 Moral. cap. 1.

XIII. *Alia Prophetarum vaticinia quæ videntur mendacij speciem obtinere.*

92. PS. Qui legem & prophetas diligenter euoluerit, multa tum Dei promissa tum futurorum vaticinia reperiet, quæ cum nec secundum caussas naturales futura dici potuerint, quippe quæ à sola Dei voluntate penderent, & tamen impleta non fuerint, neutiquam excusari possunt à mendacio. Atque vt è multis pauca delibem, Genesis 13. vers. 15. *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum*. Cum tamen Abrahami posteros constet iam à multis seculis exulare, Gen. 15. vers. 18. *Semini tuo dabo terram hanc à flumine Ægypti vsq; ad fluuium magnum Euphratem*. Neque semel promissa, sed iterũ ac tertiò Deuter. 11. 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit, à deserto & à Libano; à flumine magno Euphrate vsque ad mare Occidentale erunt termini vestri.* Iosue 1. vers. 3. *Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi à deserto & Libano vsque ad fluuium magnum Euphratem*, &c. Cum tamen constet nunquam Hebræos vsque ad Euphratem Israelitici regni limites protulisse. Deuter 1. v. 7.

93. Missus est ad Dauidem Gad propheta, qui belli, famis aut pestis optionem daret, & vnum è tribus euenturum nuntiaret: *Aut septem annis*, inquit, *veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* 2. Reg. cap. 24. vers. 13. Quæ tamen primo die sedata est. Accedit quòd auctor libri Paralip. lib. 1. cap. 21 v. 12. in hac narratione quædam emendat, quod profectò non fecisset, nisi deprehendisset aliquod in historia priore mendacium. *Elige*, inquit, *quod volueris: aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse euadere: aut tribus diebus gladium Domini & pestilentiam versari in terra.* Gad.

mutare, vel quòd in Baptismo, Eucharistiâ, cæterisque quorum erant vmbræ & figuræ, hactenus & vsque ad extremi iudicii diem perseuerant, *velut cùm dicimus ipsum Deum æternum, non vtique istas duas syllabas æternas dicimus; sed quod significant.*

100. Iam quod promittit Deus Israëlitici regni terminos à flumine Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem esse proferendos, defendit Augustinus lib. 17. de Ciuit. c. 2. id *impletum esse per Dauid, & eius filium Salomonem: cuius regnum tanto, quantum promissum fuerat, spatio dilatatum est: Vniuersos quippe illos subdiderunt, tributariósque fecerunt.* Et sane Dauid, vt narratur 2. Reg. c. 8. & 1. Paral. c. 18. Palestinos Moabitas, Idumæos, Ammonitas, Amalecitas tributarios effecit. *Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci, factáque est Syria Dauid seruiens sub tributo.* Adarezer Regem Soba, siue Sophenæ, *quando profectus est vt dominaretur super fluuium Euphraten*, ingenti prælio superauit, non tamen ei tributum indixit, aut eius ditionem præsidiis occupauit, sed aliquot vrbibus expilatis victorem reduxit exercitum. *Salomon autem*, vt legitur 3. Reg. 5. c. 4. v. 21. *erat habens in ditione sua omnia regna à flumine terra Philisthiim vsque ad terminum Ægypti offerentium sibi munera.*

101. Sed hæc verba vel nullos vel difficiles admodum habent explicatus in eorum sententia quibus placet hoc loco circumscribi terminos qui terram promissionis definiunt, Euphratem videlicet, & fluuium Ægypti, in quo ait eruditus Sanctius omnes interpreres conuenire. Sed si Euphrates extremus Israëlitici regni terminus hoc loco describitur, quærenda ratio est cur fluuius à terra Philisthiim remotissimus flumen terræ Philisthiim nominetur. Itaque idem Sanctius nouam lectionem titubanter & verecundè proponit, vt quoniam Masoretæ vocis הנהר extremam syllabam notarunt longa motione, quod signum est status absoluti, illud *flumine* à terra separetur, legatúrque: *habens omnia regna à flumine*, videlicet Euphrate, & *à terra Philisthiim, vsque ad terminum Ægypti.* Vel per *fluuium terra Philisthiim* mare Mediterraneum intelligit, qui comparatione Oceani fluuius vocetur. Addo ipsum Oceanum *amnem* à Marone 4. Georg. ab Homero 11. & 14. Odyss. ποταμὸν nominari. Quia tamen hæc explicatio videtur esse contortula, nec ipse Sanctius, aut probat, aut aliis se persuasurum esse confidit, alia nobis ratio videtur ineunda.

102. Dicendum igitur his verbis haud quaquam terræ promissæ limites exhiberi, sed significari Reges ad australem Palæstinæ plagam, quam, vt è 1. Reg. c. 30. liquet, Torrens siue fluuius Besor interfluit, qui omnes Salomoni tributum annuum pensitabant. Ij fuerunt ipsi Palæstini, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, Amalecitæ, aliique fortassis Arabes qui inter Iudæam & Ægyptum rerum suarum domicilium collocarant: & Dauidis victoris ad Israëliticum imperium accesserant. Nam Syria Damasci vergens ad Septentrionem à Salomone defecit, & Rason quidem in ea regnum obtinuit, *erátque aduersarius Israëli cunctis diebus Salomonis*, 3. Reg. c. 11. v. 24. *Et hoc est malum Adad, & odium contra Israël, regnauitque in Syria.* Quibus verbis significat, opinor, Adad Rasoni successisse, non modò in regnum, sed etiam in odium contra Israël, quòd etiam in posteros transfuderit. Sed hæc, postquam in libidines, atque idololatriam Salomon se penitùs immersit. Nam priùs, vt dicitur 2. Paralip. c. 9. v. 26. *Exercuit etiam potestatem super cunctos Reges à flumine Euphrate, vsque ad terram Philisthinorum, & vsque ad terminos Ægypti.* E quibus liquet aliquo modo in Salomone esse completum quod Deus de regni propagatione promiserat.

103. Dixi aliquo modo, quia quamuis tributarii fuerint, suas tamen leges, suam Rempublicam habuerunt, neque tributorum pensitatio vel summum imperium tollit, vel officit libertati, *quamquam infirmitatis confessio de dignitate aliquid delibat*, vt Hugo Grotius lib. 1. de iure belli ac pacis, c. 3 num. 22. prudenter aduertit. Neque tamen Deus, aut mentitus est, aut fidem fefellit, quia promissiones huiusmodi certas conditiones habebant annexas, vt constat è Deuteronomio c. 19. v. 8. *Cùm autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram, quam eis pollicitus est (si tamen custodieris mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt, diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius in omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, &c.* Quibus conditionibus cùm illi defuerint, potuit Deus citra leuitatem, aut mendacium promissiones suas, vel restringere, vel omnino rescindere; vnde & Hieronymus epistola ad Dardanum. *Et ego*, inquit, *fatebor* (ô Iudæe) *tibi promissa non tradita. Si obseruasses mandata Dei, & in præceptis eius ambulasses, si non pro omnipotente Deo coluisses Beelphegor, & Baal, Beelsebub & Chamos; quos quia prætulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerant, perdidisti.*

XV. *De Gadi & Ionæ Prophetiis.*

104. AD Gadum & Ionam quod attinet, nonnullis apud Hugonem Card. in c. 3. Ionæ visum est Prophetas interdum falsa dixisse, excusari tamen à mendacio, quia contra mentem suam non loquebantur, neque aliud in corde celabant, aliud in ore promptum habebant, rati omnino res euenturas, prout futuras esse prædixerant. Verùm isti non aduerterunt se mendacii culpam, quam à Prophetis amoliri volunt, in Deum ipsum impingere. Si enim ex ignoratione futurorum excusantur à mendacio, Deus qui futura præsciebat, excusari non potest.

105. Origenes homil. 6. in Num. ita Deum mendacii facit immunem, vt Prophetis culpam adscribat, Ionæ quòd iussus duntaxat ire ad Niniuen, ibique prædicare *quia adscendit malitia eius coram Deo*, demandatæ sibi prouinciæ limites excedens, de suo cladis, ac subuersionis minas adiecerit: Gado, quòd missus ad Dauidem, vt ei trium optionem daret, & vnum è tribus euenturum simpliciter nuntiaret, certum singulis flagellis tempus authoritate propria non diuina reuelatione præscripserit. Quare quamuis neque subuersa fuerit Niniue, & pestis ante diem tertium resederit, in Deum nulla mendacii labes redundat. Sed hanc Origenis temeritatem in præsentia non refello, quòd totum hunc locum Ribera noster doctissimis in Ionam commentariis occuparit. Hoc vnum obseruo quod Epistola octaua defendit Augustinus, *fluctuare authoritatem scripturarum diuinarum, vt in eis quod vult quisque credat, quod non vult non credat, si semel persuasum fuerit aliqua illos viros, per quos nobis hæc ministrata sunt, in scripturis suis voluisse mentiri.* Addo suis diuinationibus ac somniis diuinæ reuelationis nomen obtendere.

106. Quare vt commodiorem explicandi viam ineamus, quamdiu grassata fuerit pestis quam Propheta triduanam fore prædixerat, non constat inter authores: Huic apud Serarium, R. Eliezer horas tres, Rabbinorum quidam vnam tantùm tribuunt. Iosephus, Theodoretus, historia Scholastica, Caietanus, ne diem quidem integrum durasse arbitrantur, quibus oppidò fauere videntur ipsi LXX. Seniores. Ait sacer historicus lib. 2. Reg. c. 24. v. 15. *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tẽpus constitutum,* tempus istud constitutum tres dies à Deo definitos interpretatur Abulensis, à qua sententia Sanctius non abhorret, quam si admittimus, omnis exhausta quæstio est quæ de Gado mouebatur.

107. De Iona sic Augustinus in Psalmum 50. ad illud: *incerta & occulta sapientiæ tuæ. Stetit,* inquit, *Niniue, an euersa est Niniue? aliter quidem videtur hominibus, & aliter visum est Deo. Ego autem puto impletum fuisse quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Niniue, & vide quia euersa est. Euersa in malo, ædificata in bono: sicut euersus est Paulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator. Quis non diceret ciuitatem istam, in qua nunc sumus, feliciter euersam, si omnes illi insani nugis suis desertis ad Ecclesiam compuncto corde concurrerent, Dei misericordiã de factis suis præteritis inuocarent? Nonne diceremus, vbi est illa Carthago? quia non est quod erat, euersa est, sed si est, quod non erat, ædificata est.* Quæ rursus inculcat lib. 21. de Ciuit. Dei. c. 24. Præclarè Gaudentius Episcopus Brixianus Tractatu 4. ad Neophytos. *Pertinaciam mali damnat Deus, conuersionem pœnitentis amplectitur, &c. Mentiri eum putaremus potuisse, si ea, quæ prædixit, impleta non fuissent. Adhuc triduum & Niniue subuertetur, & euersa non est, quia pœnitentiam egit in prædicatione Ionæ. Sed intellige. Sermo Dei gladius est ex vtraque parte acutus. Niniue aliter euertenda fuerat excidio, si permansisset in sua nequitia: euersa est iniquitas eius quia pœnituit. Sicut distat cœlum à terra dicit Deus hominibus, ita distant sensus mei à sensibus vestris & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.*

Niniue spiritaliter euersa.

Tom 4. Bibliotb. Pat. p. 808.

108 Quia tamen neque certum est quamdiu pestis à Gado denuntiata durauerit, nec Ionas ipse morum, sed murorum euersionem intellexit, & hic difficultatis explicandæ modus omnibus Prophetarum vaticiniis quadrare non potest; communem solutionem libentiùs amplector, dicóque Prophetiam hanc absolutam non fuisse, sed tacitis quibusdam conditionibus alligatam. *Adhuc quadraginta dies*: non dies quomodocumque transigendos, sed reliquis diebus similes, & in sceleribus exigendos insinuat, vel hanc inuoluit conditionem: nisi pœnitentiam egerit, & è flagitiorum cœno emerserit. Etenim Dei minas & promissiones certis esse conditionibus adstrictas ipse testatur Ierem. 18. 7. *Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. 9. Et subitò loquar de gente &*

Dei promissa & minæ frequenter annexas conditiones habẽt.

regno, vt ædificem & plantem illud. 10. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, vt facerem ei.

109. Nimirum στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί. *Etiam se numina flectunt*, inquit maximus Poëtarum, atque in vtramque partem Deus ex hominum moribus sententiam suam moderatur: *Nec statim sequitur, vt quia Propheta prædicit* (verba sunt Hieronymi in caput 33. Ezechielis) *veniat quod prædixit. Non enim prædicit vt veniat, sed ne veniat: nec quia Deus loquitur, necesse est fieri quod minatur, sed ideo comminatur, vt veniat ad pœnitentiam cui minatur, & non fiat quod futurum est, si verba Domini contemnantur.* & in Ionam Prophetam, cap. 3. exeunte: *Libenter mutauit sententiam quia vidit opera commutata. Quin potiùs Deus perseuerauit in proposito suo misereri volens, ab initio. Nemo enim punire desiderans, quod facturus est, comminatur.*

Necesse non est Dei minas impleri.

110. Quod vt liquidius euadat, notanda est optima Theologorum distinctio, aliã in Deo esse voluntatem signi, aliam beneplaciti. Voluntas beneplaciti est formalis & expressa volitio, & quidam actus elicitus à diuina voluntate, eámque per modum qualitatis inhærentis informans, quamuis secundum rei veritatem nihil sit aliud quàm ipsa Dei essentia, prout relatione quadam rationis concipitur ad voluntatis obiectum ordinari. Voluntas signi est opus aliquod externum, quod est signum formalis & expressæ alicuius volitionis in Deo existentis, quę aliquando reuera in ipso est, aliquando non est, vt definit Mæratius noster tractatu de Deo, disput. 36. At Vasquez in primam partem, disp. 83. ineunte voluntatem signi solùm dici putat. Quando Deus exteriùs ita se gerit circa rem aliquam vt indicet se habere voluntatem illius rei, cum tamen eam reuera non habeat.

Voluntas beneplaciti.

Voluntas signi.

111. Voluntas beneplaciti rursum discedit in duo fastigia. Nam alia est voluntas simplicis complacentiæ in bono, & simplicis displicentiæ in malo: alia complacentiæ siue displicentiæ efficacis: voluntas simplicis complacentiæ circa quæcunque bona possibilia necessariò versatur; neque fieri vllo modo potest vt Deus sibi non complaceat in bonis quæ videt eminenter infinitæ suæ perfectionis amplitudine contineri: aut sibi non displiceat in malis, vel potius vt non ei displiceant mala, quę nullam habent in diuinis perfectionibus essentiæ rationem. Voluntas displicentiæ, siue complacentiæ efficacis liberrima est, citráque necessitatem iis duntaxat quæ tum per se, tum interuenientibus caussis secundis vel impediturus vel reuera facturus est, occupatur.

Voluntas simplicis complacentiæ & efficacis.

112. Rursũ alia est Dei voluntas antecedens & omnibus conditionibus absoluta: alia subsequens & certis conditionibus adstricta. sic Deus antecedenter & absolutè voluntate simplicis complacentiæ vult omnes homines, (etiam reprobos) saluos fieri, & voluntate complacentiæ efficacis primam gratiam saluti consequendæ sufficientem indulget: consequenter & conditionatè præuisis aliquorum sceleribus & contumacia, eos reprobat, & suppliciis addicit sempiternis. Iam ad institutum redeamus, & superiorem doctrinam prophetiæ, qua de agitur, applicemus, vel potiùs Vasquez & Mæratium tantisper audiamus.

Voluntas absoluta.

Voluntas conditionata.

113. Dicitur Deus, inquit iste posterior, habuisse circa subuersionem Niniuæ voluntatem signi. Hæc enim prædicatio prophetæ facta iussu Dei: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, signum erat existere in Deo formalem & expressam volitionem absolutè subuertendi Niniuen, post quadraginta dies, neque tamen in eo talis volitio existebat, imò inerat contraria voluntas beneplaciti, scilicet absoluta volitio non subuertendi. Vasquez voluntatem signi reperiri dicit in omnibus prophetiis quæ solam continent comminationem pœnæ, qua Prophetæ significare videbantur Deum pœnam statuisse, cùm tamen reuera ea voluntas in Deo non fuerit. In exemplum etiam, inquit, afferri solet præceptum, quod Deus posuit Abrahamo immolandi filium suum, cùm tantùm vellet occasionem præbere obedientiæ, non autem immolationem Isaac. Hæc ad verbum viri doctissimi.

114. Phil. Frequenter monuimus moris esse scripturæ, vt se ad humanum captum demittat, & ἀνθρωποπαθῶς de rebus diuinis loquatur, vt cùm Deo brachia, pedes, manus, oculos, pupillam, dolorem, iram, lætitiam, pœnitentiam, cæteràsque, vel corporis humani partes, vel animi perturbationes adscribit? Quæ cùm ab hominibus ad Deum metaphoricè transferuntur, non in ipsis affectibus similitudo quærenda est, sed vt docet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 19. art. 11. in C. *Hoc fit secundum similitudinem effectus, vnde illud quod est signum talis passionis in nobis, in Deo nomine illius passionis metaphoricè significatur. Sicut apud nos irati punire consueuerunt. vnde ipsa punitio est signum iræ, & propter hoc ipsa punitio nomine iræ significatur, cùm Deo attribuitur. Similiter id quod solet esse in*

Quomodo humana Deo tribuantur.

nobis signum voluntatis, quandóque metaphorice in Deo voluntas dicitur, & alia in hanc sententiam, è quibus ad secundum respondet, signa voluntatis dici voluntates diuinas, *Non quia sunt signa quod Deus velit, sed quia ea quæ in nobis solent esse signa volendi, in Deo diuinæ voluntates dicuntur. Sicut punitio non est signum, quod in Deo sit ira, sed punitio ex eo ipso quod in nobis est signum iræ, in Deo dicitur ira.*

115. Aliquid tamen vt humano modo loquar, etiam in expresso & elicito diuinæ voluntatis affectu quod signis illis vtcumque respondeat, cogitari potest. Vidit Deus ab æterno vtrumque fieri potuisse, vt videlicet Niniuitæ vel obsirmatis ad Ionæ prędicationem animis in peccato suo persisterent & post quadraginta dies vrbe subuersa suæ contumaciæ pœnas exoluerent, vel vt ad Deum conuersi pacem ab eo flagitiorúmque suorum veniam obtinerent. Niniuitarum obstinatio ad humanam prauitatem, conuersio ad Dei gratiam & cooperationem hominum, vrbis clades ad iustitiam diuinam, incolumitas ad misericordiam pertinebat. Humanam peruersitatem non solùm necessaria simplicis displicentiæ voluntate detestatus est, sed etiam ęterno, Immutabili & efficaci libero voluntatis decreto impedire constituit, & humanam peruicaciam, suámque iustitiam continuit, ne in actum erumperent, iustitiæ tamen effectum necessaria simplicis complacentiæ voluntare dilexit, & aliquo modo desiderauit: *Neque enim* (Vasquesium loqui puto [1 part q. 83. c 4. n. 25.] tatote) de ratione desiderij est, vt sit rei verè futuræ, aut quę existimatur futura; nam earum rerum, quæ futurę non sunt, & creduntur non futuræ, desiderium esse solet. Damnatus enim ad mortem, quam certissimè credit futuram, illam sibi non esse futuram desiderat. Quo pacto dici poterit Deus inefficaci desiderio voluisse Niniuem iusta punitione subuertere.

Num. 28. 116. Idem aduertit voluntatem simplicis affectus quę sub ratione complacentię in se absoluta est, & explicatur per verba indicatiui, *placet & volo*, & versatur circa rem absque conditione, & secundum se bonam, talis esse naturæ vt in se virtute cōtineat efficacem voluntatem, quæ actu non est esset tamen si conditio poneretur, & ex hac parte conditionata dici potest, nō quia actu feratur ad obiectum sub conditione, sed quia ex illa quæ pręsēs est, alia oriretur, si conditio in obiecto poneretur. Sic illa simplex & inefficax cōplacentia, qua Deus ab ęterno iustam peccatorum punitionem necessario dilexit, secundum se pręsens est & absoluta, virtute tamen inuoluit liberum beneplaciti decretum siue efficacem subuerrendæ Niniues voluntatem, non absolutam illam quidem, sed ea conditione adstrictam si Niniuitæ obdurarēt animum, & Ionæ prędicationem respuerent, quæ pręsens non erat, nec actu ferebatur in obiectum, pręsens tamen fuisset. & ex illa priore simplicis complacentiæ voluntate manasset, si Spiritui Sancto per Ionam loquenti cladémque denuntianti diutiùs restitissent. Re tamen apse libera efficacis beneplaciti voluntate misericordiæ suę indulsit, vt actum iustitiæ secundum impediret, efficacem Niniuitis gratiam impertiret, vrbísque ruinam sustineret.

117. Accedit quòd inter homines vel ipsius humanitatis ratio postulat vt qui vel mercedem appromittit, vel pœnam minatur, nulla veracitatis lege, vel solam mercedem, vel totam pœnam repręsentare teneatur, adeóque possit citra mendacium Promissiones & minæ. notámque leuitatis vel intentatum supplicium clementiâ temperare, vel promissum beneficentiâ cumulare. Quæ, vt diximus, ἀνθρωποπαθῶς ad Deum transferuntur, non quasi mutet sententiam, sed quòd ęterno & immutabili decreto mutet suæ comminationis obiectum, quod in hominibus solet esse signum mutatæ sententię. Sic prophetæ non infrequenter comminationes suas atrocitate verborum exaggerant, quæ deinde nullis hominum meritis, sed sola Dei misericordia mitigantur, vt cùm Isaias cap. 13. Ieremias 25. Babyloni, Ezechiel cap. 26. Tyro minantur solitudines sempiternas.

118. Porrò quod LXX. Seniores in Ionæ prophetia pro quadraginta diebus triduum posuerunt, meritò miratur Hieronymus, Dialogo cum Tryphone post medium. *Cùm in Hebræo nec literarum, nec syllabarum, nec accentuum sit vlla communitas.* Neque tamen ad eorum excusationem necesse est, vel cum Iustino legere, *adhuc quadraginta tres dies*: ne si vnam è duabus conflare volueris lectionem, vtramque corrumpas: vel cum Augustino ad sensum mysticum deflectere, quasi Greci dies tres 18 De Ciu. cap. 44. & quæst. in Gen. 169. quibus Christus Dominus in sepulcro iacuit, adumbrare voluerint, Hebræus dies quadraginta, quibus *præbuit seipsum viuum post passionem suam apparens* Apostolis suis, *& loquens de regno Dei*: vel enim error oscitantiâ librarii qui Græcam translationem ex Alexandrina bibliotheca primus exscripsit, in scripturam illapsus cæteros deinde codices infecit: vel cum initio prædicationis dixerit Ionas: *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*: postero die, *adhuc*

vnde-quadraginta dies: tertio, *duode-quadraginta*: quarto, *septem & triginta*: & ita deinceps singulis diebus vnum diem de numero dierum Niniuitis ad pœnitentiam concesso subduxerit, donec tandem ad triduum summa contracta est, Hebræus prædicationis initium, Græci finem attigerunt, vt significarent Niniuitas, cùm diu multùmque Sancto-Spiritui restitissent, septimo tandem ac trigesimo die ad meliorem frugem esse conuersos.

119. Quod autem in historia Regum septennium famis, in Paralip. triennium duntaxat à Gado Propheta proponitur; si, quod facilè non admiserim, alterutri textui mendum inoleuit, non dubitem subductâ libro Paralip. annorum summam historiæ Regum rationibus anteferre, tum quòd LXX. seniores tres annos vtrobique legant, tum quòd tres famis anni tribus belli mensibus, tribúsque diebus pestilentiæ maiori concinnitate respondeant. Quidam apud Sanctium, septem quidem annis aiunt duraturam fuisse famem, sed ita tribus annis angustam futuram, vt horum comparatione aliorum quatuor fames videri posset abundantia. Alij, vt Serarius, quod & ipse Sanctius videtur amplecti, principio annorum septem indictam esse famem, sed illam deinde, vt à licitantibus fieri solet, ad triennii spatium esse contractam, quemadmodum Genes. 18. à quinquaginta iustis ad decem summa deducta est. Dici posset populi censum, & Gadi Prophetam proximo post triennem famem anno contigisse. Si quidem, vt narratur 2. Reg. cap. 21. v. 1. *Facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter*. Potuit igitur præsens, quo caritas annonæ se paululùm remiserat, quod tres præteritos famis annos secuturis tribus connecteret annorum famis numero computari, quæ videtur esse Rabbi Dauid, & aliorum Hebræorum sententia. De quibus Serarius lib. 2 Reg. cap. 24.

XVI. *De Eliæ vaticinio.*

120. IN Eliæ vaticinio multa sunt impedita, quæ dum ad amussim cum euentu comparare volunt quidam interpretes, quò se magis extricare contendunt, eo magis intricant & inexplicabilibus laqueis inuoluunt. Non enim in Iesraël sanguinem Achabi linxerunt canes, neque cùm cecidisset in agro, auibus cœli relictus est in prædam, vt Propheta denuntiarat, sed honorificè sepultus in Samaria. Quare placet expositio Sanctij diuinam sententiam & comminationem Achabi fuisse pœnitentiâ mitigatam. Nam, vt dicitur 2. Reg. 21. v. 27. *Cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua & operuit cilicio carnem suam, ieiunauítque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. 28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens: 29. Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei caussa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.* Hæc mihi explicatio, inquit eruditus Sanctius, omnium maximè placet, quam ideo puro verissimam, quia nihil violentum habet atque distortum, & expedit aliqua, quæ aliter, aut nullos habent, aut difficiles explicatus.

121. Quinque sunt quæ comminatus fuerat Propheta. 1. vt Achabus violenta morte, nec sine profusione sanguinis interiret. 2. vt sanguis eius à canibus lamberetur. 3. vt id in Iesraël fieret, & eo ipso loco vbi Naboth sanguinem suum profuderat. 4. vt si in agro caderet, imò quia casurus erat in agro, ibi relinqueretur insepultus, atque auibus in prædam concederet. Quintum denique, vt demeterentur eius posteriora, id est tota progenies illius è medio tolleretur. Primæ secundæque calamitatis denuntiatio suum sortita est effectum, vt liquet è cap. proximè sequenti. *Et linxerunt canes sanguinem eius, &c. secundum verbum Domini, quod locutus fuerat.* Ne id in Iesraël fieret, Deus indulsit, prolarámque de laniatu cadaueris insepulti sententiam flexus Achabi pœnitentia reuocauit; & quoniam nullum delendæ posteritati tempus definierat, id etiam indulsit, vt non nisi post illius mortem totam eius familiam internecione deleret. E quibus patet ad propositam quæstionem responsio: Neque enim absoluta fuerat Eliæ denuntiatio, sed tacitam inuoluebat conditionem, nisi Achabus pœnitentiam ageret, Neque Deus sententiam ac formale decretum propriè reuocauit, sed exterius mutauit obiectum, quod inter homines signum est reuocatæ sententiæ.

XVII. *De Michææ visione & spiritu mendaci in ore Prophetarum Baal.*

122. PSEVD. At certè negare non potes Deum falsis Achabi Prophetis authorem mendacii fuisse, quod disertis conceptísque verbis sacra Regum historia confitetur. Achab & Iosaphat expeditionem in Ramoth Galaad comparabant, &

consulti quadringenti Baalis Prophetæ prosperum euentum promiserant. Accersitus Michæas Propheta Domini nuntio respondit. *Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi* Dominus, *hoc loquar*. Regique de
3 Reg. cap. 22. v. 14. belli exitu sciscitanti in hæc verba respondit. *Adscende & vade prosperè: & tradet*
v. 15. *eam Dominus in manus Regis:* 16. Dixit autem Rex ad eum: Iterum, *atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini.* Cui Michæas. v. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris & à sinistris: 20. & ait Dominus: quis decipiet Achab Regem Israel, vt ascendat & cadat in Ramoth Galaad? & dixit vnus verba huiusmodi, & alius aliter. 21. Egressus est autem Spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus. In quo? 22. Et ille ait: Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus: Decipies, & præualebis. Egredere & facita. 24. Nunc igitur ecce dedit Dominus Spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, &c.*

123. Vides quot mendacia mendaciis inuoluat. Promittit, imò iurat, se quicquid dixerit Dominus locuturum, cum interrogatus alia omnia responderit, mentitur felicem expeditionis euentum ac victoriam, Deum denique Prophetas Baal restatur ad mendacium & fallaciam impulisse. Quæ si vera sunt, Deum habemus authorem mendacii: si falsa, nihilominus mendacium exemplo Prophetæ, atque adeo Sancti Spiritus, qui Prophetam afflarat, suffragio comprobatur.

124. PHIL. Quòd iurauit Michæas, quodcumque dixerit ei Dominus, hoc se locuturum, adeo se periurio mendacióque non obstrinxit, vt abunde promissi fidem exoluerit. Quòd spondet Achabo victoriã, eum aliqui volunt ambiguitate verborum fucum Regi facere voluisse, quasi Deus vrbem in manus Regis Syriæ traditurus esse diceretur. Sed hunc cauillum meritò reiicit Abulensis, quia iampridem vrbs illa in Regis Syriæ potestatem concesserat. Alij optandi potiùs quàm enuntiandi modo dictum volunt, vt fuerit hoc votum potiùs quàm prophetia, perinde atque si dixisset. Opto vt ascendas, & vadas prosperè, vrbémque tibi Deus tradat in manus. Hebræi Prophetam ita tenera futurum existimasse defendunt, non quidem instinctu diuino, quo priusquam adiutaretur, afflatus non fuerat, sed humanã prudentiã. Sanctius & alij passim, quorum & ego sententiam libens amplector, ironiam agnoscunt, quam etiam vt ex admiratione liquet, ex gestu corporis & vocis inflexione Achabus intellexit.

125. Iam vt de visione pauca dicamus, etsi Deus est vna simplex indiuisibilisque natura, nec in eo voluntas ab intelligentia, volitio ab intellectione, imò nec voluntas ab intellectione, nec intelligendi vis à volitione, nec libertas actûs ab essentiæ necessitate distinguitur, nec per aliud vult, per aliud intelligit, sed per hoc ipsum vult per quod intelligit, imo vnum atque idem est esse Deum, velle, intelligere, non possumus tamen de diuinis nisi pro mentis humanæ captu & modulo cogitare, cogimúrque simplicissimam illam entitatem in multas particulas diducere, ac diuersas tum intellectiones, tum volitiones animo delineare, quas etiam serie quadam inter se sic ordinamus, prout earum obiecta certo antecedentium consequentiúmque nexu alia priora, alia posteriora finguntur. Deus simplex essentia

126. Deus igitur, vt de rebus diuinis aliquid humano more dicamus, ab æterno præuidit fore, vt Achab post pœnitentiam impetratámque superioris noxæ veniam, tanquam canis rediret ad vomitum, iterúmque ad Baalis venerationem suos sensus inflecteret. Ex hac peccati præuisione ad decernendam pœnam progressus è multis pœnarum generibus quæ infligi poterant, séque vt ita loquar, consideranti obtulerunt, illud potissimùm elegit vt Achab per animi cæcitatem & errorem, qui absolutè culpa mendacióque vacare potuit, seipsum in casses indueret, sibíque calamitatem & perniciem accerseret. E multis caussis secundis quæ vel sine peccato, vel cum peccato diuinæ iustitiæ seruire potuerunt, Spiritus nequam ad fraudem & mendacium libero suæ voluntatis arbitrio comparatus, cui Deus author non fuit vt mentiretur (quid enim necesse fuit?) sed mala eius voluntate ad finis consecutionem bene vsus est, præuisúmque mendacium ad iustissimam Achabi pœnam ordinauit, vt per quæ peccauerat, per hæc & puniretur, & qui totus è Prophetarum Baal ore pendebat, ab iisdem in fraudem inductus capitali supplicio plecteretur.

127. Hæc sunt igitur quæ Deus ad humanum captum se demittens per modum humanæ consultationis expressit, quamuis, neque consultat Deus, neque cuiusquam consilium requirit. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius*

eius fuit? Cùm enim omnia perfectiſsimè nouerit, ſuperuacanea eſt apud Deum omnis deliberatio; ſedere tamen fingitur tanquam Iudex qui de opportuna ſumendæ pœnæ ratione deliberat, vt eleganter explicat Sanctius in hunc locum. Neque verò Deus aut dextram habet & ſiniſtram, aut ſedet ac definito loci ſpatio continetur, qualis in hac viſione tanquam in hieroglyphica tabella depingitur, neque hæc apparitio merè ſpiritualis fuit, ſed vel prophetæ dormienti per ſomnium oblata, vel in aſſumptis corporibus obiecta vigilanti, vel duntaxat eius ſpecies impreſſa phantaſiæ.

128. Quare cùm hic omnia propemodum figurata ſint & ad Deum ex hominum conſuetudine transferantur, nihil eſt quod illud imperium: *egredere & fac ita*, ad viuũ reſecemus, quaſi Deus reuera mendacium imperarit. Quia tamen ſine eius permiſſione nihil fieri poteſt, vt explicat Bellarminus lib. 2. de amiſsione gratiæ & ſtatu peccati, cap. 13. cùm ad certum aliquem finem conſequendum fieri ſinit aliquid, rectè dicetur per quendam tropum illud imperare, atque ad illud excitare. Quemadmodum, inquit etiam vſitatè dicimus à venatore immiſſum fuiſſe canem in leporem, quamuis venator funem ſolùm laxauerit, quò canis retinebatur, ne leporem perſequi poſſet. Neque ſolùm permiſit Deus vt ſpiritus mendax loqueretur mendacia in ore omnium prophetarum Achabi, ſed etiam non dedit illi lumen quo diſcerneret mendacium à veritate.

129. Denique, vt rurſum optimis eiuſdem Bellarmini verbis vtar, quia præſidet Deus voluntatibus malis, eáſque regit & gubernat, torquet ac flectit in eis inuiſibiliter operando, vt licet proprio vitio malæ ſint, tamen à diuina prouidentia ad vnum potiùs quàm ad aliud, non poſitiuè, ſed permiſsiuè ordinentur, ideo dici poteſt non quidem verè ac propriè, ſed figuratè & καταχρηστικῶς ſpiritum illum nequam excitaſſe, vt qui ſua ſponte erat ad nocendum paratiſsimus in Achabi potiùs quàm in alterius perniciem ſua concinnaret mẽdacia. Certè Deum malæ voluntatis ſuaſorémque mendacij non fuiſſe vel ex eo liquet, quòd priuſquam dicat: *egredere, & fac ita.* ſciſcitatur, *Quis decipiet Achab?* id eſt, quis ſponte propria libertóque voluntatis arbitrio certum ac deliberatum habebit Achabum decipere, & in eo decipiendo volens nolens meæ prouidentiæ ſubſeruiet? Quod quia & ſine peccato & cum peccato fieri potuit, non ſolum deceptionem, ſed etiam modum deceptionis ſpiritûs optioni ac libertati permittit. *In quo?* E quibus videtis Deum fallaciam non imperare, ſed tantum permittere, & ad prouidentiæ ſuæ finem ordinare. *Poteſt ergo voluntas mala in ſe corrumpi* (verba ſunt Hugonis de S. Victore lib. 1. de Sacram. par. 5. cap. 29.) *& reſolui per proprium vitium, quod et aliunde non datur: ſed non poteſt per velle* (id eſt per volitionem actualem) *extra ſe præcipitari, niſi qua ei via aperitur. Et qui præcipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipſam inclinat, non impellendo, ſed permittendo, & non tenendo, nec auctor illi eſt ruendi, ſed incedendi ordinator.* Hæc ille, & alia tum multa, tum ſanè præclara in eandem ſententiam.

130. AMPH. Quid agimus, Pſeudagora? acquieſcimus Philalethi noſtro, an etiam diutius pro mendacio contra veritatem altercamur? PS. Vincat veritas. Primo die quo inter nos de veritate ac mendacio velitati ſumus, hominum conſuetudine, ratione, Patrum ac Philoſophorum teſtimonio probare volueram mendacium quibuſdam locis ac temporibus ad viri boni officium pertinere. Sed Philalethes noſter firmis ſolidiſque confutationibus non ſolùm arma mihi de manibus extorſit, ſed etiam meo, vt ita loquar, me gladio iugulauit, iiſdémque rationibus dicendæ veritatis neceſſitatem adſtruxit, quibus mihi videbar authoritatem conciliare mendacio. Altero die pro veritatis maieſtate contra mendacium ita diſputauit, tot argumenta congeſſit conglobauítque rationes, vt quamuis ad controuerſiam accuratiùs tractandam tantiſper diſſimulandum putarem, iam tamen meæ me temeritatis, & ſuſcepti tam malæ cauſſæ patrocinii ſuppuderet. Tertio die communem ſanctorum praxim qui ſe ex animi demiſſione ac modeſtia mortalium omnium teterrimos eſſe confirmant, & Chriſtianam religionem, vbi res exigit, vel eſu carnium, vel veſtium mutatione diſſimulant, & ſingularia quædam exempla, nominatímque quaſdam Patriarcharum locutiones, quæ mendacium redolebant, enucleatè diſcuſſimus, conſtititque partim non eſſe mendacia, partim, ſi qua mendaciola viris ſanctis obrepſerint, neutiquam imitanda. Quartus hic diſputationi noſtræ dies illuxit, quo die de obſtetricibus Ægyptiis, de Iehu, de Salomone, de quibuſdam, qui magiam, idololatriam, hæreſim, animum impurum ac libidinoſum cum laude ſimularunt, de Dauidis ac Petri ſimula-

tione, de non paucis Dei mandatis ac promissis, de multis Prophetarum vaticiniis, quæ vel aliquam mendacii speciem obtinebant, vel saltem mendacio fauere videbantur, ita disseruimus vt ex omnibus illis obiectionum nebulis maior veritatis splendor effulserit, liquidóque patuerit illud Aristotelis effatum, καθ' αὑτὸ ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτὸν τὸ δ' ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν: *Secundum se mendacium malum ac vituperatione dignum. Verum verò bonum ac laudabile.*

FINIS.



INDEX



INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ,

QVÆ VEL EX PROFESSO, VEL OBITER EXPLICANTVR.

Bbbb

EXODVS.

LEVITICVS.

NVMERI.

DEVTERONOMIVM.

IOSVE.

IVDICES.

RVTH.

REGVM LIBER I.

REGVM II.

REGVM III.

REGVM IV.

PARALIPOMENON I.

PARALIPOMENON II.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIAS.

AMOS.

IONAS.

NAVM.

AGGÆVS.

ZACHARIAS.

MALACHIAS.

MACHABÆORVM LIB. I.

MACHABÆORVM II.

MATTHÆVS.

LVCAS.

IOANNES.

ACTVS APOSTOLORVM.

ROM.

COR. I.

COR. II.

GALAT.

EPHES.





INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

Index rerum & verborum.

D

L

N

O

P

Index rerum & verborum.

X

Z

Laus Deo Virginique Matri.

Menda præcipua quæ Lectorem morari possent.

LIBRO I. §. 48. excludit. 50. essentialitatem. 62. turbatis spiritibus. ibid. Cæli rotationem Christo noxiam fore; sed certè indecoram. 69. firmatum est. 77. vno è quinque. 107. producta. 113. Eorum Principem loquentem. 119. insita vi. 122. arbitrabar. 151. cauitates. 152. tendinum.

LIBRO II. §. 2. fungitur. 32. esse certissimum. 41. ἀυτῷ. 43. etiamnum. 50. amnes. 68. agitur. ibid. sanus. 87. ..ix. 92. Phialam quam Ioseph. 117. auriti.

LIBRO III. §. 26. Augero. 28. Vesontinus. 31. Achæis. 37. cernitis. 42. inueniebatur. 62. cladis. 70. Chami. 76. Deo serui. 91. fœdos.

LIBRO IV. §. 4. πόλις. ibid. τεῖχιον. 15. Et ne longius abeamus, ait Onchelos. 17. terrarum. 42. & pro tua modestia ingenij tarditatem. 72. esse decretos. 73. Protreptico.

LIBRO V. §. 6. comprobabat. 13. vir. 39. Carnaim. 66. τίχιον.

LIBRO VI. §. 2. Assyrij, Medi deficiunt. 40. frixisti. ibid. μειζαλῆς. 48. nomina. 54. ἀνοχλεῖ. 112. Belum.

LIBRO VII. §. 3. referciendis. 82. nudè. 90. ingentium. 196. Σπιθαμῶν ἐν ζαθέων. 110. in terram Chanaam, cum.

Addenda Libro septimo, Pag. 177. *numero.* 33 *post hæc verba* : facili mutatione rescriberem. *adde*

Quanquam non video cur adeo Temuram asperneris, aut mihi non solum in Saræ, sed etiam in Abrahami nomine literas permutare non liceat. Neque enim, vt putas, sacris Authoribus insolens, vt aut eiusdem soni & instrumenti literas inter se permutent, aut eiusdem nominis elementa loco transferant, aut reuolutione quadam alphabeticum ordinem inuertant, & pro prima litera vltimam sumant, pro secunda penultimam, pro tertia illam quæ post se duas à tergo relinquit, & ita deinceps in aliis elementis, donec alphabetum bifariàm ex æquo diuiserint, & cùm ad literam vndecimam prioris partis extremam peruenerint pro ea duodecimam, primam posterioris vsurpent. Sic Ieremiæ cap. 25. v. 26. *Et Rex Sesac bibet post eos* & cap. 51. v. 41 *Quomodo capta est Sesac?* viri docti, nequicquam obganniente Scaligero, *Sesac* pro *Babel* scriptum, & pro gemino ב *beth*, quod est in nomine *Babel*, secundúmque locum obtinet in literis Hebraïcis, geminum ש *sin*, quod in earum ordine penultimum est, ך *caph* vndecimum elementum, priorísque partis extremum pro ל *lamed* duodecimo, partísque posterioris primo positum arbitrantur, vt pro בבל *Babel* dictionem ששך *Sesac* permutatione literarum habeamus. Ita Hieronymus in caput xxv. Ieremiæ, Cornelius, Sanctius, aliíque passim Interpretes. Quare quod ais nullum in Scripturis anagrammatismi extare vestigium, equidem sic interpretor vt in Pentateucho dicere volueris. Notat enim Helias Leuita lib. Masoreth Hammesora, tabula 2. oratione 1. specie 3. duas & sexaginta dictiones in Scripturis esse in quibus literæ transponuntur, nullam tamen in lege reperiri. Sic *Sadoc* à *Cados*, *Iason*, & *Onias* à *Ionas*, *Elimas* ab *Ismaël*, *Saraias* ab *Asarias* effictum est. Quemadmodum, vt obseruat Eustathius, Ἥρα Iuno, aëris Dea ab ἀήρ, Ῥέα Tellus, Dea terræ ab ἔρα *terra*, ἀρετὴ *virtus* ab ἐρατὴ *amabilis*, φλαῦρος *malus* à φλύαρος *nugax* quadam literarum traiectione deflectitur. Iam si, quemadmodum proles è sexuum permixtione suscipitur, ita literas vtriúsque nominis inter se permisceas, ab אברהם *Abraham* & שרה *Sara* ראש המרבה *ros hammarbe*, *caput* siue *princeps multitudinis* ex illa nominum ac literarum coniunctione nascetur: aut si Abram & Sara gutturales inter se mutauerint, & Abram à Sara literam anhelantem ה *he*, Sara vicissim ab Abram א *aleph* acceperit, elementis anagrammatismo transpositis ab Abram מרבה *marbe*, à Sara ראש *ros* elicies. *Marbe* porro est *multitudo*, quo significatur multitudo gentium ex Abrami & Saræ coniunctione propaganda. *ros* autem *caput*, quo innuitur Saram ex Abrami coniugio caput illius multitudinis esse constitutam. Sed quia parum erat Abramo patrem esse multitudinis, nisi hæc esset certa definitáque credentium multitudo, altera nomini Patriarchæ litera gutturalis accessit, quæ infinitam illam ac tumultuariam multitudinem ad certum determinatúmque credentium numerum restringeret, vt iam non esset *marbe* multitudo, sed vnius aspirationis adiectione *hammarbe* המרבה, certa, peculiaris, electa credentium multitudo. Neque vero minus fecerit operæpretium qui ס *samec* pro ש *sin* & סרה *sara* pro שרה *Sara* facili vt dicebam, literarum eiusdem soni & instrumenti mutatione rescripserit. Sic enim Saræ nomine CCCLXV. colligentur, &c.

LIBRO VIII. §. 34. ἰαδίως. 37. Themosi.

LIBRO IX. De mora filiorum Israël in Ægypto. §. 5. tam 14. ἐχέμαλαπ. ibid. Κε ανῶ.γ. 17. Paulum. 19 χωρίσαντι. 21. non potuerit expressius, viderit. 30. aquila. ibid. tophum. 27. conuoluens. 38. malim. ibid. cùm de 48. Salianus. 49. apertus. 60. tibi. 62. expugnanda. 77. Nabatheni. 86. erasetit. 88. è. 95. caussâ. 112. Ystelam. 110. esse putaui rebus inter se non.

LIB. X. Chronologia Iudicum. §. 1. ne data. 2. æger. 18. minimùm. 23. ἀγμαζεν. 78. de Christo. 89. putaui. 94 ἴτι. 219. an adeo. LIBRO XI. §. 111. si cum.

LIB. XII. §. 15. tumultu. 40. imprecatur. 55. enumerant. 70. non potuit. 96. Patre.

LIB. XIII. §. 7 editum. 10. referenda. 86. aquam & terram. 102 Brisson. 104. legatur.

LIB. XIIII. §. 51 cõstruit. 61 euoluere. 71 cõsecrandũ. 82. anno xxv. 87. ἐπαλλαλαζιν. 229. imperarũt. 138. ἐγκέφαλον

LIB. XV. §. 144 Quadriennium. 71. obscurandam. 145. nouem. 158 nono

De Mendacio & Veritate. LIB. I. § 37. dissimulator. 55. veritatem. ibid. artuum. 60. sarissarum. 79. internæ cogitationi ...na 108. aliorum.

LIB. II. §. 3. negatio. 36 appetita. 54. Cannarum. 59. sal. 64. contrariatur 93. putaui. 97. tiuulis. 103. arridet.

LIB. III. §. 16. Apostolorum. 61. eum. 105. simulatæ. 112. vir antiquus. ibid. Experiendo. 116. magnum.

LIBRO IV. §. 11. non video. 21. adfuerint. 42. offensioni. 49. labentes 95. nam contra rei veritatem vaticinatus fuerat Elias fore. 125. cernuntur.



